

GERMANICARUM
RERUM

TOMI QUATUOR,

SIMONIS SCHARDII.



SCHARDIUS REDIVIVUS
Sive

RERUM GER-

MANICARUM
SCRIPTORES VARII,

Olim

A. D. SIMONE SCHARDIO,

In IV. Tomos collecti, haftenus diu desiderati,

TOMUS PRIMUS,

CONTINENS GERMANORUM PO-

tissimam originem, varias migrationes, divisiones, appella-

tiones, bella atque alia ante Romanorum tempora, & cum his fortiter gesta; Item, Translationem

Imperii Romani ad Germanos, & quorundam Germanicorum Imperatorum Acta,

usq. ad tempora ferè CAROLI V.

OPUS OMNIBUS HISTORIARUM, POLITIA-

RVM. ANTIQVITATIS, ET IVRIS PVBLICI AMATOR.

ibus sumptibus utile & necessarium. Nunc primùm varietate Typorum, Axiomata politica & maximè necessa-

rius, & in fine Index ad IV. Tomos universalis locupletissimus, Historica, Politica, Geographica, publici Juris

Principia ad formam Locorum communium referens,

Operâ

HIERONYMI THOMÆ, AUGUSTANI, J. U. L.




GIESSÆ, Ex Officina SEILERIANA.

Typis Hampelianis, Anno 1673.



Epigramma ad Lectorem.

Qui nova Teutonidos fama, Studiose, requiris,
Hic veteris Patrie jam nova facta vides.
Cur nova, mille retrò Tacitus quæ scripsit ab annis?
Quod splendore novo scripta vetusta nitens.
Hic patriæ agnosces mutata vocabula lingua,
Mores, ingenium, res, loca, Regna, situs.
Perlege Germanæ nova facta Encomia fame,
Quæ sua iam fructus, quam bona Chloris habent.



VIRIS
NOBILITATE GENERIS
ET OFFICIORUM, AMPLITVDINE

Virtutum, Integritate Morum, Fama commerciorum, Favore
Literatorum, maxime conspicuis & passim con-
celebratis.

DN. ADOLPHO ZOBELIO,
Patritio Augustano, Consuli Patriæ & Hospitalis Curatori
gravissimo.

DN. ANDREÆ HUBERO,
Senatoria Dignitate eminenti.

DN. MARCO HUBERO,
Consistoriali functione præclaro: Patri & Filio, Virtutum
gloria paribus, Negotiatoribus Primatius

DN. RAYMUNDO EGGERO
Mercatori ubique celeberrimo.

Fautoribus quolibet modo æstimandis, honorandis & suspiciendis.



Amdudum puduit non fecisse, quod omnes coæ-
tanei Patriæ Commilitones; Venerati sunt hactenus omnes
Vestrum Nomen, Virtutem, Gloriam, vel Scripta tua dedi-
cando, vel panegyrica carmina conscribendo, solus ego ex
omnibus supersum, qui silentio Vestram Laudem continui,
non quod ignota vel esset, vel mihi non videretur adoranda
(quis enim solem in meridie lucere nesciret?) sed quod di-
gnum quippiam non repererim, Vobis inscribendum & de-
dicandum. Non piget tamen fortunæ istius, quandoquidem
dignitas nobilissimi hujus scripti resarcire poterit, quod mo-
râ à me peccatum est. Schardium Vobis offero, fidelem celebratissimarum rerum
Germanicarum indagatorem, collectorem & buccinatorem. Opus, fateor, non
meum,

D E D I C A T I O.

meum, præficine tamen dixerim, ita operâ meâ emendatum, renovatum, & ad usum accommodatum, ut non verear Eruditorum subire iudicium, utrum ille colligendo, an ego renovando Scriptores hos de Germania, majorem laborem & industriam impenderimus? determinantium, & utinam prælo Typographico semper adesse & præesse; Correctoris itidem muneri vacare potuissem, multa menda emendare, & nitidius elegantissimum hoc opus in lucem producere voluissem; sed fato quodam inevitabili jam ferendum, quod corrigi nequit. Eruditorum gratia hic Liber collectus est, Eruditorum ergo etiâ exoptulat voluntatem & affectionem. In primo Libri intuitu, cum conspexissem, multa in hoc Volumine de Patria nostra Augusta contineri non vulgaria, imò & integros *famosi istius Polyhistoris Peutingeri* convivales sermones, statim complacuit, itaque editionem revidendam cogitavi, Vestroque Nomini, utpote Civium Primariorum, dedicandam destinavi. Suscipite ô Viri Amplissimi partum hunc animi Vobis verè devoti: Amplectimini vel ea de causa, quod Augustæ referat Antiquitates, quod Civium producat Originem, Genitores, fortitudinem; Ostendite serena fronte, non inter omnes Mercatores & Literatos gliscere istam perversorum quorundam æmulationem, stulta arrogantia se sibi invicem præferentium. A Mercatoribus sustinentur Artes, foventur Docti, aluntur Musæ, non proinde quivis Mercator quovis Literato potior. Ab Eruditis informantur Mercatores, instruuntur Prudentia, per sana eorum consilia promoventur commercia, non ideo quivis Doctorculus cuivis anteposendus Mercatori. Par utriusque pro qualitate esse debet æstimatio. Hanc Vos hætenus æquali trutina ponderastis, Vobis debitum honorem conservando, alios non impari modestia tolerando. Vobis itaque debetur & honos & gloria. Vos omnes respiciunt, amant, honorant. Vos quoque ego quamdiu superero, venerabor, fausta quævis exoptando, vitam longævam, incolumitatem perpetuam, felicitatem æternam apprecando,

*Nobilissimi, Amplissimi, Integerrimi & Prudentissimi
Domini*

Vestrorum meritum admirans

Hieronymus Thomæ, Jur. Lic.




AD LECTOREM, IN TOMUM PRIMUM,

P R A E F A T I O.

UM in omni disciplinarum genere, tum in historiis legendis utile sit, quæ dispersa & segregata hinc inde de eadem materia à diversis authoribus scripta sunt, ea undique congregata conjungere, & in unum quasi corpus cogere. Itaque licet Vir quidam doctus & Historiarum studio admodum deditus, pro eo munere quod gessit, magnis multisque occupationibus distineretur; tamen subcivis horis, & generales & speciales, de Germaniæ & Novæ, & Veneris, situ, Moribus, Populis atque Regionibus descriptiones quasdam ex multis & variis, tum vetustis, tum superioris ætatis, nostræque memoriæ authoribus collectas in unum volumen retulit. Quo autem consilio hujusmodi descriptionibus primum locum hujus Operis tribuerit, non est, quod Lector admodum sit sollicitus, nec offendi magnopere debet, si fortasse non accuratam rationem, vel in congerendo, vel in disponendo adhibitam esse, in hoc Tomo I. intellexerit. Id igitur potius humanus Lector spectet, multorum diversorum Authorum varia opuscula ejusdem ferè generis sub unam veluti classem redacta esse, quæ nec passim in Bibliothecis extent, nec ubique sint etiam in celebribus Bibliopoliis venalia. Hac de causa etiam Chronicon illud monachi cujusdam Herveldensis, quod præcipuè ad vitam & res gestas Henrici IV. pertinet, licet cum argumento hujus Tomi non congruat, tamen quia ante paucis vitum est, ei est insertum. Quod si jam hunc laborem Lector boni consuluerit: curabitur, ut in quibus vel judicium, vel ordo desiderari potest, ea omnia temporis progressu emendentur & perficiantur, qua in re vir quidam eruditus & magna historiarum cognitione præditus, Typographo operam studiumque suum promissit.

Bene Vale. Calendis Augusti anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo
quarto.

AUTHO.


AUTHORUM, TRACTATUUM, ET
LIBRORUM CATALOGUS, IN HOC PRIMO TOMO
CONTENTORUM; QUI EO ORDINE HIC ENUMERANTUR, QUO
IN HUNC PRIMUM TOMUM SUNT
RELATI,

A NDREÆ Althameri in libellum P. Cornelii Taciti, de situ, moribus & Populis Germaniæ, Scholia.	Pagina 1
Jodoci Willichii in eundem Cornelii Taciti libellum commentaria.	38
Henrici Glariani in eundem libellum commentariolus, vetera ejus vocabula paucis explicans.	70
Philippus Melancthon de vocabulis Regionum & Gentium quæ recensentur à Tacito.	77
Germania ex variis scriptoribus brevis explicatio, Bilibaldi Pirckheimeri.	81
Henrici Bebelii oratio ad Maximilianum I. Casarem, de ejus atq; Germaniæ laudibus.	95
Ejusdem Carmina & Epistola quadam.	104, 105
Demonstratio ejusdem Germanos esse indigenas.	105
Apologia ejusdem pro defensione Imperatorum contra Leonhartum Justinianum, & alios qui nomen Imperatoris extenuant, & coronationem eorundem deciderit.	108
Idem Imperatorem Christianum jure Christianissimum esse dicendum.	116
Idem de laude, antiquitate, Imperio, victoriis, rebusq; gestis veterum Germanorum.	117
Idem de laude Suevorum & Udalrici Ducis Wirtenbergensis, &c. & de proditione & captivitate Ducis Mediolanensis, &c.	135
De origine Francorum Trittemhemius ex sex libris Vasthaldi de introitu Siccamborum, ad partes Rheni in Germaniam, & sex Hunibaldi de Francis, deduxit autem Epitomen usq; ad Imperium Arnulphi Cesaris.	143
Epitoma Germanicarum rerum, Jacobi Wymphelingii.	170
Sermones Convivales Conradi Pentingeri ad illustrationem Germaniæ pertinentes	200
Ulrici Hutteni Arminius Dialogus, de laude Germanorum.	214
Libertas Germaniæ, &c. scripta ab Hieronymo Gebvulero, de origine Francorum eorumq; Regibus, quos Germanos fuisse, ut & Civitates & Populos, Transrhenanam ripam incolentes probat. Idem de laude Imperatorum Germanorum.	219
Conradi Celtis de situ & moribus Germaniæ.	226
Æneæ Sylvii Germaniæ, in qua Urbes, Civitates, Ecclesiæ, Episcopatus, Principatus, & Nobilissimas familias Germanorum describit.	229
Germaniæ universalis & particularis, veteris & novæ descriptio, per Sebastianum Munsterum, pro Tabula Nicolai Cusa intelligenda, cum Canone ejusdem Tabule.	238
Historia Georgii Spalatini de Arminio Germanorum Duce contra Romanos, de Germanico in Latinum conversa, à Petro Keulero.	259
Priscæ ac veræ Alpine Rhetiæ cum cætero Alpinarum Gentium tractu, authore Ægidio Schudo, descriptio.	269
Ejusdem Epistola ad Beatum Rhenanum de Lentiensium, Germanorum, Augusta Vindelicorum, Otodori Veragrorum, Equestris Colonia nomine & situ, cum explicatione nominum aliorum quorundam in Germaniæ locorum.	303
Joannis Heroldi commentarius de Romanorum in Rhetiæ littorali stationibus, ac ex iis de Vicorum, Municipiorum & Villarum, &c. originibus.	307
Helvetiæ descriptio, authore Henrico Glareano, cum commentario Osvaldi Molitoris Lucerini.	315
Ejusdem Glareani Panegyricum, in laudem 4. Pagorum & tredecim Urbium Helvetiorum, cum ejusdem Molitoris commentario.	326
Huberti Thoma Leodii de Tungris & Eburonibus, aliisq; inferioris Germaniæ populis, Commentarius.	336
Petri Divai Lovaniensis, de Galliæ Belgicæ antiquitatibus, statum ejus, quem sub Romanorum Imperio habuit complectens.	354
Monachi cujusdam Herveldensis Chronicon, in quo initio ferè à Carolo Magno factò, paucis res gestas Imperatorum Germanorum, & quæ alioquin in Imperio acciderint, perstringit, usq; ad Henricum III. cujus vitam & res memorabilespace belloq; gestas usq; ad Electionem Rudolphi Ducis Sæviæ, qui Henrico fuit insinctu Pontificis substitutus, pluribus persequitur.	370
De nominibus propriis Germanorum opusculum Studiosi Antiquitatis.	441



P. CORNELII

TACITI, EQU. ROM.

DE

SITU MORIBUS ET POPULIS

GERMANIÆ LIBELLUS,

Cum Scholiis

ANDREÆ ALTHAMERI BRENTZII.

GERMANIA a omnis a b Gallis c Rhetiisque, & d Pannoniis; Rheno & Danubio fluminibus: a e Sarmatis f Dacisque mutuo metu g aut montibus separatur: Cætera b Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spacia complectens, nuper i cognitis quibusdam, quos bellum aperuit.



Veterem * Germaniæ situm, & angustioris terræ, quam nunc est, limites a principio describit Tacitus: non ejus, quæ multorum populorum accessione postmodum facta est amplissima. Nam vetus Germania tantum intra Rhenum,

Danubium atque Oceanum conclusa, non prætendebatur longius: quod præter Tacitum, & alii terrarum Scriptores testati sunt. *Pomponius enim Melæ, Hispanus Cosmographus lib. 3.* quoque tradit, Germaniam ab Occidente ripis Rheni usque ad Alpes; ab Oriente, Sarmaticarum confinio gentium, quæ septentrionem spectat, Oceanico littore obductam. Similiter & *Solinus cap. 29. Extenditur, inquit, inter Hercynium saltum & rupes Sarmatarum, ubi incipit, Danubio: ubi desinit, Rheno perfunditur.* Accedit ad horum sententiam & *Strabo lib. 7.* atque *Cl. Ptolomæus lib. 11. cap. 11.* Habes nunc antiquum Germaniæ situm. Verum quis ignorat, quanta interim facta sit populorum accessio? Velut abundè scribit *Aeneas Sylvius Senensis*, qui Pontifex Max. Pij cognomentum tulit. Comparemus ergò cum veteri novam, & primum de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus, qui quondam Germaniæ limites clausere, nunc per medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica regio, quæ Galliæ prius portio tertia fuit, nunc majori ex parte Germaniæ

cessit, lingua & moribus. Helvetii quoque gens antea Gallica, in Germanos transivere. Rhetia tota & ipsum Noricum; & quicquid Vindelici nominis inter Alpes ipsas cœlovicinas & perpetuâ nive rigentes, nomen Germanicum penetrans, in Italia quoque sedes posuerit, Brixione, Merane, Bubranoque in valle Athesis occupato. Austria, quæ apud præcos Pannonici juris fuit, & Norici portio, in Germanicum nomen conversa est. Stiria, quam Veteres Valeriam vocaverunt, Theutonicum morem atque imperium subiit. Carni quoque, quos modo Carinthianos, Carniolosque nominant, idem fecere: Ita ut fontes Dravi Savi que nominatorum fluminum, Theutonici juris existant. Neque Alpes ullæ inter Italiam atque Germaniam sunt, quarum summa cacumina non possideant Theutonici, qui ad Orientem non modo Albim, sed Oderam ac Viscellam transmiserunt. Et in ipsa quidem Occidentali Sarmatia; Ulmigerorum & Gepidarum agros invasere. Nam & Austria trans Danubium, & Moravia; & quidquid Slesitiæ ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit soli: Quin & in Oceano & Baltheo sint, medias insulas sui juris fecere Theutones. Porro non temere est, quod dixit: *Omnis Germania.* Nam est superior & inferior, cis Rhenana & trans Rhenana, atque magna Germania apud Classicos Autores. Cornelius Tacitus in *Historia Augusta* non raro superioris & inferioris Germaniæ mentionem facit. *Ammianus Marcellinus lib. 15.* Superiorem, quam etiam primam vocat, Moguntiacos, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoracos complecti refert. Inferiorem verò, quæ ipsi & secunda, Agripinam & Tungros, Germaniæ magnæ meminit *Claudius Ptolomæus.* Superior Germania, (quæ ut dixi) prima etiam & alta vocatur, & *Historiographis*

phis (Das hoch Deutschland) à Mœno ascendendo Bajoariam habet Austriam, Stiriam, Athesim, Rhetiam, Helvetiam, Sueviam, Alfatiam, Tribochos, Nemetes, Vangiones, & Moguntiacum usq; Inferior Germania, etiam secunda & Bassa vocata (Das nieder Deutschland) ab Obrinco fluvio, qui nunc Mosella, initium habet: continet Franciam orientalem, cuius magna pars Meridiem versus, in superiorem protenditur Lotharingiam, Brabantiam, Flandriam, Selandiam, Holandiam, Geldriam, Frisiam, Westphaliam, Hassiam, Saxoniam, Marchiam, Daniam, Pomeraniam, Borussia, Livoniam, Slesiam, Moraviam, Bohemiam, Voilandiam, Misniam, Duringiam. Ptolomæus quoque magnæ Germaniæ recordatur, quæ Septentrionem sub se comprehendit, Borussia, Livoniam, Silesiam, Carpathi incolas, Peucinos, Bastarnas, Roxolanos, atque Venetos. Vel ut aliis placet, Saxoniam ulteriorem, ut Lubecum, Rostochum, & antiquam Marchiam: quæ Germaniæ portio trans Rhenum ad Albim usque extenditur. Fines verò Germaniæ nostro ævo sunt, Italia à Meridie, Hungaria & Polonia ab Oriente, mare Balthicum magnusque Oceanus à Septentrione, & Gallia ab Occasu. Habes rationem, quare dixerit Cornelius: *Germaniæ omnis*, hoc est, superior & inferior magnaq; intra hos fines est conclusa, Gallias, Rherias, Pannonias, Sarmatas, Dacosque.

Gallia lata Europæ regio, nostra ætate Francia occidentalis dicitur, Germanicè *Frantreich*: & ejus populi Franci (*die Fransosen*) à Francis Germaniæ populis, à quibus ferè tota olim subacta est. Hæc trifariam divisa, in Tonsam sive Togatam, quæ & Cisalpina dicitur; Comatam, qua appellatione cognominatur omnis transalpina Gallia; Braccatam, quæ etiam Narbonensis dicitur. Togata est illa ora Italiæ, quæ intra Padum Rubiconem & Apeninum est: ubi etiam hodie vulgo Lombardiæ, Forum Julii, & Romandiolæ provinciæ. In quibus Aquilegia, Mediolanum, Padua, Placentia, Bononia, Ravenna, Mirandula, flos ac robur Italiæ, sita sunt. Itaque Togatam eandem & Cisalpinam à Toga cum Latio communi Romani dixere. Comata, quo nomine omnis transalpina Gallia est nuncupata ab intonsis crinibus, quo vocabulo illa Germanorum gens, Rheno proxima, utramque illius ripam attingens, à Veteribus est appellata: *Ubi, Rauraci, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Moguntiaci, Treveri, Mediomatrici, Confluentes, Rheni & Mosæ populi, Menapii, Eburrones, Tungri, Bellicassi, Nervi, Belgii, Bellovaci, Leuci, Morini, Atrebatæ, Ambiani, Romandui* una cum reliquis Belgarum populis. Sed cum Gallos & Germanos uno vocabulo veteres Græci, Celtas nuncuparint: hinc est, quod *Cæsar lib. i. belli Gallici* in sua Gallica divisione, Celtas non minorem totius Galliæ partem tenere scripserit, quam huic quoque Comata adieciemus. Quum horum imprimis maxima pars populorum Germanorum, & Belgarum instar comas nutriat. Cæsar siquidem Galliam omnem in Celtas, Aquitanos, & Belgas dividens, Celtas, Belgas proximos, hæc voluit obtinere loca? ubi Augustus Cæsar quartam Galliæ divisionem Lugdunensem locavit: quæ in se habet populos, Veteribus vocatos Valesios, Burgundiones, Sequanos, Heduos, Lingones, Lugdunos, Nivernos, Cenomandos, Redones,

Senones, Andes, Turones, Carnutes, Britones, Parisios, Veromandos, hodie Helvetii, Vesontii alii, Bisanti, Verdunenses, Divionenses, Belnenses, Augustoduni, Bibractæ, Matisconenses, Cabillonenses, Aurelianenses, Lutetii, pluraque alia loca ad Ararim, Ligerim, Sequanam, & Matronam flumina sita, quæ longum esset enumerare. Braccata, quæ Narbonensis dicta, à braccis, id est, femoralibus prolixis, quibus utebantur, qui etiam præter hæc sagistecti; *Strabone teste lib. 4. Geographiæ*, & vestibus brevibus, quibus vix nates tegere poterant, vestiebantur. Hæc etiam Celtis mixta, hos habet populos, Priscis memoratos, Allobroges, provinciam Romanorum, Tolosarios, Narbonenses, Rusciños, Tectosagos, & populos inter Isaram & Rhodanum, quæ Civitates habens nobilissimas, Gebenam, Masiliam, Niceam, Tolosam, Narbonam Perpennianam, Arelatensem, Carcassonam, Avinionem, Viennam, Valentiam, Biterras, Agathopolim, & plures alias, quas nimis prolixum esset recensere. Aquitania quoque in hoc tractu sequitur, non ignobilis Galliæ pars, ad Garumnam fluvium, quæ corporibus hominum & lingua à cæteris Gallis differt. Civitates & populos habet à Veteribus enumeratas, Pictones, Tarvisacios, Tarbelios, Bigerones, Garumnos, Cocolares, Sigubates, Auxitanos, Vassarios, Flussatos, Bituriges (Horum oppidum Avaricum, cuius *Cæsar* meminit sæpenumerò in *Comment.*) Burdegallenses inter Garumnam, & Auscios, Ruthenos, Levonicos, & Avernos. Liger potissimum in ea regione flumen est, qui provinciam eam à cætera Gallia diducit, nomina etiam quædam habet recentia, puta Claremontenses, Sanctithori, Tutelenses, Mimotenses, Albienses, Castrenses, Amicienses, Vabrenses, & plura hujusmodi, quæ brevitas causa hic omittuntur. Habes itaque, Candide Lector, brevem atque item veram Galliæ partitionem & descriptionem, quam nobis Hala Saxonum communicavit Homo fidei & humanitatis plenus, Ambrosius Leymbachus, Vir literatissimus & nullis non doctis deditus, qui aliquot annos in Gallia versatus, omnia suis oculis non illibenter vidit.

Rheti Alpium fuerunt populi supra Comatam Italiæ urbem, ad Alpium radicem, sicut habet *Strabone lib. IV.* Quorum oppidum est Bicanium, & Candonum, & Licantiorum, veluti arx quadam Damasia. Idem *Strabone lib. VII.* Rheti verò & Norici usque ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant, hinc insubribus, Inde Carnis propinqui & Aquilejæ tractui. Hi à Rhetis, Duce Tuscorum (qui etiam Hetrusci, nunc Florentini) appellationem sumpserunt. Nam Tusci Duce Rhetis avitis sedibus amissis, id est, pulsati à Gallis, *autiare Plinio lib. III. cap. 20.* Alpes occupavere: & nomine Ducis gentem Rhetiorum condiderunt, velut scribit *Iustinus lib. XX.* Istorum loca nunc tenent Germanorum gentes, Churienenses, à Churia vetusto oppido, Algeantier pars Athesini, Comitatus scilicet Tirolis. Oppida habent Churiam; Veldchirachium, Lindolam, Brigantium, Ravasburgum, Campidonam, Causburnium, Rotvilam, Augustam. In confesso autem est, duas fuisse Rhetias: Superiorem scilicet & inferiorem. Superior est montana & alpestris: Inferior plana Sueviz nostræ portionem complectens.

plectens, quæ etiam Cisalpina dicitur. Univerſa Rhetia nunc ad Germaniam ſpectat. Rhetica vina ſunt; quæ nos Germani appellamus *Seldiner*, generoſa; & quibus maximè delectatus eſt Auguſtus Cæſar, teſte *Suetonio in vita ejus*, quæ etiam à *Vergilio 2. Georgicorum* commendantur.

Et quo te carmine dicam

Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Rhetica Alpes (dicunt Graeci *Bunder*) ex ſunt, quas Rheti incoluerunt, nunc ab Helvetiis habitantur, vulgò dicuntur *S. Gothardi*, item *S. Bernhardi*, atq; *S. Nicolai* montes. In iſtis Alpibus Rheticis oritur *Rhenus*, ut ait noſter *Cornelius Tacitus*: Rheticus autem mons apud *Pomponium Melam lib. III.* eſt in Helvetiis, qui ab incolis *Brettiggeum* vocatur, annoſante *Ioachimo Vadiano*, in ſigni *Cosmographo*, ad quem Rheti federunt. Eſtque ille mons, quem jam Rhetica Alpes diximus, ex quo *Rhenus* oritur inter fines *Curienſium* & *Sedunorum*: ubi hodie *Leopontii*. Quidam porriunculam *Suevorum* circa *Nordlingiacum Rhifam das Rhies* à Rhetia appellatam contendunt.

Non frustra *Pannonis* plurali numero dixit. Siquidem duplicem *Pannoniam*. *Vereres* quoque dixerunt. Superiorem, quam *Austriam* hodie appellant, ab Austro vento, quo perflatur: sive ab *Austrasia Gallica*, quemadmodum placuit *Paulo Emilio*. Hæc habet *Viennam*, clarissimum oppidum, bonisque studiis passim famigeratum: numeratur inter Germaniæ oras, *Cerere* & *Baccho* fecundissimas. *Cæsaribus* & *Regibus Germanorum* obsequiosissime parens. Inferiorem *Pannonos* olim, *Pæones* dicti, ab initio tenuerunt, inde *Hunni*, mox *Gothi*, post *Langobardi*, novissime *Hungari*. Quare inferiorem *Pannoniam* rectè *Hungariam* dixeris.

Sarmatiam et pariformiter bifariam dividerunt *Cosmographi*: Altera nempe *Asia* est, *Tartariam* nunc vocant: *Europa* altera, *Scythiæ* olim regnum fuit, cui *Poloniæ* nomen indiderunt. In hac est *Brusſia*, *Livonia*, *Litvania*, *Ruffia*, *Pomerania*, *Polonia*. Hæc habet *Cracoviam*, amplissimam urbem, quæ & ipsa *Gymnasio* est celebris. Harum populi *Sarmatæ* à *Græcis Sautomatæ* dicuntur: aliqui hos *Scythas* nominabant, hinc *Plinius lib. IV. c. 12.* *Scytharum* nomen usquequaque in *Sarmatas* & *Germanos* transivisse testatur. *Utramque Sarmatiam* ac gentis mores, copiose satis quidam *Matthias de Miechovv*, *Cracovienſis* descripsit.

Dacia sive *Scythiæ* olim, nunc Germaniæ quoque est regio: à *Septentrione*, parte *Sarmatiæ*, quæ in *Europa* est, circumſcribitur, à monte *Carpatho* usque ad finem præfata flexionis fluvii *Thyræ*: ab Occidente *Jazigibus* *Metanasis* per *Tibiscum* amnem discernitur; à Meridie verò usque ad *Danubium* extenditur, auctore *Protopo lib. III. cap. 8: Vide Plin. lib. IV. cap. 12. & 14.* *Strabonem in 7.* *Dionysium de situ orbis.* *Lucanum in 2.* *Appianum in lib. qui Illyricus* inscribitur. *Aeneam in Europa cap. XXXIII.* *Saxonem Grammaticum in Historia Danorum.* Nunc *Transilvaniam* & *Walachiam* dici, satis notum est, Et *Dacus* est *Walachus*. Alia est *Dacia* in mari Germanico, quam *Daniam*, *Dennemarck* vocant, de qua hoc loco nihil agitur.

Mutuo metu aut montibus separatur. *Pomponius & Mela lib. III. de Germanis: Qui habitant, immanes sunt animis atq; corporibus, & ad in-*

sitam feritatem, vasta utraque exercent bellando animos, corpora ad consuetudines laborum: & infra *Cornelius Germaniam informem terris, Asperam caelo, tristem cultu & aspectu vocat.* Sunt rursus *Sarmatæ* & *Daci*, *Hora. lib. I. ode 25. teste sævi atque truces: quo fit, ut mutuus horror, asperitas locorum, metusque intervenerint, quo minus alterutrum terras invaderent ad populandum hostem, provocandumque vicinum.* Accedit ad hunc metum & montium interjacentium inaccessa altitudo, & horror: sylvarum quoque asperitas, quæ prohibent vicinorum hostiū subitam irruptionem. Velut itaq; *Rhenus* sequestratur à *Gallis*, & à *Pannonibus* *Danubio*: ita mutuus metus altissimique montes & *Sylvæ* separant *Germanos* à *Dacis* & *Sarmatis*.

Oceanus nempe *Daniam*, *Nortvvegiam*, *Sueciam* *Scandiam*, *Gothiam* & non paucas alias *Germanici æquoris* insulas circumluit. Dicitur est autem *Oceanus* à celeritate, teste *Solino cap. XXXI.* ab *ænds*, quod velocem sonat: Et est mare totam terram cingens. Unde *Dionysius de situ orbis:*

nam terra solo præcingitur omnis,

Parvaq; coruleo caput effert insula. *Ponto:*

De *Germanico æquore* quem hic *Oceani* nomine intelligit *Das gros Deutsch Meer und Pomerisch Meer* infra plura dicemus. Verum *insule* (ut id in transcurso dicatur) sunt in mari loca, undis undique ambita, discreta à continenti: dictæ ut *Martianus ait*; ab eo quòd in salo sunt. *Domus* quoq; nullis connexa ædificiis coherentibus, *insule* nominantur.

Nam *Germania* multis annis nec tota percongnita est, auctore *Plinio in lib. IV. c. 14.* quemadmodum *Lituania*, quæ nec *Græcis*, nec *Latinis* fuit cognita: sed *Christiana religio* hanc nostro generi aperuit *Strabonem etiam lib. VII.* plagam trans *Albim*, quæ *Oceanum* spectat, sibi prorsus incognitam refert.

Rhenus Rheticarum Alpium inaccessis ac præcipiti vertice ortus, nostro flexu in Occidentem versus, septentrionali *Oceano* miscetur.

Rhenus, amœnissimus *Germaniæ* fluvius, ex *Rheticis Alpibus*, de quibus paulo ante multa annotavimus, hoc est, ex *Leopontis*, qui *Alpes* incolunt, ut habet *Cæsar lib. IV. Comm. belli Gallici*, decidens propè à capite duos efficit lacus, *Acronium*, hoc est, *Constantiensem*, quòd ad eum sita sit *Constantia* urbs: alius *Bigantium*, à *Pregantia* vetustissimo oppidulo dictum, quem accolæ *Podmicum den Podmer See* quod profundissimus sit: vel ab antiqua quadam *Nobilium* familia de *Podmen*, nominatum volunt. *Venerunt* alterum inferiorem, hodie *Cellensem* dictum, à *Cella* oppidulo: Deinde *Rhenus* flexuoso littorum anfractu variis rupibus saxosisque incitatus, paulò inferius *Rauracos*, *Tribotes*, *Nemetes*, *Vangiones*, *Moguntiacos*, *Confluentiam*, *Ubiös*, amplissimas *Germaniæ* civitates alluens *Neccharum*, *Mœnum*, *Mosam*, *Scaldim*, *Mosellam* flumina in se recipiens, in *Oceanum Germanicum* multis ostiis effunditur.

Danubius à molli & clementer edito montis *Arbonæ* jugo effusus, plures populos adit, donec in *Ponticū* mare sex b meatribus erumpit, septimū enim os plaudibus hauritur.

Danubius, qui & *Ister*, celeberrimum totius *Europæ* flumen, in *Suevis* oritur in collibus *Arbonæ auff der Baar* ad *Bacenim* sylvam: quem locum aliquando *Baronatum* appellatum, admonuit me *Tubingæ* *Matthæus Neſerus Fürstenbergensis*, in humanioribus studiis apprime eruditus, ejus soli indigena

indigena apud pagū Doneſchingiacū patria lingua Doneſchingen dictū. Hic Sueviā omnē in duas ſeparat partes; Superiorē & inferiorē, allabentib. rivis auctior Illiam; præclaram Suevorum urbem, petit: ibi recepto. Hilario amne, navigabilis efficitur: deinde per Gundelſingiacenſium agros delatus: Brenzā, patriū flumen abſorbet: hinc Laugingiacū, quæ Alberto Magno patria, Werdeam Suevicam, Angelloſtadium, Ratiſponam; per Bajoariam, Auſtriam, Hungariam fluens, ſexaginta fluminibus auctus, ſeptem ſolius Ponticum mare, quod aliās Euxinum ab inhospitali feritate dicebatur, ingreditur. Dum verò mari jungitur, tanto impetu inferitur, ut ultra quadraginta millia paſſuū infra amaras undas dulcem quarentibus exhibeat hauſtum. Ab undarum ſtrepitu & ſono accepit nomen vernaculum *Donau*: Gentes verò præcipue, quas adit Danubius, hæ ſunt, Suevi, Rheti, Boji, Norici, Pannonæ, Dæci, Bulgari.

DE ostiis Danubii ſcribunt Pomponius *Mela lib. II. Strabo lib. VII. Ovidius lib. II Trifium: Statius lib. V. Theba. Plinius lib. IV. c. 12. Ammianus Marcellinus lib. XXII.* hic poſt Plinium oſtiorum nomina quoque recenſet. Quorum primum eſt, inquit, Peuce inſula, ut interpretari ſolent vocabula Græco ſermonē; Secundum Naracoſtoma: Tertium Caldoſtoma: Quartum Pſeudoſtoma: Nam Boreoſtoma, ac Stenoſtoma longè minora ſunt cæteris: Septimum genus eſt paluſtri ſpecie nigrum. Neque hoc negligendum, Stephanium ſcribere, Danubium aliquando *MANTHAM* dictum.

Ipfos Germanos a indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur, quia mitare ſedes quærebant, & immenſis ultra, ut queſie dixerim, adverſus Oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porò præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia aut Aſſrica aut Italia relicta, Germaniam peteret? in formem terris, aſperam celo, niſiſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit.

Germanos eſſe *αὐτόχθονας*, hoc eſt indigenas, in ipſa patria Germania natos, non aliunde introductos multis rationibus probat Tacitus. Primum quod non niſi navibus ad Germaniam patebat aditus. Deinde quod infeſtus Oceanus, qui cingit aliquot Germanorum ſites, peregrinarum gentium acceſſum prohibebat. Tertio quod aſpera atque horrida & incultra natio, non admodum adſciebat exeros: Quarto quod aliena matrimonia non admittēbant. A Tuiſcone parente orti, ſuam ſtirpem mirum in modum auxerunt: ſynceri & verè Germani, minime alterius gentis colluvione contaminati. Frivolum itaque commentum eſt nullaque auctoritate fulcitum eorum, qui fabulantur: *Magnam partem Germania populorum a Græcis, aut Romanis, ſive aliis peregrinis gentibus deſcendiſſe.* Sunt enim qui Suevorum & Saxonum originem ad Macedones referant: Francorum & Sicambrorum ad Græcos & Trojanos: Bona pars Nobilium noſtratum ad Romanos refert initium; Verum nos mittamus iſtas nugaciſſimas nugæ & anile commentum, Cornelio noſtro utpote, vetuſto & recepto auctori potius fidē dabimus: qui *Germanos verè germanos*, id eſt: *non alienos aut adventitios ſed yvrius* affirmat. Accedit Cornelio Antonii Sabellici *lib. II. Enneade 6.* auctoritas: deinde etiam Symponitini interpretis Martialis. Henricus Bebelus hoc idem egit quodam privato libello. Eracant Conradus Celtis,

*Gens invicta manet toto notiffima mundo,
Solis & ardoris patiens, durig, laboris:
Qua nequit ignavam vita tolerare quietem
Indigena: hand alia duccens primordia gente
Sed celo produeta ſuo.*

En præſcæ Germaniæ imaginem: Incultra patria & horrida undiquaque erat: nec urbibus neque hortis culta, longè aliam nunc habet faciem: Æneas Sil. ad Martinum Maier de antiquo Germaniæ ſtatu ad hunc modum ſcripſit. *Parum quidem ea tempeſtate à feritate brutorum Majorum tuorum vita diſtabat. Erant enim plerumque paſtores, ſylvarum incolæ ac nemorum: nec munitæ hæ urbes, nec oppida muro cinctæ, non arcæ aliis innixa montibus, non templa ſectis ſtructa lapidibus viſebantur: Aberant hortorum ac villarum delicia, nulla viridaria, nulla conſitiones, nulla tempe, nulla vineæ colebantur, præbebant largos flumina poiſu: & plurà alia.*

Ignotum e vocat mare Septentrionale quod à nullo navigatum fuiſſet: Romanis & aliis gentibus incognitum. Deinde horridum ſive acre, ut Pompon. Mela vocat: etiamnum creberrimis naufragiis infame & naucleris infeſtiſſimum. Strabo: *libro VII.*

Omnibus enim dulce & amabile eſt ſolum patrium. Sicut Ovidius cecinit.

*Nefcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*

Celebrant a carminibus antiquis (quod unum apud illos memoria: & annalium genus ſit) b Tuiſconem Deum e terra editū & filium d Mannū originē gentis conditoris q.

Cornelii Taciti temporibus Germani adhuc amuſi & literarum expertes, non ſcribebant annales, factos aut historias, velut Græci & Latini, ſed horum loco carmina, hymnos, præana, & vulgares cantiones recitabant & cænebant. Hoc erat apud illos genus annalium & memoriæ: Ab avis diſcebant filii, ab his nepotes, & poſteri: crebraque recitatione conſervabant, quæ volebant per ſilentium & negligentiam oblivifci. Ejuſmodi cantuunculæ etiam ſuum Tuiſconem & Mannum celebrabant. *Sie ſingen noch ein altes Lied von ihren Göttern und Vättern Tuiſcone iund Manno.*

Tuiſco verò Rex Germanorum ac Sarmatarum, ut Berofus Chaldaus *lib. V.* indicat, à Rheno uſque Tanaim Europam tenuit. Hic primum conſediſſe fertur ad Tanaim nominatiſſimum Moſcoviæ flumen, à Tartaris Don nuncupatum inter fines Aſiæ & Europæ, ubi nunc Princeps Moſcoviæ ſedet. Deinde juxta montem Suevum, qui Carpathus dicitur, hodie Sarmatas ab Hungaris dividentem: juxta quæ Suevi primitus conſederunt: ex quo monte ſcaturit fluvius Tibiſcus, qui corruptè à Tuiſcone nomen deſumpſit, & ad meridiem fluēs in Danubium exoneratur. Similiter & urbs parum infra Danubiū Tuiſcon à Tuiſcone: quod facit, ut ibi adhuc in regione Septem Caſtrenſium, id eſt, Tranſylvanorum lingua & moribus Germanorum utantur. Eſt etiam Tuiſcium vicus ad Rhenum in finibus Ubiorum quædam urbs à Tuiſcone appellationem habens: nam eo loci quoq; ſedem habuiſſe memoratur, urbemq; à ſe nominalli, & retinet adhuc vetuſtæ appellationis veſtigium devaſtata urbe crebro bellorum motu, quos olim Suevi cum Gallis illic habuerunt Teutiſchmonaſterium ex oppoſito Colonia Agrippinæ. Ab iſto Tuiſco Germanorum omnium vocabulum Tuiſcot, Teuthones, & Theuthonici.

Joannes Annus Viterbiensis lib. XV. Germanos non Græci fabulosi, sed Janus & Vesta, sive cælum & terra cum Tuiscone filio genuit, ut Berofus scribit.

Mannus Tuisconis filius apud Rheni Sarmatas anno Semiramidis sexto regnavit, velut tradit Berofus lib. V. Hic Germanis & Alemannis nomen indidit: Ab eo enim cœpit Germanorum gens: Et permansit hujus Manni honor & memoria in universa Germania, ut valentem, & fortem strenuumq; virum hodiè ex virtute nominemus, et nomen Manni inde Germanus, Alemannus, Marcomannus, Nordmannus, Chamannus & Landmanni Widermann / Edelmann / Zimmermann & multa hujusmodi. Valdè enim majoribus nostris arriserunt à Mannò deductæ appellationes, propter gentis auctorem & parentem. Plura de hoc Mannò Berofus Lib. 2. § 4. Annus Viterbiensis lib. XV. Nicolaus Perortus super primum Marialis.

Anno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano à Ingævones, mediis à Hermiones, cæteri à Istævones vocentur.

Ingævones, Hermionon vel Hermion, ac Istævones Manni regis fuerunt filii, qui pluribus Germanorum populis nomina indiderunt. Ab Ingævone enim dicti sunt Ingævones, quos Cymbros & Teuthones esse Plinius lib. IV. cap. 14. naturalis historia voluit: Mari Germanico proximi: hodie Dani & Sarmatarum nonnulli, utputa Livones, Bructeri, Pomerani, Holfacenses. Ingævonom meminit Berofus in 2. § 5. Solinus cap. 32. Memorabilium mundi.

Hermiones vero quorum pars Suevi, Hermunduri, Catii, Cherusci Plinio lib. IV. cap. 14. hodiè, ut conjectura est, sunt Bohemi, Misnenses, Lufati, Slesici, Saxones & Thuringi: Hermionum meminit etiam Pompon. Melalib. 3. Berofus in 5.

At Istævones sunt reliqui Germaniæ populi ad Rhenum vergentes, eodem Plinio teste libro IV. c. 14. Volaterranus lib. VII. hos Istvalos & Westphalos interpretatur.

Quidam autem licentia vetustatis plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, à Marfos à Gambriuos à Suevos à Vandalosq; affirmant, eaq; vera & antiqua nomina.

Marius & ipse Tuisconis, nepos Germanorum Rex, Hermionis filius, tempore Balai octavi Regis Assyriorum apud Tuiscones, id est, Germanos, regnavit, auctore Berofus lib. V. Ab hoc dicta est Marforum regio in Germania, quemadmodum scribit Joannes Annus Viterbiensis Domini castrorum instituti Monachus lib. XV. super Berofum. Verùm qui fuerint Marfi aut quæ Marforum regio, diu hæsitatum & inquisitum est à nobis, tandem in Vandaliæ Alberti Cranzii incidimus, qui hunc nodum nobis explicuit, libro primo sui Operis, ubi inquit, Marfi ad Albim concessere, quorum reliquia in palustribus sunt, non longè ab ostio fluminis, Thietmarfi, Wilser Marfi, Crempfer Marfi, &c. Deinde cap. I. Iterum. Omnem ego Holfatiam & Stormariam, in cujus solo fundata est Hamburga, Marforum genti deputandum puto, quæ in solis palustribus nomen servavit. Hæc ille. Meminit aliàs in i. historiæ Tacitus vicorum Marforum.

De Gambriuo sic scribit Berofus lib. V. Tempore Belochi decimi Assyriorum Regis, apud Tuiscones regnavit Gambriuos, vir ferocis animi. Et Annus Viterbiensis in eundem lib. 15. Hunc esse non dubitamus à quo Plinius in naturali historia, & Tacitus appellant Germanorum quosdam populos Gambriuos & regionem Gambriuiam. Est Gambreu Episcopalis urbs

prope Nervios, id est Tornacenses, nunc Cameraensis dicta, quam Gambriuiam fuisse conjicitur: Forfan cum tractum occupaverant Gambriui. Sunt qui Gambriuos in Sicambros, hoc est, Geldrenses cœsisse putent: Gambriuiorum nomen desuit, & nudas conjecturas nobis reliquit.

Suevus Gambriui filius, Germanorum Rex, apud Tuiscones regnavit, tempore Balei undecimi Regis Babyloniorum, velut scribit Berofus in 5. Hic amplissimam Suevorum gentem & regnum condidit, & de suo nomine appellavit, quemadmodum Joan. Annus Viterbiensis lib. 15. Hujus Regis sedes ferunt fuisse primitus ad Suevum montem, qui Pannoniam respicit, & hodiè Carpathus appellatur à Scriptoribus: cui monti appellationem ab ipso Suevo Rege contigisse haud dubium est, ceu idem Rex & fluvio nomen reliquit. Nam Suevus fluvius dicebatur priscis, qui postea Sprevus Barbaris cœpit dici, apud Marcomannos dicitur Spre / Perolinum & Coloniam dirimens: quanquam alii Oderam olim Suevum vocitatum contendant. Idem Suevus Rex memoratur majus oppidum in Durrego condidisse, & in eo habitasse, quod in Durrego situm multis annis à Suevis eorumq; Principibus habitatum est: cujus rei argumentum vetustissimæ Tigurinum literæ proferuntur, quæ Durregum sive Tigurum Suevorum fuisse testantur: & adhuc illic domus ostenditur in qua resederunt: Accedit ad hoc quod in Durrega situm sit, quæ una ex centum pagis Suevorum, quorum Cæsar & Tacitus mentionem fecerunt, conjicitur fuisse. Nam Suevi auctore Strabone lib. VII. à Rheno usq; ad Albim loca tenebant, majorem Germaniæ partem possidentes, sicut Tacitus scribit. Unde Cæsar 4. lib. Commen. Suevorum, inquit, est gens longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium. De illis postea fiet urberior mentio. A priscis Suevis sumpserunt nomenclaturam & urbes & rivi in Germania. Nam Schwennig Slesitarum oppidum affirmant à Suevis sumpsisse appellationem, quod eam oram tulerint quondam Schwabach, ad duos à Norinberga lapides, urbs Marchionis Brandenburgensis, Principis mei longè clementissimi, à rivo quo illabitur, appellationem obtinuit, qui Suevorum rivus dicitur. Est ejusdem nominis rivus ad Erlang Castellum, quod tribus Lapidibus à Norinberga situm, eidem Marchioni paret. Extrat quoq; vicus Suevorum juxta Eichstadium Noricorum urbem Swanfeld / corruptè pro Swabfeld vocatus: Potentissimæ enim gentes Suevorum multis locis, urbibus, montibus, rivis atque pagis nomen reliquerunt.

Tempore Altadis 12. Babyloniorum Regis, Vandalus apud Tuiscones regnavit, teste Berofus lib. V. A quo Vandalos prodidisse nomen est argumento (sicut adnotavit Joh. Annus Viterbiensis lib. XV. Sunt autem Vandali gentes ad Vistulam fluvium, qui priscis Vandalus dicebatur, hodiè fracto nonnihil vocabulo (sicut in Suevorum appellatione quoque factum est) vernacula lingua Wenden vocitantur. Vandaliæ occupant nunc Poloni aliqui, Pomerani, Cassubii, Russi & Bohemi. De illis plura Volaterranus lib. VII. Geographia & Albertus Cranzius in Opere suo, quod Vandaliæ inscripsit: Plin. lib. IV. cap. 14. Vandalorum quoque meminit, nisi quod exemplaria corruptè habent Vindelici, quam lectionem unus atq; alter obelisco jugulavit.

Cæterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi, Gallos expul-

expulerint, nunc b Tungrî, nunc Germani vocati sunt: ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim; ut omnes primùm à victore ob metum, mox à seipsis invento nomine, Germani vocarentur.

Hic textus exigit, ut etiam de Germanorum vocabulo, ac nomine dicamus, scribentes Germaniarum, populos & mores. Germani itaque ab exordio, & fermè in toto dicebantur Tuiscones, à Tuiscone gentilitio Deo, velut ex Beroso, & superioribus clarum est. Deinde à Teutone, qui post Tuisconem Germaniarum præfuit, Teuthones, & Teuthonici nuncupati sunt. Cum Cæsaris verò Romanis, cœperunt dici Germani, quamvis videam apud Livium in V. ab urbe condita, ante Cæsares, Brenni temporibus, qui Romam incendit, circa annum 360. urbis conditæ, Germanos vocitatos; similiter Julii Cæsaris tempestate, qui primus Romanorum Cæsaris fuit. Unde autè Germani sunt dicti, nec dum certò constat, quòd inter auctores minimè conveniat. Strabo enim lib. VII. Geographiæ, propter formam vivendi, ritus, & morum æqualitatem cum Gallis communem, Germanos, id est, fratres Gallorum à Romanis dictos, affirmat. Ejus verba subjiciam: *Statim igitur trans Rhenum ad ortum vergentem, Germani colunt, nationem Gallicam paulisper imitantem, & feritatis abundantia & proceritate corporum & colore flavo, cum reliquis in rebus, & forma & moribus, & vivendi ritibus pares existant, quales Gallos diximus, idèo Romani hoc illis nomen jure mihi indidisse videntur, perinde atq; eos fratres legitimos Gallis eloqui voluerint. Legitimi namq; fratres Romano sermone germani intelliguntur.* Hactenus Strabo, cui etiam Chünradus Celtis Poëta Germanus subscripsit. Germanos vocitant Itali, sed Græci ἀδελφοί: quòd fratrum soleant inter se vivere more. Quorum sententiam eruditorum non pauci, velut commentitiam, exploserunt. Cornelius verò noster autumat majores nostros Germanos vocatos, quando primùm Rhenum transgressi, Gallos suis sedibus ejecerunt, & exinde nuncupatam Regionem Germaniam, ab ipsis Germanis, sicut nunc ab Helvetiis vocamus Helvetiam, ut prior & antiquior sit Germanorum, quam Germaniarum, appellatio. Non desunt, qui, Germanos ab insigni fortitudine nuncupatos, contendunt, à vernaculo vocabulo, quasi Germani id est, totus fortis, & robustus vir, Gar enim Germanis hoc significat, quod Latinis totus & integer, & Man virum, quasi dicas, Germanum totum & valentem virum, quòd valdè majoribus nostris placuerint à Mannò deductæ appellationes, quod supra quoque admonuimus. Et ante nos observavit diligens antiquitatis observator B. Rhenanus Selestadensis. Et hac ratione Germanus Teuthonica foret dictio ex Gar & Man conflata. Siquidem cum à seipsis invento nomine fuerint vocati, ceu scribit hic noster Tacitus, verisimilè est, id vocabuli patriam referre linguam. Reginò Pruniensis ob populositatem Germaniam dictam ait. Et Aneas Sylvius in Germania sua: *Adèo inquit, vestra natio genuit, ut nomen vestrum versus à germinando tractum putemus?* Cujus opinionis est quoq; Paulus Diaconus lib. I. de gestis Longobardorum. Hæc veterum Germanicarum studiosis discutienda relinquo, mihi satis sit in istis varietatibus, sententias & conjecturas aliorum recensuisse; quisq; quòd sibi probatum fuerit, sequatur.

Tungrî Belgarum fuerunt populi inter Eburones, hoc est, Leodienfes Rhenum & Mosam, olim quoq; Germani dicti, ut hoc loco meminit Tacitus: Episcopalis quondam urbs Lotharingiæ ad Laodices translata, Brabantini nunc vocantur. Est veteris appellationis indicium hodiè Tungris Brantiæ urbs. Tungrorum civitatè Atuatucum Antwerpiana esse volunt, ubi opulentissimum Germaniarum emporium. Tungrorum mentionem habes etiam apud Plinium lib. IV. cap. 17. & lib. XXXI. cap. 2. Ptolomæum lib. 2. cap. 9. Marcellinum lib. XVII. Volaterranum: lib. 5. Geographiæ, & nostrum Cornelium Tacit. lib. XX. histor.

Fuisse apud eos & a Hercule memorant. Primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum titelatu, quem b Baritum vocant, accendunt animos, futuraque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim, trepidantve, prout sonitæ acies: nectam voces illæ quàm virtutis concentus videntur: affectatæ præcipue asperitas soni, & fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intrumescat.

Herculem a Alemannum antiquitus coluisse Germanos, testantur historiæ. Is enim Beroso lib. V. referente, Manalæi quartidecimi Regis Assyriorum temporibus apud Tuiscones regnavit. Ejus idolum in Augia majori in der Neichennau insula Rhenana, ubi verustum cœnobium, servatum fuit juxta Constantiam urbem: sed superioribus annis, Maximiliani Imperatoris defuncti precibus ad Onipontem delatum est: Vulgò Alman dicebatur. Hoc Lemanno lacui, ut quidam sentiunt, & Monasterio Almansweiser/ac vico Almanshöfen nomen dedisse fertur. Ajunt quoque Argentuarium, id est, Colymbarium Alsatiæ urbem, à clava Hercules, quam temulentus ibi dimiserit, & civēs pro insignis habent, nuncupatam. Tacit. lib. II. histor. Silvæ ultra Visurgem meminit, quæ fuerit Herculi facta. Fabulantur quidam Zuiccaviam urbem Principis Saxoniæ, olim Cygneam, à Cygno Hercules filio nominatam.

De b Barrito clamore bellico, seu ut quædam habent exemplaria, Bardito, nihil audivimus nunc in Germania, nisi hoc dixerimus, quod Brachi vel Bredti milites Germani appellare consueverunt: concursum videlicet certantium, & clamorem ad pugnam descendentium, quem bar bar bar sonuisse, nonnulli affirmant. Ammianus Marcellinus lib. XVI. rerum gestarum sic habet: *Cornuti & Brachati usu præliorum diuturno firmati, barritum emittunt quam maximum: qui clamor ipso fervore certaminum itentidem exoritur, paulatimq; adolescens ritu extollitur, stridentium, cantibus illisorum jaculorum: deinde stridentium crebritate hinc inde convolante, pulvis æquali motu adsurgens, & ad spectum eripiens arma armis, corpora corporibus obtrudebant, & Flavius Vegetius lib. III. cap. 16. de re militari. Clamor, quem quidam Barditum vocant, prius non debet atolli, quam acies utraq; se junxerit. Imperitorum enim velignavorum est: voriferari de longè, cum magis hostes terreantur, si cum telorum illu clamoris horror accesserit.*

Cornelius Tacitus lib. XVII. & XIX. historiae Augustæ rursus scribit: *Cohortæ Germanorum cantibus & more patrio in dis corporibus super humeros scuta quaterere.* Idem lib. XXI. refert, Germanis fuisse morem, Deorum numine capeßere pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores. Illam diem aut gloriosissimum inter majores, aut ignominiosissimum apud posteros fore, ubi sono armorum tripudysq; (ita illis mos)

approbata fuissent dicta, saxis, glandibusq; & ceteris
missilibus, prelium incipiebant.

Ceterum & Ulysses a quidam opinantur longo illo &
fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adfisse Ger-
manix terras, b Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm,
hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque, e
Ἀσκιβύργιον. Aram quin etiam Ulyssis consecratam, adjecto
Laerte patris nomine, eodem loco olim repertam, monu-
menta que, & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos, in
confinio Germaniæ, Rhetiæq; adhuc extare: quæ neq; con-
firmare argumentis, neq; refellere in animo est, ex ingenio
suo quisq; demat, vel addat fidem.

Scribit a Strabo lib. I. Geographia: Non solum in
Italia, sed etiam in ultimis Hispania finibus, Ulyssis
erroris vestigia reperiri. Ideoq; tradit vetustas, eun-
dem Ulysses Ithacensem, Laertes filium, Græcorum
Ducem, decennali suâ peregrinatione & errore, ven-
torum tempestate in mare Germanicum actum, in-
visisse Germanorum terras, & Asciburgium urbem
supra Rhenum amnem condidisse. In cujus rei ar-
gumentum illic ara & Græcicæ inscriptiones
monstrantur. Hujus quoque indicium est, quod us-
que nunc Germani plurima Græca vocabula in usu
habeant, velut suo loco declarabimus, quæ arguant,
fuisse apud illos Ulysses, vel alium quendam e Græ-
cia natum.

Porro b Asciburgium putant, eam urbem fuisse in
Sicambria, id est, Ducatu Gætiæ, quæ nunc Embri-
ca, Emmerich vocitatur. Meminit Asciburgi iterum
Tacitus, lib. XX. Hist. Raimundus Marlianus, Vo-
laterranus lib. VII.

Loco c huic tam atrox vulnus infixit vetustas, ut
nesciamus, quomodo medeamur: quando certi ha-
beamus nihil, præter meras conjecturas. Non de-
beo autem negligere, quæ ingeniosus & acris iudicii
homo, Beatus Rhenanus, huc in margine adnotavit.
Forassis, inquit, legendum Ἀκέρειαν, nam Nerici
fit tuin, apud Homerum, tum etiam Strabonem
mentio: oppidi nomen, &c. Aut Ἀκέρειον νη-
εῖς, promontorii meminit etiam Suidas. hæc ille.
Si Ἀκέρειον legatur: forsan est ex ἄκρῳ, quod
summum, altum, & extremum significat: & Nerico
morte, seu oppido. Est enim in Ithaca patria Ulyssis
Ioniæ maris insula, nemorosus hujus nominis mons
& altus, Homero lib. IX. Odiseæ, & Strabone lib. X.
authoribus. Neritum etiam oppidulum firmum est
Epiri, e regione Ithacæ ac Cephallenia, Leucas olim
dictum, quod Laertes cepit. De quo Vergilius, 3.
Æneid. Strabo lib. X. Unde verisimile est, Ulysses
hujus amore urbi Germaniæ imposuisse nomen.
Vel ut legas Ἀκέρειον ἄσπις ἄκρῳ, id est, pul-
vere. Si quidem ἄσπις minutissimum ac levissimum
illud quod e spicis excussis evolat, & fumum ignis
atque pulverem significat. τὸν πύργον burgum, hoc
est, castrum vocant Germani: Sic enim Asciburg
reddes. Aut velut alia quoque conjectura ἀκέρειον
ἄσπις, id est, alta turris & arx. Quid si legas Ἀσκιβύργιον
sicut in Ptolomæo lib. II. cap. 11. legitur. Verunta-
men, ut dixi, nihil hic certi adferre possumus, quam
nudas conjecturas, quas boni consulere lectorem
par est, donec certiora habuerimus.

Ara d quæ Asciburgii extructa erat Ulyssis, etiam
Laerti consecrata fuerat. fuit autem Laertes Ulyf-
sis genitor, de quo plura apud Homerum II. Odis-
sæ. Vergilium in Æneid. Joan. Bocatium lib. XI.
cap. 37. de genealogiis Deorum. Volater. in XXIII.
Phio.

Ista omnia arguunt, Ulysses fuisse apud Germa-
nos, monumenta scilicet, & tumuli Græcicæ in-
scriptiones & titulos etiamnum servantes, quæ ea
parte extare feruntur, ubi Rhetia confinis est Ger-
mania.

Ipsorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos,
nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propri-
am, & a sinceram & tantum sui similem gentem extitisse ar-
bitrantur, unde habitus quoque corporum, quanquam in
tanto hominum numero, idem omnibus b. Truces & cærulei
oculi, rutila, comæ, magna corpora, & tantum ad impetum
e valida, laboris atque operum non eadem patientia, mini-
meq; stimæ sumq; tolerare, frigora atq; incediam celo so-
lèy assueverunt.

Perseverat Tacitus in priori sententia, qua Ger-
manos indigenas inanimè fucatos, aut alterius gen-
tis colluvione contaminatos, sed verè Germanos
asseruit. Unde Eras. Rote. in Hieron. nec absurdum
sit, Germanorum gentem hinc appellatam videri, quod,
si cum reliquis conferas nationibus, minimum fuci, plu-
rimum antiquæ sinceritatis ac fidei & rusticana (ut
dici solet) veritatis obtineant.

Subscribit b Pom. Mela. lib. III. Qui habitant,
inquit, immanes sunt animis atq; corporibus, & ad in-
feram feritatem, vasta utraq; exercent bellando animos,
corporâ ad consuetudines laborum, Horat. in Epodo.
ode. 16.

Nec fera cerulea domuit Germania pube.
Cærulei oculi, græve Augen/Rutilæ & flavæ comæ,
gehle Haar/ Et Strabo lib. VII. flavo colore vocat
Germanos. Hinc Conradus Celtis:

Cunâda proceris vibrantes corpora membris,
Flava coma est, flaventq; oculi, cunctosq; per aris,
Temperiem justo retinent sua membra rigore,
Solis & ardoris patiens durig, laboris.

Seneca lib. I. de ira. Germanis quid est animosus?
quid ad incursum acris? quid armorum cupidus?
quibus innascuntur, innutriuntur, quorum una illis,
alia negligentibus cura. Et Josephus lib. XIX. cap. 1.
Judai. Antiquit. Germanis, ait, morem esse, importa-
bili furore, robustos corpore, & primo impetu qui-
buscunq; hostibus congresses prevalere.

Terra etiam aliquando a specie differt, in universum tamen
aut sylvis horrida, aut paludibus fœda, b humidior
quæ Gallias, ventosior quæ e Noricum & Pannoniam aspi-
cit, satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum
fœcunda, d sed plerumq; improcera, ne armentis quidem
suis honor & gloria frontis, numero gaudent, cæq; solæ &
gratissimæ opes sunt.

Habes hic rursus veteris Germaniæ faciem. Quæ
modo cultissima est, olim horrida, multis impedita
fluminibus, multis montibus aspera & magna, ex
parte sylvis ac paludibus invia, ut etiam Pompon.
Mela. lib. III. Plin. lib. IV. cap. 14. scripserunt.

Humidior, b id est, magis aquosa & paludibus
plena, ea parte, quæ Gallias aspicit, habet enim lacus
& paludes plures, velut juxta Rhenos sunt lacus A-
cronius & Venetus, quos Rhenus efficit: De quibus
dixi, & non longè Asciburgio, id est, Embrica, ingens
& famosa palus est. Præterea solum ipsum paludi-
nosum cernitur, ubi degunt Trajectenses & Mona-
sterienses. Ventosior autem est Germania, id est, va-
riis ventis perflatur, aut plures generat ventos. Ist
viel lufftiger/ und nicht so moßicht/ hat einen guten
harten Boden/ quæ Noricum & Pannonias aspicit,
quod illic sit Hercynia sylva & alii saltus.

Quod e separat Noricum a Germania, satis liquet,
angustiorum multo fuisse Germaniam, quæ postea
multorum populorum expugnatione ampli-

ficata est, velut in principio satis aperuimus. Fuerunt autem Norici, Alpium incolæ, Rhetis & Vindelicis contermini juxta Carnos, ut scribit Plinius *lib. III. cap. 20.* In quibus *Dravus* fluvius violentior in Danubium fluens oritur, teste eodem Plinio *lib. III. cap. 25.* Memorant *Ratisponam Bojoriarum urbem*, olim *Noricum* nuncupatam à quodam filio Herculis qui *Noricæ* dictus sit: Intra *Licum & Oenum* sedes collocaverant Norici, ubi nunc est *Hala & Sevacæ Rhodoberganum, & Saliburgum* usque ad *Cacium* montem porrecti, dilatarunt limites suos. Nam Noricus ager; nunc ultra Danubium protenditur, ubi vestigium nominis est: Germanis dicitur *das Nordgau*, quorum urbs est *Norinberga* clarissima civitatum Germaniæ, & à Religione Christiana plurimum commendabilis, quæ à *Noricis* populis nomenclaturam accepit. Quamquam sint qui à *Nariscum* nominatam contendunt eam portiunculam, quæ nostratibus *das Nordgau* dicitur. Cor. Tacit. *lib. II. Histor.* tradit, Danubium Noricam provinciam præterfluere. Qui igitur olim Norici dicebantur, postea pulsi à *Boijs*, nunc *Bavari*, quasi *Bojoriarum* vocantur, nisi quod illa portiuncula quæ à *Bojoriarum* incipit, usque ad *Norinbergam*, præseum Noricorum nomen servaverit. Illud quoque adjiciendum non præter institutum putavi, Noricos olim coluisse *Tibilenum Deum*, Tertulliano in *Apologetico adversus gentes auctore*: Horat. *lib. I. Carminum Od. 16.* commendavit *Noricos enses*, quod eo loci probatum ferrum sit, referentè Plinio *lib. XXXIV. cap. 18.* ex quo optimi gladii fiant. Lege plura de *Noricis* Strab. in 4. & 7. Solinum *cap. XXXIV.* Vellejum Paterculum *lib. II. Histor. Romanæ.* Tacitum *lib. XIX. & XXI.* Plin. *lib. III. cap. XIII.* Ptol. *lib. II. cap. 14.* Aeneam Sylv. in *Europa cap. XXX.*

Omnem substantiam Germanis fuisse in pecoribus satis notum est, dum alii auro & argento corradendo inhiarent, pestibus maximis, solis Germanis in pascendis & multiplicandis armentis gregibusque studium erat. Istæ fuerant divitiæ majorum nostrorum, & gratissimæ (ut inquit Tacit.) opes quibus delectabantur. Agriculturæ & alendis gregibus vacabant, non exenterandis hominibus & cumulandæ pecuniæ: aberat omnis avaritia, & φιλαργυεα: possessione & usu auri & argenti non perinde afficiebantur. Quapropter dicit Cornelius.

Argentum & aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere, quis enim scrutatus est? possessione & usu haud perinde afficiuntur.

Sic etiam Pomponius Mela *lib. II.* scribit. *Sarmata* (quos supra etiam Germaniæ accessisse retulimus), *auri & argenti maximarum pestium ignari, vice rerum commercia exercent*: Antiquitus Germania pecuniam non viderat: nec aurum & argentum possidebat, ut etiam ex Strabone *lib. VII.* colligitur. Quamobrem Tacitus in dubio relinquit, habuerint ne Germani auri & argenti fodinas. Quis enim terræ venas & cuniculos perquisivit & transgressus est? Quis verò nescit quam feracissima sit hodie metallorum? Rhenus Danubiusque habent aurum. Ajunt etiam in *Edera* Hassiæ fluvio, hyberno tempore auri crustas reperiri. Sunt quoque rivi ab auro dicti, *Aurbach, Moldavi* accolæ ex amne aurum & gemmas colligunt. Tirolenses ob arifodinas auri & argenti divites sunt. *Misnia* fecunda est argen-

to. Quis apud Saxones, *Islebiana* ac *Goslariana* ignorat venas? *Lephariorum* fodinæ cui sunt incognitæ? Quem præterit in *Bohemia* aurum è terræ visceribus extrahi? Et cui non argenti mineræ *Joachimicarum vallium* sunt cognitæ? Vix est ora, aut Princeps in Germania, qui suas auri, argenti, ærisque fodinas non habeat. Sunt passim per Germaniam Aurariæ, argentariæ, arariæ, lapidariæ, salinariæ, & hujus generis metallorum fodinæ atque officinæ. Lege Aeneam Sylvium in *Germania sua, cap. LXX. ad Martinum Mayer.*

Et videre apud illos argentea vasa Legatis, & Principibus eorum muneri data, non in alia utilitate, quam quæ humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum & argentum in precio habent, formasque quædam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius & antiquius per permutationem mercium utuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ac vilia mercantibus.

Versissime dixit Poëta quidam:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Germani enim principio nulla avaritiâ capti, contententes, sobrii, suâ sorte contenti, & bonæ frugis, ruri colendo vacabant, merciumque commutatione utebantur. Verum crescentibus divitiis, & habendi cupiditas accrevit. Unde donatione externorum movebantur, ut memorat *Otho Frising. lib. II. cap. 48. Chronicorum* & muneribus corrupti, degenerare cœperunt. Ut non abs re exclamavit olim Virgil. 3. *Æn.*

Quid non mortalia pectora cogis,

Auri sacra famas:

Pecuniæ omnia obediunt. *Nemo tam fortis, qui non pecunia expugnetur.* Primum probare cœperunt pecuniam, deinde exolculari, postremo etiam sitire. Et quanto plus potæ, tanto plus sitiuntur aquæ.

Crevit opes, & opum furiosa cupido,

Et cum possideant plurima plura petunt:

Ovid. 1. *Fast.*

Ante auri & argenti pecuniæque usum, homines rerum merciumque permutatione utebantur, alia pro aliis exponentes, recipientesque, sic Germani commutabant suas merces, pro lacte, butyro, ovibus, bobus, lignis, frumento, sal, corium, pannum, suppellectile & reliqua domus necessaria comparantes. De qua rerum atque mercium permutatione *Arist. lib. I. Politicorum* scribit: *Commutationem initio cepisse ex eo quod est secundum naturam, quod aliis plura quam necesse sit, pauciora haberent alij.* Quoad verò ipsis sufficeret, necessarium erat permutationis in rationem. Sicut adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ, alia pro aliis dantes, recipientesque: Est autem hoc genus indigentia supplementum ex natura præscripto ad patrimonium auctius faciendum nihil admodum spectans. Et Plinius *naturalis hist. lib. XXXIII. cap. 1.* Utinam posset è vita in totum abdicari auri sacra famas, ut celeberrimi auctores dixeret, proficissum convitiis ab optimis quibusque, & ad perniciem vitæ repertum. Quantum felice ævo, cum res ipse permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratiâ inventa, alios corijs bouum, alios ferro, captivisque rebus emptitasse tradit.

Osten-

Ostendit qua moneta usi sint Teuthonés & quam pecuniam receperint. Observandum autem est, Servium Regem primum signasse æs: antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum est nota pecudum: unde & pecunia appellata. Nota æris fuit, ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: In triente verò & quadrante rates erant. Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ. Inde bigatos, ferratos à nota ferræ, quadrigatosq; numos dixere, velut copiosissimè Plin. lib. III. cap. 3. naturalis historia exequitur. Plures numerorum species congescit Ludovicus Cal. lib. VI. cap. 2. Antiquit.

Næ ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo b frameas gerunt angusto & brevi ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent: & eques quidem scuto frameaq; contentus est, pedites & missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut a sagulo leves, nulla cultus jaectatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis e lorice, vix uni alterive cassis aut galea.

Protolom. lib. II. cap. II. tradit apud Quados Germaniæ ad Hercynium nemus populos, mineras ferri fuisse: Veruntamen rariorem suâ ætate fuisse ferri usum, & nondum tot ferrarias extitisse in Germania, hinc colligit Tacitus, quod soliti fuissent hastas & tela, ferro brevi & angusto præfigere: At de ferrariarum copia nunc penes Germanos non opus est scribere, cum nemo sit, qui nesciat, quanto ingenio & arte circa ferri officinas versentur Germani, & quam abundet hujusmodi fodinis. Teuthonica natio, quam referta sit faberrimis ferri fabris, ut vel sola Norimberga reliquas Europæ civitates optimis atq; artificiosissimis architectis, quib. plena est, longo intervallo superet. Deinde bellica instrumenta, machinas, tormenta, sclopetos, bombardas præterea ferreas literarum Characteres, Germanorum inventum, norunt omnes.

Gens olim quælibet suis peculiaribus utebatur armis: Romani pilis, Macedones sarissis, Galli gestis, Thraces romphais, Boii issis, Illyrici, sibiris, Germani verò maxime frameis & hastis, aut majoribus lanceis. Videtur autem à Teuthonica voce framea appellationem habere: Nos ein Psritemen dicimus, stylum qui cultellis adhæret, sicut lanceam etne Langen, quamvis postremum Hispanicum nomen quidam dixerint. Cornel. lib. I. histor. Cheruscis procera membra, hastas ingentes ad vulnera facienda attribuit.

Missilia dicuntur tela, quæ manu in hostem mittuntur, ut sunt glandes aut saxi, quibus prælium incipiebatur. Alias munuscula ex Principis liberalitate in vulgus sparsa.

Sagulo militari indumento brevi & idoneo ad bellum ac militiam. Milites qui levi armatura utuntur. Velites vocantur. Nostri milites in prælium processuri, priscum servant morem, ut tunica exura levi vestitu, gladio & lancea in pugnam prodeant ne gravitate & molestia vestimentorum in pugna impediantur.

Lorica tunicæ ex ferreis annulis, à loris dictæ: Antiquitus enim de corio crudo pectoralia faciebant: Nonnulli thoraces appellant.

Cassides aut galea, galeri quibus caput armatur.

Qui non a forma, non velocitate conspicui, sed nec variare gyros in morem nostrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo poste-

rior sit: In universum b astimanti plus penes peditem robore, eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam, velocitate peditem, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.

Germani equos ad belli usum neglecta corporis velocitate & circumagendi in orbés studio Romanorum more, tum ad natandi studium alebant. Hodie etiam agriculturæ adhiberi notum est: a t. cubi etiam hobus aratur.

Strabo lib. IV. Geographia de Germania. Sunt igitur omnes natura bellaces, equitatu quam peditatu longe præstantiores: Quare Maximinus Imperator Germanorum equitatum hostibus semper anteposuit, teste Capitolino, & dissentiunt ambo parumper à Taciti sententia, quod forsan mutatis temporibus mutata sit & bellandi ratio.

Definitur & numerus: Centeni ex singulis pagis sunt, idq; ipsum inter suos vocantur, & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est.

Definitur, id est, constituitur, describitur numerus: man verordnet und macht etnen Aufschuß Centeni ex singulis pagis, id est, conventibus & villarum congerie. Pagus enim pro tractu alicujus fontis & fluvii accipitur. Nam Julio Cæsare testante quantum Germania Romanis cognita erat, maxime in pagos distributa fuit. Unde lib. IV. Comment. belli Gallici: Suevi inquit, centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa e finibus educuntur, reliqui qui domi remanserint se atq; illos alunt: hi rursus invicem anno post in armis, illi domi remanent: sic neq; agricultura, neq; ratio ac usus belli intermittitur.

Acies a per b cuneos componitur: cedere loco, dummodo artus inlites, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora e suorum etiam in dubiis præliis referunt. Scutum reliquille præcipuum flagitium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multiq; superstites bellorum infamiam laqueo finciunt.

Reges ex Nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita, ac libera potestas, & Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præstant.

De acietum aut exercitus instructione atque modo ineundi bella, Cornel. Tacit. lib. II. histor. Auguste rursus scribit. Diriguntur apud Germanos acies non ut olim disjecta per catervas & pagis incurribus. Hinc etiam Appianus Alexandrinus lib. VII. qui Celticus inscribitur, His mores, inquit, ferocissimi insunt, in aggrediendo insignis audacia, contemptus mortis maximus. Et Josephus lib. XIX. cap. 1. Antiquit. Juda. refert: Germanos robustos corpore, & primo impetu quibuscumq; hostibus congressos prevalere.

Cuheus Vegerio auctore lib. III. rei militaris, dicitur multitudo militum, quæ primo angustior, deinde latior procedit, & in adversariorum ordines prorumpit: milites caput porcinum nominant.

Id est, non relinquunt interfectorum cadavera, etiam si prælium sit periculosum & anceps, reportant ad suos in castra, ut humentur.

Ceterum neque animadvertere, neque vincere, neque verberare quidem, nisi a Sacerdotibus permillum, non quasi in penam, nec Ducis jussu, sed velut b Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt, effigiesque & signa quædam detracta e lucis, in prælium ferunt: quodque præcipuum sortitudinis incitamentum est, non casus, non fortuita conglobatio a turmam, aut cuneum facit, sed familiaris & propinquitates, & in proximo pignora: unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium, hi cuius sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare, aut

xigere plagas pavent, cibosq; & hortamina pugnantis gestant, Memoriae proditur, quasdam acies inclinatam jam & labantes à fœmina restitutas constantia precum & obsecrationum pectorum, & monstrata coininus captivitate, quam longe impatientius fœminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligenter animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quôquæ nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid & provium putant, nec aut consilia eorum, aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub Divo & Vespasiano h Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim à Auriniam & complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam sacereat Deas.

Narrat Cornel. quanta autoritate fuerint antiquitus Sacerdotes penes Germanos, quos Deorum ministros solos judicabant, & penes eos summam rerum potestatem esse credebant: ut majus piaculum haud admiserit, nisi qui horum quempia læsisset. Sacerdotes animadvertiebant in flagitiosos velut Divina autoritate & ex præcepto numinis.

Intelligit aut Mercurium, aut Herculem, aut Martem: istos enim coluerunt Germani antiquitus, ut ex sequentibus evidentissimum erit. Unde à Græcis vocati sunt ἀρμιφίλοι, hoc est, Martii, Martiales vel Martis cultores, Ἀρμς enim Mars dicitur. Idem Tacitus tradit, Germanis fuisse morem, Deorum numine capescere pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores.

Lucos Deorum templa fuisse antiquitus, legis apud Plinium, lib. XIII cap. 1. & Lud. Cælium, lib. VII. cap. 1. Antiquit. Unde etiam posthac Tacitus inquit: *Lucos ac nemora consecrant, Deorumq; nominibus appellant.* Porro vel frondes atque ramos ab arboribus amputatos, portabant secum in prælium: aut forsitan statuas quæ signa erant Deorum suorum: non enim crediderim, imagines intelligere Cornelium, quando deinceps dicit: *Nec cohibere patetibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine Cœlestium arbitrantur.* Ista superstitione tenebantur majores nostri priusquam Christo Jesu crediderunt, stipites aut ramos, ligna aut lapides venerabantur, non viventem Deum.

Turmam aut Cuneum, id est, exercitum, aciem, manipulum, aut multitudinem. Turma de equitibus, cuneus de peditibus dicitur. In turma sunt equites duo triginta, ut Varro & Vegetius tradiderunt: qui præest turmæ, dicitur decurio: ipsi qui in turma sunt, turmales dicuntur. Inde turmatim adverbium.

Sub bello enim Caij Julij Cæsaris mulieres Germanorum viros rogabant flentes, ut persistenter, ne se & suos in servitutem Romanorum redigerent, & currus obviam posuerunt ne effugerent, ut Cæsar lib. I. comment. belli Gallici latè prosequitur. De fortitudine atque industria Germanicarum mulierum require Plutarchum in vita Marij, Strabonem lib. VII. Valer. Max. lib. V. cap. 1. Orosium lib. VI. cap. 20. Hieron. Epist. XXXI. distinct. 12. ad Geruntiam, Cor. Tacit. lib. I. histor. Augustæ ex Caij Plinij Secundi opera historiam memorantem. Florus lib. IV. cap. 12. refert in eo bello, quo Drusus Germanos adortus est, fœminas Germanorum hostium agmen avernisse: quorsum Tacitum respexisse considero, dum inquit acies quasdam labantes à fœminis restitutas.

Scribit idem noster Tacitus lib. XX. histor. Veterem apud Romanos morem fuisse, quo plerasque fœminarum fatidicas, & augefcente superstitione

arbitrentur Deas: & Strabo lib. VII. multa habet de Cymbricis mulieribus divinationum peritis. Similiter etiam Cæsar lib. I. Comment. Belli Gallici. Plutar. in vita Marij, è quorum testimoniis evidens est, quanta auctoritate & veneratione observata atque culta sint cordatae mulieres: præcis temporibus confugiebatur ad illas tanquam ad oraculum Pythii Apollinis, sancta habebantur consilia & responsa, nemo hæc aspernabatur. Scribit præterea Suetonius in vita Auli Vitellii vaticinanti Cattæ mulieri, Imperatorem, Vitellium, velut Oraculo acquievit.

Sub hoc Cæsare in vivis erat Tacitus: sub Trajano verò concessit natura.

Velleda b gentis Bructeræ virgo amplissimam apud Teuthonicos administrabat ditionem. Cujus copiosam mentionem fecit Cornelius lib. XX. & XXI. historiarum. Stadius lib. I. sylviarum in hunc modum meminit:

*Non vacat Arctos acies Rhenumq; rebellem,
Captivæq; preces Velpda, cui maxima iuper
Gloria*

Et Raimundus Marlianus, Phil. Beroaldus circa Suetonium in vita A. Vitellij.

Auriniam apud scriptores nondum vidi mentionem: quod rari vel nulli sint qui post Tacitum & Plinium de Germanis adeo digna retulerint. Ex Cornelio liquet, Germanam fuisse, ante sua tempora superstitiosius tanquam numen celebratam, & proximè post Deos veneratam.

Deorum a maximè b Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. c Herculem ac d Martem concisis animalibus plaçant.

Tertullianus a in Apologetico adversus gentes cap. XIII. tradit unicuique provincia & civitati suum Deum fuisse: ut Syriæ Astartis, ut Arabiæ Diansaræ, ut Norico Tibilem, ut Aphricæ Cœlestus, ut Mauritaniam Regulisui, &c. Augustinus quoq; plurimos gentilitios Deos congescit in eo libro, quem de civitate Dei inscripsit. Similiter etiam Lactantius Firmianus. Germani quoque suos peculiare habuerunt deos. Julius Cæsar lib. VI. belli Gallici de Germanorum Diis in hunc modum scribit: *Germani multum à Gallorum consuetudine differunt. Nam neq; Druides habent, qui rebus divinis præsent; neq; sacrificiis student. Deorum numero eos solum ducunt quos cernunt: & quorum aperte opibus juvantur. Solem, Vulcanum & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Cornelius verò noster multo plures recenset Germanorum Deos, utputa Mercurium, Teutanem, Martem, Herculem, Isidem, Herthum, Castorem, Pollucem.

Mercurium b imprimis coluisse Germanos, Cornelius Tacitus non tantum hoc libro, sed & eo quem de Romanis Cæsaribus scripsit, multis locis testatur: hunc aliàs Teutanem vocitatum, præter alios etiam Johannes Annius Viterbiensis super V. Beroaldus indicat his verbis: *Porro Tentanes Germanorum Mercurius existit, cui cognomento sacrificium ritus indidit. Reddebat enim pallentes eos qui sibi gratis immolabantur. Hunc igitur colebant & humano sanguine victimis ei obulerunt.* Sicut canit Lucanus, l. I.

Et quibus immittis placatur sanguine divo,

Tentanes.

Habes ejusdem testimonium apud Lactantium Firmianum lib. I. cap. 21. *Divinarum insipientionum.* Methodium in historia: Et repetit Ulricus,

Hunc.

Hüttenus eques nobilis Nobiliumq; doctissimus in Panegyrico, quem Alberto, Moguntino Archiepiscopo dedicavit, sic canens:

Cernis & Alcidem junctos, Tusconam, Manno.

Et Maja genitum, immittibus aris,

Terribili specie.

Nostro tempore visum est Mercurii idolum, in Elegia Aftasia prædio, in Cæl.

Herculem a Germanis velut Deum cultum supra abunde relatam est.

Porro Martem ab iisdem Germanis veneratum, alio loco testatur Tacitus lib. 20. ubi legati Tenterorum præcipuo Deo Marti grates egerunt, & Hüttenus Panegyrico, de quo jam habita mentio.

Primis honor Marti, clipeo Marti fulget & ense,

Germanumq; manu frameam tenet, illius aris,

Victima prima cadit, gratis pater ipse vocari

Gaudet.

Extant ejus superstitionis vestigia adhuc in quibusdam Germaniæ urbibus, quas ab ipso Marte nominatas putamus, ut Martipurgum, Hassiæ Metropolis: Marspurgum, Sueviæ urbs: & Marsinopolis Misniæ, ut Aeneas in Europa cap. 30. vocat, a Marte dici videntur. Martem quoq; Scytharum omnium Deum scribit lib. 2. Pompon. Mela. Fertur etiam Martis mos in Westphalia, ubi tria altaria olim Marti dicata adhuc superesse feruntur. Scribit præterea Suetonius in vita *Bullii Sullii*, eam pugionem, quod se Ortho Imperator occiderat in Agrippinensem coluam misisse Marti dedicandam, unde liquet illic Martem quoq; cultum.

De Suevorum & a Ildi sacrificat. Unde causa & origo præterito sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum & liburnæ figuratum docet adjectam religionem. Cæterum nec cohibere pariter Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine Cælestium arbitrantur. a Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant, secretum illud, quod sola reverentia vident.

Suevos olim Ili sem Deam coluisse Annus Viterbiensis lib. 15. testatur. Hinc Conradus Pentinger verustatis conservator sincerissimus, Studiosorumque patronus integerrimus persuasit sibi Augustenses falso *Cisam* Deam appellare, templumq; hoc, quod fuisse perhibent, ubi nunc est prætorium urbis Augustæ, non Cisæ, sed Ildis fuisse: colleq; publici carceris non *Zissenbergi*, sed *Zsenbergi*: quasi Ildis montem nominandum. Cujus rei copiosius meminit Ortho Frilingensis & Chronica Urspergenis. Ab hac Ildis voluit postea *Ifenacum* Thuringiæ oppidum vocatum.

Peregrino Aegyptiaco scilicet. Nam *Istis* Aegyptiorum numen est, & interpretatur eorum lingua terra: De qua plura *Diodor. Siculus* lib. 1.

De antiquo Italiæ cultu sumptum videtur, ubi liburnæ navis in sacris erat, eam ob causam quod Evander Rex Arcadiæ per maria in Italiam concessit, atque externos sacrificandi ritus introduxerit. Ad modum itaque Italiæ. Suevi in suis sacris quæ Ildi fiebant, signo utebantur, quod figuram liburnæ, id est navis seu currus ad formam naviculæ constructæ referebat. Liburni autem sunt in Illyrico populi, olia navibus velocibus & celeritate præcipuis: Ionium mare insulasq; prædabantur: quæ ex causa Romani naves levitate celeritateq; præstantes appellaverunt Liburnicas, Liburnas, seu Liburnas: sic refert Appianus in lib. *Illyricorum*. Vegetius lib. 11. de re militari, & Viterbiensis lib. XV.

Luci religione quadam esse imbuti existimabantur: utpote Deorum domicilia, aut hominis alicujus cineri sacra, testis Plinius lib. XII. cap. 1. Vergil. IX. *Aneid.*

Est ingens gelidum Lucus prope Ceretis amnem,

Religione patrum late sacer.

Germanis autem sylvæ olim vel maximè fuerunt suis idolis sacra, ut hic ex Cornelio colligitur.

Auspicia a sortesque, at qui maximè observant, a Sortium consuetudo simplex, virgam frugiferæ arbori decidam, in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vellem temere ac fortuito spargunt: mox si publicè consulitur, Sacerdos civitatis, sin privatim, ipse patrisfamilie precatur Deos, cælumq; suspiciens, ter singulos tollit, sublatis secundum impiellam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem ra in eundem diem consultatio. Sin permissum, a auspiciis adhuc fides exigitur, & illud quidem etiam hic notum, avium & voces, volatusque interrogare. Proprium gentis, f equorum quoque prælagia ac monitus experiri, publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos prestos sacra curu Sacerdos ac Rex vel Princeps civitatis comitantur, hinnitus atque fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed apud Præcetes, apud Sacerdotes. Se enim in pillos Deorum illos confectos putant.

Tanta erat apud gentiles auspiciis religio, ut etiam Romani exactis Regibus, nihil publicè sine auspiciis, nec domi, nec militia gerebant: id quod Livius in 1. ab Urbe condita, & Valer. Max. lib. 11. cap. 1. de institutis antiquis, testantur. Unde Cicero lib. 1. divinationum. *Quæ est autem gens: aut quæ civitas: quæ non extis pecudum: aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (hæ enim fere artes sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæ enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur.*

Sortium, id est fortuitorum eventuum, aut oraculorum. Inde Sortilegi, qui per sortes futura pronuntiant. De sortibus, earumque origine. Cicero in 2. divinat. Plinius lib. VII. cap. 56.

Surculos tenues & parvos, bacillos & virgulas, discretos, hoc est separatos, insignitos notis & signis quibusdam.

Auspiciis, id est prælagiorum & prognosticationum, quæ ad aves potissimum referuntur: Quorum sunt duo genera, unum ad oculos: alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet volatus, ad aures vox avium. Dicta autem sunt auspicia: hoc est ab avium inspectione, sicut Augurium ab avium garritu & voce. De omnibus istis copiosissime Cicero in libris divinat.

Aves enim eventus aut adversos, aut secundos significant: testibus Tullio Plinio lib. XXXIX. cap. 2. & Vergil.

Auspiciis genus peculiare fuit Germanis equorum hinnitus & fremitus observare, qui etiam in hoc alebantur lucis Numinibus sacris: quemadmodum perhibent in Hassia Germaniæ ora, hodie quoque equos in nemoribus ali veteri consuetudine Germanorum. Et scribit Methodius: Germanos equis in bello hostibus extractis sacra fecisse, & ex stilatione eorum, auguria cepisse: quarum superstitionum Picus Mirandula in secundo Hymnorum commentario meminit.

Captivo & jugulo fundebant carmina vasa,

Cymbrica, quæ arspedum fremitu servabat equorum.

Bellax Rypheo Germania proxima caelo.

Est & alia observatio auspiorum, quâ gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt, victoria hujus vel illius pro præjudicio b accipitur.

Germani imitantur in hoc Romanos, qui bellicam rem administrari, nisi auspiciato, noluerunt: Tanta erat apud gentiles Germanos auspiorum fides & religio. Erat autem etiam hoc genus auspicii, ut captivum simul & popularem suis quemque armis cinctum committerent in duellum & monomachiam. Si captivus vinceret popularem, malum omen Teutonibus: sin popularis hostem superasset, felix atque de victoria auspicius. Sic olim sortes ex Vergilianis versibus colligebantur. Si incidissent in lectionem pugnae faelicis, victoriae omen: sin in periculosam; discriminis & infortunii auspicius.

Præjudicio b id est, eventu rei, nam præjudicium, ut Asconio Pediano placet, res est, quæ cum instituta sit, affert judicaturis exemplum, quod sequantur, de qua re scribit Quintilianus in 5. Inst. cap. 2.

De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamē, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes petrantur. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur Luna, aut impletur. Nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt, nec dierum numerum ut nos, sed noctium b computant; sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi conveniunt, sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absunt. Ut turbæ placuit, confidunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur. Mox Rex vel Princeps, prout res cuique, prout Nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur: auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit e sententia, fremitu aspernantur: Sin placuit, fræntes concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

Consultandi ratio coeundi; ad comitia tempus explicatur: non autem abs re *Caesar in 6. belli Gallici* Lunam inter Germanorum numina computat: quod si in primis auspiciatur aliquid, observarent vel inchoantem lunam, hoc est conjunctionem & Neomenias: vel plenam lunam, id est oppositionem quæ Græcis *πρωεληγες* dicitur: hoc enim auspiciatissimum initium agendis rebus credunt. Ideo non est negligendum, quod idem *Julius Caesar lib. 1. belli Gallici* tradit, apud Germanos consuetudinem fuisse, ut matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, nec ne. Eas ita dicere non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent. Quæ omnia repetit *Plutarchus in vita Caesaris*: Hac superstitione nec dum carent Germani.

Romani tempus per dies numerare solebant more Aegyptiaco. Germani vero per noctes computarunt: qui mos hodie quoque durat, ut per noctes numeremus recenter facta, aut paulo post fienda. *Dor drey Nächten / oder über drey Nacht.* Diem autem alii aliter observare: Babylonii inter duos solis exortus, Athenienses inter duos occasus, Umbri a meridie in meridiem: vulgus a luce in tenebras, Aegyptii a media nocte in mediam noctem diem dixerunt. Sic & Germanorum antiquitas diem a nocte in noctem computavit, juxta Hebræorum consuetudinem, qui itidem a nocte dies cæperunt numerare. Vide *Plinium lib. 2. 79.* *Macrobius lib. 1.*

cap. 2. Saturnalium. Aul. Gell. *lib. 3. cap. 2. Noct. Ast.* Ovid. *1. Fastorum.* *Censorinum de die natali.* *Cornelium Vitellium de dierum, mensium, annorumq; observantia.*

Velut alii verbis aliorum dicta probant vel refutant: ita Germani soliti sunt, non sermone aliorum sententiam commendare, sed armorum applausu, sono tripudiiisque, ut rursus noster Tacitus indicat *lib. 2. 1. Histor.* fremitu verò explodebant sententiam, quæ minus placuisset.

Licit apud concilium accusare quoque & discrimen capitis b intendere. Distinctio pœnarum ex delicto, proditores & transfugas arboribus suspendunt. Ignavos & imbelles & corpore e infames cæno ac palude, injecta insuper d crate mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam e scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & delevioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur, pars multæ Regi, vel Civitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus exolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & auctoritas adsunt. Nihil autem neque g privatæ rei, nisi armari agunt. Sed arma sumere, non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.

Tormenta & pœnæ Germanorum, quibus hodie fontes ac facinorosos plectunt, sunt crux seu patibulum, gladius, ignis, culeus, rota. Fures in crucem agunt. Incendiarios & hostes igne cremant. Latrones ac raptores rota convellunt, homicidas capite privant, quosdam mergunt aqua aut vivos sepeliunt. Mulieres noxiæ culeo inclusa suffocantur flumine, aut fumo perimuntur.

Intendere b proprie est crimen in adversarium jacere. Terent. in *Eunucho*: *hanc si intendit esse, umb den Haß anflagen.*

Infames e mancos, corruptos, aut si mavis impudicos, *Die Ehrlosen.*

Hujusmodi supplicio affecti Turnum Herdonium Aricinum innocentem Tarquinius Superbus septimus Romanorum Rex, ut tradit *Livius in 1.*

Scelera e infanda flagitia, majora delicta, ut, prodiciones, furta, fugam, & hujusmodi; Flagitia verò leviora errata, ignaviam & timiditatem intellige.

Vicos f rusticanos qui ex pluribus villis constant. Præfecti, qui jus per pagos vicosque dicunt priscis appellati sunt *Marchiones*, a Marcha Theutonico vocabulo unde nomen Principum Germaniæ emerfit: qui *Marchiones*, id est præfecti Marcharum vocantur: lidem Germanis: *Bögt / Pfleger / Amptleut / Richter / Schultheissen* appellantur.

Civitas, e id est civium consensus & multitudo. Unde *Macrobius in præfatione, in somnium Scipionis*: *Comitia*, inquit, *cænisq; hominum jure sociati, civitates appellantur*: Non pro oppido sumitur apud Cornelium civitas. Nam suo seculo nondum urbes in Germania extructæ fuerant, ut postea ipse Tacitus declarabit, & supra a nobis relatum est.

Ea b consuetudo quoque nunc penes Germanos manet, ut neque fana & sacras conciones, nec fora aut rus camposque, neque concilia adeant, minus publica, minime privata subeant officia, nisi armis cincti, sine armis nihil agunt.

Tum cum in ipso concilio, vel principium aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaq; invencem ornant. Hæc apud illos a toga. Hic primus inventæ honos, ante hoc

hoc, domus pars videntur; mox Reipublicæ. Insignis Nobilitas, aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adolescentulis assignant. Cæteris robustioribus ac jam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites aspici. Gradus quintam & ipse Comitatus habet, judicio ejus quem sectantur. Maga quoque & Comitum æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus, & Principum cui plurimi & acerrimi Comites. Hæc dignitas, hæc vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari in pace decus, in bello præsidium, nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. Experuntur enim legationibus & muneribus ornantur, & ipsa plerumque fama, bella profigant. Cum venum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omni vitam ac probrosam, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloria, ejus assignare, præcipuum & sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro Principe.

Sicut Romani olim bonæ indolis pueris togam in vitilis ætatis argumentum dare solebant. Sic Germani suos adolescentulos framea scutoque ornantes, in rem militarem provehebant. Unde Eobanus Hessus.

*Tela puer dextro didicit vibrare lacerto,
Et leva chryseum posse rotare manu,
Jam bellator eques longa sudare sub hasta,
Et certo assuevit flectere frena modo.*

Juvenes Germani ante sumptam togam domus pars erant, id est, non numerabantur inter viros, nihil muneris administrabant in Reipub. sed ad domesticam curam adhibebantur: Accepta autem toga, etiam publica munia committebantur ipsis, & ad bella extrudebantur.

Comitatus Principis & suos habet gradus, hoc est, dignitates. Nam sunt alii aliis eminentiores in Principis aula, & in primo post Principem honore: *A Secretis, Acubiculis, Quaestores, equorum Praefecti, armorum Magistri, Consules.* Deinde sunt alii inferioris gradus & dignitatis, *satellites, lateranes, equites, pedites, lixe.* Per gradus ad proceres ascendentes, & rursus per gradus ad infirmitates descendentes. *Istos honores & dignitates Princeps pro suo arbitrio committit, singulis.* Inde oritur inter comites æmulatio, cum quisque primas apud Principem ambit. Titrillantur rursus Principes simili æmulatione, plurimos fortes eosque acerrimos affectantes comites, ut conspici sint selectissimo comitatu & satellitio.

Strategi atque militie Duces præstantiores, ac præclare gestis ipsisque armis exercitati celebresque multis donis, legationibusque, invitantur ad ferenda subsidia & administrandam militiam, ad hos promptiores milites cæteri confluunt, hos sequuntur, laudant atque tueruntur.

Acies instructionem exercitus significat, cum ad dimicandum paratus est, quod ferro armata sit & acumine telorum.

De Celtiberis Hispania populis scribit Valer. Max. lib. II. cap. I. *nefas duxisse praelio superesse, cum is occubisset, pro cuius salute spiritum devoverant.*

Vegetius & lib. II. de re militari: *Milites jurare solent & ideo militie sacramenta dicuntur. Jurant autem, se omnia strenue facturos quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Germanorum Reipub. Hinc sacramenta pro militibus usurpant Eruditi, quod jurejurando in foedus societatemque obstringantur, & pro Imperatore defendendo juramentum interponant.*

SI civitas in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique Nobilium adolescentium petunt, ultra eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & ut facilius inter bicipitia clarescant, magnumque comitatum; non nisi vi belloque tuerantur; Exigunt enim Principis sui liberalitate illum & bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ & convictus quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella & raptus, nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulneta mereri; pigrum quiniendo & inertes videri sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

Seneca *lib. VI. naturalium questionum*, Germanos gentem belli avidam vocat. Idem libro de Ira: *Germanis quid est animosus, quid ad incursum verius? quibus innascuntur innuunturque, quorum una illis alia negligentibus cura.* Mansit pacis odium, belli amor, heu dolor! in Teuthonica natione: Passim enim nunc stipendiis merent, vitam vilem ac venalem circumferunt *φιλοπώλημα*: Germani ac sanguinis sitientissimi.

*Nulla fides pietasque, viris qui castra sequuntur,
Venalesque manus, ibi fas ubi maxima merces.*

Obtinuit nomen, ut bellax Germania ab Auctoribus vocitetur, tam ingrata est genti quies, otiumque.

Et ut latebant, clari & insignes fiant, inter ancipitia difficilia, periculosa, incerta, utro vergat victoria: Sic anceps Mars pro incerto belli eventu accipitur.

Bellatorem equum hoc est bello promptum & idoneum, hunc, inquam, exigebant Germani, simul etiam sanguinolentam & victricem hastam, ut liceret ipsis bella gerere: Sunt enim omnes natura bellices, inquit Strabo, lib. IV. & omnis vita eorum in studiis rei militaris consistebat, *Caesar VI. Bell. Gall.* Tantus amor studiumque Martis erat. Habet quoque *Caesar in VI. belli Gallici*: *Atque ubi quis ex Principibus in Consilio dixit, se Ducem fore, qui sequi velint, profiteantur: Consurgunt hi, qui & causam, & hominem probant, auxilium pollicentur atque a multitudine collaudantur: Qui ex his sequenti non sunt, in desertorum atque perditorum numero habentur, omniumque rerum ipsi postea fides derogatur.*

Idem *Caesar in VI. Commentariorum libro*, Latrocinia nullam habere infamiam apud Germanos refert, quæ extra fines cuiusque civitatis sunt, atque ea exercenda, ac desidia minuenda causa fieri, prædicat. Hoc idem etiam Pomponius Mela tradit libro. III. *Ju in viribus habent adeo, ut ne latrocinij quidem pudeat, & Cunradus Celtis,*

Nec censere nefas animum intendisse rapinis.

Quoties bella non ineunt, non multum a venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque fortissimus quique ac bellicosissimus nihil agens, delegata b. domus & penatium, & agrorum cura foeminis searibusque, & infirmitate culque ex familia. Ipsi habent miram diversitatem naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, & oderint quietem. Mos est, a civitatibus ultra ac vitium conferre Principibus, vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium a donis, quæ ubi modo a singulis, sed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque. Jam & pecuniam accipere docuimus.

Unus est hic locus quem sciam, quo Cornelius Tacitus dissentit a cæteris authoribus, qui commune Germanorum exercitium dixerunt venandi studium, quo etiam nunc vix est ullum Germanis frequen-

quentius. Non igitur exactè didicit Cornelius venationis morem in Germaniis, vel suo tempore desit parumper venandi exercitium, quod antecum erat frequentissimum, & post eum commune omnibus Principibus & Nobilibus Germanorum, ut quoties per occasionem licet, venationi & aucupio incumbant. Ideoq; retulit Julius Dictator in *V. I. Comment. belli Gallici*: *Vita omnis in venationibus, ac studiis rei militaris consistit; à parvulis labori atq; duritici student.* Et paulo post rursus scribit. *Uros (quæ sunt Hercynia sylva, fera animalia) studiose fovetis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescenter, atq; hoc genere venationis exercent, & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem.* Unde Conradus Celtis:

*Commune his studium venari, equitare, vagari,
Atq; suum varias vidui qualis per artes,
Vel Bacchum viduis crescentem jungere palis,
Arvaq; quadrifido profcindere pingua aratro,
Nec patrio sepuisse solo juvenilibus annis.*

Viri ^b Theutonum fortes, armis assueti, quietem pacemq; odiunt, torporem atq; inertiam amant, omne studium in re militari consistit, minime omnes agricultura student, ut idem inquit Cæsar, *fæminis, senibus, infirmis, & inermibus, cura domestica commissa.*

Principes ^c quia Reipublica serviunt, ab eadem aluntur, decimas frugum, tributa, vectigalia, navium, pensiones atque reliquas huiusmodi exactiones à suis recipiunt. Equum hoc quidem jus, nisi hodiè quidam abuterentur isthoc privilegio in gravissimam tyrannidem, & suorum popularium depredationem: non enim accipiunt iustas pensiones, sed omninò deglutiant & excoriant suos, dignum est, ut præsentent Deo, quæ debentur ipsi, & Cæsari, quæ reddenda sunt Cæsari: verùm etiam hoc dignum est, ut Principes suos minime expilent, sed æquis conditionibus, & pensionibus onerent, tolerantq;

Cùm ^d enim Julius Cæsar Germanos non potuisset subigere, eosdem ad semueribus & pecunia allexit, eosdem in bello secum habuit, quorum fortitudine vicit Galliam ac Pompejum, ut Suetonius & Appianus testantur. Ottho. *lib. II. cap. 48. Chroniconum.* Sic & Tiberius Maroboduum Germanorum Regem ad se allexit.

Phalera, id est, militaria ornamenta & equorum quoque.

Suprà dixit, pecuniam probant veterem ac duri notam, serratos bigatosq; Argentum quoque magis quam aurum sequuntur. Jam in Germania & termè ubique terrarum nihil sine pecunia efficit. Nummi enim bellorum sunt nervi ac fomites, rerumq; gerendarum effectrices. Nulla urbs tam firma, neq; arx usq; adeò munita, quam non pecunia expugnet. Nullus tam severus iudex, etiam si Arcopagita sit, quem non pecunia corrumpas, & (ut paucis dicam) pecuniarum gratia sunt omni, huic cuncta obtemperant. Hinc non immeritò exclamat Henricus Bebelius, Poëta germanus: *Proh Deorum atq; hominum fidem! O idolendam atq; execrandam Germanorum avaritiam, quos esse invidios ab hostibus, res ipsa atq; multorum auctororum testimonia declarant, hos ipsa pecunia vincit.*

Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, de pati quidem inter se iunctas sedes, Colunt

discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. eos locant, non in nostrum morem connexis & coherentibus ædificiis: suam quisque domum spacio circumdat, sive adversus ignis remedium, sive incertè ad edificandi.

A Principio ^a non fuerunt in Germania urbes, aut oppida muro cincta (erat enim inculta & horrida regio) sed sua cuique, & separata domus, & spatio distans ab aliorum ædificiis, ne visino incendio conflagraret, sed quod verissimilius videtur, ædificandi imperitia. Seneca quoque in libro de gubernatione mundi refert, nulla eis fuisse domicilia, nullasq; sedes, nisi quas lassitudo in diem posuisset. Similiter Cæsar in 6 comment. *Civitatibus maxima laus est, quam latissimè circum se vastatis finibus solitudines habere hoc proprium virtutis existimant, expulso agris finitimos cedere.* Deinceps ad fontium ripas domus suas, & pagos collocaverunt, commodissimum rati, si aquæ suppeteret copia. Eligebant etiam camporum planities, montium juga, & ut commodius ædificarent, ad vicina nemora ædes extruxerunt.

Neæ cementorum quidem apud illos, aut regulari usus, materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terra, ita pura & splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitentur. Solent & subterraneos b specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus, quia ignem frigorum ejusmodi locis molliunt, & si quando hostis adventi, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod querenda sunt.

Herodianus ^a lib. VII. *Raro apud Germanos è lapide, lapidibusve coctilibus, aut lateribus adificia sunt, densis etiam sylvis, quorum confixis augmentatisq; tegnis quædam quasi tabernacula adificant.*

Cementa ^b dicuntur omnis rudior materia, quæ adificia consurgunt, sed propriè lapides vulgares subduri: Inde Cementarii, fabri murarii qui parietes ducendo, domos adificant. Observandum verò est ipsius mundi rudimento homines feros atque incultos, ante fruges incognitas, querna glande fructibusque, quos passim è terra natura produxerat, victitasse, & in speluncis habitasse, aut sylvarum recessa incoluisse: verùm agresti hoc victuposito, cæperunt primùm alii tuguriola de fronde arundinibus contexere, alii luto acerato hirundinum instar extruere loca Plini. *libro VII. cap. 56.* quæ Cannæ temerè contecta subiret. Mox industriores, (ut est humanum ingenium ad nova excogitanda, vel maximè promptum) non solum casulas, sed amplissimas domos fundatas extruere cæperunt, & ex villis & pagis oppida formare, & muro cingere didicerunt: quæ hodiè cultissima sunt, tum vallo, muro, atque bellicis instrumentis instructissima.

Videret ^c loqui de cellis subterraneis, in quibus olim Majores nostri hybernarunt, antequam vaporatorum istorum, quæ stubz nostris dicuntur, usus ad nos pervenerat, quæ hodiè tantùm conservandis frugibus, vino, potu, atq; penu deputatæ sunt, cellaria vocantur.

Tegumen ^a omnibus b sagum, c suda, aut si desit, spina confectum. Cætera interci toros dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non stuitante, sicut d Sarmatæ ac e Parthi, sed singulos artus experimente. Geruat, & f serarum pelles proximi g ripz negligenter, ultetiores exquisitiùs, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina spargunt maculis pelibusq; b belluarum, quas exterior Oceanus atq; igno-

agnorum mare gignit. Nec alius foeminis quam vitis habitus, nisi quod foemina saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris patet.

De vestitu Germanorum nunc disserit, plane germano simplici & rusticano, & minime fluitante, nec tam immoderatum precium referente, ut haec habent tempora, quibus effusissimus sumptus in vestes impenditur: adeo exiit haec natio pristinam simplicitatem, ut videas infimos e plebe splendidissimis, atque laxissimis incedere vestibus, Regibus maximisque Heroibus olim non indignis. Quid dicam nihil videas hodie, quam inanem sumptum, ac sumptuosam omnium rerum luxuriam, moribus veterum Germanorum imparem, quorum tegumentum fuit sagum. Pompon. Mela lib. III. Viri sagis velantur, aut libris arborum quamvis saeva hyeme, nandi non patientia tantum illis, sed studium etiam est.

Sagum vestis est villo linove grossiore texta ad militiam apta ein Husect oder Filsmanzel / priscis Germanis, ein Jacke, inde sagulum, quod & ipsum militare indumentum breve, & ad militiam accommodum. Cicero in Philippicis scribit: *Saga sumi solere in bello atq; tumultu. Et quando in sagis tota civitas erat, Consulares viri rogati esse solebant.*

Fibula vero cingulum significat, & ejus ornamentum, quo vestes subligamus. Unde *fibulare*, cingere, & *diffibulare*, discingere, & fibulam dissolvere.

Sarmata, Scythici populi vestibus effusissimis atque laxissimis utebantur. Rhonones quoque, hoc est, de pellibus vestes gestabant. Lucan. lib. I.

Et qui te laxis imitatur Sarmata braccis.

Parthi orientales populi, Persis finitimi, primo veste sui moris utebantur, posteaquam autem opes accessere, luxuria materia, ut Medus praelucida ac fluida armorum patrius ac Scythicus mos, sic scribit Justinus lib. XXI. & repetit Aeneas Sylvius in Asia descriptione, capite XXX. de Parthis. Plinius libro VI. cap. 25. Strabo lib. XI. & XV. Mela. in I. Ptolem. lib. VI. cap. 5. Solinus cap. 6. Volaterran. libro XII. Geographia.

Caesar lib. VI. belli Gallici: *Pellibus aut parvis Rhononum tegumentis utuntur magna corporis parte nuda.* & Seneca lib. I. de ira: *Quid Germanis indurati ad omnem patientiam, & quibus magna ex parte, non tegumenta corporum, non suffragia adversus perpetuum caeli rigorem.* Atque hinc Cornel. libr. XVII. & XVIII. Histor. Augustae. *Cohortes Germanorum cantu truci, & more patrio nudis corporibus super humeros senta quarientium appellat.*

Ripa & Rheni scilicet, nam Rhenus separaverat Gallos a Germanis, & fuit limes Romani Imperii: Caesar testis in comment. belli Gallici.

Pelles de quibus loquitur variae atque diversarum beluarum sunt, quasdam aetas nostra *Zobellinas, Licparias, Lussarias atq; Hermelinas* vocat, ex Lituania, quae ad Balteum mare sita est, adferuntur.

Oceanus exterior est mare Germanicum, quod nullis Imperatoribus navigatum, aut classibus tentatum fuerat, quemadmodum etiam Strabo lib. VII. his verbis refert: *illa plaga, qua trans Albim Oceanum spectat, nobis prorsus est incognita. Nullum enim*

priorum, ad orientem usque ad Caspii maris ostium hanc peregrisse navigationem accepimus. Neq; Romani Albim ipsum transcederunt, nec illi similiter iter pedestre suscipere.

Quaquam severa illic a matrimoniis, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam b propè soli e Barbarorum singulis uxoris contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob Nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Interfunt parentes, & propinqui, ac munera probant. Munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nypra comatur, sed boves, & a fienatum, equum & scutum cum framea, gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro affert, hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos & conjugales Deos arbitrantur, ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque f bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se, laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram aeduramque; hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, sic percundum, accipere se, quae liberis in violata, ac digna reddat, quae nurus accipiant, turlusq; ad nepotes referant. Ergo septa pudicitia agunt, nullis g spectaculorum illecebris, nullis conviviorum iritationibus corrupta.

Venit tandem ad Germanorum connubia, quae a moribus plurimum commendat, & revera insunt huic vinculo multa, quae a pietate minime absunt. Nam Deus ab initio Masculum & Foeminam condiderat Genes. I. & 2. Foeminam in viri adjutorium, ideoque admonerantur nymphae in ipsis sponsalibus se venire fortunae, periculorumq; socias, Viri discrimen fore uxoris quoque? Mariti prosperitatem & bona utrisque communia, hoc est, ut sacrae habent paginae, *duos coalituros in carne una, ut jam non sint duo, id est, diversarum partium sed una caro, ejusdem voluntatis, fortuna, periculi atque laboris.*

Numida, Mauri, Aegyptii, Indi, Hebraei, Persae, Garamantes, Parthi, Taxili, Nasamones & Thracet atque penè omnes Barbari, singuli pro opibus quibusque quam plurimas uxores, alii denas, alii plures habebant. Scythae, Agathyrsi, Scoti Britanniae populi, Attici, promiscuas uxores, & liberos ex Platonis Republica, communes habere, & more peccudum lascivire solebant. Massageta singuli unam ducebant uxorem, sed ea communiter utebantur, uti apud Britannos etiam fieri consuevit. Apud Arabes qui Felicem incolunt Arabiam, consuetudo erat, ut una omnibus consanguineis uxor esset. Sic sunt diversarum gentium diversa conjugia. Authores Strabo, Solinus, Pompon. Mela, Plinius, Eusebius, Polidorus atque alii. Germani autem inquit Tacitus, *soli barbarorum singulis uxoris contenti sunt, nemo plures accipit, velut aliorum Barbarorum gentes, sed quisq; unam conjugem, ad regnum ejus servat; Defuncta hac licitum est alteri copulari. Pauci sunt ex Nobilibus, qui pluribus nuptiis ambiuntur, sicut de Ariovisto Germanorum Rege Caesar, in I. meminuit, quod duas habuerit uxores, Suevam unam, alteram Noricam, veruntamen minime Parthorum more, qui variae libidinis dulcedine singuli plures uxores sibi jungunt, Justino teste libro XXI.*

Strabo lib. XIV. Geographiarum arbitratur ab initio confecto nomine eos Barbaros appellatos, qui difficulter, asperè ac duriter loquerentur, ut Blesos, Balbosq; dicimus, quales sunt nationes omnes praeter Graecos. Romani etiam postea se quoque exemerunt, quod cultam mitioremque reliquis nationi-

nationibus linguam haberent, & Barbaros vocabant, quibus non esset peritia, Cræci & Latini sermonis, vel crassa pronuntiatio. Unde metaphoricus, barbarus pro fero, crasso, & indocto usurpatur. Post Christum passum, barbari censebantur, quibus nec Græci, Latini aut Hebræi nomen concedebatur, hodie in Barbaricum nomen abiverunt, qui Christianam fidem non agnoscunt, aut Romano Imperatori subiecti non sunt.

Eobanus⁴ Hællus Poëta præcipui nominis, de dore Germanorum sic cecinit.

Dos erat hinc sonipes, duris bellator in armis,

Et pecus & iustis iugera pauci soli,

Scilicet arma etiam nostris placuisse puellis,

Testises, ut nostra clade superbe Mari.

His neq; degeneri muliebris inertia luxa,

Improba nec curæ forma Veniive fuit.

Sic Romani præsci Jovem adultum, Junonem, Venerem, Dianam, Thalassum, qui apud Græcos Hymeneus dictus, Subigum, Virginensem, Jugavum, Domiduncum ac alia vana idola coluerunt: De qua re Augustinus lib. VI. de civitate Dei, cap. 9.

Refert enim ex Licurgi sententia Plato, quod feminae se cum juvenibus in armis exercere debeant, ut bello aptæ sint, quemadmodum Amazones, atque Scythæ & Sarmatica mulieres, Mela, in II. & III.) fuere, quæ ob id mammas inurebant, ne armorum impedirent tractationes: Et supra retulimus, mulieres Germanorum cum viris in prælia egressas, ex Floro IV. cap. 12. Cæsar I. belli Gallici.

Spæctacula illecebrarum esse irritamenta, ex hoc perpenditur, quod Scipio Nasica venerit apud Romanos Theatra atq; Orchestras extrui, ac ne scenici peragerentur ludi, ne corona adstantium malis exemplis coinquinaretur. Nam Venerem omnisq; gesteris mala excitat atq; fovet, Otium, Vinum & Theatrum, velut manifestis verbis, Ovidius Sulmonensis in II. De amorum remedio, aperit.

Vina parant animos Veneri nisi plurima sumas.

Et alibi.

Quæritur Agistus quare sit factus adulter,

In promptu causa est, desidiosus erat.

Otia si tollis perire Cupidinis arcus,

Contemptaq; jucent & sine luce faces.

Hoc idem Comicus vidit, cujus hæc Sententia

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Literarum secretæ viri pariter ac feminae ignorant.

Cornelii nostri temporibus penitiorum literarum mysteria Germanos latebant, rudia adhuc erant secula, nemo honarum literarum doctus, Barbara natio, Divinarum & prophanarum literarum, legumque ignara, quæ res peperit nobis Germanorum ignobiliter, & Virtutum a majoribus factarum silentium atque oblivionem. Fuerunt enim plurimi, qui præclara & fortia facta committerent, ast qui ea posteris & literis commendarent, nulli. At quem fugit, quanta interim facta sit mutatio omnium populorum, tumumque, quod Germania, quæ olim literarum disciplinis erat inculta, agrestibus populis horrida, adificiorum tenuitate ac meta rusticitate referta, nunc nulla non parte sit florentissimis ingenisq; præclaris fecundissima, quæ dona cui accepto referam, nisi Deo Opti. Max. atque item mortalium industriæ, quæ Divinum illud extenderum librorum hænnis fortibus inventum, apud

Germanos nostros, excogitavit, quod Moguntia cæpit, post in carnationem Jesu Christi Servatoris nostri, M. CCCC. XL. Friderico tertio Romano-rum, ac Germanorum Imperium administrante. Unde viri undecunq; præstantes, tum eruditione linguarum, tum multiplici rerum notitia emerferunt, adeo, ut in orbe hoc terræ, hujusmodi viros non reperias, quales habet Germania ad literas, bella, atq; item alia mortalium officia expeditissimos. Cuncta nempè refluoruerunt studia, adolevit Sacrosanctæ Christi Philosophia, ut sincerius sint vix unquam sacra tractatae literæ, quam hoc nostro postremo seculo. Floret quoque Poëtica. Nulla mehercle tempora habuerunt Yates ejusmodi, quales nostra Germania. Dicere posses Hippocrenem fontem Musarum nobiscum esse, Appollinem, Musas, Gratiâs, Ætheocliides omnes in apricum Germaniæ prodiisse, nihil est apud Teuthones, Domini gratia, quod possit desiderari. Sunt Hebræa aut potius sacra studia, undique per Germaniam, vigent & Atticisantes literæ, & consumatissimos in his reperies viros, quos in mediâ Græciâ prognatos existimares, ut interim taceam Astronomos, Oratores, Philosophos, Medicos aliosque pertranscam innumeros. Omnes Cyclopediæ disciplinæ uberrimæ nunc pertractantur, habent enim femine celebratissima quindecim publica Gymnasia nunc ipsi Germani (præter privatas scholas singularum urbium) in quibus Viri ex æquo sudant. Pudear igitur Sycophantam illum scommatis sui, quo Germanos barbariæ vocabulo notavit, quum Majores atque ipsi nos soli resuscitaverimus sopita aliquantisper Musarum dona, ut non tam viri quam mulieres nobiscum literas discant, verum studiosissime amplectantur & calleant egregie, & revera impletum mihi persuadeo, dictum illud Salvatoris nostri. *Muli novissimi erunt primi.* Germani enim Religione & literarum studio omnes superant.

Paucissima in tam numerosa gente adulteriæ, quorum poena præsens, & maritis permilla, accitis criminibus nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit. Publicatæ enim pudicitia nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere, & corrumpi seculum vocatur. Melius quidem adhuc civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium amant. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur plusque ibi boni & mores valent, quam alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac feruum nullis educationis deliciis dignoscas, inter eadem peccata, in eadem humo, degunt donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat.

Rari penes Germanos olim fuerunt mæchæ, pauciores adulteræ, nempè in quos severius animadvertetur. Hinc scribit Eobanus Hællus,

Nulla maritantes novère cubilia mæchos,

Firma pudicitia lex muliebris erat.

Sed heu Jupiter quæ vitia hodie non suppultulans, radicesq; altius ingerunt! Quæ non hydra succrescit, jam virtus ipsa languescere cæpit: Scelera laudant, probitatem proscribi, omnia pessima ire cernunt. Remissus nunc cum adulteris agitur quam præcaute. Vitæ congesta erat poena in mæchas, ejectam domo

domo verberibusq; cæsam repudiabat maritus. Annotavit Ludovicus Cælius *libro Antiquit. XI. cap. 81.* Lepreos quos deprehenderint adulterantes triduo vincetos per civitatem ducere, mox toto vitæ tempore contemptibiles habere, quod mulieribus itidem fiebat, nisi quod hæ diebus undecim in foro stare coguntur, discinctæ, & tunica circumvestitæ pellucida. Habes in eodem auctore de Adulterii pœna *lib. XI. cap. 78. Antiquit.*

Hoc est, non habent spem in ulterius connubium, ne videantur non tam maritos libidinis gratia amare, quàm matrimonii sanctitatem.

Procreandis liberis operam dare non desistunt Germani, quoad natura fatigata sua sponte cessat, Unde Eobanus Hessus:

*Mutuus in prolem commiscuit ardor habendam,
Hanc quoq; legitimam esse petita fides.*

Cornelius omnibus truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida, & Pompon. *Mela. lib. III.* Qui habitant immanes sunt animis & corporibus.

Deprehendi potest ex hoc textu, multò honestioris conversationis & incorruptiorum morum præfatos illos Germanos extitisse, quàm nostrates, qui nec legibus coerceri possunt. Valuerunt apud patres integri mores plus, quàm penes reliquas gentes multæ, & ex bonæ leges. His postremis temporibus neq; leges, neq; mores valent, adeo sunt omnia corrupta.

Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virginès festinantur, eadem juvenca, similis proceritas, parès valida que miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filii idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque huic nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam & animum firmitus, & domum latius teneant, hæredes tamen successoresque sui cuique liberi & nullum testamentum: Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, & patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quò major affinium numerus, tantò gratior senectus, nec ullæ orbitatis prætia. Suscipere tam inimicitias, seu patris seu propinqui, quàm amicitias necesse est, nec implacabiles durant.

Tantus pudicitæ castitatisque honor fuit Germanis, ut ante vigesimum annum femine notitiam habuisse, in turpissimis haberent rebus, Sicut Cæsar in *VI. belli Gallici* scribit. Hinc ait Hessus Poëta:

Nulla nisi evecta, nisi robur firma juvenca.

Virgo, nec imbelli nupserat ulla viro.

Nec cupiditatibus adeo illiti fuerunt, nec visu commovebantur, quod Poggius Florentinus de Balneo Badensi scribens, ad Leonhardum Aretinum testatur. *Publica duo, inquit, sunt balnea, ubi innuptæ puella, pueri quoq; descendunt, ubi adolescentes & feminas videre est, omnibus nates ostentantes.*

Balnea verò domorum perpolitæ, ubi per fenestellas colloqui, & posare licet; sæpè femina nuda, nudo viro obviam ire, nulla inhonesti suspicio, masculi campestribus, feminae linteis, induuntur vestibus, crurum senus à latere scissis, neque collum neque brachia vel lacertos tegunt. Cernunt viri uxores tractari, cernunt alteri colloqui, est quidem sps solatium, nihil hic commoventur, nihil admirantur, omnia bona mente fieri putant; neque ex his zelotypus. Hæc ille.

Avunculus, frater matris: Avunculus autem magnus, avix est frater.

De Hæredibus instituendis scribunt Juridici Baldus, Justinianus *lib. II, titul. de hæredibus instit. & sequentibus.*

Patris parentis germani fratres,

Propinquorum consanguineorum & necessariorum.

Affinium, viri uxorisq; cognatorum.

Nulla reverentia illius qui sine liberis discedit.

Orbus enim qui filiis caret, dicitur, Græcè *ὄρφανός*, & *ὄρφανία* patris aut filii privatio.

Uit enim etiam a homicidium certo armentorum numero, recipitq; satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitæ juxta libertatem. Convictibus & hospitibus non alia gens effusus indulget. Quemcunque mortalium arcere tectò nefas habetur, pro fortuna quisque apparatus epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt, nec interest, pari humanitate accipiuntur: Notum ignotumq; quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunt si quid poposcerit, concedere moris, & pœcendi invicem eadem facilitas, Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis. Statim è somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, sæpius calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Lauri cibum capiunt, separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa: Tum ad negotia, nec minus sæpè ad convivia procedunt armati.

Cædes multabantur armentis & pecoribus, quærum, ante auri argentiq; usum, solæ & gratisimæ fuerant Germanorum opes. Hodie homicidæ pecunia redimunt vitam, aut capite luunt pœnam, juxta Cæsareas sanctiones.

Domus, id est familia, ejus scilicet qui interemptus est, nam hæc accipit multam & satisfactionem pro trucidato.

Gentium omnium Germani φιλόξενοί, id est, hospitalissimi, nulla gens peregrinis tam præfens, nemo pauperibus benignior, egenis dexterior, laborantibus ac prorsus valitudine quacunque conflitantibus propitior, omnibus misericors. Hinc Julius Cæsar *lib. VI. Germani hospitem violare fas non putant, qui quaquà de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctos habent, iisq; omnium domus patent, victusq; communicatur.* & *Mela. lib. III. Tantum hospitibus boni mitesq; supplicibus.*

Longissimè durat hyems in Germania, quòd frigidissima sit regio, & ad Septentrionem posita. Calidæ Regionès, ut sunt, quæ ad orientalem Oceanum vergunt, brevem adeoque nullam habent hyemem. Suprà quoque dixit Germanos assuetos frigori atq; inedia, cælo solive.

Remansit ista consuetudo maximè apud Brisacogeanos, nigræ sylvæ incolas, ac Rheni accolæ quoddam, ubi singulis sua fercula seorsum ac discreta apponuntur.

Item noctemque a continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter vinolentos rixæ, rarò convitiis, sæpius eadem & vulneribus transiguntur. Sed de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adfiscendis Principibus, de pace denique ac bello plerumque in convitiis consultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalcescat. Gens non astuta, nec callida, aperit ad hoc secreta & pœtoris licentia joci. Ergò detecta & nuda omnium mens postera die tractatur, & salva utriusque temporis ratio est, deliberant, dum fingere nesciunt, colligunt, dum errare non possunt.

Divulgata est apud quosdam patetia, *nullos tantum ebrietati obnoxios, quantum Germanos, neququam fuisse apud nos flagitium, inebriari.* Limen veritatis transtulit Commentator ille proverbii, quisquis fuerit. Constat enim pristinis temporibus omne, quod saltem vitium olebat, Germanis denegatum fuisse, quod testatur Bebelius, ubi inquit:

*Nec vinum gustaverat agra senectus,
Tunc pudor & probitas, ius, fas, pietasq; vigebat,
Tunc maturus erat fetus robustaq; proles.*

Nam Cæsar in *IV. Cum.* de Suevis loquens: Germanorum sobrietatem commendat. *Vinum, inquit, ad se importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum mollescerent homines, atq; effeminari arbitrentur.* De nostris temporibus nunc minimè loquor, nemo nim est, qui nesciat, quanto luxu ac ebrietate redundet Teuthonica Natio,

Scythia quoque & Thracæ ἀνεργονίται vocantur, id est, merobibi. Nam plerumque convivia eorum sanguinolenta sunt, & tumultuosa. Inde *Episcythizare* est avidè & meratius bibere. Vide ubertus apud Erasmum, de hoc proverbio *Chil. II. cen. III. prover. XVII.* & Ludovicum Cælium in *libro antiquarum lectionum.*

De jungendis affinitatibus, quomodo filios & filias copulent vinculo conjugali. *Affines enim dicuntur viri & uxoris cognati, & Affinitas cognatio, non quæ est ex sanguine parentum, sed quæ fit per copulam & conjunctionem conjugatorum: Germanis, Schwägerschaft, vel Magtschaft.* Inter pocula, de ejusmodi jungendis affinitatibus, per conubia, consultant Germani, wie sie die Kinder wöhlen zusammen geben, und zusammen heyrathen.

Quid enim ebrietas non facit?

Opera recludis?

Spes jubet esse ratas, trahit & ad pretia inermes, Ut ille inquit: Unde natum ajunt adagium. *In vino veritas,* quod Erasmus copiosissimè interpretatur *Chil. I. cen. VII. Prover. XVII.* Germanos autem minimè subdolos testatur Conradus Celtis.

Et veri justiq; tenax, mens consona labris,

Ficta colorata vitat mendacia lingua.

Et Ulrichus Huttenus, *fraude autem vacans homines & insidias ignorant.* Utinam & hodiè talia essent tempora! quæ non fraus, malitia, insidiaz, doli, deceptiones, technæ, & mille deridendi artes superantant? quam rara nunc fratrum Germanorum est gratia, quam absumus à germana, hoc est, vera fraternitate & dilectione.

Otui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus, proximi ripæ & vinum meantur. Cibi simplicis, agrestis pomæ, recens feta, aut lac concretum, sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem, adversus sitim, non eadem temperantia. Si indulsis ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitii, quam armis vincuntur.

Jo. Annii Viterbiensis *lib. XV. super Berosum;* probat ex sententia Diodo. Siculi, *Osyridem docuisse potum conficere ex hordeo & herbis,* ubi non vites nascantur, quem *zuum,* nos *cerevisiam* vocamus. De quo Diodorus Siculus *lib. VI.* Unde Plinius *lib. XIV. cap. ult.* exclamat: *Heu mira,* inquit, *victorum solertia, inventum est, quemadmodum aqua quoq; inebriaret.* Porro eum Osyridem cum Ilude ad Gambriivium Germanorum Regem venisse, cerevisiamque coquere eum docuisse, scribit idem

Viterbiensis, & repetit Conradus Peutinger in *sermonibus convivialibus.*

Julius Cæsar *lib. VI. belli Gallici.* Major pars eorum victus in lacte, caseo carneq; consistit, Et *Mela in III. Vitis ita asperi, incultiq;, ut cruda etiam carne vescantur, aut recentis.* Vide quæ annotavit in eundem locum noster *Vadianus.*

Halæces salitos & incoctos edunt aliquot Germanorum gentes: Saxonibus *lardum* crudum non ingratus cibus est, nec scio, an alii cruda carne vescantur.

Suprà retulit Germanos impatientes esse sitis æstasq; id est, nil minus posse tolerare siti. Ideoque si sitibundis indulgeas, & obsequentem compositorem exhibeas, crateris certando, non difficiliter ebrietate, quàm armis vinces.

Genus spectaculorum unum atque in omni cætu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicium est, inter gladios & atque infestas frameas saltu jaciunt, Exercitatio artem parat, ars decorem, non in questum tamen aut mercedem, quamvis audacis & lalcivæ pretium est voluptas spectantium.

Manet exercitationis hujus hodie quoque vestigium, quo juvenes inter strictos enses saltare conspiciuntur. Sunt enim passim per Germaniam palestræ, in quibus non operariis diebus, Germana pubes munere gladiatorio decertat. Digladiantur adolescentes, hastis, gestis, lancis, ensibus, gladiolis, aliisque multis armaturis. Habent & plures alias quoque exercitationes Germani, cursu, saltatione, choreis, jaculatione, arcuum scorpionumque extorsione, lucta, fundo, equis, multisque aliis, quibus animosior fit juvenus.

Non aliam ex isto ludicio audaciq; gladiatorum munere recipiunt mercedem, quàm quod spectatoribus theatrum ludumq; exhibent: assistentium voluptas, pretium est agonistarum.

Alam (quod mirè) sobrii inter serâ exercent, tanta lucrandi perdidit temeritate, ut cum omnia defecerint, extremo ac novissimo jactude libertate ac corpore contendant, victus voluntariam servitutem adit, quamvis juvenior, quamvis robustior, alligari se atque venire patitur. Ea or. quamvis perveracia, ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriz exolvant. Ceteris servis, non in nostrum morem descriptis, per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit, frumenti modum dominus aut pecoris, aut vestis, ut Colonn injungit, & servus hactenus parat. Cetera domus officia, uxor, ac liberi exequuntur. Verberare servum ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune, liberi non multum supra servos sunt. Raro aliquod monumentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos, & super nobiles ascendunt. Apud ceteros impares libertini, libertatis argumentum sunt.

Nemo est quem fugiat: *Alem omnem dici laudum in fortune varietate versantem & collocatum.* Alias pro periculo & discrimine sumitur, ut *jaletalea,* cujus patetia explicacionem require in Erasmo, *Chil. I. Centuria IV. Prover. XXXII.*

Venire, vendere, sicut quondam mos erat servos mercari, atque rursus vendere, & postea manumittere, hoc est libertate donare. Nam *manumissio* aliud nihil est, ut inquit Jurisconsultus, quam *datio libertatis.*

Id est, permurant servos Judis acquisitos pro mercibus, ipsi servos dant, & merces recipiunt, significat

fiat *etiam commercium* præter consuetudinem & usum seu societatem, etiam *mercium permutationem*, quæ præcis Germanis fuit maximo usus, ut superius ex Cornelio deprehendimus. Scribuntque Aristoteles & Plin. commercia victus causa fuisse reperta. Reliquos servos Germanorum, qui bello partu sunt, & non alea, rei domesticæ præficiunt, eorumque ministerio per familiam utuntur.

Cæteris non per ludum, sed per bellum acquisitis, aut in servitute natis.

Nostrum, id est Romanum, ubi quisque servorum Romanorum apud eos uni soli domino serviebat.

Colono, s. agricola, qui suum agrum colit, frugum tamēn patrem, domino dat, qua significatione etiam apud *Colismellam lib. I.* accipitur.

Hoc est *s. servus*, alea acquisitus, non emptus, aut bello partus, eoque parat & obedit, non ultra astringitur. Hactenus significare hucusque notum est. Nam reliquam domus curam uxor & liberi expediunt, id quod Cornelius supra indicavit.

Liberti dicuntur, qui ex servitute manumissi libertateque sunt donati: vulgo *erlassene* & *entbi* sicut gelassen.

Momentum, pondus, æstimationem: sic vocemus rem nullius momenti, id est, nullius ponderis atque pretii, sed vilem, nauci.

Foenus a agitare, & in usuras extendere, ignotum: ideoque magis servatur, quam si verum esset. Agri pro numero cultorum, ab universis per vias occupantur, quos innox inter se, secundum dignationem partiuntur, facilitatem partiendi camporum spacia præstant. Arva per annos mutant & superestager, nec enim cum ubertate & amplitudine soli laborare contendunt, ut pomaria conferant & prata separent, & hortostigent, sola terræ seges imperatur. Unde *b. annum* quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hyems, & Ver, & Æstas intellectum & vocabula habent: Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

Usuram veteres Germani non agitarunt, nimium avari, fraudulentum, ac subdoli, sed simplices, sua sorte contenti, utpote apud quos plus boni mores valebant, quam alibi bonæ leges. Vide verò quantum à Germanis moribus degeneraverimus: quid quæso nunc est fœnore usitatus, cui non studium fraudandi proximum? prædandi alienum? effluviendi vicinum? adeo omnium mentes avaritia obsedit, fraus nusquam non regnat. Nostri *mercatores quibusvis vulturibus rapaces*, omnium maximi fœneratores atque usurarii, à misera plebula mercantur suas merces, vili aliquoties precio, quas urgente necessitate duplo redimere coguntur, isti expilant omnem Germaniam, ad horum imposturam connivent Principes, quia sunt, inquit Hebraus Vates, *Infideles, socii furum*. Imitatur hos Sacrificum & Religiosulorum phalanx, homines divis adjurati, & ipsis Druidibus superstitiones: quid multis? Harpiis omnia plena, usuris omnia patent exactionum, fraudum nullus finis. Faxit Deus, ut in pristinum statum temperantiæ, sinceritatis, modestiæ, rectitudinis restituantur aliquando Germania.

Annus antiquitus Germanis in tres solummodo partes divisus erat, in *Hyemem, Ver, ac Æstatem*. Autumnum omnium frugum parentem, maxime vini nescierunt: ob id nec hortos, poma, pyra, aliosque arborum fructus curaverunt, contenti semina agris mandasse.

Funerum a nulla ambitio. Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum cretis lignis crementur. Struem brogi nec vestibus, nec odoribus cumulant, sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepulchram cespes erigit. Monumentorum arduum & perperosum honorem, & gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & tristitiam tardè ponunt: & fœminis lugere honestum est, viris meminisse.

Videmus omnia deficere, nihil in hoc mortalitatis nosocomio firmum ac stabile, olim Germani corpora defunctorum absque omni pompa efferre atque cremare solebant: nunc ambitiosissime cum ingenti luxuria Heroum & ditiorum cadavera tumulto conduntur: lugendo, nœnias atque vigilias, ut vocant, submurmurando. Sed in paupelli iustis ac parentalibus nemo apparet, vix reperiuntur sandapila ac vespillones, qui paucissimis panniculis vita functum curent: adeo opulenti amantur, pauperes, ne oculis intuentur. Ea nunc est charitas & fraterna dilectio penes mortales.

Rogus lignorum strues ad cremanda cadavera. Satis enim perspicuum est, olim cadavera defunctorum cremari solita, velut scribunt, Tacitus *lib. XXI. Histor.* Plinius *lib. VII. cap. 54. naturalis Histor.* Vergilius *4. Æneid.*

Mulierum enim semper hoc fuit peculiare, ut lachrymas habeant in promptu, ut cum velint, præstò sit fœcundissimus lachrymarum fons, at manum vix verteris, jam ridere rursus videbis, tam cito ejulatum ponunt, ut *quovis Euripo inconstantius sit hoc hominum genus*.

Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediām.

Germani Gallias olim invaserunt, & sibi subicere parabant, testes sunt Cæsar in *2. Comment. belli Gallici*, Tacitus *lib. XX. Histor.* & Eutropius *lib. I. cap. 3. rerum Romanarum*. In Gallias autem potissimum commigrarunt Longobardi ac Sennones Suevorum gentes amplissimæ, pulsisque habitatoribus Gallis, occuparunt sedes eorum, relicto illic nomine, ut nunc Galli Sennones juxta Senam urbem, & Lombardi fracto nonnihil vocabulo vocentur. Eutropius *lib. 7. cap. 2. Romanarum rerum* author est, Augustum Cæsarem quadragentas captivorum Chiliades ex Germania transtulisse, & supra ripam Rheni in Gallia collocasse. Transtulerunt igitur in Galliam Germani majores nostri, partim submoti, partim occisis habitatoribus, quod clarissime testatur Procopius in *3. de Gotthorum bello*, sic inquit: *Galliarum partem suæ quondam ditionis effectam; in hujus belli principio Gotthi Germanis tradiderant, cum minus se posse, existimarent; Romanis simul ac Germanis resistere. Id sane factum, non solum non prorsus Romani interpellarunt, sed ut Gallias sibi Germani haberent Justinianus ultro permisit. Non enim illi hasturo se possessuros rebantur, nisi & Imperator, ut suæ ditionis futuras perpetuo confirmasset. Quo factum, ut eo ex tempore Principes Germanorum Massiliam Phocensium quondam Coloniam; & cætera circa id mare loca tenuerint, totiusque ejus ora maritima potiti imperio sint. Unde & Arelatæ nunc resident ad certaminis equestris spectaculum. Aureum numum e nativo Galliarum metallo hincudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine; sed sua impressa. Persarum signi-*

siquidem Imperator, & si ad arbitrium argenteum numisma facit; auro tamen non illi fas est, suam ut indat effigiem, nec Barbarorum Princeps alius quisquam id facere ausit, Agathius in 1. lib. de bello Gothorum altipulatur Procopio. Francorum, inquit, natio Italia proxima est, & terminis juncta. Veteres tamen hos esse Germanos dixerunt, quod nūq̄, ex eo sat liquet. Nam circa Rhenum hi habitant, & huic propinquas incolunt partes, Galliarumq̄ maximam possident partem: non propriam, sed vi & in posterum occupatam. Habent præterea Massiliam urbem, Ionum olim Coloniam. Hanc enim Phocenses quondam per Medos sedibus suis abacti incoluere, Dario Idaspis filio Rege Persarum regnante: nunc vero Græca ex urbe, reddita jam barbara est. Nam patrio illo ejecto, & prisco vivendi modo, imperantium utitur institutis. Tameñ hoc tempore videatur non admodum pristina dignitate defector: nimirum cum Germani, hæc quaquam sint (ut plurimum barbarorum) pastores, sed Romanorum politia & aliis institutis, & multis utuntur, eisdemq̄ legibus vivunt, & cæteris item, ut in conventibus faciendis, & nuptiis medelisque, eadem statuant. Sunt quippe omnes hi Christiani & rectissima inter cæteros omnes opinionis. Habent præterea per civitates Antistites, Sacerdotesq̄: Festos insuper hæc secus ac ipsi nos, peragunt dies. Et sanè hi mihi, etsi cætera barbari, moribus tamen videtur quam optimis præditi, & maximum in modum civiles, nec quicquam habere, quod à nobis hos faciat alienos, præter vestitus barbariem & vocis innata sonum linguæq̄. Quos equidem cum ob eorum virtutes, tum ob in cæteros æquitas, inter seq̄ concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor & magnifico. Huc accedit etiam divi Hieronymi autoritas, qui scribens Gerontie viduæ, Epistolâ XXVI. parte 3. tractatâ 7. sic ait: Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq̄ hominum Morini, Tornacum, Nemete, Argentoratum translata in Germaniam, possederunt. Postremò plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi confedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Julius Cæsar libro II. belli Gallici. Et Antonius Sabellicus libro V. *Æneadis* 6. affirmant.

Validiores a olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Julius tradit, eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantum b enim amnis oblatat, quo minus, quæque gens ut evaluator, occuparet e permutaretque sedes promiscuas adhuc, & nulla reguorum potentia divexas.

Verba a Julii Cæsaris sunt in VI. *Commenta*. belli Gallici. Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, & ultrò bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Idem Cæsar in bello Gallico scribit: Galliam olim tam potentem amplamq̄, fuisse ut uno Rege contineri non possit. Porro de commendatione Julii Cæsaris ac commentariorum ejus require Ciceronem in libro, de perfecto oratore. Suetonium in vita ejus capitibus 55. & 56. Quintilianum in lib. institutionum Oratoriarum. Non possum autem præterire ejusdem Cæsaris verba, ad Germanorum laudem servientia; quæ ex peregrinatione Romanorum vocibusque Gallorum ac mercatorum audierat, qui ingen-

timagnitudine corporum Germanos, incredulâ virtute atq; exercitatione in armis esse prædicabant, læ penumerò sese cum his congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse. Tantus subitò timor omnem exercitum occupavit, ut non medioeriter omnium mentes, animosq; perturbaret: Cæsar in 1. belli Gallici.

Parum b obstabat & impediēbat Rhenum amnis, qui Galliam à Germanis separar, Julio in I. *commenta*. & Coraelio Tacito in principio hujus autoritatis, quò minus Galli in Germaniam prædandi causa irrumperent: aut rursus Germani Galliam invaderent, fortiores plerunque prævalebant, quod fortis non modò fortuna adjuvat, ut est in veteri proverbio, sed multò magis ratio, ut inquit Cicero Tuscul. *question*. 2.

Nulla enim regio est præsertim Germaniz, quæ veteres suos colonos habeat, atque antiquas sedes immotas & inconcussas teneat. Sic gens genti, nationi natio immixta est, mutata omnia, plures populi deserunt, alii nominis vestigiū relinquentes, aliò sunt translati. Si Julius Cæsar (cui alioqui Germania erat cognita) ex orco in lucem rediret: nihil reverà in hac Germania cognosceret.

igitur inter Hercyniam sylvam, Rhenumque & b Mœni Iamnes & Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraq̄que gens, tenuere. Manet adhuc Boëmi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.

Hercyniam a sylvam Germaniz vastissimam, Græcis & Latinis memoratam Scriptoribus, a pice quæ patriæ lingua *Hartz* vocamus, dixere: quidam à Græco *ξενος*, quod Latine circuitum septuimque significat, dictam contendunt, quòd hæc sylvæ Germaniam ipsam ferè totam sepiat, & instar valli circumdet: in Galliz finibus ab Ardueña sylvæ iutium situmens, per Germaniam ac Sarmatiam in ultimum Europæ angulum, & in ipsos cæli vertices sempiternis jugis concreatisq̄ mundo roboribus, se propagat, diversaque sibi nomina consciscit. Nam à Friburgo Brisacogæ oppido, ubi incipit Nigra sylvæ hæc Bacenis dicitur (der *Schwarzwald* oder *Hartzwald*) ab Heydelberga & Nechari fluminis ripa, ad Mœnum usque: Orthonis sylvæ (der *Orthenwald*) ab incolis vocatur. Inter Herbipolim & Babenbergam, Ardua sylvæ, (*Stengertwald*) Propè Confluentiam urbem sylvæ Occidentalis (der *Westertwald*) appellatur, ex altera Mœni ripa Francofordia & Asciburgiunt. Montesque è regione Moguntinz urbis, ab abundantia picis, Germanice *Epenhartz*, hoc est picearia sylvæ nominatur. Hæc etiam diversimode à populis quos adit, vocitatur. A Duringis Duringica sylvæ, à Boëmis, sylvæ Boëmica: apud Saxones, Hatto (aut *dem Hartz*) nuncupatur. De hac scribunt, Plin. libro IV. cap. 14. & lib. XVI. cap. 3. Mela lib. III. Strabo in 4. & 7: Cæsar in 6. *commenta*. Vellejus *Historia Rom. Volumine* 2. Dionysius *de situ orbis*. Solinus cap. 32. omnium tamen elegantissimè Conradus Celtis, in bello de Germania, & in descriptione urbis Norimbergæ. Volaterranus libro 7. *Geogra*.

Mœnus b Germaniz flumen, Mogannum quidam vocant, alii Mogunum, nonnulli Monagum, reliqui Mosgam, vel Mogasum oritur ex pinifero (*Fuchselberg*) monte orientalis Franciæ: Unde Celtis in a. Amorum, Elegia 10.

Francia Germani milis stirps & origo Poeta,
 Hercynia medio cincta beata sinu.
 Quam Mœnus mediam perlambit vitifer oram,
 Cuius quadrifluis nascitur unda iugo,
 Pimifer istius de vertice flumina quatuor,
 Quatuor in partes orbis amœna cadunt?
 Mœnus ad occasum Francorum fertur ad oras,
 Sala sed Arctois perditur Albis aquis.
 Ægra sed Ebi petit ardua regna Boemi,
 Sed Nabus Histrius insinuatur aquis.

Mœnus igitur præterfluens Franciam, deinde Francofordiam, aliasq; plures urbes juxta Moguntiam Rheno immiscetur, Meminit hujus Plinius lib. IX. capite 15. Mela lib. III. Vadianus in eundem.

Helvetii Gallia Narbonensis fuerunt populi, inter Rhodanum & Rhenum siti, juxta Cæsarem in *Comment. belli Gallici*, & Tacitum lib. XVII. *Histor. Florum III. cap. 4. Gestorum Roman.* Hi Rheno transgresso regiones incoluerunt, quæ hodie *Palatina Comit. Marchioni Badensi, & Episcopo Spirensi* parent, Hinc Vadianus circa Pompon. Melam. Helvetiorum veterum tractum hodiè habitant è Germanis illuc profecti, nec mihi de hos dubitandum videtur, cum ob linguæ commercium intimis Germanis respondens, tum maxime, quod morum, & Virtutum, quibus olim Suevos usus Cæsar scribit, insignia apud eos ornamenta adhuc durant, immo custodiuntur: Gens Martia, potens, libertatis alumna, strenua, humana, ac hospitalis Mantuanus: Contemptores animæ. Erasmus Chil. centur. 6. proverb. 14. Gentem bello natam appellat, olim literas minime secuta, nunc Pallada Marti junxit, habet enim ingenia præclarissima, Viros ex. asse. doctissimos, Henricum Glareanum, & Joachimum Vadianum, Viros juxta splendentes, ut dubites, quis altero in Poëtica Historiarumque cognitione præster, uterque suis scriptis Helvetiam celebravit. Helvetii veterum reliquæ, nunc Suiceri aut Suteses, à Suetia; eorum pago appellantur, *Confederati* quoque vulgò (Die Endquossen) dicti. De illis vide apud Cæsarem in I. Plinium lib. IV. cap. 17. Strab. libro IV. Cor. Tacitum libro XVII. *Histor. Augusta*, Orolium libro VI. cap. 7. Volater. libro VII. *Geographia*, Conradum Peutinger in sermonibus convivialibus, Bebelium in *Epitome laudum Suevorum*, & alibi Jacobum Wimpelingium.

Boji, ut Tacito videtur, Galli Celta olim fuerunt, haud longè ab *Insulibus*, juxta Strabonem libro V. *Geographia*: qui à Cæsare victi Gallia excedentes, Hercynia Sylva incinctos incoluerunt campos: quæ regio ab illis *Bojoheim*, quasi Bojorum patria dicta, hodiè *Bohemia*, ex qua pulsi postea, *Quadis & Marcomannis* sedes reliquerunt, post quos *Dalmatarum* quidam *Sclavi* appellati, & *Sarmatae*, qui *Poloni* hodiè dicuntur, ingressi, & à quibus etiamnum occupatur, servatò nomine prisco à Bojis Gallia; Bohemia vocatur. Boji verò apud Istrum vagantes, in *Noricum agrum*, nunc *Bavaro-rum*, irruerunt, oppugnantes atque expellentes, ut ajunt, *Noricos*, ibi confederunt, & ceperunt dici *Bojoarii*, vel *Bavari*. Quidam nunc *Bojos Tyrolenses*, hodiè volunt esse (Die *Erstländer*): Nonnulli autem *Bavaros ab Avaribus Hunnis* dictos contendunt, qui *Noricis* expuls in ea terra consedere (Constat enim *Hunnos*

Duce Attila, totam ferme Europam vastasse) & pro Avaribus nominatos *Bavaros*, additâ literâ, B. de hac re copiosius forsitan differet Johannes *Aventinus*, antiquitatum investigator diligentissimus in suis *Bojorum annalibus*, quorum editionem expectamus avidissimè. De illis etiam multa *Appianus Alexandrinus lib. VII. qui Celticus inscribitur*. *Æneas Sylvius in Europa cap. 40.* *Volaterranus lib. VII.* Plures non omnino indocti, Bojos semper Germanos fuisse affirmant, cumque *Gallicis Sennonibus* origine *Suevis* Roma per vim positos, quibus ego calculum facile adjicio, quod Germani sint indigenæ magisque extraneos vicerint, quam sint ipsi victi.

Sed utrum a *Araniscis* in Pannoniam ab *Os* Germanorum natione, an *Os* ab *Araniscis* in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus atantur, incertum est; quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripæ bona malaque erant.

Aranisci Ptolomæo lib. II. cap. 16. fuerunt inferiores *Pannonia gentes*, quorum gentes *Hungari* occupant nostris temporibus.

Os verò Germaniæ populi, eam incoluerunt partem, quæ est *Moravia* vicina, versus *Stesiam & Poloniam*, ubi sunt *Oppel & Neissa* urbes. Nam Cornel. Tacitus intra refert illes *Marcomanorum Quadorumq; terga claussisse*: Sunt qui unam fuisse gentem asserunt *Osos & Araniscos*. *Osos*, inquit Tacitus, *Pannonica lingua* coarquit non esse Germanos, quanquam videam hic utrosque Germaniæ accenseri. Sed mittamus ista curiosioribus. Erasmus *Stella* autumat *Misnensium* oram (*Ostland*) & urbem *Osium* (*Ostis*), ab *Os* appellatam. Taciti dubitationem sic adversus traduxit *Picus Mirandula* in *Staurosticho*,

Osus Aranisco dubium deductus an illo,

Hic genus antiquum referat, sub iudice lis est.

Pannonico scilicet ist hoc enim utebantur *Os*, velut Cornelius inferius declarabit.

Danubii, qui *Pannoniam* à Germanis separat bona malaque *Os* & *Araniscis* propria atque communia fuere.

Treviri & *Nervii* circa affectationem Germanicæ originis ultra ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & inertia *Galloorum* separentur.

Treviri Belgicæ Gallia; populi, juxta Cæsarem in I. *commenta*. *Nerviis*, *Menapiis*, *Eburonibus*, *Rhemis*, *Mediomatricibus* finitimi, nunc Germanis annumerantur etiam *Straboni lib. IV.* qui *Trivagos* appellat. De quibus sic *Rodolphus Agricola Burgundia; Regis gesta* describens. *Tre-veris* rerum gestarum magnitudine & vetustate urbis præclara, Gallica gens, nunc Germanica. Horum urbs *Treveris* (*Trier*), vetustissima, condita fertur, tempore *Abrahami*, ante adventum Christi, 1947. & Roma seniore trecentis, & mille annis affirmant, extructam, ajunt a *Trebeta Nini & Semiramis filio*. Inveniunt ibidem sequentes verius, quos *Otho Frisingensis* sua ætate repletos tradit,

Nini Semiramis, quæ tantò conjugæ felix,

Plurima possedit, sed plura prioribus addit,

Non contenta suis, nec totis snibus orbis

Expulit e patria pruvignum Trebeta Regno,

Insignem profugis nostram qui condidit urbem.

Tre-

Treverim; hanc etiam *Augustam Treverorum* vocant. Vide Plinium *lib. IV. cap. 17.* Ptolomæum *lib. II. cap. 9.* Strabonem *libro IV.* Melam *libro III.* Lucan. *libro I.* Aufonium; Orthonem Frisingensem *lib. I. cap. 8.* Sabell. 5. *Ænead. 3.* Æneam Sylviū ad Martinum Majer; Tacitum *lib. XX.*

Nervii, quidam codices *Neruli* corruptè habent, & ipsi censi fuerunt *Gallie Belgice populi*, magna virtutis & ferocitatis, Lucanus *lib. I.*

Nimiumq; rebelles.

Nervius, & casti pollutus sanguine Cota.

De illis plura Cæsar *libro II. & VI. belli Gallici*, Plinius *lib. IV. cap. 3.* Appianus *in libro qui Cæticus inscribitur.* Eutropius *lib. VI.* Strabo *libro IV.* Cornel. Tacitus *lib. XV. Historiarum.* Volaterranus *libro III.* Hi sunt hodie Germani *Tornacenses* (die im Tornaver Distumb sind) vocantur, *Ménapiis*, hoc est, *Juliacensibus*, den *Gültern* vicini, haud longè à Flandria.

Inertes. Galli à Cæsare etiam molles prædicantur, à Pompon. Mela superbi, & superstitiosi.

Ipſam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt a Vangiones b Treboci, c Nemetes, d Ubi quidem, quanquam Romana Colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses, conditoris sui nomine, vocantur, origine erubescunt. Transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non, ut tustodirentur,

Vangiones a superioris Germaniæ populi, Rheni accola; hodie *Wormatienses* dicti, Urbs eorum *Wormacia*, sita est in territorio Germaniæ *Wungau* dicto, Cerere & Baccho opulentissimo, Græci paululum variantes literas, *Vangiones* illos proferebant, quasi *Vongaugiones*. De illis Plinius *lib. IV. cap. 17.* Cæsar *in I.* Ammianus Marcellinus *lib. XV. & XVI.* Tacit. *lib. XII. & 14.* Hieronymus *distinct. 12. Epistola 31.* Picus *in Staurasticho.* Volaterranus *lib. VII. Geographia.*

Sic etiam *Nemetes* ipsi Rheni accolæ, Germaniæ superioris populi, velut à solitudine illic dicti sunt, nunc *Spirenses* vocantur. De illis Cæsar *in I.* Plinius *lib. IV. cap. 14.* Marcellinus *lib. XVII.* Ptolomæus *lib. II. cap. 9.* Hieron. *distinct. 12. Epistola 31.* Volaterranus *in 7.*

Ita etiam *Treboci* natione Germani, Straboni *in IV.* nunc *Argentineses*, *Strasburgeri* à tribus nominatissimis *quercibus* (*Drenbuch*) antiqua religione Nymphis consecratis, dicti sunt, qui, cum Germani in Galliam erumperent, in altera Rheni ripa expulsis Gallis confedere, *Tribotesq;* corrupto vocabulo dicti sunt, ut Chunrado Celi visum est. Quidam vero à *Trebera*, *Treboies* dictos volunt. De his plura Eutropius *lib. VI.* Plin. *in IV. cap. 17.* Luca. *in I.* Volaterra. *lib. VII.*

Ubi primum *Cisrhenani* fuerunt, sed à Cæsaribus, quia Suevis premebantur, introducti sunt ad eum locum, ubi hodie est *Colonia Agrippina* (*Edſen*) ab *Agrippina Augusta* vocitata, quæ ut vim suam sociis quoque nationibus ostenderet, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius, ut scribit noster Tacitus *lib. XII. Historiæ Augustæ.* Idem tradit *lib. XX.* Ubios genus Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomine se *Agrippinenses* vocare. Strabo *lib. IV.* hos Ubios nominat. Plinius *lib. IV. cap. 13.* Lucanos. Hermolaus Barbarus ad hodiernum diem ait, vi-

cum ibi *Ubiū* dictum (à quo forsitan dicti sunt *Ubi*) videri, de illis Cæsar *libro IV. Commentario.* Æneas Sylvius *in Germania*, Strabo *in IV.* Volaterranus *in VII.*

Est enim *Colonia oppidum* quo novi *Coloni* ex urbe ad comprimendos hostium incursus, habitatum mittebantur, eum neu beſente *Stadt* *Ubi* indignè rulerunt se Romanorum *Coloniā* esse, maluerunt *Agrippinenses*, quam *Colonienses*, dici. Hæ se Germanorum consanguineos appellaverunt, apud Tacitum *lib. XX. Histor. Augusta.*

Omniū harum gentium virtute præcipua *Batavi*, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt. Cartorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos, & autiq; societatis insigne: Nam nec tributis contemnuntur, nec b publicanus atterit, exempti oneribus, & collationibus, & tantum in usum præliorum spositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.

Batavi a inferioris Germaniæ populi, *Cartorum* pars, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum, ac latera circumluit. *Genis* tum bello valida, ut quæ Germanicis bellis esset exercitatissima, tum opibus pollens, quod Romana militia non exhauriretur, quandoquidem erat his cum imperio societas, ut viros tantum, armaque ministrarent; quemadmodum copiosius prodidit Cornel. Tacitus *libro XX.* Plinius *libro IV. cap. 15.* Silius *libro II.* Luca. *in I.* Volater. *libro VII.* *Defiderius Erasmus Roterodamus Chil. IV. cent. 5. pro v. 35.* qui ex illa insula natus columen ac tuba totius est Germaniæ. Hos hodie *Hollandos* (*Westover und Holanden*) dictos à cavitate aquarum volunt, quod horum Insula sit cavernosa, & poris plena; unde subitus aquea est. Hinc Chunradus Celtis:

Hollandosq; avis habitant qui littora terris.

Publicanus, id est, *Fædgalium publicorum conditor*, & qui tributum colligat, & expilet *Batavos*, ipsi tributa non persolvunt, liberi sunt à Romani Imperii aggravationibus, tantum viros & arma ministrant.

Et in eodem obsequio & a *Mattiacorum* gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra b Rhenum ultraque veteres terminos Imperii reverentiam, ita sede finibusq; in sua ripa, mente animoq; nobiscum agunt, cætera similes *Batavis*, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo, & cælo acius animantur.

Mattiaci a in Germaniæ populi *Batavis* vicini, quidam hodie *Selandos* dici putant, alii *Hollandos* quoque volunt, quod *Martialis pilas Mattiacas*, pro *Sapone Baravo* dixerit, illo versu:

Accipe Mattiacas quo tibi calva pilas.

Videtur Hermolaus Barbarus supra Plinium probare ex Ptolomæo plus 140. stadiis à Moguntiaco, *Mattiacos* abesse, *Mattiacorum* fontium meminit Plinius *libro XXX. cap. 2.* De *Mattiacis* Tacitus *lib. XI. Histor. Augusta.* Berwaldus circa *Suetonium* in *vua Caligula.* *Mattium* etiam *Cartorum* esse caput. Idem noster Cornel. *lib. I. histor. scribit. Mat. melæ* præci populi vestigiū.

Rhenus enim terminus, & finis erat, quantum ad Germaniam spectabat *Romani Imperii.* Appianus in præmio *histor. in Europa*, inquit, fluvii duo

Rhe-

Rhenus & Ister. possimum Romanis sinem imponunt.

Non numerantur inter Germania populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque confederint, eos, qui decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubie possessionis, solum occupavere. Mox limite actopromotique perfidius, minus Imperii, & pars, provinciae habentur.

Fateor me nondum vidisse ullum, vel verbo explicantem, qui Gallorum decumates agros exercent, vel decumates agri existerint, ideoque & mihi enarranti Germanorum populos, minime opus Gallorum etiam gentes explicare, dummodò ipse Tacitus dicat, eos non connumerari Germanis, *Levissimus quisque Gallorum, inquit, & inopia audax occupavere solum incerta possessionis, ante hac nec Germanis, nec Gallis possessam*, vacua ora cultoribus, levissimos perditissimosque è Gallia accepit colonos. Nisi idem sic decumanos, & decumates agros possidere. *Decumani* sunt in Narbonensi Gallia, Plinio & Mela testibus, ille enim *lib. III. cap. 4. naturalis Historia*, de Narbonensi scribens Gallia: *Narbo, inquit, Martius decumanorum colonia 12. milliapa passuum à mari distans*: Hic in *II. Geographia* ait: *sed antestit omnis Attacinarum, Decumanorumque Colonia. Unde olim ista terra auxilium fuit, nunc & nomen, & decus est Martius Narbo, dicta Colonia decumanorum à legionum ordine numeroque, illuc à Triumviris Caji Julii Caesaris cura adhibitis, deducta, eo modo, quo secundum Græcos Romani frequentius sunt soliti. Decumani ergo decima legionis milites, sicut secundani, sextani, secundæ & sextæ. Decumanus etiam limes vocatur, iste qui secat agrum ab exortu ad occasum, autor idem Plin. *lib. XVIII. cap. 34.* & Columella.*

Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis, ac palustribus locis, ut cetera civitates, in quas Germania patefecit, durant. Siquidem colles paulatim rarefcunt, & Cattos suos, saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit, Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & major animi vigor, multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiz præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ, concessum, plus reponere in Duce, quam in exercitu, omne robur in pedite, quem super arma, feramentis quoque, & copiis coonerant. Alios ad bellum ire videas. Cattos ad bellum, rari excursus, & fortuita pugna, equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiz est, & aliis Germanorum populis usurpatum. Rara & privata cuiusque audentia apud Cattos in consensum vertit, ut primùm adoleverint cinem & barbamque summittere, nec nisi hoste cæso, exuere votivum, obligatumque virtutis oris habitum. Super sanguinem & spolia revelant frontes, sequè tum demùm præcia nascendi terulisse, dignosque patria, ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet squalor, fortissimus quisque ferreum insuper annulum, ignominiosum id genti, velut vinculum gellat, donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, & hostibus simul, suisque monstrati, omnium penes hos initia pugnatum, hæc à prima semper acies visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptiores sui, donec exanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat.

Catti parentes ac bellicosissimi Germaniæ populi, Hercynio nemori, Cheruscis, ac Hermunduris proximi fuere, de quibus Cornel. Tacitus circa finem *lib. XIII.* sic scribit: *Eadem est, ut inter Her-*

*munduros Cattosque, certatum magno pralio, dum flumen gignendo sali fecundum & conterminum, ut irabunt, super libidine cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare cælo, precesque mortalium à Diis nusquam propius audiri. Inde indulgentia Numinum illo in armis, illuc, sylvis saltem provenire, non ut alias apud gentes eluvix maris arcescente unda, sed super arenam arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concreta: Sed bellum Hermunduris prosperum. Catti exitio fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto, equi, viri, cuncta vieta occidioni dantur. Et nunc quidem hostiles in ipsos vertebuntur. Horum sedes (quia ab Albi flumine non longè abfuerunt, ut ex Tacito *lib. II. Histor. Augusta* colligitur) videntur hodiè tenere *Lusatii*, vel *Duringi*, propter Hercynii saltus vicinitatem, qui Cattos quasi proprios prosequitur, simul atque deponit. Est *Cattorum mons* (*Cattenhant*) non longè à *Cygnis*, hoc est, *Zwivicaviensibus*, in quo *Moldanus* fluvius oritur, quem ferunt Cattorum referre nomen. *Conradus Cælus Poëta Germanus*, Cattos pro *Hassis* accipit. *Beatus Rhenanus* etiam pro *Francis*, verùm il longius ab Albi abfunt, juxta quem sedisse Cattos, Cornelio probavimus. Hi quia crebra agitarunt latrocinia in superiore Germani, aut ex eodem Tacito *lib. XII.* deprehendimus, aliquando sedes mutarunt, aut ejecti sunt. Unde *Irenicus* suspicatur eos inhabitasse *Herenbergam* Sueviæ urbem, & viciniora loca in *Wurtembergensi Ducatu*, illicque se vestigium reperisse testatur. Cattorum progenies in universum desit, nomenque cum gente extinctum est. De *Catti* lege, si voles, *Plin. in IV. cap. 14.* *Strabo lib. VII.* *Vellejum lib. II.* *Suetonium in vita Domitiani*, *Philippum Beroaldum ibidem*, *Silium Italicum lib. II.* *Julium Capitolinum in vita Antonini Casaris*, *Ælium Spartianum in Didio Juliano*, *Volaterr. libr. XXXIX. Paralipomenorum*, & *Raymundum Marlianum*.*

Behem & *pralium* hoc differunt. *Bellum* significat totum tempus, quo in militia sumus, quam illiterati *Guertam* vocant: *Pralium* tantummodò armorum certamen. Refert *Livius*, populum Romanum nullo bello, multis verò præliis convictum esse. Hinc *Cornelius* aliorum notans imperium, qui nihil prævident, quando Catti non illi consule, ad arma procedant, perinde atque diutius sic pugnandum.

Peculiare enim semper Germanorum fuit *Barbam oblongam*, & *hispidam* comam, quæ trucem aspectum reddit, hostibusque horrorem incutit, nutrire. Unde etiam *Longobardorum* nomen à *longa barba* emerfit. Catti fuit mos submittendæ barbæ ad victoriam ulque cæsis hostibus abradebant barbam. Imbelles intonsi manserunt, donec se cæde hostis absolvissent, voto atque ignominia.

Judicio cæli dominantur in orbe Suedi,
Nunc ubique, geri Respublica prælia querit,
Ordine primuserit gladio vult primus haberi,
Moreque signiferi primus in hoste ferit.

Proximi Catti certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat usque ad Tencteri colunt. Tencteri per

solitum bellorum decus equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Carros peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere majores, postea imitantur. Hilufus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes, inter familiam, & penates, & jura successionum equi traduntur. Excipit Filius, non ut cætera maximus natus, sed prout ferox bello & melior.

Uspit seu *Uspetes* Germaniæ populi, ad Oceanum habitantur primitus. Unde pulsus à Suevis, qui totum eum tractum possederant, cum Tencteris flumen Rhenum transierunt, non longè à mari, quo Rhenus influit, & *Menapiorum*, id est, *Juliacensium in Gallia Belgica occupaverunt agros*. Author est Julius Cæsar *lib. IV. Comment.*

Tencteri, qui & *Tenaciteri*, quondam alteram Rheni ripam coluerunt, quæ ex adverso est Ubiorum, teste Tacito *lib. XX. histor. Augustæ* 11. similiter à Suevis ejecti, juxta Menapios in Galliis confederunt. Confessi sunt, cum Uspetibus sese unis *Suevis* concedere, quibus *ne Dii quidem immortales pares esse possint*. Reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint, ut Cæsar *lib. IV. belli Gallici* affirmat. De illis Florus *in IV. cap. 12.* Plutarch. *in Cæsare*, Sabellicus *lib. V. Aneid. 6.* Volaterr. *lib. V. II. Geographia.*

Juxta Tencteros a Bructeri olim occurrebant. Nunc b Chamannos, & c Angrivarios imigrasse narratur, pulsus a Bructeris, ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbia odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo quidem prælii invadere, super Lx. millia, non armis telisq; Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisq; ceciderunt. Maneat quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, ac certe odium sui, quando urgentibus imperii fatiis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

Bructeri inter *Amisiam* & *Luppjam* amnes, Tencteris ac Tubantibus vicini fuere Tacito, *lib. I. histor. ad sylvam Hercyniam*, qua ad Germanicum mare porrigitur, juxta illud Claudiani:

*Venit accola sylva,
Bructerus Hercynia, latisq; paludibus exit,
Cymbrus.*

Hi forsitan à Tencteris ejecti, in Sarmatiam concessere, ad mare Balthicum habitant. Vistula oram præterlabitur, *Ulmigeri* quandoq; appellati, nunc *Prussi* & *Pruteni* dicuntur, quorum provinciam Teutonicæ professionis Fratres, seu Domini, ut ipsi vocant, armis acquisierunt. Pius & Illustrissimus Princeps Albertus Marchio Brandenburgensis nostra ætate religiosissime hanc administrat, tenetq;. De Bructeris require Strab. *in VII. Plin. in IV. cap. 17.* Volaterran. *VII. Geographia.* Aneam Sylvium *in Europa cap. 29, & 37.* Cornel. Tacitum *lib. I. histor. Augustæ.* Sidonius & Claudianum, Vellejum libro II. Hujus provincie antiquitates scripserunt, Erasmus, Stella, & Eobanus Hessus.

Chamanni, inferioris Germaniæ gentes, Bructerorum agros occuparunt, haud procul (ut conjectura licet assequi) a *Brema*, Saxonum urbe, quia non longè ab Albi flumine & Frisiis absuerunt, ut ex Tacito nostro deprehendere potuimus, libro II. & XIII. *histor.* Unde Raymundus Marlianus, eos pro Frisiis interpretatur. Beatus *Rhenanus Marchiam veterem incoluisse putat*. Sunt, qui eos *Camino* Pomerania oppido, reliquisse nomen suspicentur. De illis Amunian. *Marcel. lib. VII.*

Angrivarii, qui & *Ansbarii* seu *Ansitarii* in eadem Regione fuerunt, inter *Chaucos* majores, &

Suevos, non longè ab Albi, Tacito *lib. II. & XIII. Ptolom. lib. II. cap. 11.* *Brunsuigenses* aut *Saxones* esse memorantur. *Die Engern*, antiqui nominis vestigium, potens Saxonum Dynastia.

Refert noster Tacitus *lib. XIII. historiarum Augustæ.* Quomodo delati sint *Ansbarii*, *Bructeri* exterriti, atque multi alii casus à Romano exercitu. Idem *in I.* scribit: Bructeros sua urentes, expedita cura manu L. Stertinius jussu Germanici, fudit, interque cædem & prædam reperit undevicesimæ legionis aquilam, cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque *Amisiam*, & *Luppjam* amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquæ Vari legionumq; insæpultæ dicebantur. At Tacitus hic de interna seditione, & discordia Germanorum loquitur.

Angrivarios & *Chamannos* à tergo a *Dulgibini*, & *Chassuari* elidunt, alizque gentes haud perinde memoratæ.

Dulgibinorum sedes hodiè *Göttingenses* & *Westphalorum* quidam occupare videntur. *Dulgibini* appellantur è Ptolomæo libro I. capite II. *Tabula 4.*

Chassuarii, Longobardis finitimi *Duringi* memorantur, horum meminit Strabo VII. Vellejus Patérculus in 2. *Romana historia.*

Fronte Frisii excipiunt. Majoribus minoribusq; Frisii vocabulum est, ex modo virium: utraq; nationes, usq; ad Oceanum Rheno præteruntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus navigatos. Ipsum quæritiam Oceanum illac tentavimus. Er superelle adhuc *Herculis columnas* fama vulgavit, seu adit Hercules, seu quicquid ubique magnificentum est, in claritatem ejus referte concessimus, nec defuit audentia Druso a Germanicos, sed obstitit Oceanus in se simul, atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire. Hactenus in Occidentem, Germaniam nevimus.

Frisii transrhenanus populus, ad *Amisiam*, Oceano Batavisque finitimi, quorum clarum, inquit Cornelius *lib. IV. sub finem*, apud Germanos nomen, hi antiquam retinent appellationem. (de *Friesen* und *Friesländer*) gens ferox ac libera, pecoris abundans omnis generis, *sumum inopia ligni comburunt.* *Bussalori* quondam appellati: Metropolis eorum *Grünigen/Rudolphi Agricola senioris*, hominis literatissimi patria, à qua etiam populi (quamvis origine Franci) ad tempus *Grünnes* sunt dicti. De illis Plinius libro IV. capite 16. Ptolomæus *lib. II. cap. 11. Tabula 4. Europa*, Conradus *Celtis lib. IV. amorum, Elegia 2.* Abbas *Spanheimensis in Chronica Francorum, Aneas in Europa cap. XXXV. Volater. lib. VII. Geograph.* & plures alii.

Plinius *lib. III in prologo*, Proximi autem faucibus utrinq; impositi montes coercunt claustra *Abyla Aphricæ*, Europæ *Calpe*, laborum Herculis metæ. Quam ob causam indigenæ columnas ejus, Dei vocant, creduntque per fossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciem. Et Pompon. *Mela. lib. I.* Deinde est mons præaltus ei, quem ex adverso Hispania attollit, objectus: Hunc *Abylam*, illum *Calpen* vocant, columnas Herculis utrunq; Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat, admissum. Vide quoque Pompon. *Melam libro II. cap. de Hispania, & lib.*

*libro III. de columnis Herculis. Plin. lib. V. cap. 1. Solinum capite 36. Johan. Cámeratem in eundem. Strabo. lib. III. Diodo. Siculum. libro V. Vadianum super Melam. Suetonium in vita Di-
 Etatoris. Volater. libro II. Geographia. Johan. Annium Viterbientem. lib. XXX. Illud obiter ad-
 jiciendum, quod scribit Irenicus libro II. cap. 2. Ego, inquit, duos Hercules Germaniam calcasse
 video. Primum, qui Gades constituit, & hic
 prior Alemannus, ac ætate major fuerat. Ille
 enim Osyridis filius, referente Beroso, hic vero
 Teutonis.*

*Suetonius in vita Claudii in principio. Is Dru-
 sus in quæstura præturaque honore dux Rhetici,
 deinde Germanici belli, Oceanum Septentriona-
 lem primus Romanorum ducum navigavit, transq;
 Rhenum fossas magna vi, & immensi operis effecit,
 quæ nunc Drusina vocantur. Ac post præturam,
 confestim in into consulatu, atque expeditione repe-
 dita, supremum diem morbo obiit in æstivis ca-
 stris. Livius & Florus epitomate Livianæ Historiæ
 140. atq; Valerius lib. V. cap. 5. autumant, Drusum
 mortuum esse ex fractura, equo super cruce ejus col-
 lapso. Perit autem inter Salam fluvium & Rhe-
 num, ut inquit Strabo lib. VII. ejus monumentum
 Moguntia esse antiquitates illic tradunt, & Chon-
 radus libro III. Ambrum Elegia tertia.*

*Sen. veterum inquiri, dum monumenta Ducum,
 Plura Moguntiaræ: quæ stant in moenibus urbis.
 Inter quæ Drusi stant ardua busta. Neronis,
 Clara à Germanis nomina primus habens.
 De illo etiam plura inferius.*

In septentrionem ingenti flexu redit, ac primo statim a
 Chaucorum gens, quamquam incipiat à Frisiis, ac partem
 littoris occupet, omnium, quas exposui gentium lateribus
 obtenditur, donec in Cartos usque sinuetur: tam immen-
 sum terrarum spacium, non tenent tantum Chauci, sed &
 implent. Populus inter Germanos nobilissimus, qui que
 magnitudinem suam, malit justitia tueri, sine cupiditate, sine
 impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis
 rapibus, aut latrociniiis populantur. Id præcipuum Virtutis
 ac virium argumentum est, quod ut superiores agunt,
 non per injurias assequuntur. Prompta tamen omnibus ar-
 ma, ac si res poscat, exercitus plurimum virorum equorumq;
 & quiescentibus eadem fama.

*Chauci, qui & Chaici, populus Saxonum inter
 Visurgum, & Rhenum nostra ætate, Stichtgenossen
 vocantur. Horum duas gentes Ptolomæus libro II.
 capite 11. ponit: Majores Albim fluvium colebant
 propè Angrivarios, Tacito lib. II. 11. & 13. Histo-
 riarum: Saxones ista loca occupant, maxime qui
 juxta Bremam civitatem habitant. Minores ad Vi-
 surgum amnem siti sunt, Frisiorum, & Westphalo-
 rum pars: Chaucorum cibus quondam erat lutum,
 potus imber: & hæ gentes si vincantur à populo
 Romano, se servire dicunt: scribit Plinius lib. XVI.
 c. 2. naturalis Hist. Meminit horum etiam libro IV.
 c. 15. Aelius Spartianus in vita Didii Juliani. Cornelius
 Tacitus libro XI. Historiarum. Strabo, lib. VII.
 Mantuanus ad Cæsarem. Suetonius in vita Clau-
 dii, Beroaldus, & Sabellicus in eundem.
 Nullis rapibus, aut latrociniiis populantur Chau-
 ci, sicut reliqui Germani, qui jus in viribus adeo
 habuerunt, ut ne latrocinii quidem puduerit, quod
 Mela testatur: de hac re nonnihil supra dixi-
 mus.*

In latere Chaucorum Cartorumque, & Cherusci nimiam
 lætæ marcentem diu pacem illa cessiti nutrierunt, idque ju-

cundius, quam tutius fuit; quia inter impotentes & validos,
 falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomi-
 na superioris sunt: ita, qui olim boni æquique Cherusci,
 nunc inertes ac stulti vocantur: b Cartis victoribus fortuna
 in sapientiam cecidit. Tacitruina Cheruscorum & Fosi con-
 terminata gens, adversarum rerum ex æquo socii sunt, cum in
 secundis minores fuissent.

Cherusci Germaniæ populi, ad Albim sedes ha-
 buere Cornelio Tacito, & Claudiano authori-
 bus. Ille enim libro II. Historiarum tradit; Ger-
 manicum Cæsarem ad VII. Calen. Junias C. Calio, L.
 Pompejo Consulibus triumphasse de Cheruscis, Cartis-
 q; & Angrivariis, quæq; alia nationes usq; ad albim co-
 lunt. Hic vero in Panegyrico sic cecinit:

Et ingentes Albim liquere Cherusci.

Ob id existimo cum aliis nonnullis, *Afcania*
 nunc dici, qui sunt sub Dynastia Principum ab An-
 halt. Facit conjecturæ locum, *Cherusca* urbs *Zerbst*
 quæ est eo loco sita, ubi Moldavus Albim ingreditur.
 Certum enim est, Cheruscis Saxoniam partem
 incoluisse. Beatus Rhenanus antiquitatis lumen,
 eos quoque veteris Marchiæ partem tenuisse autu-
 mat. Sunt præterea qui scribant: Cheruscis eam
 tenuisse portiunculam Sueviæ, circa Heilbronnæ
 & Wimpfen, quæ *Erenchgau* nunc dicitur, quod mu-
 tatis temporibus, & ipsi sedes mutarint, exceden-
 tes Saxonum finibus, illic resederint. Verum, de
 quibus Cheruscis Tacitus hic agit, Chaucis Cartis
 que fuerunt finitimi, & non ad Rhenum, Necha-
 rum, Bacenimque sylvam ubi *Erenchgau* sita est.
 De illis Plinius libro IV. cap. 14. Strabo libro VII.
 Tacitus libro XI. *Historia Augustæ. Vellejus lib. II.*
Historiæ Romanæ, Florus in IV. cap. 12.
Cattos & Cheruscis æternum discordasse scribit
Cornelius libro XI. Histor. ubi lege.

*Fosos Germaniæ populos, Cheruscis finitimos,
 Dietmarsenses esse, conjectura non parva, non pro-
 cul ab Oceano agunt.*

Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano a Cymbri te-
 nent, parva nunc Civitas, sed gloria ingens, veteris que
 famæ late vestigia manent. Viraque tipa castra ac spatia, quo-
 rum ambitu nunc quoque metiaris molem, magnusque gen-
 tis, & tam magni exercitus fidem, Sexcentissimum & qua-
 dragessimam annum urbs nostra agebat, cum primum, Cym-
 brorum audita sunt arma, Cæcilio Merello ac Papyrio Car-
 bone COSS. ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani con-
 sularum computemus, ducenti ferme & decem anni colli-
 guntur, tam diu Germania vincitur.

Cymbri Germaniæ ad Septentrionalem Oce-
 anum populi, cum terras eorum inundasset Oce-
 anus, novas sedes toto orbe quærebant, exclusi que
 ex Gallia & Hispania, cum in Italiam remigra-
 rent, miserunt legatos in castra Syllani, inde ad
 Senatum, petentes, ut Martius populus aliquid si-
 bi terræ daret, quasi stipendium, cæterum, ut veller,
 manibus atque armis suis uteretur. Repulsi igitur,
 quod nequiverant precibus, armis petere constitu-
 unt. Sed nec primum impetu Barbarorum Sylla-
 nis, nec secundum Manilius nec tertium, Cæpio
 sustinere potuerunt, omnes fugati, exuti castris,
 actum erat, nisi Marius illo seculo contigisset, qui
 Cymbros cum Teutonibus, apud aquas Sestias, in Ita-
 lia prælio oppressit. Chronica quædam, hanc
 confictionem factam non longe a Salisburgo tes-
 tantur: deinde juxta flumen Athesim, qui ex
 C Tri-

Tridentinis Albibus fuit, ubi CCCLX. millia occisa, & L. millia capta sunt. Hac ferme ad verbum, L. Florus *libro III cap. 3. Romanorum gestorum. Vide plura apud Julium Cæsarem lib. I. belli Gallici, Plutarchum in Mario, & cap. XXXVII. parab. Appianum in Celtico, Strabonem in VII. Valerium Max. lib. IV. cap. 8. Eutropium lib. IV. cap. 1. Sabell. lib. II, Enead. VI Eusepium in Chronicis; Græci eos Cymmericos vocant, & Cymbrica Chersonesus, Dania hodie appellatur, Denmarck cui præest Rex, qui Sueciam & Norwegiam peninsulas in eodem mari obtinet; ut scribit Volateranus 7. *Geographia*. Cymbrorum sedes nunc Saxonum ultimi, & alii quidam ad mare populi habitant. Daci & Dani dicuntur. Est Fimbre Balthici maris Insula, Holfatiz opposita, quam Cymbros possedisse, & Cymbriam nuncupatam ferunt.*

Centum & decem annis, ante Christi Jesu Servatoris nostri incarnationem, Cymbri Germani primum Italiam invaserunt, hoc anno, qui est 1529. post Christi nativitatē, agitur M. DC. XXXIX. annus.

Medio tam longi xvi spatio multa iavicem, damna. Non Samnites, non Piceni, non Hispaniæ Gallicæ, nec Parthi quidem sæpius admonere. Quippe æquo f. Arfacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam eadem Crassi, amisso & ipso g. Pacoro, infra Ventidium dejectus h. Oriens objecerit?

Vides hic, quæ fuerit Germanorum fortitudo & insignis audacia: Punicis bellis nihil fuit atrocius, Parthico bello nec quicquam acrius, Samnitico, Hispanico, Gallico præliis, nihil periculosius; sed tamen iis omnibus maximis periculis, Romano Imperio multipliciter ab hostibus illatis, præfert Germanorum fortitudinem, robur & incommoda, ab gente Teuthonum accepta. Tantæ Virtutis stupendæque audaciæ fuit.

Samnites Italiz populi, inter Picenum, Campaniam & Apuliam, multa gravia bella Romanis intulere, donec ad extremum à Sylla Dictatore deleti sunt, quemadmodum scribit Strabo *libro V*. Unde Appia: Ultimi Samnites erunt, qui Jonium incolunt, & magno difficilique bello, per annos octuaginta, confictati sunt. Florus *libro I. cap. 16*. Samnites quinquaginta annos per Fabios, & Papyrios patres, eorumque liberos, Populum Romanum subegisse, ac domuisse scribit, & ita ruinas ipsas urbium diruisse, ut hodie Samnum in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. De Samnitico bello plura Livius *libro VII*. ab urbe condita. Et Florus *epitome X. & XI*. Volater. *repetis lib. VI. Geographia*, & *libro XXXVIII. Paralip.* Appiani tamen sententia veterior videtur propter quatuor & viginti triumphos de Samnitibus habitos.

Primum, secundum, & tertium Punica bella, quæ Carthaginenses cum Romanis gesserunt, quibus nihil terribilius, exequuntur Florus *lib II. cap. 2. 6. 5. Gestorum Romanorum, 16 & 48. Abbreviatura. Livius tertia Decade sparsim. Plutarchus in vita Fabii. Polybius libro I. & II. belli Punici.*

Silius Italicus, Appianus in *Libico*. Vellejus *lib. II. cap. 3*. Orosius *lib. IV. cap. 1. 4. 8. 22*. Justinus *lib. XVIII. & XIX. & alii per plures.*

Hispania quæ apud Græcos Iberia, dividitur in ulteriorem & citeriorem. Ptolemæus *libro II. cap. 4*. Hispaniam in tres regiones divisam scribit: in Beticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Posteriores Romani Hispanias in sex provincias dividerunt, Tarraconensem, Chærtaginensem, Lusitaniam, Calletiam, Beticam & Tingitanam Bello igitur Punico secundo, prima per Pyrenæum jugum signa Romana Pub. & Gn. Scipiones intulerunt. Indè variè possessa, & sæpè amissa, partibus, universa ductu Augusti facta est stipendiaria. Vide Florum *libro II. cap. 17*. Livium *libro XVIII. tertia decadis*. Suetonium, in *Augusto*. Silium Italicum *libro XVI. de bello Punico*. Vellejum *libro II. Volater. lib. II. Geogr. Aeneam in Europa capite 47*.

De bello Gallico Livius in *V. Valerius libro I. Plutarchus in Camillo*. Plinius de *Vitis Illustri. capite 23*. Gellius *lib. V. capite 17*. August. *libro II. capite 22*. & *libro III. capite 17. civitatis Dei*. Vegetius *libro IV. capite 28. de re militari*. Florus *lib. I. capite 13. Gestorum Romanorum; & 20. & 103. Abbreviatura Liviana*. Eusebius *libro temporum*: Sueton. in *vita Dictatoris titulo 22*. Cæsar in *Comment. belli Gallici*. Appianus in *Celtico*. Volater. *libro III. Geogra. & libro XXXVIII. Paralip. & Vellejus libro II. Gallias primum à Domicio Fabio nepote Pauli, qui Allobrogicus dictus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpè affectavimus & amisimus. Sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur, quippe ejus ductu auspiciisque infractæ, penè idem quod totus terrarum orbis ignavum conferunt stipendium.*

Parthi Orientales populi potentissimi Duce Orode Mithridatis fratre Marcum Crassum Imperatorem Romanum cum filio & undecim legionibus interfecerunt, ut scribit Florus *lib. III. cap. 11*. & *lib. IV. cap. 9*. Suetonius in *Augusto*. Appianus in *Parthico*. Vellejus *Paterculus libro II. Histor. Romanae*. Plutarchus in *vita Crassi*. Justinus *lib. XLI. & XLII* Eutropius *libro VI. cap. 6*, Orosius *lib. VI. cap. 11*. Valerius *lib I. de prodigiis*. Volater. *lib. XII. Geogr.* Florus *abbreviacionis Livii 106*.

Arfaces Parthorum fuit Rex: à quo postea omnes Persarum Reges Arfacidæ dicti sunt. Hic à Romanis descivit, & bellum intulit. Tacit. *lib. XXI. Historia Augusta*. Justino *lib. XLI*. Floro in *70. abbreviatura Liviana*. Volaterrano *libro XII Geographia, Aenea, in Asia capite XXX. autoribus*.

Publius & Ventidius primus Romanorum Parthos superavit, Pacorum Orodis Regis filium trucidavit: auctore Tacito *lib. XXI. Histor. Augusta*, & Eusebio in *libro temporum*. Addit Appianus Ventidius de Parthis: *Usq. ad nostram aetatem solus triumphat, Virtu natione ignobilis, cum in M. Antonii amicitiam sese insinuasset, illustrium rerum occasiones adeptus est, quibus strenuè usus, satis approbasse creditur, quæ de Antonio & Casare dicta sunt, feliciores per alios quam per se ipsos esse in bello Duces*

Duces. Vide Gellium *lib. XV. cap. 4.* Valerium *lib. VI. cap. 10.* Florum *lib. IV. cap. 9.* Justinum *libro XLII.* Volaterranum *libro XII.* Geographia.

Parthorum ^b imperium Orientis nomine, intelligit, Parthi enim ad Orientem siti, bonam Orbis partem sibi vindicaverant, *si*, inquit Tacitus, *jaebant suos triumphos, & eadem Imperatoris nostri Marci Crassi objiciunt, quando & ipsi suum Regem Pacorum a Ventidio Romano casum amiserint.* Tanta Romani Imperii fuit potentia, maxima felicitas & victoria in hostem nihil immune, quanquam subinde gravissimas clades; rursus receperit, nihil tamen unquam periculosius Germanorum conflictu: Actum fuisset de Romano Imperio, nisi C. Marius contigisset illi seculo sub Cymbriico bello, ut refert Florus *in III. cap. 3.*

AT Germani a Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Capione, M. quoq; Manlio fufis vel captis: Quinque simul Consulares exercitus Populo Romano *b*, Varum, tresque cum eo legiones etiam *c*. Cæsari abstulerunt. Nec impune C. Marius *in d* Italia, Divus Julius *in e* Gallia *f* Drusus ac *g* Nero & *h* Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ, & *k* civilium armorum, expugnatis legionum *l* hybernis, etiam Gallias affectavere, ac rursus pulsi inde, proximis temporibus *m* triumphati magis, quam victi sunt.

Vellejus ^a Paterculus posteriori volumine Tacito subscribit: *Effusa, inquit, immanis vis Germanorum gentium, quibus nomen Cymbris ac Teutonibus erat, cum Capionem Manliumq; COSS. & ante Carbonem Syllanumq; fudissent, fugassentq; in Gallias & exuissent exercitum, Scaurumq; Aurelium COSS. & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, Populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus, magis idoneum Imperatorem quam Marium estratus.* Lege eadem copiosius in Floro *lib. III. cap. 3.* Gestorum Romanorum.

Quintilius ^b Varus Romanæ militiæ in Germania, sub Augusto Cæsare Princeps; a majoribus nostris, Duce Arminio trucidatus cum tribus legionibus, velut copiosissime Florus explicat, cuius verba, quia serviunt intellectui Germanorum facinorum, subjiciam. *Vari Quintili, inquit, libidinem ac superbiam haud secus quam savitiam odisse ceperunt Germani: Ausus ille agere conventum, & in castris se direxerat, quasi violentiam Barbarorum, & lictoris virgis, & praconis voce posse inhibere. At illi qui jam pridem rubigine oblitos enses, inertesq; cernerent equos, ut primum togas, & saviora armis jura viderunt; Duce Arminio armis corripunt, cum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne praedita quidem & prodita per Segestem unum Ducum conjuratione commoveretur. Itaq; improvidum, & nihil tale metuentem improviso adorti, cum ille (ô securitas) ad tribunal citaret, undique irruunt, castrarapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res, eodem quo Cannensem diem, Paulus, & fato est, & animo secutus. Nihil illa cade per plaudes perq; sylvas cruentius, nihil insultatione Barbarorum intolerantius, praecipue tamen in Causarum Patronos; aliis oculos, aliis manus amputabant, unius os suum, recisa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus, tandem,*

*inquit: Vipera sibilare desiste. Ipsius quoque Consulius corpus, quod militum pietas humi abdididerat, effossum, signa & aquilas duas adhuc Barbari possident; tertiam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit,mersaq; inter balthei sui latebras gerens, incruenta palude sic laruit. Hac clade factum ut Imperium, quod in litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Haecenus Florus libro Gestorum Romanorum IV. cap. 12. Hac clade Romanorum adeo confternatum Augustum, scribit Suetonius in vita ejus, ut per continuos menses barba capilloque submisso caput interdum foribus illideret vociferans. Quintili Vare redde legiones, diemque cladis quotannis mœstum habuerit atque lugubrem. Post Punica bella fuit hoc gravissimum & atrocissimum inter Romanos & Germanos. Hanc cladem apud Cherscos editam asserit Strabo *lib. VII.* & Cornelius Tacitus *lib. I. Historia Augusta.* Teutoburgensem saltum vocat, in quo Varus cum legionibus a Germanis fuit interfectus. Alii tamen ex recentioribus, apud *Vindelicorum Augustam*, ubi adhuc vestigia apparent, commissam eadem in campo Lici im Echfeld affirmant, cujus sententiæ sunt Otthio Frisingensis *libro III. cap. 4. Chronica Urspergensis.* Johannes Nauclerus, & Conradus Peutinger, Henricus Bebelius, Picus in Staurosticho, & Huttenus in Panegyrico.*

*At tu non iisdem fati, non Numine eodem,
Vare sapis, viresq; tuas satis esse putasti
Arcteam contra Virtutem, & Teutona bella,
Auxiliis circumsepte & legionibus illis.*

Et postea.

Signa canunt campoq; Lici concurritur armis, &c.

Ajunt inde *turrin* in publico foro urbis *Augustæ*, a perditâ Legionè vocitatam, *Perlachthurn*, de qua sunt versus divulgati sequentes.

*Cur me Perlegiam dicant, si forte requiris,
Iam tibi responsum perbreve siste, dabo.*

*Non unum verbum est; duo sed mea nomina sunt,
Quod perit legio hic; Perlegiam vocitant.*

De hac pugna scribit Suetonius *in vita Augusti cap. 23.* Orolius *lib. VI. capite ultimo* Florus *in IV.* Vellejus Pater *libro II.* Volater *libr. XXXVIII. Paralipomenorum.* Henricus Bebelius *in Epitoma te laudum Suevorum.*

Cæsari ^a Augusto.

Apud ^d aquas Sestias fudit Cymbros Cælius Marius, Floro teste, *lib. III. capite 3,* quemadmodum etiam supra relatum.

Julius ^e exorto Galliaë tumultu Ariovisti Germanorum Regis primum vires expertus est, exercitum enim duxit Ariovistus cum Germanis, in quo Marcomanni, Trebotes, Vangiones, Nemetes, Meaparii, Suevii & alii militarunt. Julium Ariovistus affectavit, a quo victus est, ut scribit ipse Cæsar *libro I. comment.* Florus *libro III. cap. 10.* Orolius *libro VI. cap. 6. & 7. & 8.* Plutarchus *in vita ejus.* Eusebius *in temporibus.* Latinus ^c catus ad Theodosium: *Unde igitur ordiar, nisi a suis, mea Gallia, malis, quæ ex omnibus terris, quas illa pestis infederat, haud injuria vindicasti tibi privilegium miseriarum, Nempe ea multarum cædium causa Germanorum & Romanorum fuit.*

Tyrusus Claudii Neronis, Romani Imperatoris, pater, Augusti privignus; in Germaniam profectus, domuit Ullipetes, Tencteros, Catts, Marcomannos; inde Cheruscos, Sycambros, Bructerosque aggressus est, quibus superatis; per Rheni ripam quinquaginta amplius castella disposuit, præterea Hercyniam sylvam in id tempus inaccessam præfecit. Hic in Germania quoque perijt juxta Binguium, oppidum inter Moguntiam & Confluentiam, ut superius dictum est. Vide Plinium lib. VII. cap. 20. Plinium Juniorum ad Marcum, Strabonem libro VII. Florum libro IV. cap. 12. Claudianum, Suetonium in vita Claudii, Valerium libro V. cap. 5. Aeneam in Europa cap. 36.

Nero & Tiberius frater Drusi, Dalmatas, & Pannonos subiecit, ut Livius & Florus libro CXXXVIII. abbreviat. Ajunt. Unde Horatius libro IV. Oda 14.

Major Neronum mox grave prælium
Commisit: immanesq; Rhetos
Auspiciis pepulit secundis
Nilusq; & Ister: te rapidum Tygris,
Te cæde gaudentes Sycambri,
Compositisq; venerantur armis,

Vindelicos quoque Rhetos & Pannonos, Alpinas gentes Imperio subdidit. Hic idem contra Germanos pugnavit, & Maroboduum Germanorum Regem sibi pecunia & fœdere devinxit, velut omnium copiosissimè scribit Cornelius Tacitus libro II. Histor. Vide Suetonium in vita sua, cap. 9. 17. 18. Strabonem libro VII. Othonem Frisingensem lib. III. cap. 7. At si veriora legere cupis (Nam veteres illi, Suetonius & alii τῆς κλαυμῆς τῆς τριλλαμίνibus tacti, plurima falso scripserunt.) vide, quæ de Germanis Henricus Bæbelius verissimè scripserit, nam non indoctè ille Historicorum quorundam mendacia retundit.

Germanicus, ^h Caji Cæsaris pater, Drusi fratris Tiberii, & Junioris Antoniz filius, Augusti nepos, à Tiberio patruo adoptatus, Quæsturam quinquennio antequam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit, missusque ad exercitum in Germaniam, exselli Augusti nunciato, legiones universas, Imperatorem Tiberium pertinacissimè recusantes, & sibi summam Reipublicæ deferentes, incertum, pietate, an constantia majore, compefcuit, atque hoste mox devicto, triumphavit. De hoc Cor. Tacitus lib. I. Histor. Suetonius in vita Caligula, Volater. lib. XXIII. Geographia, Ortho Frisingensis lib. III. cap. 10. Porro Germanici nomen Drusus etiam tulit. Hinc Florus lib. IV. Druso, quod nunquam alteri, Senatus cognomen ex provincia dedit. Trajano quoque, ut inquit Plinius Panegyrista, cum Germaniz præsidet, Germanici nomen ex urbe missum fuit. Domitianus & ipsum Germanici cognomen usurpavit. Unde Martia.

Nobilius tribuit domito Germania Rheno,

Vitellius quoque vini plenus, referente Pluracho, ad milites accessit, & sic Germanicus dictus est.

Cajus Caligula, teste Eutropio libro VII. Bellum contra Germanos movit, ingressusque Sueviam, nihil strenuè egit, imò timidissime fugit, &

adeò consternatus est animo, ut fugam transmarinam cogitaret & pararet. Et Suetonius in vita ejus cap. 51. dicit: *Adversus Barbaros quoque minacissimus, quum trans Rhenum intra angustias, de presumpq; agmen iter Effedo faceret, dicentis quodam, non mediocrem fore consternationem; sicunde hostis apparet, equum illico conscendit, ac prope versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens mora, per manns & super capitia hominum translatus est, mox etiam audita rebellionis Germania, fugam, & subsidia fuga, classes apparabat.* Aut simavis, Cajum Julium intellige, qui aliquoties interminatus Germanis, nihil laudabile effecit, imò ultra quatuordecim dies apud Germanos non mansit, sed timide per Rheni pontem, quem ipse struxerat, fugit, Suevos metuens.

Innuit & Bella civilia, & quæ fuerunt inter Cæsarem atque Pompeium, de quibus scribit Cæsar in Comment. belli civilis, Plutarchus in Cæsare & Pompejo. Appianus libro II. bellor. civilium. Lucanus in Pharsalia libris. Florus libro IV.

Hyberna loca, in quibus milites hyberno tempore commorantur. Hybernacula vocamus ipsa tentoria.

Hinc Florus libro IV. cap. 12. *Germaniam usque vincere tanti non putasset Augustus, magis tæripier amissa est, quam gloriose acquisita.* Unde verissimè dicit Corne. *Germanos magis triumphatos, quam victos:* hoc est, de illis triumphos, & quidem falsos esse actos, nunquam verè victos.

Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cætorum, Tenctiorumve gens, majorem enim Germaniz partem obtinent, propriis adhuc Nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis, obliquare crimen, nodòq; subtingere. Sic Suevi à cæteris Germanis, sic Suevorum ingenui à servis separantur, sic in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpè accidit) imitatione, rarum & intra juvenutis spacium: Apud Suevos usque ad canitum horrentem capillum retrò sequuntur, ac sæpè in ipso solo vertice religantur. Principes & ornatorem habent. Ea cura formæ sed innoxiz. Neque enim, ut ament, amenturve, in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis, ornantur.

Suevi Germaniz populi vetustissimi, amplissimi que antiquitatis ad Germanicum aut Balibem æquor porrecti, mari imposuerunt nomen, quod infra Tacitus Suevicum appellat. Rursus ad Carpathum montem, Suevum priscis appellatum fines suos collocaverant, ei regioni finitimi, qua nostra atate Hungaria dicitur. Ad Rhenum quoque extensi Straboni in VII. & Ptolemæo libro II. cap. 11. haud procul à Colonia Ubiorum, totam fermè Germaniam opplevèrunt, majorem ejus partem obtinentes, velut inquit Tacitus: quorum extensione in Baptista Mantuanus ad Cæsarem scribens expressit: *Amplissima cerne Regna Suevorum; quos Vistula claudit & ingens Oceanus, vada Danubii confinia gentis, tot complexa sinu immenso excurrentia ierage.* Hi à Suevo Gambrii filio primo gentis Rege sumpsere appellationem, velut non longè ab initio nostrorum scholiorum retulimus: li deinde urbibus, montibus, fluviis pluribus imposuerunt vocabula, quæ etiam nunc retinent multa loca. Hi potentissimum ab initio habuerunt Regnum, in vi-

invictis militibus nobile. Ideoque vocat Julius Cæsar Dictator, Suevorum *gentem longè maximam ac bellicosissimam* Germanorum omnium, in *IV. Commentar. belli Gallici*. Plutarch. præstantissimos Germanorum. Seneca in *Medea*, nobiles appellat. Florus libro *IV. capite 12. validissimam* gentem. Orofius in *VI. cap. 9. maximam ferocissimamq.* & alibi *fortissimam*. Sabellicus libro *IV. Enea. VI. Germanorum omnium bellicosissimos*. Baptista Mantuanus *trucium gentium* appellationem indidit. Ultricus Huttenus Eques Francus, *magnanimam gentem, & pro libertate mirè pugnacem*: & eorum clarissimam semper fuisse famam asserit in dialogis. Reges quos habuit, præ aliis celebres sunt, Suevus primus gentis conditor: Ariovistus, Maroboduus, Vannius, Sydo, Summoarius, Andeca, Emericus, Remismundus, Maldrugo, & alii plures à veteribus celebrati, plura de Suevorum Regibus habet noster Tacitus in *Historia Augusta*. Plinius quoque libro *II. capite 96.* ac Pompon. Melam *III.* testantur, Sueviam olim fuisse Regnum: nam quosdam Indos Q. Metello Celeri Galliarum Proconsuli, dono datos à Suevorum Rege, ex Cornelio Nepote referunt. Longo deinceps revoluta tempore Suevorum Reges excisi, *Sueviam Ducatum* reliquerunt, desitis Ducibus, ad eum statum relata est, ut non uni Dynastæ pareat nostra ætate; sed in plurimas scissa sit Dynastias: Pars Romano ac Germano Imperatori, pars Civitatibus Imperialibus, alia quibusdam Principibus nunc subdita est. Suevi è suis sedibus antiquis translati, in alium locum, mutata ferè omnia. *Suevorum veterum tractum* nostra ætate possident, *Polonorum quidam, Pomerani, Lusatii, & bona pars Boemorum, Saxones, Misnenses, Doringi, Hassones, & Franci.*

Vetustissimos se, Nobilissimosque Suevorum, a Senones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in sylvam augustis patrum, & pitea b formidino sacram, omnis ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice e. homine celebrant Barbari ritus horrenda primordia. Est & alia a luco reverentia. Ne mo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem Numinis præ se ferens, si forte prolapsus est, atrolli & insurgere haud licitum, per humum evolvuntur, coque omnis supersticio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi Regnator omnium, Deus, cætera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum; centum e pagis habitantur, magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

Explicat a singulas Suevorum gentes, quarum antiquitus plurimæ fuerunt, ut Orofius *libr. I. cap. 2.* refert. *Semnones* autem Suevos fuisse etiam Strabo libro *VII.* Ptolemæus libro *II. capite 11.* & Tacitus libro *II. Historiarum* testantur. Post Albim versus ortum ad Suevum fluvium habitabant: Hi è Germania in Galliam venientes, *Senam urbem considerunt.* Unde Gothofridius Viterbiensis.

Condit apud Gallos Senensem Brennus & urbem.

En nunc Senones, qui quondam agmina Roma Vicerunt. De illis Strabo in *IV. & V.* Plinius libro *IV. capite 16.* Plutarchus in *Camillo*. qui hos primitus ad Oceanum confedisit, Orofius, Eusebius, & Franciscus Irenicus libro *VI. German. Exegeticos*: Eorum sedes *Lusatios* (Leusniger) hodie incolere dicunt, vel eos, qui juxta Dorganum ad Albim habitant usque ad Suevum amnem, quem

corrupto vocabulo, *Spreum* die *Spre* accolæ vocant. Horum fines, Albis præterlabitur. Vellejo Paterculo, in *II.* teste, qui inquit: *A Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum, Hermundurorumq. fines præterfluit, Romanus cum signis productus exercitus.*

Formidine b religione, diximus enim supra apud Germanos prisca superstitione *sylvas*, vel maxime *sacras fuisse suis Divulis.*

Sic *Mercurius* apud Germanos humano sanguine placabatur, quemadmodum antea, ex Lucano atque aliis indicatum est. Hujus tamen cruentæ superstitionis, vestigium, hodie nullum superest. Christus Jesus nunc per Germaniam colitur, cui *facra* persolvere fas est.

Semnones d sacra facturi in Lucum *Isidi*, vel alio gentilitio Numini sacrum coeunt, quasi è nemore suam habeant originem, vel per humum provoluti, *terram matrem* agnoscunt, è quâ non tantum Suevi, sed & universum mortalium genus formatum est, velut hoc Divinum oraculum testatur, *Genesis III. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ sumptus es: quia pulvis vel terra es, & in pulverem redibis, &c.* De quâ re mox plura.

Suevi, inquit Cæsar *IV. Comment. belli Gallici*, centum pagos habere dicuntur. Ex quibus quotannis *singula millia* armatorum bellandi causa ex sibus educunt. Reliqui qui domi remanserint, se atq. illos alunt, &c. Eutropius libro *VI. cap. 3.* Orofius in *VI.* Isidorus in *IX.* eorundem meminerunt. Et Gothofredus Viterbiensis:

Incoluit centum primæva Suevia pagos, Nec urbes, nec castra colens, sed rura vel agros.

Pagus autem non tantum villarum ac domorum rusticarum congeriem ein Dorff sed etiam tractum alicujus fontis aut fluvii; hoc est, *Regionem* ad rivum sitam, significat, ein Gau und Bach. Sicut Cæsar Dictator, in *I. belli Gallici, omnem civitatem Helvetiam, in quatuor pagos divisam scribit*: Ita etiam Suevia habebat centum pagos, qui ad amnes, & fontium decursus siti fuerant. Nam pagus dicitur *δωρ τῆς πηγῆς*, id est, a fonte, quod circa fontium rivos collocarentur. Minimè enim credibile est: Sueviam latissimam Germaniæ Regionem, tantum centum villas seu pagos (Dörffer) habuisse, quando supra Tacitus satis aperte dixerit: *Nullas Germanorum populi urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colant discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & coherentibus aedificiis, suam quisque domum spacio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive insensia aedificandi.* Nimum distabant à se invicem villæ, cujus vestigium adhuc vides in *Algea*, ubi separata sedes rusticarum hominum. Et quomodo ex uno vico potuissent mille homines, ad bella emitti: Ideoque possumus pagum verè dicere tractum fluminis, sicuti *Paganus*, Servio teste, Vergiliani carminis interprete, dicuntur, qui ex uno fonte bibunt: *die sich ein Bach oder Wassers behelffen.* Ponebantur enim aedificia ad rivos aquarum, ut suppeteret aquæ copia, ad usus necessarios. Itaque sunt, qui *Suevorum pagos* in *γῆ vel γῆ* Græcæ voculam, finali terminati-

tionem defuisse memoriam prodiderint, nos Germanice Gau pronunciamus. Multa enim Græca vocabula, adhuc usurpamus. Sicut Rheingau, vel Rینگgau/ id est, ad Rhenum pagus dicitur. Donagau/ ad Danubium. Mōngau/ ad Moenum. Isergan/ ad Iserum. Durgau/ ad Duram. Zobergau/ ad Zoberam. Missetgau/ ad rivum ejusdem nominis. Amergau/ ad Ameram. Argau/ ad Aram. Quorum pagorum, id est, Regionum, adhuc plures sunt in Germania, alia ad rivos, alia ad montes declinant, ut Norstgau/ Angstgau/ Hayegau/ Algau/ Wrenstgau/ Ergau/ Chreuchgau/ Hegau/ Sungau/ Wasgau. Hos Suevorū pagos olim fuisse non pauci arbitrantur. Scio tamen quosdam dicere, eos pagos non in Gau sed in Bach, finisse, sicut Erlebach/ vicus ad rivum ejusdem nominis, Zeuspach/ Bengsbach/ Schönbad/ Sieinbach/ Weibelsbach/ Eschenbach/ Dnosbach/ Duschbach/ & alia multa. Verum istas conjecturas antiquitarum studiosis exanimandas relinquo.

Contra Longobardos paucitas & nobilitas, quod plurimis, ac valentissimis Nationibus civili, non per obsequium, sed præliis, & periclitando tuti sunt.

Langobardi Suevix populi, Cornel. lib. II. Histor. & Ptolemæo libro II. cap. 11. Diacono in vita Mauritiū authoribus fuerant Cheruscis, Chaucis, Cartis, Germania populis valentissimis, proximi: quidam Westphalos & Hassos eos dixerunt, alii Pannonia populum, nonnulli Slesos. Verum Ptole. lib. II. cap. 11. Interiora, inquit, & mediterranea Sævitent Angli, & magis tamen Orientales, Langobardi vero ad septentrionem usq; præceduntur, ad medium Albi fluvii: ii adversus Semnonēs habitabant post Albi, versus orientem. Ob id quidam Misnensium Regionem Longobardorum olim fuisse volunt, ubi hodie Dresda, & Frburgum urbes sitæ sunt. Hi ex Germania discedentes non pessimam Italiæ portionem, pulsos qui incolebant, habitandam acceperunt. Videntur hodie Lombardi corrupto vocabulo nuncupari. De illis plura scribit Paulus Diaconus in rebus eorum. Vel-lejus libro II. Robertus Gaguinus libro IV. in Francorum gestis. Johan. Annus Viterbiensis libro II. institutione 7. Volaterr. libro VII. Geographia. Verum Irenicus libro IX. cap. 12. Marchiones Badenses esse opinatur.

Rudigni a deinde & Aviones, & b Angli, & c Varini & d Eudoses & e Suardones, & Nunthones, fluminibus aut sylvis inveniuntur, nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, id est, terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, in rebus populis arbitrantur. Est in g insula Oceani castrum nemus, dicatumque in ea vehiculum veste contextum, attingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, veteramque bubus fœminis, multâ cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunque adventu, hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clauum omne ferrum, pax & quietas, tunc tantum nota, tunc tantum armata, donec idem Sacerdos sœtiam conversatione mortalium Deam templo reddat, mox vehiculum, & vestes: & si credere velis, Numen ipsum secreto lacu abluatur: h Servii ministrant, quos statim idem lacus haurit. Atcanus hinc terror, spectaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum peritui vident. Et hæc quidem pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur.

Rudignos & Aviones Suevix populos, in secretiora Germaniæ porrectos, ea loca vult occupasse Beatus Rhenanus, quæ hodie Mechelburgenses, & Holfatit, vel Pomerani possident.

Angli Suevorum gentes, magis orientales quam Longobardi, inter Visurgim & Albi in Ptolemæo locantur, relicta Germania, Britanniam Insulam, quæ olim Albion dicta, inuaserunt, incolisque expulsis, opes inter se partientes in insulam eamque terram a se, aut Angelâ Ductrice, Angliam dixerunt. Anglorum loca nunc Saxones occupant, de quibus plura Ptolemæus lib. II. cap. 11. Aeneas Sylvius in Europa cap. 30.

Varinos vel Varnos, sive Varnenses hodie Livones dici authorum consensus est. Meminit eorum Plinius in IV. capite 13. Volaterran libro VII. Geographia, putavit Erasmus Stella, Varinos ea loca occupasse, ubi nunc born & Würgen/ urbes sitæ sunt, juxta amnem Wierum in ora Misnensium. Mihi magis placet, Varinos reliquisse nomen Varniensi urbi Episcopali Prussiæ.

Eudoses sive Eudosis hodie Libanothani, hoc est Misnenses sunt. Johanni Garzoni Bononiensi, in libello de rebus Saxonis, quorum loca Lipsiæ tenent.

Suardones & ipsi conjectantur Misniam tenuisse, quod scribit idem Johann Garzon. lib. I. de rebus Saxonis, Thuringia & Misnia. Libonotriam, inquit, Herthanz, Eudosi, Varini, atque Suardones tenuerunt: qui postea in universum Sorabi dicti fuerunt. Videntur igitur Nuithones, Herthanz & Garzone vocari. At si Nertheani legitur, Thuringi erunt, quandoquidem hæc ora multis nemoribus sit circumsepta, flumina celebriora in ea parte Germaniæ, sunt apud Ptolemæum in II. Visurgis, Albi, Suevus, Viadus, Vistula: In Misnensium & Thuringorum ora, Albi Sala, & Moldanus.

Beatus Rhenanus Selestadien. emunctæ naris homo, & Latine lingue flos, legendum hic purat Herthum cum aspiratione, & non Nerthum, cui facile omnes subscribimus. Ab hac Dea forsitan dicti sunt, Herthana populi, de quibus jam dictum. Nam hodie etiam Germani terram Herden quidam absque aspiratione, Erd & Erdreich appellant. Platonempe in Timæo, ac Plinius in II. cap. 65. Terram altricem nostram, Deorum antiquissimam tradit, & Jani uxor Tithea, dicta est Vesta, & terra, sive Arcetia, ut Ovidius in Fastis, Berosus & Dioscorus Siculus in IV. testantur. Vide Johan. Viterbiensem libro XV. super Berosum. Hinc Junius Brutus terram matrem osculatus, Primus Romanorum consul evasit, ut Livius in I. Valerius lib. VII. cap. 3. scribunt.

Plures sunt Oceani Insulæ: Scandia, Islandia, Baltia, Thyte, Grolandia, Dania, Suecia, quæ a Suevis dicta est, sicut Suevicum mare: in hæc una fuit, Lucus Hertho sacer, cujus hic meminit Tacitus.

Pro Suevis, alia exemplaria Servi habent, quæ lectio magis quadrat.

Propior (ut quo modo pauld antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum Civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ipsa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhetia b Provinciæ e colonia, passim sine custode traiecit, & cum cæteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris, a Albi ortus, flumen inelytus, & notum olim, nunc tantum auditur.

Hermunduri Suevi fuerunt, ad Albim fluvium sub Herymio jugo habitantes, hos Strabo in VII. *Eumondoros* vocat, hodie *Boemorum pars* eam portionem (ubi olim Hermunduri) possidet, quidam eos *Hermiones* vocant, de quibus supra dictum est. Nonnulli *Hermunduros* nunc *Moravos* interpretantur, sed prior opinio verior apparet, propter *Albi* fluvii ortum in *Hermunduris*. Meminit horum Vellejus in II. Julius Capitolinus in vita Antonii. Est in Saxonibus locus *Termont*, quem suspicantur fuisse Hermundurorum coloniam.

Provincias ^b appellitari *Regiones longe ab Italia acquisitas bello*, neminem fugit a porro vel procul vincendo dictas, ad quas regendas Romani Magistratus mittebantur. *Rhetos* autem & *Vindelicos* subiecit Romano Imperio Imperator Augustus, per privignos suos Tiberium & Drusum, ante natum Christum, Anno XIV. ita Eusebius & Hieronymus annotarunt in *Chronico*, Suetonius quoque in *Augusto*, & Horatius IV. *Carminum*, hæc latius.

Porro ^c *Rhetia Provincia* coloniam Beatus Rhenanus, & alii non trivialiter docti, *Augustam Vindelicorum* (*Augstburg*) interpretantur, quod ea inferioris Rhetie civitas fuerit, velut in principio de Rhetis annotatum est, nunc *Suevia metropolis*, quæ etiamnum *Augusta Rhetia* appellatur. Et urbis portæ duæ hanc inscriptionem custodiunt hodie, una, quæ a rubore nomen habet, altera, Divi Franciscano adhærens: Versus inscriptus est, ex hymno quodam, quem vulgus sacrificum, Sequentiam appellat, divæ Aphræ cantare soliti:

Christe tibi gloria.

In Augusta Rhetia,

Urbe vere regia.

Hoc idem Vincentius in speculo Historiali, libro XII. cap. 147. scribit. Hæc mihi a puero dulcis fuit alumna, qui prima literarum rudimenta illic didici, apud dulcissimum avunculum meum Joannem Chyrsenerum Gundeltingiacensem Myrtam Venerandæ ætatis, Historiarum & Verustatum cognitione nulli quantumvis Erudito cedentem. De Augusta scribunt plura, Volater. lib. VII. *Geographia Chronica* Urspergen. Naclerus in opere *Chronico-rum*, Conradus Peutinger Civis Augustanus.

Albis Germaniæ fluvius notissimus die *Elb* quem in *Hermunduris oriri* scribit noster Tacitus in Hercynio, ex montibus, qui Boemiam, Moraviamque determinant, exoriens, mediam ferme Provinciam Boemorum perlabitur, ubi eam reliquit per Misnensium & Saxonum oram fertur rapidus, deinde aliquibus annibus acceptis quorum *Sala* & *Moldavia* præcipui, ubi *Elamburgum* clarum oppidum a *Jove Hamone*, ut ajunt, nominatum, attingit, in Oceanum præceps egreditur. Ad hunc Suevi olim confederati, ut Lucanus lib. II. *Pharsalia* scribit:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos,

Albis.

Id quoque superius ex Strabone probavimus. Vide de hoc amne Melam. libro III. Plin. in IV. cap. 14. Solinum capite 32. Vellejum lib. II. Florum in IV. Cornel. Tacitum lib. Hist. Strabo. libro I. & VII. *Aeneam in Historia Boemica*. Volater. lib. VII. *Geographis*.

Iuxta Hermunduros a Narisci, ac deinde b Marcommani, Quadi agunt, præcipua Marcomannorum gloria, virtusque ipsa etiam sedes, pulsus olim Boijs, Virtute

parta, nec Narisci Quadique degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio pergitur, Marcomannis Quadique usque ad nostram memoriam Reges, manserunt ex gente ipsorum, nobile u Marobodui & e Tudri genus, jam & externos patiuntur: Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana, raro armis nostris, sæpius pecuniâ juvantur.

Narisci Germaniæ magnæ populi, Boemiciæ contermini, videntur hodie dici Germanis, die *Nordweger* & eorum natio das *Norca* sive *Nordgen*, quia ad Aquilonem respicit. Julius Capitolinus in vita *M. Antonini*, hos *Varistas* appellat.

Marcomannos, ^b *Suevia gentes* Ptolem. in II. cap. 11. sub Gabreta sylva ponit, Vellejus Paterculus lib. II. idem videretur sentire: *Nihil*, inquit, *erat in Germania quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum quæ Marobodo Duce, excita sedibus suis, atq; in interiora refugiens, incinctos Hercynia sylva campos incolerat*. Ex quibus constat *Marcomannos* primùm circa Gabretam sylvam, i. e. Boemicam quæ in Suevis jacet, Straboni in V II. *Geographicorum*, habuisse sedes, ubi nunc Regio, quæ *Moravia*, *Merhenland* dicitur, sita est, & deinde, *Boijs*, qui *Bohemiam* incolabant, expulsis ea loca occupasse. Quamquam sint, qui *Marcomannos* eam Germaniæ portionem tenuisse scribant, quæ hodie *Marchia*, die *Marck* appellatur. ex vocabuli Etymologia. *Marcomanni* quasi *Marckmanni*, i. e. viri qui *Marcam* sive *Marchiam* incolunt. Beatus Rhenanus aliam *Marcomannorum* interpretationem retulit. *Marchiam* autem vel *Marcam* vocant Germani *districtum unius Ditionis*, aut villicationis, ein *Marck* inde *Feldmarck* & *Marcomannos*, *gentes unius Marcæ*; hoc est, *districtus* vel *Ditionis*, & *Marchionem Principem Marchia*, qui eis jus diceret. Hinc & nostrorum *Marchionum* appellatio, quod *Principes* sint, & *Marchiam* administrant, unde etiam tibi, Illustrissimè Princeps, hæreditarium nomen, quod *Marcam*, id est, non minimum Germaniæ districtum, & Provinciam sanctæ gubernes, ut sæpius optem Germaniæ, multos ejusmodi *Marchiones* ac *Principes*, qui æquitate polleant, *legum*, *divinarum* sint periti, & prudenter vigilent, ut suæ *Marcæ*, hoc est, *ditionis* hominibus probè consultum sit. Laudo tuum Christianum pectus, *Æquitatem* & *Justitiam* probare non desinam, præcorque Deum Opti. Max. te servet. nobis diutissime in verbi sui religione. De *Marcomannis* præter alios, require *Strabonem* in lib. VII. *Florum* in IV. cap. 12. *Volater*. in VII. *Aeneam Sylvium* cap. 23. *Europe. Et Vandaliæ* Alberti Crantzii. *Andreas Alciatus* in suis *annotationibus* in *Tacitum* etiam in *Helvetiis* confedisisse *Marcomannos* *Quadosque* putat, *Extat enim*, inquit, *adhuc in eis vallis Marcomanna nomine*.

Quados, ^c *Marcomannos*, *Hermunduros*, *Sarmatas*, confines fuisse, ex Julio Capitolino in vita *M. Antonini* colligitur. *Quadorum* autem *sedes*. ad *Hercynium nemus* extitisse scribit. Ptolem. lib. II. cap. 11. *Ubi nunc Moravi vel Slesti* agunt. *Eutropius* lib. VI. *Rerum Romanarum* *Julium Cæsarem*, *Bibulo* consule, debellasse scribit, *Quados Helvetiorum*, & *Galliæ gentes* juxta *Vocontios*, & *Salyos*, unde *Helvetios* primùm fuisse quidam putant. Ego verò existimo *Germanos* origine, cum *Langobardis*, *Senonibus*, *Boijs*, ac aliis Germaniæ populis *Galliam* ingressos, in *Helvetiis* confedisisse aliquantisper, donec illinc pulsus, pristinas sedes repetierint. De illis lege *Ammianum Marcell.* in lib. XVII. *Sidonium*,

Hieronymum ad Geruntiam, Mantuanum ad Casarem, Volater. lib. VII. Geographiæ, Julium Capitolinum in Antonino.

Maroboduus^a Suevorum, Marcomannorum Rex, Tiberii Cæsaris temporibus floruit. Hic XII. Legionibus Cæsarem contra se meditatam, conditionibus æquis discedere compulit. Hunc hisce verbis commendat, Vellejus Patereculus Volumine posteriore. Maroboduus genere Nobilis, corpore prævalens, animo ferox, Natione magis, quam ratione Barbarus, non tumultuarium, neq; fortuitum; neq; mobilem, & ex voluntate parentum constantem, inter suos occupavit Principatum, sed certum Imperium, vimq; Regiam complexus animo, statuit avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur (quos prædiximus) locis, finitimos omnes, aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit. Corpus suum custodia, tum Imperium perpetuis exercitiis penè ad Romanæ disciplina formam redactum, brevi in eminenens, & nostro quoq; Imperio timendum perduxit fastigium, gerebatq; se ita adversus Romanos, ut neq; bello nos lacesseret, sed tamen ostenderet, si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi. Legati, quos mittebat ad Cæsaris interdum ut supplicem commendabant, interdum, ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusq;, à nobis descendentibus erat apud eum per fugium, totumq;, ex male dissimulato agebat amplexum, exercitumq;, quem LX. millium pedum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat operi, præparabat. Eratq; etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad levam, & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper venturos, ab omnibus timebatur. Hætenus Vellejus. Hujus autem fortunarum eventum. Cor. Tacit. lib. II. Histor. Augusta, his verbis exponit: Maroboduus, undiq; deserto, non aliud subsidium quam misericordia Cæsaris fuit, transgressus Dannibium, quæ Noricam Provinciam prætermissis, scripsit Tiberio, non ut profugus, aut supplex, sed ex memoria prioris fortuna, nam multis nominibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse, Responsum à Cæsare, etiam ei honoratamq;, sedem in Italia fore si maneret, sin rebus suis aliud conducere, abiturum fide qua venisset. Cæterum apud Senatam dissertit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum Populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, quæ magnitudinem Viri, violentiam subjectarum ei gentium, & quam propinquus Italia hostis, suaq;, in destruendo eo consilia extulit, & Maroboduus, quidem Ravenna habitus, & si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus; in Regnum ostentabatur, sed non excessit Italia, per duodeviginti annos, consenuitq;, multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Hæc, ille. Vide de eodem Strabonem in VII. Suetonium in vita Tiberii. Aurelium Victorem in Epitomatibus Cæsarum.

De Tudro Marcomannorum Quadorumque Tyranno nihil uspiam vidi. Cor. Tacitus multos quidem Germanorum Reges in II. 12. Hist. in memorat, Tudrum non recitat, Ariovistum Chetufcorum Regem celebrant Cæsar & Eutropius. Tentobochum Cymbrorum, Florus in III. cap. 3. Maroboduum etiam Suetonius in Tiberio, Vannium Qua-

dorum Regem, Cornel. in II. Jubilium Hermundorum, Pandonem, Sydonem Suevorum idem Tacitus in 12. Semiguntum, Armenium, Tumulicum, Sestibacum. Egimerum, atque alios Strabo in 7. Geographiæ. Bannascum Chaucorum, Veritum & Malorigem Aneas Sylvius cap. 69. de Germania. Ammianus Marcellinus lib. XVI. & XIX. plures Alemanorum Reges enumerans, Tudri obliviscitur Joannes Nauclerus Volumine II. generationis XXXIV. ut alibi Germanorum Principes recensens Tudrum negligit. Quærant hunc alii, & repertum nobis quoque indicent.

NEC minus valent retrò Marsigni & Gothini, b Osii & Buri; regna Marcomannorum Quadorumque Jaugundunt, è quibus Marsigni & Buri, sermone cultuq; Suevos fecerunt, Gothinos & Gallica, Osos Pannonica lingua coarctavit, non esse Germanos, & quod tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi. ut alienigenis imponat. Gothini quod magis pudeat, & ferrum effodiunt, omnia que hi populi pauca campestrium, cæterum & saltus, & vaticines montium jugumq;, insederunt, dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latissime patet, & Lygiorum nomen in plures civitates diffusum: Valentissimas nominasse sufficit, h Arios i Helveconas, Manimos, Elyfios, Naharvalos: Apud Naharvalos antiquæ religionis & lucus ostenditur, præsidet Sacerdos muliebri ornatu, sed Deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. Ejus Numinis nomen, Alcis, nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium, ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Cæterum Arii super vices, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, inlita feritatis arte ac tempore lenocinantur, nigra scuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus, terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum, ac velut infernum aspectum. Nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.

Marsignos^a atque Gothinos^b Suevas gentes Marcomannis Quadisque vicinas, à tergo ipsorum: similiter Moravia atq; Slesia Regiones incoluisse, ex hoc contextu colligitur. Ptolomæus libro II. cap. 11. Marsignos videtur Marungos appellare, iis, ait Tacitus, lingua & cultus Suevorum. Porro qui fuerit olim Suevorum sermo, nemo facile pronunciat. Nihil enim uspiam in litteris de Suevico Idiomate à veteribus relatam est: Nam suum idiomatum habuisse Tacitus ostendit, dum inquit, Marsignos & Burios Suevico sermone habitumq; usos, Gothorum, Hunnorum, Sclavorumq; irruptiones, & crebra per Germaniam excursions, passim corrupisse dicuntur Germanismum. Aliter enim loquuntur Suevi, aliter Saxones, quanquam sit aliqua ratio loquendi communis omnibus fermè Germanis, tamen sunt singulis suæ dialecti & pronuntiandi proprietates. Vitiatam parum linguam nostram facile crediderim (quod in prolotione propriorum nominum observari potest, quæ vitiosissimè vulgus Germanorum pronuntiat) non tamen omninò mutam ob gentis Germanicæ Virtutem, & fortitudinem, quæ haud leviter recipiebat aliorum mores atque Tyrannidem, petita est aliquoties exterorum armis, sed nunquam tota victa. Suevicam igitur linguam eandem, & Germanicam dixeris: Majorerum enim illi Germaniæ partem possederunt, & in commune Suevi nuncupati sunt,

De Osii^b alibi abunde scripsimus.

Burios^c Julius Capitolinus in vita Antonini Pii, Burios vocat, de illis Ptolomæus lib. II. cap. 11. Buri.

Buri sunt, inquit, ad caput Vistulæ fluvii, quamobrem *Poloni* conjectantur, vergunt enim hæ gentes ferme omnes ad Sarmatiam.

Ex hoc loco, inquit Beatus Rhenanus, colligi potest, etiam *aliam Gallorum linguam* fuisse, *aliam Germanorum*. Sed quæ fuerit Gallorum non constat. Nam linguam, quâ hodiè utuntur, certum est, esse novam, à Romanis qui post Julium Cæsarem in illis Provinciis assidue versati sunt, plurimis ubiq; deductis coloniis, dubio procul acceptam. Unde Gallorum multi linguam suam etiam hodiè Romanam vocant, bon Romain. Itaque videtur interisse *prisca Gallorum lingua*. Siquidem Plinius de quibusdam Gallorum vocabulis loquens, ad antiquam Galliarum descriptionem respexisse videtur, quam tamen jam inhabitare Germani cœperant, suam loquentes linguam, aut certè *Celtarum vocabulum*, quod *Græcis & Germanum, & Gallum significat*, Gallis vertendo tribuit, quod Germanorum erat, qui lapsus multis sanè accidit, & notum est factis, Plinium & Græcorum & Latinorum Commentarios exscripsisse. Nisi si quis hic per Gallicam linguam, pronuntiationis modum intelligere velit, hoc est, ipsum Gallissimum, ut ita dicamus, sed hoc foret coactius.

Aliorum imperia haud facile tulerunt Germani, libertatis mirum in modum avari, quam armis vendicant, *haud unquam exteris stipendiarii atq; vestigales*, ideoq; vult dicere Cor. *Gothinos Ososq; non esse Germanos*, hoc arguit, tributa aliorumq; imperia patiuntur, præter aliorum Germanorum morem, & ea etiam Germanorum quidam, Quadi scilicet, ut alienigenis, non suæ Nationis, imponunt. *Gothini ferrum effodiunt*, quod in Germanis rarissimum fuisse alibi declaravit: Quamquam Ptolemæus lib. II. cap. 11. referat apud Quados *mineras ferri esse*, forsan respexit in hunc Taciti locum, de Gothinorum fodinis.

Jugum hoc continuum Sueviam separans, Hercini nemoris juga, Gabretam ingentem, ut Strabo vocat, Suevorum sylvam Boëmicosq; montes intelligo, quorum pars in Panuoniam atque Sarmatiam protenditur, velut *Carpatus* vastissimus mons, prisca *Suevius* vocitatus, adhuc enim Suevi condescenderunt antiquitus. De quo Berofus in V. *Apud Tuiscones regnavit Suevius, & apud Celtas Celta, à quo nomina illi montes habuerunt*. Suspicio eundem esse montem Suevum, quem Plinius in IV. cap. 13. *Sevo* appellat, nam facilis error est, ut pro Suevo Sevo, suppositum sit.

Lygii & Suevorum populi, juxta Marcomannos, Hermunduros, & Pannonos confederunt, *hodiè Hungaris adnumerantur*, Auctor Raymundus Marilianus. De illis Tacitus lib. XII. Historiæ Augustæ, Picus in Staurosticho, ubi de Danubio loquitur, Lygios quoque alluente,

Et Lygios tandem raptu tumefactus aquarum.

Arii Lygiorum gentes, *Pæones*, hoc est, Pannonos, Danubii accolæ (Bngarn) censentur. Dixit enim Cornelius, se explicaturum Germaniæ populos, ad Danubium respicientes.

Heluconas, Manimos, Elyfios, Naharvalos Lygiorum populos, eorum sedes Pomerani, aut Hungarorum quidam, tenere videntur, ad Sarmatas tendunt, de illis Picus in Staurosticho,

Alluis Elyfios Ariosq; & Pæoniam oram,

Et Lygios.

Alibi retulit Cornel. de Germanorum religione: *Ceterum nec cohibere parietibus Deos; neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine Cælestium arbitrantur; Lucos ac nemora consecrant, Deorumq; nominibus appellant: Secretum illud, quod sola reverentia vident; juxta hanc superstitionem Ethnicorum, Naharvali gentes lucum Castori & Polluci consecrarunt, minime tamen Romana Religione coluerunt, nec simulachra consicientes, aut thura libantes, nec quicquam ejus peregrina superstitionis observantes, cultui atq; sacris præerat Sacerdos quidam, ridiculo vestitu, muliebri scilicet. Numen ipsum Alcin vocant, cuius nominis rationem, per conjecturas assequimur. Aulus Gellius lib. IV. cap. 11. Noctium Atticarum probat, ex Clearchi, & Dicearchi sententia, Pythagoram Philosophum, transmutatum in Alcinæ feminam meretricem, facie pulchram. Si peregrinum recepissent cultum, suspicarer, quia Sacerdos muliebri vestitu sacra faciebat, ab hac meretrice incepisse Naharvalorum superstitionem. Magis tamen aridet, Alcin Naharvalorum Deam appellatam à robore & præsidio. Græcis enim ἀλκη fortitudinem, & auxiliium significat, & ἀλκην subvenire & auxiliari. Dei enim proprium est, vel servare, vel benefacere, ut inquit Cicero, & Plinius libro II. cap. 7. naturalis Historiæ. Ideo puto ab adjuvando hoc Numen, Alcin, à Germanis nominatum. Constat enim Germanos quondam multis Græcæ vocibus usos, Superfunt in nostro idiomate fragmenta Græcæ referentia. Alibi quoque monstravimus Græcæ inscriptiones in Germania repertas, quæ arguant quempiam à Græcia Germaniam perlustrasse, Atticumque sermonem Teutones didicisse. Argumentis & conjecturis declarabimus in lingua Germanica superesse plurima Græcæ vocabula: Nam quod nos vocamus, ein Thier / id est animal Græci vocant Θῆρ. Quod illi θυγαῖν januam nos ein Thür dicimus, retinentes aspirationem Græcorum more, ubi illi dicunt λαδῆν loqui, nos lassen pronunciamus, ubi Græci γῆ terra, Germani Gān / Illi πηγή, nos Bach / id est, ripa. Illi δῆλον, nos Thürlin hostiolum, ἑωρετηρον superius limen, Rbertthür / Illi κρυπῆν osculari, nos Rüssen / Illi μετῆ cum, nos mit / Weig super, Germani liber. Illi ἀμαρ vas, nos Aimer. Græci γὰρ vestis, Germani Noct. Illi θυμῆ furor, nos Thym / θυμῆν Græci gaudere, freuen Germani, γὰρ φῶς vel κρῶς fullo, Knapp. ἀλκῆν spirare, Athment / αἶμος spiritus, Athem. Ubi Græci βίλος, id est sagitta, telum, nos Pfehl. Illi Βοντός Advocatus, nos Bonth. ἑρῶνος sedes, Thron. ἀργος malus, Arg. φάυλος, vilis, vitiosus, fault / γὰρ ῥά virga, Rurth. ἐχθρος persequitor, hostis publicus, Durchächter. ἐχθρῶν inimicitia, Durchächtung. ῥίξεν stridere, bullire, Sieden oder Ryschen. λύζειν solvere, auflösen. Græci αἰθαῖ, id est lacerta, Germani Eidechse. λοιθός ultimus, der leste. λακκός lacus, Lach / alibi Pfih. Ζώγλη vincula jumentorum juga, Ziegel. Ζάγλος litigiosus, Zänckisch. Μάγνη furiosus, Μάνια Μαγῆν pati, mîgen. Μοχθῆν facere, machen. Ubi Græci μύλη vel μύλον molendinum, nos Mühle. εἰαίρος amicus, Better. γῆτιος infestus, nos, schädlich. ἐπάσεν rumpere, reissen. ῥαστεῖν requiescere, rasten. ῥαστεῖν requies ein Rastung. ὕκλις, iltis. τυφλός cæcus, surdus, Dypfel. πῖθος dolium, ein Wittich / Witten. Βρατύς cib. Βρος ἀστατος instabilis, unstedt / ἀνθος contrarius, anderst.*

anderst. *αἰθέρι* serenus, hēnter. *Εἰός* ἄν̄ fluere, scaturire, fließen. *Βόρος* edax, fraß. *σάκος* saccus, Sack. *χθονί* odio prosequi, durchächten. *χαφῆ* sculpere, graben. *Βόμβος* sonus, bomber. *ἀγλαΐζειν* splendere, glēsßen. *ἀγλαΐα* splendor, glast. *κλαῖν* deflere, flāgen. *εἰπέω* expuo, spēnen. *Κεῖος* ille, Jener. *λαός* plebs, lay. *Ἄβρι* sed, aber. *Λεπτα* procella, Wellen & multa alia. Hæc sunt reliquæ & verustates, quæ arguunt, Ulyssē aut alium Græcorum fuisse in Germania, unde haulerint Majores nostri vocabula quædam Atica. Deinde & tituli fragmenta Vetustatum inscriptiones Græcicæ, quæ etiam hodiè passim & in multis locis Germaniæ cernuntur, idem probant, maximè verò in propriis nominibus summus ex Græcis vocabula, ubi Græci *Δημιδίνος*. Germani *Wolffhart*. Ubi illi *λεωκεστis*, nos *Leonhart*. Illi *χρυσανδρος*, nos *Mangost*. Illi *εὐφίλος*, nos *Edshold*. Illi *πλανήμιος*, nos *Albrecht*. Illi *νικόλαος*, nos *Wolsey*. Illi *λύκος*, nos *Wolff* atque alia plura. Hæc Antiquitatis amatoribus annotare volumus: Testatur etiam nonnihil Celtis in amoribus suis, *lib. I. Elegia XII*. Græcam consuetudinem adhuc quibusdam locis seruari, Julius Cæsar in Helvetiorum castris Græcas Tabulas repertas indicat, *in I. belli Gallici Commen.*

Sensus Taciti est: *Arii* potentiores atque truculentiores Helveconis, Manimis, Elysiis, Naharvalisq; Suevicis gentibus naturali & innata suæ crudelitati, arte atque tempore adhibitis medicamentis, herbis vel herbarum radicibus, aut alio quovis pigmento fucq; prout ratio poposcerit, medētur ac consulunt. Aliam personam fingunt aut pingunt (hoc enim aliquando *lenocinari* significat *exquisitiorem elegantiam adhibere*) ut suam naturalem aspectum celent.

Reliqui Germanorum *scuta lellissimis coloribus* distinguunt, *Arii* verò *nigra scuta eligunt, & obscuras tenebricosasq; ad prælia noctes*, Titanico & furiali aspectu terrent hostes, ut vincant oculos, qui primi omnium vincuntur in præliis, neque ulla ex parte, inquit Plinius *lib. XXI. cap. 37.* majora judicia animi cunctis animantibus, sed maximè homini, id est Moderationis; Clementiæ; Misericordiæ; Odii, Amoris, Tristitiæ, Latitiæ; Contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, graves, transversi, limi summissi, blandi, profecto in oculis animus inhabitat, ardent, incenduntur, humectant, cohibent.

TRans Lygios & Gothones regnant, paulò jam additiis, quàm cætera Germanorum gentes, nondum tamen super libertatem. Prætinus deinde ab Oceano *Ugii & Lemovii*, omniumq; hærum gentium insignis totunda scuta, breves gladii, & erga Reges obsequium.

Gothones Germanorum, atque Suevorum gentes, quanquam Ptolomæus has, & quæ sequuntur in Tacito, Sarmatiæ adscribat, à Plinio *lib. IV. cap. 14.* *Guthones*; à Ptolomæo *in III. cap. 5.* *Gythones* vocantur, hos juxta Pannoniam atque Moraviam quidam collocant: *Videntur* tamen *Borussiam juxta Daniæscum* (*Dansgen*) populosissimam urbem inhabitasse. Amplissima enim Regio multos habuit cultores Gothones, Ulmigeros, Fennos, Sudinos. Qui verò hodiè provinciam incolunt, *Borussi, Prussi & Prutheni*, die *Prenssen* appellantur. Vide de illis Tacitum *libro II.* Volater. *lib. VII. Geographia.* Aencam Sylvium *in Europa cap. 29.* Extat enim li-

bellus Erasmi Stollæ *de Borussie antiquitatibus*, & *carmen Eobani Hesli.* *Non sunt autem idem Gothi & Gothones*, ne quis pro iisdem interpretetur. *Enim ad Oceanum Sarmatiam, Gothi insulam Occidentem Scandiam incolerunt*, quæ ab illis *Gotlandia* appellatur.

Rugi sunt, qui Rugorum incolunt patriam (*Rugland*) de quibus Paulus Diaconus *libro I. de rebus Longobardorum.* Sunt qui eos in *Mechelburgenses* abisse dicant. Hi verissimi Germanis orti, lingua atque virtute Germanis intercescentur: *De illis Strabo in IV. Sabellicus libro III. Ennead. X. Aencas in Europa cap. 27.*

Lemovii postremi Germanorum ad *littus Venedicum*, ad paralellum terè Scandavia: insulæ, quæ *Gotlandia* dicitur, unde originem habere dicuntur. Nam in ea Ptole. *Levonios* populos ponit, hi à Pruthenis vicinis, debellati, Christi fidem suscepere. Tartaris sæpè infestantur. Eorum metropolis, *Rigacivitas*, ut scribit Volater. *lib. VII. Geographia.* Aencas Sylvius *in Europa capite 28. Livonia, Germanis, Liffland* vocatur, à *Teuthonicis fratribus hodiè tenetur.*

Suionum a hinc Civitates, ipso in Oceano præter viros Sarmatq; classibus valent, forma navium eo differt, quodd utinque proa paratam semper appulsui frontem agit, nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum ut in quibusdam fluminum, & mutabile (ut res poscit) hinc vel illinc remigium. Est apud illos & opibus honos, eoque unus impetit, nullis jam exceptionibus, non à precario jure patendi, nec arma (ut apud cæteros Germanos) in promiscuo sed clausa sub custode, & quidem seruo: quia subitios hostium incurus prohibet Oceanus. Otiosæ porò armatorum manus facile lascivunt. Enim vero neq; Nobilitas, neque ingentium, neque libertinum quiddem armis præponere Regia utilitas est.

Suiones ac *Sitiones*, & ipsi Suevorum gentes, Oceano Germanico allui, & videri possunt, quos nostra ætas *Suedos* aut *Suecos* vocat, eorum terra hodiè *Suecia* dicitur: paret Regi Daciæ, habet aurum atque argenti fodinas plures, quidam Chronographi eos à *Suevis* descendisse autumant, quod primitus insulam occuparint, & de se semon illic reliquerint, quod verum esse, nomen ipsum prædit, tum etiam potentia, & nunquam satis laudata veterum Suevorum Virtus & fortitudo. Ipsi quoque Suedi hanc à Suevis jactant originem, id quod ex unius ore non semel accepi *Lypsiæ*, qui familiarissimè mihi conversatus, & Latinas literas callebat egregiè, & sæpiùs ea de re commentabatur mecum. De illis Saxo Grammaticus *in rebus Danarum*, Aencas *in Europa cap. 33.* Volater. *lib. VII. Geographia.* Joachimus Vadianus *circa III. Pomponii Mele.* Ego in quodam vetusto codice vidi *Suiones nunc Normannos* dici, cui sententiæ astipulatur Albertus Cranzius *lib. II. cap. 18. Vandalia.*

Jus præcarium dicitur, quod precibus obtinetur, sicut apud Jurisconsultos titulus est, de *precario*, ubi sic inquit Ulpianus. *Precaarium est quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quam is, qui concessit, patitur.* Et apud Quintum Curtium Alexander ait: *Mori præstat quàm Imperatorem præcario esse.*

TRans Suionas alit mare, a pigrum, ac propè immortum, quo cingi claudique tetraurum Orbem hinc fides, quodd à extremis cadentis jam solis fulgor in ortus edurat

ad eum clarus, ut sidera heberet. Sonum insuper emergentis
audiri, formasque Deorum & radios capitis aspici, perluasio
adicit; Illud, utque, & fama vera, tantum natura.

Græci Scriptores mundi situm & terrarum par-
titionem scrutati, eum *Oceanum*, qui in extremo *Se-
ptentrione*, ob immensum ejus cæli gelu perpetua
glacie obductus videbatur, *Cronium*, id est Satur-
nium & frigidum tardumque appellarunt, autho-
ribus inter alios, Ptolomæo & Plinio. Hic enim
cap. 13. libro IV. Septentrionalem Oceanum, ab
Hecataeo Amalchium nominatum fuisse, ait,
quod hoc nomine Scythæ ejus oræ, sua lingua con-
gelatum significarent. Philemon a Cymbris *Mori-
marisam*, hoc est, mortuum mare dictum, scriptum
reliquit. De hoc plura Solinus quoque cap. XXX.
Et Joachimus Vadianus ad Rudolphum Agricolum
junioem.

Hanc insulam Scriptores *Thylen* nominarunt.
Strabo lib. IV. *Thulen*. Unde Solinus capite 35.
Multa alia circa Britanniam insula, e quibus *Thyle*
ultima, in qua æstivo solstitio, sole de Cancrisidere su-
ciciente transitum, nox pene nulla. Brumali solstitio dies
adeo conductus, ut ortus juncti sint & occasus. Ultra
Thylen, pigrum esse, & concretum mare. De hac
Ptole. lib. VI. cap. 2. Vergili. in principio I. Georgi-
corum. Plinius libro IV. cap. 16. & libro II. cap. 77.
Strabo lib. V. Melam III. Hodie Islandiam, *Tif-
sland* vel *Thilland* dici Authorum consensus est.
Possidonius quoque vulgò dici, tradidit (ut Author
est Strabo lib. III.) *Solem in finibus Oceani littoribus*
multo majorem occidere, ingenti cum strepitu, perinde
*ac eo in profundum incidere, in illo restinguendo pe-
lagus, effervereat.* Refert etiam Urspergens. Chroni-
ca, ex Ptolomæo: *In Scandia insula septentriona-
lis Oceani, plures esse alias insulas, ex quibus una dicta*
Adogit, in Arctoa parte consistit, qua in media estate
*XL. diebus & noctibus lucem continuam fertur ha-
bere, itemque brumali tempore, eodem dierum nocti-
umque numero, alternato mœore, cum gaudio claram*
lucem nescire. Et noster Cornel. Tacitus lib. I. his-
tor. tradit: *Drusi milites Germanico pelago deviasse,*
& varia rerum miracula in mari vidisse, vim scilicet
*turbinum, inauditas volucrum species, monstrama-
ris, ambiguas formas tam hominum quam animalium.*
Picus quoque lib. IV. de superstitiosa præ-
notione cap. 8. *In insula Norvegia ad Oceanum Ger-
manicum, umbras hominibus sæpe occurfare scripsit,*
& signo crucis inde effugere. Quod etiam Claudia-
nus lib. I. ad Rufinum innuit:

Est locus extremum pandis, quæ Gallia littus,
Oceani præsentis aquis, quo fertur Ulysses,
Sanguine libato, populum vovisse silentium
Illic umbrarum, tenui stridore volantum.
Elebilis auditur questus, simulachra Coloni,
Pallida defunctasque, vident migrare figuras.

Ergo jam dextro Suevici a maris littore, b Efluorum
gentes aluntur, quibus ritus, habitusque Suevorum, lin-
gua Britannicæ proprior. e Matrem Deum venerantur, in-
igne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis
omniumque tutela, securum Deæ cultorem, etiam inter ho-
stes præstat. Rarus ferri, frequens sustium usus. Frumenta
ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germano-
rum inettia, laborant. Sed & mare scrutantur, & ac solida
omnium succinum, quod ipsi Glessum vocant, inter vada,
atque in ipso littore legunt, nec quæ natura, quæ veratio gi-
gnit, ut Barbaris quæ situm, compertumve diu, quinetiam
inter cætera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra

dedit nomen, ipsis in nullo usu, rude legitur, informe præfer-
tur, præciumque mirantes accipiunt. Succum tamen ar-
borum esse intelligas, quia terrena quædam, atque etiam vo-
lucra animalia, plerumque interlucentque implicata humo-
re, mox durefcente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur
nemora lucosque, sicut Orientis, ubi thura & balsamaque
sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim,
quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum
mare labuntur, atque vi tempestatum in adversa littora exun-
dant. Si naturam succini admodum igne teutes, in modum
tædæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem,
mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus & Sironum
gentes continuantur, cætera similes, uno differunt, quod fœ-
mina h' dominatur, in tantum non modo à libertate, sed et-
iam à servitute degenerant, hic Sueviæ finis.

Germanicum mare, secundum diversas natio-
nes, quas attingit, varia asciscit sibi nomina. Primo,
Germanicum appellatur, quia ad id habitant Ger-
mani. Deinde *Suevicum* à Suevis accolis. Qua-
dam exemplaria, hic corruptè *Suirium* sive *Sucti-
cum* habent. *Sarmaticum* à Sarmatis finitimis,
Cybericum, à Cymbris. Ultra deinde *Britanni-
cum*, qua parte ad Anglos, qui Britanni dicuntur,
vergit. *Scythicum* à Scythis. *Barbarum* à Barbaris,
quos hoc nomine vocabant Romani, qui Imperio
non parebant, & Latinæ linguæ expertes erant. *Po-
meranicum*, ubi Pomeranos alluit. *Baltheum*, apud
Livoniam & Borussiam, à Baltia peninsula, quæ
tria continet Aquilonis Regna, Daniam, Suetiam,
& Norwegiam. *Arcticum*, *Boreale* & *Septentrion-
nale*, quia ad Arcton, Boream, sive septentrionem
respicit. *Glaciale*, quod per brumam glacie conge-
letur. *Codoncum* à Codano sinu: Germanis voca-
tur, das grosse teutsche Meer, die Ost. See, vel, das
Pomerische Meer, vel, die See, vel, das Jobst. Meer.
Efluorum sive *Estiorum*, (sic enim habent
aliqui codices) loca, *Pomerani* aut *Borussi* tenere
videntur. Quamvis magis ad Efluorum appella-
tionem accedere putem, *Eyflandia* nomen, mutato
vitiatoque nonnihil (ut plerumque fit) vocabulo.
Nam quis nescit, quanta in Germanicis nominibus
priori seculo commissa sit jaçtura? Hi etiam *Sudini*
dicuntur, eorum Regio *Sudinia* (*Sudan*) aut *An-
strasia*, *Subaria*, vel *Glessaria* in dem *Strand* apud
quos succinum colligitur. Incolæ vernacula lingua
Bornstein appellant. Colligitur etiam ad mare,
quod ibidem accola Borussus, das Jobst. Meer,
vocat. Pytheas apud Gothones Germanorum ac-
colas, quos Borussos esse, supra declaravimus, spa-
tio ab Oceano stadiorum sex millium electri copi-
am scatere putavit, authore Plinio lib. XXXVII.
cap. 2. *naturalis Historia.*

Matrem Deum, id est Cybelem, vel terram,
quæ omniparens appellatur, quasi omnium parens,
omnia gignens. Vide Diod. Siculum lib. I. Strabo,
nem lib. X. Plinium libr. II. capite 65.

Solo enim *Pytheno* littore succinum colligitur,
quod à succo dici certum est. Græci id *λεκτρον*.
Germani *Glessum* vocant, quod instar vitri pellu-
ceat. *Glosser* enim nos Germani vitrum vocamus.
Succinum autem, *Quaststein* id est, ocularem lapi-
dem, oculis enim prodest plurimè, Conrad. Celtis:

Quæ glessum rapiunt, quod succinus ore Latino

Dicitur, & nostris tantum reperitur in oris.

Et Philip. Beroal. in carmine quodam Germani-
laudum.

Es dives pecoris, felixque gemma,

Quod Glessum vocitant, sui parentes,

Electram Artici, succinum Latino.

De hoc plura Plinius *libro XXXVII. cap. II. & libro IV. cap. XIII. & XVI.* Solinus *cap. XXXIII.* Joan. Camers in *eiusdem*, Aristoteles *cap. LXX. de admirandis in natura.* Servius *super VIII. Aeneidos*, Dionysius *de situ orbis.*

Succinum liquidum esse primo argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicæ, aut culices, lacertæq; quas adhesisse musteo, non est dubium: & indurescente inclusas remanere, author Plinius *libro XXXVII. cap. 3.*

Pomponius Mela *lib. III. Arabia cognomento Eudemon angusta*: Verum cinami & thuris, aliorumq; odorum maximè ferax. Vide multa apud Strabonem *libro XVI.* Plinium *lib. VI. cap. 28.* Balsamum vero uni terrarum Judææ concessum, scribit idem Plinius *lib. XII. cap. XXVI. & libro XVI. cap. XXXIII.* Strabo in *XVI.* Unde cecinit Ulricus Hüttenus in Panegyrico Alberti Archi-Episcopi.

Terra ferax magnorum hominum, dant vellea Seres.

Fert liebenum, fert Indus ebur, sua thura Sabæus,
Balsama Judæi, Tagus aurum, rubra sinaragdis.
Est fecunda Thetis, laudat sua pocula Lesbos,
Thracæ equos, Chalybes ferrum, Germania fortes,
Nunquam exhausta viros sobole producit abunda.
Sitones & Suevorum populi in Oceano Suevico siti,
suprà Suiones (quidam hos Ganipotés vocant)
Sueciæ sunt gentes: De illis Saxo Grammaticus in
rebus Danorum.

In omni Teuthonica natione, viri Rempublicam administrabant, & Imperium in subiectos populos exercebant. Soli Sitonès hoc mulieribus cesserunt, alienissimi & à libertate, & servitute Germanorum, quos asserendæ libertatis avidissimos didicimus, & servitutis impatientes. Nam si hos superatos in servitutem coëgissent victores inimici, viris non mulieribus, serviebant Sitonès istud faminis permisissent imperium, ut rempublicam ipsæ administrarent. Et per Herculem metuo, ne deinceps Sitonicarum mulierum dominandi libido totam faminarum Germanicarum gentem invaserit: Video enim nunc passim regnare fæminas, quæ juxta Divinum præceptum maritis deberent esse subditæ. Natura enim in hoc finxit mulierem, non ut imperet, sed ut pareat, quod vel hic Græcus versiculus testatur. *ἡ φύς τῆς ἀρχῆς ἔδωκεν ἢ φῦς. Natura non dedit imperare fæminis.* At ipsæ, excusso jugo, maritis dominantur, Nationibus imperant, jubent, cogunt, omnia suo arbitrio agunt, nemo est, quem sua uxor non regat. Tam imperiosum animal est mulier, ut in proverbium abierit: *Famillarum dominandi cupido.*

Hactenus Suevorum gentes, moresq; explicuit Tacitus: Orosius *lib. I. cap. 2.* *Quinquaginta quatuor Suevis populos indicavit.* Latè enim per Germaniam imperitabant, maximam ejus possidendo partem, vix angulum relinquentes in tota Europa, quem non penetraverint, Albim ab ortu, usque ad exitum, & Rhenum quoque occupaverunt, etiam in Sarmatiam ac Pannoniam deducentes colonias (nam illinc fuerunt antiquæ ipsorum sedes) longo deinceps spatio Rhetias incurfarunt, sicut videte est apud Tacitum in *Historia Augusta libro I.* Ammianum Marcellinum *lib. XVI.* Chronographos peculiareq; Gentium annales.

Peucini & Venetorumque & Fennorum Nationes Germanis an Sarmatis ascribam, dubito: quanquam Peucini, quos quidam Baltarnas vocant, sermone, cultura, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt, sordes omnium, ac torpor: Procerum connubiis mixtis, non nihil in Sarmatarum habitum sædantur. Veneti multum ex moribus tractantur. Nam quicquid inter Peucinos Fennosq; sylvarum at montium erigitur & latrociniiis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur: quia & domos fingunt & scuta gestant, & peditum usu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustris equoque viventibus. Fennis mira feritas, sæda paupertas, non arma, non equi, non spenares, viciui herba, vestitui pelles, cubile humus, solis sagittis spes, quas inopiâ ferri ossibus asperant. Idemq; venatus viros & pariter fæminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumq; suffugium, quam ut in aliquo ramorum novæ contegantur. Iluc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Id beatus arbitrantur, quam ingemere agris, illaborant domibus, suas alienasque fortunas spe metuq; versare, secum adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam assequuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit.

Peucini & Germaniæ magnæ populi. Dacis fuerunt contermini, teste Plinio *libro IV. cap. 12. & 14.* Peuceni in insulam, quam Danubius efficit, occupaverunt, Baltarna dicti, ab insula Peucini appellari ceperunt. Strabo *libro VII.* Ptolomæus hos inter Sarmatas ponit. Poloniæ adnumerantur, hodiè Dufstern appellati. Quidam Sclavos, nonnulli Walachos, alii Transylvanos, hoc est Septem castrenses, Siebenburger esse contendunt. De illis Tacitus *libro II. Historia Augusta.* Strabo *libro VII.* Ptolomæus *libro VII. cap. V.* Appianus *libro, qui Illyricus inscribitur.* Julius Capitolinus in *Antonino.*

Veneti & Germaniæ magnæ populi, sub Justiniano primo ex Germania profecti, Danubio trajecto, Dalmatiam, Illyricos, Histriam, Carnos, Noricam, quæ Alpes post Gothos occuparunt. Ptolomæus *libro III. cap. V.* hos ad Vistulam sedisse commemorat, atque Borussia gentes fuisse. Sunt qui eos nunc Sclavos seu Vinthos & Vinthones, Wenden dicunt, velint, quod nomen prodit, ad sinum Venedicum habitant.

Fennos Ptolomæus *lib. III. cap. 5.* Sarmatiæ gentes dicit, sub Venedis habitantes, unde Volater. *lib. VII.* Primum ex his plures in Germania diximus, ut Fennos, quos mira feritate populos Tacitus dicit, nunc Pruthenos, aut Lituanos putaverim. De illis Erasmus Stella *lib. I. Borussia.* Irenicus *lib. I. cap. 26. & lib. XII. Germania exegeseos.*

De latrociniiis Germanorum sufficienter annotavimus in superioribus ex Cæsaris aliorumq; commentariis.

Sarmata in hoc ferè à Germanis differunt, quod boves & pecora imitantur nec certis domibus includuntur, unde à Græcis Nomades, hoc est pastores dicuntur, quod è pecoribus lacteq; & caseo præsertim equino, degunt & aqua quæbui quali in plaustris, ardiu vice viventes. Videtur autem plaustris de Asiaticis Sarmatis, quos hodiè Tartaros vocant in principio diximus. Require Melam in *II. Strabo libro VII. & Ammianum Marcellinum, libro XXII.*

De Veteri Germanorum habitandi more abundè satis dictum, ob id, ne eandem repetamus cantilenam, jam missa facimus.

Cetera.

Cætera jam fabulosa, a Hellufios & b Oxianas, ora hominum vultusq; & corpora atque artus ferarum genere, quod ego, ut incompertum, in medium reliquam.

Hellufii quos Plinius libro IV. capite 13. *Helluviones*, Ammianus Marcellinus libro XXII. *Heilios* nominat: insulares sunt populi post Codoneum montem, & ultra Prusiani, insulam colunt quingentis pagis, unde alterum terrarum orbem dicunt, inquit, Plinius, hos alii ad Vistulam amnem habitare voluerunt usque ad Sarmatas: ob id Bernholen insulam ex objectu Prusiae æstimare licet Helluvios inhabitasse, eritque id vocabulo magis aptum.

Oxianas, videtur Plinius libro IV. cap. 13. Mela libr. III. *Oonias* vocare: ad mare & insulam Oceani habitant: ab ovis avium marinarum, quibus vescuntur nomen habent; hoc est *om rui wai*, id est, ab ovis: simili ratione *Hippodes* dicti, ab equinis pedibus alias humana forma. Et Solinus capite 30. ubi loquitur de Insulis Scythicis & Oceano septentrionali. Nec longe Oonas separari, quas habitant, videntur ovis avium marinarum, & avenis vulgo nascuntibus, perinde alias prope constitutas æque insulas, quarum Hippopodes indige hæ humana usq; ad vestigium forma, in equinos pedes desinunt. Esse insulas & Fanestorum gentem (Pomponius libro III. *Sarmatos* appellat) quorum aures in effusam adeo magnitudinem dilatentur, ut reliqua viscerum illis contegant: nec amiculum aliud sit, quam ut membra membranis aurium vestiant, unde Joachimus Vadianus. *Crediderim horum vestium memoria falsam, si non presentiarerum, vernaculo Bilappensland vocatum, congelato mari, ut vocant, proximum, quod Nordbeobdii apud eos vocantur, & Aeneas in Europa, cap. 28. Occidentales, inquit littus Baltici maris Norvegi occupant, apud septentrionem semiferos homines esse tradunt, cum quibus nullum lingua commercium navigantes habent, signis tantum & nutibus commutare merces feruntur.*

AD LECTOREM EPILOGUS.

HAbes Candidissime Lector Scholia nostra in C. Tacitum, gravissimum auctorem modisq; omnibus dignum, quem frequenter legas, propter styli elegantiam, & patriæ luculentissimam descriptionem, quibus declarasse tibi volo amorem meum erga Germaniam communem nostram patriam. Patriæ eamq; sinceriter amantibus gratificatum esto. At si tuo stomacho non sapuerint universa Lector, affectum tamen probabis, & candidum

pectus, quo ista dedimus, ut ruinam illam vetustate rerum omni consumptrice Germaniæ vel exterorum scriptorum obfuscatione, vel majorum nostrorum negligentia illatam, restitueremus: Laceramq; ratem nostro labore utcunque resarciremus. Equior itaq; iudex eris, si nonnunquam abertasse tibi videor. Quis enim in tanta rerum mutatione, quantam tulit Germania, non labatur semel? quum maxima pars Teutonicorum nominum interierit, populi excisi, ne ullum post se vestigium reliquerunt: auctores variantes & quod omnium maxime hæc eladem advexit, Veterum Germanorum ignorantia in rebus patrum. Quis igitur in tanta rerum caligine, ubi magna pars conjecturis pendet, non cæcutiat aliquando? pro viribus tamen conatus sum, ne tota aberrarem via, & scopum quam possem propius attingerem, aut quam verisimillimis, uterer argumentis ac conjecturis: hoc meum fuit studium. Verum si id non ubique præstitimus, certe in magnis voluisse sat est. Perardius labor est, Germaniam tam profunda caligine, qua submersa fuit, erubere, genuinaq; faciei restituere. Non admodum multi hoc idem, ante nos tentaverunt. *Beatus Rhenanus*, fidelissimus in restituendis Auctoribus homo, multum lucis adhibuit Cornelio, cui debemus plurimum, omnes Germani & literarum candidari: hujus adnotatiunculis multum adjutum me ingenue profiteor, nec volui sua fraudari laude, cujus testimonio non semel usus sum. Si vero non sunt a nobis exactissime tractata singula, aut veniam dabis Lector, aut meliora dabis, & meis occasionem arripiens sublimiora tradendi. Atque utinam hic me audiat, qui tantum ridet mea Scholia, & exactiora det. Qui enim aliorum labores calumniari audeat temere, meliora substituat, quæ non calumniis pateant, dignum est. Nam si ego vellem aliorum lucubrationes explodere, saniora traderem, aut rictum contraherem. Sic faciant & mei calumniatores, reiciant sane mea, non stomachabor, modo ipsi rectiora reddiderint. Nam si præter scommata nihil attulerint, impludentes Sycophantas esse permitimus perpetuo. Eruntq; nostra Scholia tam diu Germanis usui & bona, donec quispian maltygarum tam elaborata dederit, quæ nostra jure exhibent. Vale Germane Lector, & cominodè iis fructuere.

ANDRÆ ALTHAMERISCHOLIARUM IN CORNELIUM TACITUM, FINIS.



IN CORNELII TACITI
EQUITIS ROMANI,
GERMANIAM COMMENTARIA.

AUTHORE

DN. JODOCO WILLICHIO RESELLIANO.

Illustrissimo, & Amplissimo Principi

DN. SIGISMUNDO,

MARCHIONI BRENNOPYRGENSI, STETTINENSI,
POMERANIÆ, CASSUBIORUM, SCLAVORUM, SILESIAE DUCI
BURGGRAVIO NORICI CASTRI, &c. DOMINO
SUIO CLEMENTISSIMO.

S. P. D.

PERSIS lex fuit inter alias, ut singuli Subditi Regi, dum equo veheretur in suo Regno, munus pro facultate, & artis affectatione offerrent; ita agricolæ aut fruges, aut earum primitias, opifices sua opera, neq; nimis atrivita & prava, neq; nimis preciosa & magnifica, pastores aut oves, aut boves, vinitores villum, pauperiores lactaria opera, lac, palmas, cascos, matrasq; bellaria ferebant, & donabant, eadem apposita exeunti Regi, & equitanti gratissima fuerunt munera; neq; alio atq; munerum nomine appellabantur. Quare Artaxerxes aquam, quam Sinas attulit in auream phialam excipere non dedignatus est. Sic & Mises eidem acceptissimus fuit, dum illi equitanti per Persidem malum Punicum, idq; maximum in vasis obolerat, Rex admiratus de horto interrogavit, & gavisus per solem inquit, homo tali curacione, & diligentia poterit etiam civitatem ex parva ampliorem reddere. Tanta enim fuit Subditorum in Magistratum suum observantia, & reverentia, cujus ipse specimen prabere, quoties non studui? sed nunquam mihi minusculum, tanto Principe, dignum fuit, & sicut Musicam non tantopere adamat, qui ejusdem vim vel primis labris non degustavit, & ut ille ait,

Laudat venales, qui vult protrudere merces.

Ita ego libellum, sed paucis Illustrissime & Generosissime Princeps, de meliore nota commendabo, ut tibi gratior foret, quam Persarum hujus aqua, illius malum Punicum olim fuerat. Cornelius Tacitus Eques Romanus eodem modo descripsit, quo locos depingenda Regionis, Rhetores docent. Sunt enim in principio limites constituendi, quibus terminales fluvii adjiciuntur: Mox non origo tantum, eaq; non ex fabulis, sed ex sacris, & prophanis Historiis subditur, sed & successio Magistratus à quopiam cui plus oculi esset, utique ad nostra tempora surrogaretur? Nunc de Germanorum etymo, Dissid. genialibus, peregrinorumq; Ducum adventu, ut primordia ejusdem certius exquirerentur, differit unde Germanos indigenas esse, tum ex historiis, tum ex simili corporum habitu comprobatur. Hinc nativarum rerum veluti armentorum, & pecorum copia (cum nulla sub id tempus fuerant metalla, neq; araria, neq; plumbaria, neq; argentaria, neq; auraria) accedit. Numos quidem habebant, sed qui Belgis vicini erant, bigatos & serratos, & cum ferraria non aderant, facillime de eorundem armatura, & de aliis describen-

darum Regionum capitibus quis indicium faceret, quibus absolutis tanquam communibus toti Germania singulas nationes ejusdem ordine geographico recenset, in quibus singularia facta, & mores non neglexit. Itaq; hic libellus propter exemplum depingendorum Regionum magnopere expetendus est. Sunt & hodie non pauci, qui quasdam Regiones adumbrare sibi permiserunt, sed si Tacitum secuti fuissent, longe commodius, & disposuissent, & explicuissent. Tacitus autem non solum tabulis Regionum, quas Romani in senatu studioissime propter Imperii amplitudinem conservabant, usus est, sed & ipse multa loca perustravit, & audita, & visa, praesertim sub Vespasiano refert, cum Belgarum, qui hodie omnes in Germanorum appellationem venerunt, praeses fuerat. Tabulis quoq; Chorographicis ejusdem Plinius Secundum, Livium, Melam, & Florum, & ex Graecis Ptolemaum, & Arthianum, tanquam ejusdem fundamentis niti videmus. Quare de ejus fide dubitandum non est, qui diligenter fabulosa à certis & exploratis discernit. Deinde si Historiarum lectio in principibus propter res gestas requiritur, quanto magis Germania descriptio in Germanis expetenda est. Vix dici potest, ut jucundum sit, mores veterum & recentiorum, in legibus civilibus, quam aeconomicis, & studiis inter sese conferre. Gentiles sanè Germani, etsi magis bello dediti erant, quam agricultura, tamen longe honestiorem vitam vixerunt, atq; vel hodie nos, qui salutem Christiani. Illi enim fœnus ignorabant; illi fidem matrimonii religiose servabant; illi in contractibus simplices, candidiq; fuerunt. Contra hodie nobis sine tot usuarii quadruplatoribus peiores, tot adulteria etiam impunita, tot & tanta in negotiatione fraudes sunt, ut vix quisquam aut mente concipere aut verbis assequi possit. Inculta quidem sub id tempus fuit terra, sed incolae erant moratiores. Postquam autem Gregoriana lege imperium Romanum ad Germanos translatum erat, ut excelsissima facta est, urbibus, adibus, arcibus & agris, ita per diversarum gentium colluvies vicia suppallularunt, non aliter ac Roma de Graecorum malemorum consuetudine querela fuit. Porro neq; complurium Historiarum lectio usui esse potest, nisi quis Regionum, & populorum nomina ad nostratia probe collata tenuerit. Perficere juxta mecum optime Princeps, vel quosdam tuos Subditos, quos nam alios credis Angravarios propter bellicam artem lan-

laudatissimos esse, quam Angermundos, quos antiquitatis ignari, nescio, a qua picea sylva derivare conati sunt. Est autem Angermundum vetustius multorum opinione oppidum Caroli Caesaris opus valde in arce editiori insigne, & sacellum. Quinam sunt Langobardis, quibus a promissa barba nomen inditum est, alii quam quidam veteres Marchicum subditis Ducatus Lunenburgensis, atq; Insubres eorundem virtutem mutato nomine a vobis incolis, & victoribus adhuc testificantur. Verum hac incerta quis esset iudicaret, & quissiam me tuis aliquid auribus dare iudicaret, accersamus, & Suevos Semnonas, eosq; tuos subditos, quos ab Angriuariis circa Albim usq; ad Suevum fluvium Ptolomeus constituit, eosq; nemo homo candidus, & modice peritus alios faciet, atq; Episcopatus Havelbergensis, Prignitii, Ducatus Rappinensis, totiusq; Havellandia incolis, qui a Tacito nostro, & Venustissimi, & Nobilissimi commemorantur, imò inter hos caput Suevorum censetur, eorumq; potentiam Julius Caesar explicat. Suevorum, inquit, gens est, longe maxima, & bellicosissima omnium Germanorum, centum pagos habere dicuntur, quorum Eutropius, Orosiusq; meminerunt, eosq; propter rei militaris peritiam & virtutem, nemo sibi unquam optavit hostes. Quisnam Julium Caesarem, cum pro Ubiorum tutela Rhenum ponte junxerat, Ariovistum Regem repulerat, aliosq; Germanos deinceps subjugaturus retinuit alius, atq; fama adventuri horum Suevorum exercitus, que cum ad illum manaverat, exesto ponte, ut persequendi occasio subita praeiperetur, domum reversus est? Quidnam apud Historiographos, de rebus gestis Marobodu horum Regis illustribus perciperes, nisi hos tuos Marchicos caperes? Dic quaeso, quando unquam maiorem & celebriorem cladem Romani acceperunt, quam Quintili Vari? qui in Ciberiscorum, cum iisdem auxilio fuerat, vicini Semnonas, agro cum tot legionibus interemptus est, atq; D. Augustam Caesarem nunquam in vita sua pejus luxisse scribitur? Sed quid multis? librum conficerem, si veterum horum Suevorum Historias sub prisca appellationibus in nostrum usum collatis enumerare pergerem. Afferro Imperium, & Avitui Sigismundi, non Sarmatarum tantum, sed & multorum veterum Germanorum Regis, cuius tu & corporis lineamenta, mores, imò & ipsum ingenium ita refers, ut veluti iure hereditario nomen illius receperis. Huius enim Regnum vel ad ipsos Quados pertinet, ubi Elystorum & Marcomannorum pars quadam est, quibus adnumerata ultra Vistulam, Gythones, Venedos, Cistobocos, Peucinos, Fennos, Bastarnas, Sudinos, Bodiunos, Hamaxobios vetustiores Roxolanos, Alanos, & pene ipsos Tauriscithas, quorum historias si passim vel in tanta barbarie collegeris, Tui Avii peritiam rei militaris contra immanissimos hostes, auctoritatem, fortunam & virtutem supra modum admirabere. Adeo refert propter aptiorem rerum olim gestarum cognitionem Taciti Germaniam novisse. Sit tibi & exemplo Joachimus alter inter Septem viros prudentissimus, cuius mores, assidue tanquam in specula contemplator, credasq; tibi a Patre vere olim quod ab Aenea Virgiliano Ascanio dictum, competere, ut pote, disce ex me virtutem. Quid enim quaeso, & admirabilius & praestantius esse potuit, quod in tantis urbis, & tumultibus totius Germania proximis sola Marchia bellum experta non sit? Itaq; puritas Religionis contra multos Sycophantas in altissima pace conservata est. Matrem quoq; eamq; reginam praestantissimis, & corporis, & animi dotibus praeditam, unde haud parum saluic tibi

esperandum erit, honorabis, & nos Deum Optimum Maximum sedulo invocabimus, ut is tua, tuorumq; pia consilia & incepta fortunet: Est enim cor Regis (juxta Prophetam) in manu Domini, atq; voluntatem nostram in huius libelli explicatione boni consulto, quem & Scholiis, & justis commentariis, ad miraculum usq; docti, Beatus Rhenanus, Alciathus, & Alshamerus planum facere omnibus non dedignati sunt, quibus & magna gratia habenda est, quod & suam patriam excolere, & nobis veterum monumenta obscuriora dilucida reddere conati sunt. Bene valeat Cels. T. ex Academia Francofordiana tua, cuius Tu cum Patre tuo liberalissimus Mecenas fortunante Deo futurus sis.

Cels. T.

Additiss.
JODOCUS WILLICHIUS
RESELLIANUS.


AD ILLUSTRIS. D. SIGISMUNDUM MARCHIONEM Brandenburgensem, &c. Pauli Praetorii, Illustriss. Marchionum Padanomi Elegia exhortatoria.

Historias prodest veterum cognoscere, summis
Præcipue at Ducibus convenit iste labor.
His inclusa latec rerum prudentia major,
Erudiunt miris pectora caeca modis.
Quam soleat diris malis exitus esse Tyrannis,
Hi norunt veterum qui monumenta legunt.
Uq; Duces contra justos Deus ornet honore,
Imperio, titulis, scripta vestra docent.
Eventus monstrant varios, causasq; duelli,
Quanta irabant secum bella pericla, monent.
Discimus hinc urbes qua sint ratione regenda,
Quo bene consistant regna beata modo.
Hinc morum petimus nos viva exempla honorum,
Quid civem deceat magnanimumq; Ducem.
Aut quid conveniat lata sub tempore pacis,
Vel Mavors toto cum ferus orbe furit.
Sic legimus prisca magnorum carmina raturum,
Reges, qua sceptrum sepe tulisse manu.
Sic veterum fastos, & sidera novit Achillet,
Qua tulit clypei margine sculpta sui.
Carmin Alexander Magnus sic legit Homeri,
Hoc noctu capiti supposuitq; suo.
Hos etiam Sigismunde Duces imitare, nec ulla
Re magis augeri laus tua dextra potest.
Assiduo volvas studio, praestantius auro,
Quod Taciti nobis cura reliquit opus.
Edidit hoc verum vir praestans arte Jodocus,
Homini auspicio sub meliore tui.
Hinc quid sit virtus disces, quid postat honestas,
Qua vita ratio sit retinenda tibi,
Perspicias illic rerum quid postulat usus,
Floreat ut patria fama, salutiq; tua.
Sapè legas Tacitum, labor est te Principe dignus,
Egredi hic quicquam quod mediteris, habes.
Qui tibi dant cyathos, & sculpto vasa metallo,
Ut rursus tribuas, his meliora volunt.
Ast hac sincera donat tibi mente Jodocus,
Praemia restitui qui sibi nulla cepit.
Pactoli superat dotes, viridesq; Smaragdas,
Willichius praesens quod tibi donat opus.
Pectore sume bono, sacris faveasq; Camanis,
Sic ad sunt studiis numina trina tuis.

P. CORNELII TACITI,
EQUITIS ROMANI LIBELLUS,
De
SITU MORIBUS, ET POPULIS
GERMANORUM
PRIOR GERMANIÆ DESCRIPTIO
ET COMMUNIS.

GERMANIA omnīs à Gallis Rhetiſq; & Pannoniis, Rhe-
no, & Danubio fluminibus, à Sarmatis Daciſq; mutuo
metu, aut montibus ſeparatur. Cætera Oceanus ambit, la-
tos ſinus, & Inſularum immenſa ſpacia complectens, nuper
cognitis quibuſdam gentibus, ac Regibus, quos bellum
aperuit.

I.
DE LIMITIBUS GERMANIÆ.

ermaniæ amplitudo intra certos limi-
tes designatur, nunc Orientalem, ubi
eſt Sarmatia, id eſt, interior Polonia ul-
tra Viſtulam, & Dacia Carpatho monti
incumbens, quæ nobis bona ex parte
Wallachia eſt, nunc Occidentalem, ubi eſt Gallia,
 præſertim Belgica, & Rhetia, tam prima, quàm ſe-
cunda, in qua hodie florent Avaræ & Suevi, nunc
Meridionalem, ubi ſunt Pannonia, & ſuperior, quæ
Oſtria, & inferior, quæ Hungaria eſt, cum Danu-
bio fluviò, qui utramque perluit, ſicut & Rhenam
ſecundam, videlicet Ripenſem, nunc Septentriona-
lem, ubi eſt Oceanus ſeptentrionalis, qui nominatur
modo Germanicus, modo Suevicus, in quo videtur
multitudo, & ſinuum, & inſularum, veluti ſi quis à
Viſtula uſque, id eſt, limite Orientali numerarit,
occurreret Venedicus, ubi eſt mons Regius Borullæ.
Codanus à quò eſt Codanum, vulgò & corruptè,
ut ſit, Gedanum & Dantiſcum. Pucicus, circa Dan-
tiſci conſinia, ubi quoque ſuccinum colligitur. Po-
meranicus juxta Sidenorum tractum, qui nobis
hodie ſunt Stedinenſes, Hamburgenſes, juxta Albiſ
oſtium, ubi & æſtuaria quotidie videntur, & ſic ad
Occidentis terminum uſque pergendum eſt. Inſu-
læ quoq; pluriimæ reperta, vel bello, vel propaga-
tione gentium, vel rerum promercialium indagine,
veluti in ſinu, qui eſt, & à Finlandia Finlandicus ab
ortu, ſic & ab Occaſu, à Suetia Sueticus, ubi eſt Ne-
pria, in Balthico ſunt Oonæ, Oxlia, Gotthia, Elan-
dia, Berholmum, Fionia, Iaro, Foſen, unde maxima
Aſellorum copia in multas Regiones deſertur. Hi
ſanè limites Taciti tempore conſtituti duabus de
cauſis ſunt, Prior eſt mutui metus propter bellaci-
tatem Germanorum: Poſterior eſt munitio locorum
nativa, qualis eſt tum in maximis fluminibus, tum
in editioribus montibus. Tacitus autem ſui tem-
poris rationem ſecutus eſt, qui ſub Adriano, hoc
eſt, circiter CXX. annum, poſt natum Chriſti floruit.
Quare conſultius propter diverſarum ſenten-
tiarum reconciliationem eſt, ab ætate triplicem
Germaniam præſcribere. Nam ſubinde ejus termi-
ni (ut plerumque ſit in rebus humanis) commutati
ſunt. Sirigitur *Vetus, Media, & Recens, Vetus* eſt
nobis *Beroſiana*. Iſ enim plurimum ab aliis variat,
cum CCC. annos antenatum Chriſtum vixerat, &

Germaniæ amplitudinem hiſ verbis complexus eſt
Regna, inquit, ab hoc anno ſalutis humanæ tunc
magna habebantur. In *Asia* quidem noſtrum omni-
um celſiſſimum *Babylonicum*. In *Africa* *Ægy-
ptium & Lybicum*. Poſtremo in *Europa*, 4. noſtra
numerant, *Celtiberum, Celta, Kyrim*; quod illæ gen-
tes Italicum appellant, & Thuysconem, quòd à
Rhenò per Sarmatas in Pontum ſinit. Verùm hæc
de longitudine Germaniæ ſatis ſunt dilucida, nimi-
rum, ut limes orientalis ſit Pontus & Tanais, Oc-
cidentalis, Rhenus ipſe. Latitudo quoque eſt
manifeſta. In *Europa*, inquit, *Sarmatia Regem ſce-
runt Thuysconem à Tanai ad Rhenum*, junctique ſunt
illi omnes filii Iſtri, & Mæſæ cum fratribus ſuis, ab
Adula monte uſque in Meſembriam Ponticam.
Sub hiſ tenuerunt Tyras, Arcadius, Amathius.
Ex qua ſanè verborum ſerie eadem quæ antea fuit
longitudo ſeptentrionalis colligitur, cui adicitur
& latitudo meridionalis (ſic enim utrinque ter-
minos extremos comprehendit) quæ tum Danu-
bianos, id eſt, Danubii accolæ uſque ad ejus fon-
tem qui eſt Adula, tum Mæſos, tam ſuperiores
quàm inferiores, hoc eſt, Valachos, Boſſinos, &
Bulgaros continet. Hiſ quoque Tyras & Thracas
quibus author fuit Tyras, & Arcadas ab Arca-
dio, & Amathios ab Amathio dictos adjecit, &
ad Ponticam Meſembriam uſque pertinet, id
eſt, ad Meſembriam Thraciæ civitatem, in Ponti
Euxini littore ſitam, olim Menembriam, à Meno
conditore & Thracia lingua Bria, quæ eſt civitas,
juxta Strabonem, cui & Stephanus non nihil ſuffra-
gatur, dictam, quæ & hodie, ſed corruptè (ut ſit in
tanta barbarie) Meſember nominatur. Ea verò
Germaniæ Beroſianæ dignoſcitur ad cardines
mundi amplitudo, & ſi quis tempus obſervatur uſ
ejuſdem eſſet, à diluvio annum 155. jam inde ab
initio mundi 1812. juxta calculum veriore inveni-
ent.

Cæterum media Germania eſt Corneliana ſeu
Prolemaica, ſeu Pliniana, à qua Strabonis non ad-
modum variat, qui Chriſti tempore floruit, ſicut
Tacitus, Ptolemaeus, & Plinius penè coætaneæ fuerunt,
quæ cum ſatis ex ipſis authoribus nota ſit, cur repeti-
tè opera præcipuum eſſe non video. Id verò non ſit ac-
cipiendum eſt, ut flumina ſint ſtricti limites. Nam
utramque ripam eorundem accipit. Itaque ultra
Viſtulam, Varinos, Venedos, ſub quibus eſt in Bo-
ruſſia patria mea Reſellium, & Episcopatus Heyl-
ſpergenſis, Pucinos & Baltarnas, in quorum tra-
ctu eſt Borithenes, connumerat. Eodem modo
ulteriorem Rheni partem capit, dum Treviros,
Nervios, Vangiones, Tribocos, Nemeræ, Ubios,
Batavos, Mattiacos & alios recenſet. Sic ultra Oce-
anum Eſſuos atque Fennos habet. Quare plerumq;
limi-

limites propter proximam vicinam civiliter capere oportet.

Porro recens Germania, quæ nostra est memoria usitator, ultra Rhenum eatenus est extensa, ut omnes Belgas, quibus tum & olim commune cum Germanis Celtarum erat, nomen usque ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoque ultra Vistulam ortum versus, usque ad Scythas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet. Germanos quoque esse Carpathi accolæ haud ignoramus. Quapropter Germaniam duplicem fecerunt nonnulli scriptores, atque *Irenæus Episcopus Lugdunensis* vetus author, & Apostolorum temporibus vicinus *Germania Cisterhenana* meminuit, ut quæ sua ætate Ecclesias haberet Christi professione insignes. Ita *Transrhenanam, Germaniam & Tacitus & Ammianus Marcellinus* agnoscunt. Ptolemæus quoque *Germaniam triplicem* fecit, unam quidam inferiorem, quæ patet intra Mosam & Rhenum usque ad Obrincam, id est, *Mosellam*, ubi sunt Menapii, Batavi, Agrippinenses, & alii loci finitimi. *Alteram* vero superiorem intra Obrincam & Rhenum usque ad Juraßum montem, quo loci sunt Nemeti, Treviri, Vangiones, Triboci, Leuci, Raurici & Helvetii. *Tertiam* nominat magnam, quæ quicquid terrarum intra Rhenum & Vistulam est, capit. *Hic vero plerumque controversia nascitur, num Scythæ sint Germani, adrogatum quis responderet, Scythas Europæos, juxta Berossianam delineationem, a Germanis non esse excludendas, quibus ultra Tanaim & paludem Maotidæ vicinæ erant. Alii Scythæ Asiatici, tam intra Imaum, quam extra Imaum montem, quos nemo sinibus Germaniæ etiam vetustissima concluderet.* Hi autem sunt, contra quos Alexander Magnus decertavit, sed non vicit.

Rhenus Rheticarum Alpium in accessu, ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, Septentrionali Oceano miscetur.

Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare flexu meatus erumpat, septimum enim os paludibus haurit.

II.

DE DUOBUS GERMANIÆ FLUMINIBUS celebrioribus, & terminalibus.

PORRO inter Germaniæ flumina primas tenent, tum propter vicinas gentes, quibus ferè perpetua erant, cum Germanis bella, tum propter limites, qui plerisque sunt notiores, de quorum litroque est dictum quoddam Germanicum, in quo Danubius mulieri, & Rhenus marito confertur.

Die Rhonau ist aller Wasser ein Frau / Aber der Rhein mag mit Ehrenvol ist Mann sein.

Cæterum de fonte Rheni est haud parva inter auctores controversia. Hic ejus fons est, in excelso vertice Rheticarum Alpium; *Cæsar* vero eundem ex Lepontis scaturire asserit. Sic *Strabo* in *Adula* monte fontem statuit, qui hodie ab accolis *Ægel* nominatur. Neque refragatur Ptolemæus his verbis, καὶ ἐκ τῶν ὀρέων τῆς περὶ τὴν τὰς ἀλπεὶς ἐστὶν ὁ καλεῖται ἀδύλας ὄρεος. Pomponius tamen *Mela* aliquando *Luculentius*, quem sub Claudio Imperatore floruisse non dubito, describit: *Rhenus*, inquit, ab Alpibus decidens, propè *Æcipitè*, *Ænos* efficit lacum, *Vene-*

ium, & Acronium *Mox* diu solidus certus, alveo lapsus, hinc procul à mari huc & illuc dispergitur. Nescio cur *Strabo* sit diligentior solito inter Græcos scriptores, cum & populos Rhenanos, accolæ, item longitudinis, & latitudinis terminos connumerat. Hodie tamen multi exactius rimati sunt, & veteres quodammodo conciliari possunt. Est enim in summis Alpibus mons *S. Gorthardi* dictus, cui ipsa *Adula* mons connectitur, continenti quidem jugo, ut sit summam Alpium veluti brachium, aut cornu, ibi Rheni initium fit, utpote ab Orientali earum parte, ubi *Adulæ* monte conjungitur, & *Lepontii* (vulgò *die Grau-Pünter*) habitant, & ibidem duo existunt fontes; *Unus*, ut minimum, diei itinere propter montium juga distat, *Alter* est magis Occiduus, magisque Septentrionalis, non ita longè à *Ticini* fontibus. Hodie nominatur ille *Rhenus anterior*, hic *posterior*, sicut & in tabula *Ægidii Tschudi* cernitur. Verùm dum ad occidentem modicum flexum agnoscit, potius quis hunc ad ortum statueret. Nam per vallem *Æruatorum* (vulgò hodie *Tauetsch*) ad ortum currit, ubi hodie sunt *Canini*, aut juxta vulgus *Gryßones*. Labitur sic usque ad insignem pagum *Speluncam*, per *Schamis*, & *Altam Rhetiam* (sic enim arcem in excelsissimo monte sitam nominant) propè pagum *Tuscanum*, ubi fluvium *Albellam*, ab ortu contrario cursu lapsum à dextris excipit. Verùm cum hæc & multa plura ab aliis recentioribus rerum Germanicarum scriptoribus adnotata sunt, prudens omitto. Nomen autem Rheni Germanicum esse von dem *Minnen* / quod est fluere, plerisque constat.

Danubius, *die Rhonau* / à montibus *Abnobæ*, vulgò *die Naar* / oritur. Nam plerique veteres & nonnulli recentiores, ibidem ejus fontem statuunt, ad *Doneschingum* per *Suevos*, *Bavarios*, *Ostrios*, *Ungatos*, *Walachos* & alios in mare *Euxinum* exoneratur. Meo autem judicio esset *Danubius* *die Rhon-Hinab* / sicut *Menapii* sunt, den *Männ-Hinab*. Neque damnandi ad eod sunt veteres, inter quos est *Herodotus*, ejus sententia apud *Celtas* oritur, & *Aristoteles* idem refert, ἐκ δὲ τῆς περὶ τῆς (τῆτο δὲ ὄρεος δουμὴν ἰσημερῆν ἐκ τῆς καλῆς) ἔξῃ σιν ὁ, τὸ ἔσπερον τῆς ὀρεος τῆς ἰσημερῆς ἐκ τῆς καλῆς ὁ δὲ ἔσπερον ὁ δὲ τῆς εὐρωπῆς ἐκ τῆς εὐρωπῆς οὐκ ἔστιν. Sic traditur ut ex *Pyrenæo* monte scaturiat *Danubius*, qui perluit hinc totam *Europam*. Septem enim hostius, ut scribitur, *Pontum Euxinum* subit. Altera vero parte ejusdem montis *Tartelus*, qui extra *Herculis* columnas profluit. Hic merito quis de *Pyrenæo* addubitaret, cum & *Herodotus* non montem, sed urbem ex ea facit, atque hodie ex montibus non adeo magnis, (*Strabo* enim ἄξιον μετρίως ἐφῆλθ᾽ ἠγνοῖσκει, profluit duobus fontibus, quorum unus est *Prygen* ad cænobium *Divi Georgii*, in *Hercyniâ* *lylya* supra *Viligam* labitur. Alter est *Pregen* supra *Ferenbach* oppidum. Neque id indubium vocari potest, quod *Galliam Cælticam* veteres nominarint. Nam *Celtarum* appellatio, & *Gallis* & *Germanis* fuit communis, imò *Cæsar* asserit, à *Germanis* ortos esse *Celtas*. Id cuique venisimile esset, ex proxima utriusque nationis vicinia, & confinitio, atque ibidem initium *Germaniæ occidentalis* *Strabo* præscripsit his verbis, ἀρχὴ τῆς (Danubius, qui & *Ister* est) μὲν ἐν δότῳ τῶν γερμανικῶν ἀρκῶν τῶν ἰσπερῶν. Id quoque initium

mirum mihi videtur, quod Suevos, cum Ptolemaeo sine Rheti, ad fontem Danubii Strabo collocaverat; *ὅτι αἱ ἑσπεῖαι πηγαὶ τῆς ὀρεῖς ἐστὶν ἡ ἀρπυῖα*. Id tamen certum est, Suevos hodie eandem partem incolere. *Verum cum Caesar Rhenum Danubio lib. IV. praeferat, non adeo inepte cum muliere confertur Danubius, nam quoque, aquam subalbidam esse, nemo qui vidit, a dubitare praest.* Ea autem sit a nimia argilla, quae nobis est Than, copia, vel in ipso flumine, vel in ejus ripa. Quare milites, dum stativa castra, aut ad Budam, aut ad Strigonium habebamus, in vasa aquam eandem excipiebant, mox dum argilla in fundo subfederat, erat potabilis.

Plures Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos, quia nec terra olim, sed classibus advehiebantur, qui mutare sedes querebant, & immensus ultra (utque sic dixerim) adversus Oceanus ratis ab orbem nostro navibus adire. Quis, porro praeter periculum horridi, & ignoti inanis, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? in fontem terris asperam caelo, visum cultu aspectuque, nisi si paucis sit.

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae, & annalium genus est. Tuisconem Deum, terra editum, & filium Manum, originem gentis conditoresque, Manno tres filios assignant, & quorum nominibus proximi Oceani lugerones, medii Herminones, ceteri Istroones vocentur. Quidam autem licentia vetustatis plures Deos, pluresque gentis appellationes, Marfos, Gambrios, Suevos, Vandalos, affirmant: eaque vera & antiqua nomina.

III.

DE PRIMA ORIGINE
GERMANORUM.

Haec dicta sunt de Germaniae limitibus, & terminalibus duobus fluminibus. Nunc & Germanorum primam originem explorat, eosque juxta Tacitum *ἀναρχοτάτας*, hoc est, indigenas esse plerique omnes contendunt. Sunt autem hi populi qui non aliud referunt suam originem, sed ex ipso solo nati videri volunt, quales sese & Athenienses esse gloriantur. Atque hic indigenas finit, utpote aliarum gentium adventibus, & hospitibus non commistos, idque quatuor comprobatur rationibus, quarum prima est, ex consuetudine quarentium novas sedes, quibus iter marinum usitatus fuit, quam terrestre. Secunda est proximam confirmans a difficili. Nam Oceanus Germanicus est, ratio ab aliis gentibus aditur, cum sit immensus, cum sit adversus. Tertia est ab inutili, & inamæno. *Nam Germanica terra erat sub id tempus inculta, ergo informis, ergo aspera, ergo odiosa.* Idque absque controversia verum fuit propter Hercyniam sylvam, quae adhuc integram bonam Germaniae partem occupat, sed hodie vix ejusdem vestigia reliqua sunt, ita exculta est, non tantum agricultura propter agrorum fertilitatem, sed etiam civitatum illustrium magnificentia, ita ut vix regio aliqua sit, & excultior, & populosior. Quarta est ab ipsorum Germanorum testimonio. Siquidem cum tardius a quo literarum usus ad Germanos venerat, annales habebant, veluti quandam *ἱστορίας*, non scriptis relictam, sed cantilenis plerumque rhythmicis res gestas, & tempora celebrabant, quod etiamnum in desuetudinem non abiit, imò hujusmodi cantilenarum Magistri, in quibusdam civitatibus aluntur, qui quamlibet historiam, aut sacram, aut prophanam, vel ex tempore in suos

rhythmos, atque certas leges componere, & concinere possunt, inter quos saepe hujusmodi certamina Musica constituuntur, qui cantilenas non nisi (ut vocant) Magistrales, hoc est, Magisterio dignas (vulgò die Meistergesänge) aut propositis brabazis aut pignoribus depositis, in publica hominum & auditorum, & spectatorum corona, concinunt. Eiusmodi sane carminibus, ceu annalibus Tuisconem Deum ex ipsa Germanica terra natum (cujus filius fuit Mannus, & hujus rursus tres filii, *Ingevon, Istevon, & Herminon*, in quos tota Germania divisae fuit) esse constat, quibus accensentur, & alii videntur, Dii, tanquam ex hoc Deo orti, a quibus nate multorum Germanorum aliae atque aliae appellationes sunt, ut *Marfi, Gambrii, Vandalii*. Verum cum Germanorum Regum nullum, quod equidem sciam, Chronicum extet, sylvam ejusdem quandam adumbrabo, tum ut isthuc Taciti verba melius intelligantur, tum ut cui plus sit otii, eandem adaugeat & suppleat. Informabo autem bona ex parte, ex Beroso & Hebraeis.

I.

DE TUYScone I. REGE
GERMANORUM.

Tuyscon apud Mosem Ascenas dicitur, filius Gomeri primogenitus, Sarmatas maximos populos fundavit, auctore Beroso, & ab hoc Germani sunt Tuyscones, qui & hodie passim, die Teutischer nominantur. Sic a Gomero, postquam anno Nimbroti, in Italiam colonias ex Armenia deduxerat, Combrici & postea Cymbri dicti sunt, cum ex Italia decedentes Septentrionalia loca petebant, ubi & hodie *Cymbrica Chersonesus* est, quam hodie Holfati, & Schondaniani aliquot incolunt. Itaque XVI. anno post initium regni Italici factum. Tuyscon circiter Nimbroti, qui est Saturnus Babylonicus, annum XXV. regnavit. *De quo scribitur, ut Tuyscon Gyges Sarmatas apud Rhenum legibus informaverat, Anno*

Mundi, 1812. Ante natum Christum, 2150.

A diluvio universi, 355.

II.

DE MANNO II. REGE GERMANORUM.

Hic fuit Tuysconis filius apud Sarmatas Rhemini, regnavit anno Semiramidis Nini Regis uxoris VI. juxta Berosum, a quo multa nomina vel hodie apud Germanos composita sunt, ut *Harmantia* viri robore, *Madmian* vir Senatorius. Sic enim virum Manni voce passim significant. Porro sub id tempus circiter V. annos, antequam Mannus patri successerat, Isis Juno Aegyptia, Osyridis uxor, prima frugum inventrix fuit, atque tunc Zychum, quod a Nili quodam ostio, Pelusiacum, id est, Aegyptium, excoctum dicitur. Osyris autem in Aegypto & Apis, & Serapis dicebatur, sicut nobis Germanis est *Origi*, & ante Manni imperium, circiter XIV. annos, Abraham ex Tharah natus est. Regnavit autem Anno

Mundi, 1963. Ante natum Christum, 1999.

A diluvio, 306.

III.

DE INGÆVONE III.

Hic multorum sententia Manni fuit filius, quem peritum plerique fuisse scribunt. Itaque ad comprimendam & refrenandam hominum audaciam & libidinem, Academias, quæ sunt publica literarum studia, instituit. Hujus loci est, illud Ovidii:

Emolli mores, nec sinit esse feros.

Altero, post hujus regni initium, anno, vitam cum morte Noah homo afflictissimus commutavit. Regnavit autem Anno

Mundi, 2007. Antè natum Christum, 1955.

A diluvio, 350.

Ab hoc autem Germani nonnulli, præsertim circa Oceani sinus habitantes, Ingævones nominantur, qui Germanorum Etymologia (Nam Latini propter suas *æ* & *æ* subinde nomina depravant) sunt *Einwohner* qui interiorē Germaniæ partem incolunt, apud *Plinium* sunt *Vingævones* à nomine *wig* vel *wog* id est, *fluctu maris aut fluvii*, *Eswohnen* est habitare, nimirum quod sunt littorales & insulares propè Oceanum, quales sunt *Chauci*, *Cherusci*, *Fosi* & *Cymbrî*. Ita ab ejus fratre Istævone sunt Istævones, apud *Plinium* *Vuistevones* dicuntur *weissen* *Wohner*. Hi sunt in Rhenum & Danubium remoti. Quapropter Rheni ripam fecerunt olim unam quidem Gallicam, circa quam habitabant, *Celtæ*, *Helvetii*, *Boii*, *Aravisci*, *Osi*, *Treviri*, *Nervii*, *Vangiones*, *Treboci*, *Nemetes*, *Ubii*, *Baravi*. Alteram verò Germanicam appellare soliti erant quam incoluerant *Catti*, *Mattiaci*, *Uspii*, *Tencteri*, *Bructeri*, *Chamavi*, *Angrivarii*, *Dulgibini*, *Chalvarii* & *Phrysi*. Hi omnes *Wistwohner* scilicet Istævones nominantur. Hic autem Istævone circa Osyridis tempora, populos intra Rhenum & Danubium gubernavit, sicut & Berosus meminuit.

DE HERMIONE IV. Germanorum Regē.

Hermion Thuyfconum Rex, vir armis ferox, quo tempore apud Assyrios Aralius & optimo ingenio, & studio militari regnavit, ejusque tam Hermionis, quam Atalii tempore, Isaacus à patre offertur, cum esset 25 annos natus juxta Josephum, & altera promissio de omnium gentium in semine Abrahami benedictione facta est,

Anno mundi, 2768 Antè natum Christum, 1894.

A diluvio, 411.

Ab hoc sanè Germani sunt Hermiones, quos *Plinius*, cum aliquot annos in Germania verlatus sit, rectius *Herdevones* appellavit, sicut Germanis sunt *Waldwohner* cum sint Mediterranei als die *auff dem Harten wohnen* cum neque ad Rhenum, neque ad Danubium pertineant, sed sunt, qui continentem incolunt. Tales autem numerantur & Suevorum partes, & Danubii quidam accolas, *Allii* quidem sunt *Semnones*, *Longobardi*, *Reudigini*, *Aviones*, *Angli*, *Varii*, *Endofes*, *Suardones*, *Nuirhones*. Hic verò sunt *Hermunduri*, *Narisci*, *Marcomanni* & *Quadi*. Hos plagam Germaniæ partem meridionalem, quæ Danubio præterditur, inhabitasse non ita obscurum est, sicut infra suo loco singula patefaciemus.

DE MARSO V. Germanorum Regē.

Marsum, sunt qui & Martem nominant, quem Veteres Germani propter rem militarem, cohibisse feruntur, unde sunt *Dictmarsii*, & alii complu-

res septentrionales: Ceterum, circa hujus tempora Abraham cum Esau & Jacobum XII. annos natos Theologia docuerat, mortuus est annorum 175. Regnavit autem, Anno

Mundi, 2114. Antè natum Christum, 1848.

A diluvio, 457.

VI.

DE GAMBRINIO VI.

Germanorum Regē.

Vir fuit ferocis animi & invicti, apud Thuyfcones regnavit, à quo sunt nomina Germanis adhuc reliqua *Gamber*, *Cempher*, qui est contentiosus, & rixosus. Quid si & hinc Cimbris inditum esset nomen? Tunc autem *Bel Ochus* Assyriorum rex fuit à Belo dictus, Nam in Imperio suo circa Pontificatum *Beli Jovis*, & circa auspicia atque Divinationes occupatus fuit, juxta *Berosum*, cum *Bel Ochus* est *Beli amator*. Regnavit autem, Anno

Mundi, 2176. Antè natum Christum, 1786.

A diluvio, 518.

VII.

DE SUEVO THUYSCONUM VII. Regē.

B hoc Suevi, hodie *Die Schwaben* dicti sunt. Ejus autem regis patria sedes ad *Carpathum* montem, qui ab eodem Suevus nominatur, erat. Imperium quoque ejus fuit ab hoc Suevo usque ad *Rhenum*. Sub hoc autem *Ipsi Hercules Mater* in Germaniam venit, quæ postea tanquam *Dea*, præsertim in *Helvetiorum* tractu, culta est. *Hercules* verò hic *Libyus* appellatus fuit. Hujus quoque temporibus tyrannis *Busyridis* in *Phanicia* illustris fuit, atque tunc *Celtis*, inde *κατα*, appellatio mansit, apud *Celtas*, hoc est, *Gallos*, cum quibusdam Germanis per montes, quos *Pyrenæos* à conflagratione *sylvartum*, dictos nominant, ab *Hispanis* separavit. Uterque *Balei* Assyriorum regis XI. anno IX. floruit,

Mundi, 2219. Antè natum Christum, 1743.

A diluvio, 561.

VIII.

DE VANDALO VIII.

Germanorum Regē.

Tertio *Altadis* Assyriorum Regis anno, apud Thuyfcones *Vandalus* Rex fuit, circa cujus tempora *Hispanus* filius *Hispalis*, *Nepos Hercules*, ex *Celtiberis* nomen *Hispanorum* fecit, & *Galathæ* *Celtæ* *Galli* vocati sunt, & hinc *Ptolemæo* *Celtogalatiæ* est. Verum ab hoc *Vandali*, vulgò *die Wandal* vel *die Wenden* orti sunt, ex quibus hodie *Poloni*, qui *Lechitæ*, *Bohemi*, qui *Zacchi* nominantur, *Schlavoni*, *Crœati*, quorum reliquiæ sunt circa *Vandalicas* civitates *Océani Germanici* accolas, vel *ut Lubecum*, *Rostochum*, *Dantiscum*, & alia civitates, quæ etiam nunc *Vandalicæ* vulgò *die wendischen* *Stadt* appellantur. Est enim illis eadem lingua, sed per diversas regiones sunt alia atque alia *die* *lectæ*, quales sunt *Græcis* & *Germanis*. Regnavit anno

Mundi, 2265. Antè natum Christum, 2697.

A diluvio, 608.

IX.

DE TEUTONE IX. Germanorum Regē.

Verum cum hic apud Thuyfcones Germanos regnaverat, à se *Teutones*, à quibus sunt, apud *Ptolemæum* *Teutonarii*, cognominavit. Sub id tempus *Narbon*, & non *Harbon*, sicut nonnulli legere malunt, in *Gallia* Rex fuit, unde quadam ejus pars *Narbonensis* dicta: quatuor autè annis *Joseph centum* &

44
decem annos natus diem obiit. Regnavit autē anno
Mundi, 2315. Ante natum Christum, 1647.
Ad diluvio. 657.

DE HERCULE ALEMANNO X

Germanorum Rege.

Hic Thuysconum Rex fuit, cum Pharao, id est, Aegyptiacus magistratus, quippe Anemophis II. Aegyptiorum Rex, edictum de necandis Hebraeorum liberis proposuerat. Hunc tamen Herculem Germani indigerant, de quo paulo post plura. Regnavit anno

Mundi, 2332. Ante natum Christum, 1630.

Ad diluvio. 675.

Ad hunc modum quis dextrē & vetustissimas Historias, & supputationem temporis Hebraicam secutus & in Chronologia Germanorum pergeret. Dici nequit, quantum fructus discipulorum Germanicarum facerent, siquidem Regum successio sic diligentius notaretur, velut cum Herculi Alemanno patritres Reges futrogantur, ut Bojus der Dener/ Noricus der Norweger/ Huanus der Hainn. His substituantur, Ingeramus der Ingram/ Adologarius, der Adelger/ Laertes der Larein/ Ulysses der Ulyngt/ Brennus der Brenner/ vel melius Berno, Hector, der Hytar vel Hectar/ Francus der Franc. His quoque adnumerarentur, Medo primus, Ballovesus, der Waldwens/ Sigovesus Sngwens/ Helitonius der Held/ Medo secundus, Ciconius der Beco/ Laudinus der Laudin/ Lomnorus vel Leonorus, der Leonhard/ Lutharius vel Lotharus der Lusher/ Viridomarus der Wirdmer/ vel Fridmaner/ Dorulacus der Durlach/ Britomarus der Breimar/ Ariovistus der Ernuest/ qui à quibusdam Ernestus vocatur, cum sit prorsus nomen Germanicum, utpote aut gloriosus, aut potius honestatis & gloria tenax, cuius & in Gallico commentario sēpe Cæsar meminit, qui cum ejus linguæ ignarus fuerat, multa nomina in Latinarum dictionum formam sic derivavit, ut pleraque depraverit sēpe errore litterarum, quæ Græcæ Germanis familiares fuerunt. Quare factum est, ut quæ voces litera finiunt, illi elementi figura decepti substituerunt, hæc verè nobis Ehrentreich, hoc est, honorabilis, honorandus, honoris dives, illis est Orgentrix. Sic ex κασιπξ, qui est gastreich/ hospitalis, Castigum fecerunt. Sic ex Φριδριχ, nobis Fridreich, pacificator, pacis dives, Latini sœdericum, à sœdere dictum, substituerunt. Sic apud Plinium Bodomanici, sunt pro Bodenmangel, planaratis pro Wsugrad id est, rotis aratri. Hæc & alia, si quis attentius observarit, multò verius, atque vel Plinius, vel Tacitus, vera & antiqua nomina esse affirmabit.

Cæterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primùm a victore ob meritum, mox à seipsis invento nomine Germani vocarentur.

IV.

DE GERMANORUM

appellatione.

Porro hæcenus Germani ipsi Thuyscones, Cymbri, Marfi, Gambrii, Suevi, Vandali, Tungri & hujusmodi dicti sunt; sed ex Teutonibus primi Tungri in Gallias transmissi Rheno irruerunt, quas, pulsas incolis occupatas etiamnum retinent. eodem sedem Ptolemæus intra Tabudam & Mo-

sanfluvios collocat. Nam Menapii per Mosam à Tungris separantur, quorum oppidi etiamnum ruinae extant, ad utramque Jecora ripam, qui juxta Trajectum in Mosam sese exonerat. Ammianus quoque Marcellinus Tungrorum in secunda Germania, civitatem amplam & copiosam agnoscit, sicut ut hodie beneficio Maximiliani Imperatoris Handuerpia eodem loco est ditissimum emporium. Mirum est quod de Tungrorum fonte, Plinius memoriz prodiderat, nimirum quod hujus aqua corpora purget, quod tertianas febres discussat & calculos vitia. Has autem facultates & hodie vulgus Tungrorum in ruinis eorum concedit. Tungros quoque bellicosissimos fuisse, alibi Tacitus & Julius Capitolinus testantur, atque eos temporibus Diocletiani Imperatoris floruisse, ex Flavio Vopisco liquet. Ab iisdem quoque reliqua sunt nomina Tungerheim vicus, Tungersee oppidum non ita longè ab Agrippina. Fuit autem Tungrorum urbs Trajectum vetustissima, quod hodie est Mastricht id est Molz trajectus; Illos verò Divus Maternus Chistolucrisecit, ibidem Ecclesiam quam Cathedralē vocant, ordinavit. Fuit eorundem Episcopus Servatius. Verùm cum eorum urbs amplissima per Hunnos devastata fuerat, Episcopus parus Trajectum transferebatur, & post annos nati Christi 710. Leodium, ubi & hodie Episcopus Leodiensis vitam degit, der Bischoff von Lüttich. Somnia igitur sunt & fabule, cum à Trojanis Tungros ortos esse fingant. Ab his autem Tungris diu peculiare vocabulum permansit Germanis, sed commilitonibus displicuit. Quare aliud omnibus commune excogitarunt & Germanos nominarunt, insignem prorsusque virilem audaciam significaturi, quos postea superioris Germaniæ populi Almannos appellarunt; Utrinque autem ejusdem rei significatio est. Siquidem ut Germanis est nobis Germanus id est, prorsus vir, ut qui virili animo totus est, ita Alemanni dicti sunt, cum collectitia Germanorum gens ad superiorem Danubii & Rheni partem coalescisset. Quapropter Alemanni & Germani non significatione differunt, sed loco tantum. Itaque Justinianus Imperator se & Alemanicum, & Germanicum appellare solitus est. Communis est verbum Germanorum, sicut & ex Commentario Cæsaris deprehenderelicet. Eburones inquit; Pamanos, Ceresos, Condrosos omnes uno nomine Germanos appellatos fuisse. Figmentum judico Germanos esse tanquam fratres Gallorum, cum sit Teutonica dictio ex gar/ seu ger/, quod totum seu robustum (unde est nobis ein Kerle/ Charolus) & Mann/, quod virum significat, conflata. Nam appellationes mirum in modum Nostratibus etiam hodie gratissimæ sunt. Neque à Romanis inditum est nomen, ut creditur, neque Strabonis auctoritas quempiam moveret, cum non tam bellè inter Romanos & Teutonas conveniebat, ut legatos propter elegantiam Latinæ linguæ Romam mitterent. Atque cuilibet genti ea trixera pulchriora videntur. Quare Tacitus Germanos vocari nomine à se invento affirmat. Germanorum quoque nomen vetustius esse ex Cæsare qui Germanos & nos Tungros habet, conjecturam facere cuilibet integrum est. Neque verò mihi displicet Alemanos dictos esse à collectitia Germanorum nomina,

nu, & non ab Hercule Alemanno. Nam circiter Probi Imperatoris tempora, varii Germani, ut Helveti, Vindelici, & alii vicini Romanos ex provincia expelleret onati sunt, atque sic collecti Alemanni nominabantur. Hinc factum est ut *Rhetia superior, in Alemanniam abiit*, sicut ex *Anniano Marcellino* non est obscurum, unde in Vindelicia est *Mmangen*; Etiam si Vindelici diu Rheta fuerant: tamen Vindelici plerique Alemannorum nomen receperunt, quorum virtute Romanorum cohortes praesidiarias retinuerunt. Est & bona Helvetiae sub Alemannia pars: Ex quibus facile colligitur, Alemannos esse *altesey Mann*/praesertim apud Vindelicos & proximos vicinos Helvetios.

Fuisse apud eos & Herculem, memorant. Primumque omnium virorum fortium iuri in praelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem *Barritum* vocant, accendunt animos, futuramque pugnae fortunam ipso cantu augurantur, terrent enim, trepidantque, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur. Affectatur praecipue asperitas soni, & fractum in murmur objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat

V.

DE GERMANORUM, CUM ITURI

sunt in praeliis, invocatione & barritu.

HAUD multo ante Herculis Alemanni meminimus, Germanis est potius fortalis *Mmanni* quam *Mman*; cuius nomen iisdem est *Ercle Bojorum* Pater: propter fortitudinem Deus fuit Germanis juxta cum *Iside Matre*, hunc autem praeliaturum Germani invocant, hymnumque cecinerunt. Notum autem est, ut varia Herculis sunt apud Graecos potissimum etyma, atque diversos fuisse Hercules nos quoque in commentariis epigrammatis Virgilio inscripti, de laboribus Herculis nonnulla adnotavimus. *Verum in Mars inter Deos Germanorum tutelares, qui τρωιδιαι sunt, numeratur*, haud multo post explicabitur. Invocabant autem propter secundiore belli eventum. Nam Mars est *αμαρροσακος*, & apud Latinos communis, aut juxta *Varronem* est, qui maribus in bello praestit, aut juxta *Ciceronem*, quod omnia vertat. Itaque Graecis est *αμαρ* vel *αμαρ* τω *αμαρ*, quod est tollere & interficere, vel ab *αμαρ* id est, damno, & calamitate. *Plato* Germanorum voto suffragari videtur; *αμαρ* τω *αμαρ* vos, quod viriles & *Charolos* efficiat. Idem *αμαρ* λαξιος a sono confuso, qualique voce non articulatam, sicut & *βρηπιος* late sonans, utpote a voce & strepitu militari, quo pugnantem in praelio utuntur. Sunt enim qui gruum vocem imitantur, ut *Troes Homerici*, & hodie *Turci* milites. Sunt qui asininam vocem exprimunt. Quare & olim propter eandem vociferandi rationem nonnulli Marti asinum jugulabant. Sunt qui elephantum vocem representent, ut est Germanorum *barritus*, qui Elephantum vox est, & *barrire* juxta Festum familiariter elephantum conceditur, cuius ususerat, sicut ex *Tacito* liquet, aut ut hostes isto tam dissono vocis tumultu perterrefacerent, aut ut omen belli inde colligerent, aut ut esset ad erigendos animos quoddam *προσκληνμα*. Quae consuetudo & *Scythis* fuit, cum classico dato pugnam inierant, primo occursum ad ardorem excitandum vehementissimo clamore occurrebant, qui si consonus fuerat, neque impar, neque varius, neque dissonus, alacres praelium faciebant, cum sibi futuram victoriam polliceban-

tur. *Talis enim clamor voluntatis & animi cuiusque est index*. Sic enim in hoc congressu militari clamor animorum impetum significabat, qui magnarum victoriarum saepe causa est. Eodem modo & Germani suo *barritu* futurae pugnae fortunam augurabantur. Quare *Vitruvius lib. III. cap. 18.* *Clamor*, inquit, *quem quidam barritum vocant, non prius attolli debet, quam acies utraque sese junxerit*. Ubiis & *Treviris* in more positum erat, ut virorum cantu & foeminarum ululatu terrorem hostibus incuterent, voceque tumultuosa obtunderent. Si quis vero alias etymologias inquireret, per me licebit.

Ceterum & *Ulysses* quidam opinantur longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniae terras, *Asciburgium*que, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum, nominatumque *αχρηπιον*, *Aram* quinetiam *Ulyssi* consecratam adjecto *Laertae* patris nomine, eodem loco olim repertam, in monumentaque & tumulos quosdam Graecis literis inscriptos in confinio Germaniae *Rhetiae*que adhuc extare, quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est, ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem.

VI.

DE ULYSSE GERMANICO,

Et tumulis cum Graecis inscriptionibus.

SUPRA *Ulysses* inter Reges Germania sicut & *Larrem* ejus patrem connumeravimus, utrunque Germanum, non *Ithacensem*. Itaque *Tacitus*, *Fabula* ne sit an *Historia*, subdubitavit. Et si quis tempora nostratis *Ulyssis*, & *Ithacensis* considerat, potius fabulam judicabit. Deinde neque ex erroribus *Ulyssis* *Homerici* eum in illum tractum pervenisse constat. *Fingunt* autem *Ulysses* post *Trojam* devastatam (cujus Comes fuit *Genops*, cum domi *Leodem* reliquerat. Hujus enim subinde vel inter procos *Penelopes* *Homerus* meminit) *Asciburgium* pervenisse. Id erat oppidum infra *Coloniam Agrippinam* non procul a *Xantho* *Cliviae* ditius municipio admodum celebri, & in exiguum abiit vicum, cui etiamnum *Aschelburg* nomen est. *Nam quae hoc, Emerich faciunt, parum sapere mihi videntur*, Uterque longa & diutina peregrinatione defatigatus, *Ulysses* quidem ut sociorum animos teneret, *Asciburgii* nomen in *αχρηπιον* vertit, veluti si non verò promontorio *Ithacae* *Nerito*, certe ficto se oblectarent. *Oenops* verò, ut desiderium *Leodis* filii, quo tenebatur, mitigaret, ad *Mosam* urbem condidit *αχρηπιον* & a filio suo appellavit, quod praesertim per *Carolum Magnum* instauratum, vel hodie floret. Haec autem in medio relinquemus discrimine. Nam solus *Homerus*, si *historiam* secutus est, mediocriter istud ipsum refelleret, Erant & *conjecturae duae*, quibus *Historiam* esse colligebant. *Prior* quidem est, ex inscriptione arae, patris nominis accessione. *Posterior* est ex epitaphiis, quae Graecis literis conscriptae erant, & has eo ex *Graecia* *Ulysses* attulisse creditur. *Verum illi ipsum alius, ne fabulis irruamur, repetendum esse dixit*. Constat apud *Europaeos* tantum duarum nationum literas fuisse, *Graecorum* & *Romanorum*, quibus erant & *Monarchiae*, sicut *Jydaeis* erant *Hebraeae*, sed in *Asia*. Itaque *Barbarici* notam *Germani* & *aliae* proximae gentes subterfugere nequirant, usque ad *Tarquini Prisci* tempora. Nam tunc *Phoen-*

censes in Joniz (quæ hodie Turcico nomine Queis dicitur) capite, in Galliam Narbonensem navigantes, in eodem littore Massiliam condiderunt, juxta Eusebium, & Justinum *libr. XXXIII.* ubi Schola instituta erat, quod, propter ingenii cultum & Romani suam Juventutem ablegarunt, ut Græcas literas condiscerent, juxta *Strabonem libro IV.* Ita hinc in Gallias lingua Græca propagata est. Quare *Strabo* *Φιλέπηνες*, inquit, *κατεκίναζε τὴν γαλατίας, ὡς καὶ τὰ συμβολαία εἶδη, ἰσι γράφειν.* Quod est, Massilia Gallos linguæ Græcæ studiosos ita fecit, ut contractus & pacta Græcè scriberent. Sic & *Cæsar* in *6. de bello Gallico*, Gallos in omnibus ferè rebus publicis & privatis rationibus, Græcis literis usos esse testatur, atque idem *Julius Cæsar* in Helvetiorum castris tabulas Græcis literis conscriptas reperit. *Postquam verò Romani Gallias subjugarunt*, & vicinas regiones, mox in easdem certis institutis & suam linguam, *leges atque mores pro viris plantarunt.* Ita Galli prius Latinis literis usi sunt atque Germani. Hi enim circa tempora Caroli Magni, utpote anno 800. post natum Christum, Græcis literis Germanica scripserunt, sed admodum, (ut sit) in principio, rudibus. Itaque omnes rationes & acta Græcè usque ad tempus Rhudolphi Cæsaris Habsburgensis, unde sunt Ostriaci Archiduces. Tunc enim Germanicæ literæ latinis literarum elementis conscriptæ erant, quemadmodum ex vetustissimis rationibus adhuc reliquis id ipsum multo certius colligere licet. Atque lingua nostra (quæ à veteri Celtica aut nihil, aut certè parum differt, nisi quod *κρῶσις*, & quædam vocum permutationes nimis exiguæ ex literarum affinitate discrimen facerent) idem confirmat, præsertim in rerum nomenclaturis, quæ partim Latinæ sunt, veluti in corporis humani partibus, est caput *ειν Κοψ* / est oculus *ειν Aug* / est nasus, *ειν Νασ* / Sic & in aliis rebus non ita pauca sunt nomina, ut caseus *Νάψ* / pyræ *ειν Βίρν* / rapum *ειν Νίβ*. Partim Græcæ, ut βρόζ *ειν Βρόδ* / pro pane, *Βύτν* / Butter / *βύζ* *ειν Βήν* / *μύλ* *ειν Μύλ*. Sunt & ex utraque lingua communes, ut Oryza *Νεϊβ* / *μαϊνάλ* *ειν Μαντελ* / *νους* vinum *Βεϊν* / Minus tamen Dialectos, aut Celtica, aut Saxonica ejusmodi verba depravare consuevit. Nam superiores Germani diphthongo plus quàm satis adamant, sicut Saxones abominantur.

Ipsæ eorum opinionibus accedo, qui Germanicæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim æstunisque tolerare, frigora atque incediam cælo solvere assueverunt.

VII.

DE GERMANORUM CORPORUM HABITU.

Vel hinc Germanos esse indigenas Tacitus confirmat, quod omnibus Germanis in tam populosa Regione omnium corporum habitus idem sit, quod s. rationibus approbat, *cæruleis oculis, rutila coma, corporibus magnis & validis, quibus gravior est frigidior regio quàm calida, quæ in eadem commodius quam sitim perferre possunt.* Hæc autem notæ non

sunt in tota Germania perpetuæ. Usu enim quis comperit *primum*, ut oculi non omnibus sunt cærulei, sed & nigri & subnigri, *Deinde* coma est flava iis magis, qui ad parallelum 16. cohabitant. Nam in parallelis 14. & 15. nigriorem habent cæsarum. *Contra* qui circa parallelum, vel 8. vel 9. supra incolunt, multo albius capillus est. Et si ex quorundam humorum in corpore redundantium fumo capillum color nascatur, tamen non parum ad hunc & aer calidus, vel frigidus facit. Ubi enim est calidior, ibi & pluraque nigricant, ubi frigidior, ibi albicant, quod tum experientia, tum ratione caloris, & frigoris natura sumpta, non potest esse obscurum. Itaque non parum referret, & in Germania mundi inclinationes, quæ sunt *κλίματα*, observasse. Certum alioqui est pluresque in secunda Germania esse albiore, quàm in prima, cum magna sint medii veluti coloris, inter nigriorem & albedinem, ubique non paucos esse comperimus, quorum capillus est rutilus. Ad hunc modum de totius corporis colore, cum ex victu, & aere atque loco, tum verò ex natura certi humoris in eodem exuperantis quis differeret. Quare fit, ut de colore Germanorum inter omnes non conveniat. *Nam & Galenus duo vocabula, ut sunt πύργος, & ξανθός, in commentariis super Polybum de victu, sic se jungit, πύργος, plerisque est fulvus, sicut aurum fulvum est, sed revera est rufus, ita ξανθός flavus, sicut aurum fit, ut πύργος, sint iidem propter colorem rutilum, qui ξανθός.* Quare fit ut horum nominum sit subinde abusus, *ὅτι οἱ Ἕλληνες εὐμαχίζου τοὺς γερμανοὺς ξανθούς, καὶ τὴν γὰρ ἰστέον ξανθούς εἶναι ἀκριβῶς εἶλεν καλῶς, ἀλλὰ πύργος.* *Postremo*, corpora & magna, & valida seu firma ad impetum faciendum Germanis, *Tacitus tribuit*, quorum aliquot sunt laboriosa, minus sicut quàm inedia patientia, quibus frigidior aura aptior, quàm calida est. *Primum* magna corpora sunt nimirum quadrata, quæ habilitissima non admodum neque gracilia, neque obesa. Græcis sunt *εὐχερατα*, juxta Galeni expositionem, qui sic ait, *λέγεται εὐχερατος, ὅτι εὐτε εὐχερατος εὐτε ἀσπρῶν ἀλλὰ εὐχερατος εὐμαχίζου.* Procreantur verò magna ex magnis, cum semen genitale ex omnibus corporis partibus, in uterum inspergatur, ex cuius non jactu, ut nonnulli credunt, sed & derivatione, & propagatione magna ex magnis, parva ex parvis, clauda ex claudis, juxta Hippocratis sententiam enascuntur, ita ut simillimi parentibus filii prodeant, non tantum forma, sed & magnitudine, atque adeò temperata, nisi *μοιχικὰ λίαντα*, intercederent. *Quapropter apud Lacedæmonios Archidamæ Rex pessimè audiebat, quod brevioris stature Uxorem duxerat. Nam propter hanc ejusdem stature liberos fore timebant.* Notum est vel ex *Virgilio* vel ex *Homero*, ut procerior statura præferratur in Heroibus laudatissima fuerat. *Deinde* corpora Germanorum, ut sic dicam, benè habituata, quæ Græcis *εὐχερατα* sunt, cum iisdem *εὐχία*, quæ *Cicero*ni est firma corporis constitutio, sicut infirma *καχεξία*. Atque Galenus ad *Thrasibulum* ait, *εὐχία ἀδὲν ἀδὲν ἰσῶν, ἢ εὐχίονα ἔστι, ἢ εὐχίονα διὰ τὴν μόνιμὸν ἰσῶν*, hoc est, affectio stabilis benè se habens atque consistens. Quare idem in libello exhortatorio, ad discendas bonas literas, *εὐχίονον* *ἴσῶν καὶ δὲν ἰσῶν*.

ὅταν διδῶσιν. Hæc autem attenditur in corporibus aut ἀραιῖς, aut πυκνῖς, quorum posteriores homines πυκνότεροι sunt, quorum ἰσχύς, velociter permutatur, sicut & Polybus quadam sententia testatur, ubi Galenus & causam adiecit. ne dogmaticis medicis prorsus assentiri videretur, εἰπεῖ, inquit, τάχιστα γίνεται. Ἀλλ' τὸ δυσφοροῦν, ἀναγκαζομένη δύλοιός τι μεταπίπτειν, εὐθὺς δὲ εἰς ἀσπίται γίνεσθαι, καὶ τὴν λύσιν, hoc est, Evexia subito propter difficilem per halitum digestionem concidere cogitur. Egregio sanè verbo hic usus est, sicut alibi Hippocrates, εὐμύθηται, aut εὐμύθησι, id est, extenuationem, concidentiam, contractionem vocat, videlicet, cum moles corporis confidat, & concidit, in qua requiritur ἀναδραψίς, nimirum cum corpus emaciatur, & concisum refocillatur & reficitur. Postea, corpora Germanorum, non sunt ex aquo laboriosa, cujusmodi in omnibus nationibus esse haud dubito, atque corporum vires atque consuetudo attenditur: Adhæc, eadem magis frigora, quam æstum tolerant, id fit, cum consuetudine, tum natura ductu, qui rebus similibus gaudet. Postremo in ediam facile perferunt, sitim non ita. Quod si Germani bona ex parte temperaturæ essent frigida & humidæ, hoc est, si pituitosi essent, tam sitim, quam in ediam ferre possent. Verùm audiendus est Galenus, qui non adeo ab illa sententia discedere videtur. Nam is in 2. de temperamentis, Gallis, Germanis, Thracibus & Scythis esse frigidam, & humidam cutim affirmat, ideo est mollis, alba, & pilis unda. Contrà, & Ethiopibus, Arabibus, & iis qui ad meridiem cohabitant, cutis est Æstia, dura, sicca & nigra, tum propter æstum ambientem, tum propter calorem naturalem foras æstum. Idem in Commentariis Hippocratis Σανδμύων Gallis, Germanis & Scythis tribuit temperamentum humidius, sed de frigiditate controversiam adhuc esse asserit, ubi quoque de oculorum colore breviter differit, quod quamcumque oculis vel caruleis, vel cæcis conveniat, hoc loci non planum faciam, ne longius à re presente abuisse videar. Etiam si olim ἀνατομῶς corpora Germanorum disseccare maluerant, quibus de causis incertum est, veluti in bello, quod contra Marcum Antonium gerebatur, tamen præter viscerum situm nihil aliud animadvertere, ut ait Galenus, potuerant. Verùm in dubium dicta Hippocratica non immeritò vocarentur, si quis aliquanto attentius observaret, veluti de Scythis, sub quibus & Germanos prærosque comprehendisse Hippocratem arbitror, cum eos ad Tanaim collocat & citra, ubi Sarmatæ incolunt, iisdem colorem fulvum tribuit, rationem addit propter frigus ingens. Nam sol vehemens ad eos non accedit, & à frigore albedo exurit, & fit sylvæ. Quid in multis? rationes ex locis, quos & Hippocrates agnosuit, communes afferenda sunt, vel ex anni temporum permutatione, aut æquali, aut inæquali, sicut Asiaticæ quibusdam Europæis discernuntur, aut ex consuetudine & legibus, ut cum Scythis, quod est hoc loci Tartaris etiam μωροκέφαλοι, gratiores sunt, itaque in prima ætate eorum corpora sic formantur. Ita cum Asiaticæ natura timidiores effeminaiores & imbelles præ Europæis existant, tamen ex legibus bellaces esse solent, sicut & hodie Gedrosii, Persici, & Asia-

tici, potissimum, velites plurimum collaudantur, vel ex certa aut aeris, aut habitationis aut aqua ratione. Quare Hippocrati Phasiæ, id est, Phasidis Colchorum fluvii incolæ sunt ingenti magnitudine, corpulentia valde excellenti, & alia, quæ ibidem subsequuntur. Ita in Germanorum corporibus hæc capita adnotanda sunt. Bellacissimi enim sunt, non tantum natura sed & consuetudine diuturna, præsertim cum eorum Magistratus, ἀντοκράτας seu ἀντεβασίς, Monarcha sit. Bibaces quoque Tacitus Germanos facit, & non edaces, id quoque ad consuetudinem referendum est, & non ad naturam. Nam cum ventres eorum propter frigus externum sint calidiores juxta Hippocratis sententiam (sic enim occlusis meatibus cutaneis, calor internus non expirat, sed magis adaugetur) voraciores quoque essent, & sicut revera sunt. Quare potissimum tempore hyemali admodum famelici existunt. Audentia quoque & firmitudinis tum ex interno calore procordiorum, tum ex assiduo exercitio rationes peterentur.

Terra etsi aliquantò specie differt, in universum tamen aut sylvis horrida, aut paludibus fœda, humidior quàm Gallias, ventrosior quàm Noricum ac Pannoniam aspicit, latius ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed pleiùmque improcera, ne armentis quidem suis honor, aut gloria frontis, numero gaudent, exque solæ & gratissima opes sunt.

VIII.

DE TERRA GERMANORUM.

ET si variæ sunt ubique terrarum formæ, tamen quæque Regio à propria, quæ & familiarior est, bona ex parte nominari solet, atque hoc modo Germanorum terra, est sylvestris propter multos saltus, palustris, cum passim multæ profluant paludes, ventis exposita, præsertim Septentrionalibus, pecorosa & armentosa est. Nam opulentia Germanorum in re pecuaria maxime consistit, qualis fuit, & Patriarcharum & veterum Regum & Heroum. Quare apud Homerum Regibus suum erat τίμειον, & Ulysses decantatissimus ab omnibus, pecora atque armenta apud Ephyræos, id est, Corinthios vendidit. Sic & Iob, qui opulentus describitur, gregibus pecorum & armentorum abundavit. Itaque Reges & Magnates propter eorundem copiam & numerum, passim & in Sacris & in Prophanis literis collaudantur, atque à pecore pecuniæ nomen natum est, atque Plinius pascua eorum laudatissima fuisse contestatur. Veteres quoque Germaniam non nihil iisdem de causis damnarunt, ut Seneca de Dei providentia, Germanis ait, perpetuam hyemem, & cælum turbidum, &c. Item de gubernatione mundi, Germanis esse incertas sedes asserit. Sic & Mela, Germaniam esse desertam, propter multa flumina pronunciat. Titus Livius quoque Germaniam esse sylvam & solitudinem affirmat. Verisimile sanè est, veterem Germaniam Hercynia sylvæ circumdatam fuisse, in qua Suevi, Franci & Norici inclusi erant. Jam verò ita exulta est nova Germania, ut Hercyniæ sylvæ vix reliquæ in montanis videantur, & sunt iisdem sua nomina, veluti à nigrore abietum Nigra sylvæ, ab Othonis Imperatoris frequenti venatione, sylvæ Othonis, unde est nobis der Othenswald Tyringiaca, Bojehemica, in quibusdam tamen parti-

bus Hercynia sylvæ nomen non est expunctum & obliteratum & dicitur, am Hær. Nam Hercynia nomen profus est Germanicum; & ab Hær. id est, resina & pice, cuius magna isthic est copia, derivatur. Alii cum lingua Germanicæ sint imperiti, aut ex Græcis, aut ex fictis quibusdam historiis eryma divinant & derivant. Neque verba Taciti de tota Germania accipiuntur, sed de ea, quæ & Rheno & Danubio concluditur. Siquidem tota Suevia, inferior Bavaria, & Franconia eadem sylvæ obducebatur. Neque in reliquiis hujus sylvæ hodie sui incolæ desunt, præsertim in convalibus, quibus insignes annes effluunt. Celebrerrimæ quoque urbes intra CCC. annos postquàm imperium ad Germanos translatum erat, exortæ sunt, cujusmodi visuntur, *Noriberga, Ulma, Herbiopolis, Bagberga, Vratislavia, Amberga, Norlinga, Heilbrunnæ, Heidelbergæ, Stuckgardia, Tubinga, Friburgum*, & alia penè infinita oppida. Nemoris quoque Hercynii reliquiæ in montibus *Luna & Sudetis*, id est, montibus *Bohemis*. Quotidie propter metalla, quæ in eorum circuitu plurima est, succiduntur, & insignes urbes metallifera intra paucos annos ibidem extructæ sunt. Pertinet tamen ea adhuc per limites Poloniæ, & Pomeraniæ, usque ad Dantiscum, ubi & mons & sylvæ, sicut ipse in meis peregrinationibus vidi, desinit, cuius una pars *Havelsper*, est, & altera Episcopalis mons *mœnibus* ejusdem urbis penè incumbens. Videntur & ejus vestigia circa Daciam, & Pannoniam inferiorem prope *Castoviam* non exigua.

Argentum & aurum propitiæ an irati Dii negaverint, dubito, Nec tamen affirmaverim, nullam Germanicæ venam argentum aurumve gignere, quis enim scrutatus est? possessione, & usu haud penè afficiuntur.

Est videre apud illos argentea vala, legatis & Principibus eorum muncii data, non in Asia vilitate, quàm quæ hactenus finguntur, quanquam proximi ob usum commerciorum aurum, & argentum in precio habent, formasque quædam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eligunt, interitotes simplicius, & antiquius permutacione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem, & diu notam, Sertatos, Bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectatione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usus est. promiscua ac vilia mercantibus.

Ne ferium quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur, hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt angusto & brevi ferro, sed ita acuti, & ad usum habili, ut eodem telo, pro ut ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent: & eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites & missilia spargunt, pluraque singuli atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves, nulla cultus jactatio. Scuta tantum lætissimis coloribus distinguunt paucis lorica, vix uni alteriye calsis aut galea.

IX.

DE METALLORUM INOPIA APUD

Germanos, quæ ex horum mercatura, nominis mate, & telorum genere colligitur.

Sæpe antea admonuimus Tacitum Germaniam, qualis suo tempore fuit, conscripsisse, circa quod & Plinius vixit, qui in Hispania metalla mirum in modum collaudat, atque tum æris metalla, in Germania reperta fuisse memorie prodidit, atque specus quarendis argenti venis Curtius Rufus reclusit. Cur autem metalla Germanis non sint, triplex hic ratio est, *Una*, quia Dii irati ipsis non concedunt, ita ipse tot, & tanta dona Dei Opt.

Max. beneficia agnoscit. *Altera* est, quia metalliæ rei periti delunt, cum nemo homo, qui isthic aut ex venis, aut ex commissuris lapidum, metalla inquireret. Nam *meta*, Græcis est idem, quod Latinis sciscitari, curiose exquirere, nimirum quod percontatores unum de alio vestigent, atque eliciant. Quare multis sunt, *meta*, tanquam *meta*, quod & Plinius libro XXXIII. capite 6. explanat. Ubique autem una inventa vena est, non procul invenitur alia. Hoc quidem & in omnifere materia, inde metalla videntur dixisse. Siquidem non solitarie, sed simul & cum aliis eorundem venæ reperiuntur. Itaque metalla essent hac ratione, quod cum aliis, hoc est, *meta*, vel *meta*, id est, post alia reperiuntur, *Aristoteli* quoque sunt *meta*, quod inquirantur, dicta, etiamsi ejusdem authoris *ta*, si quis ad vivum reseraturus esset, sine inquisitione non indagantur, tamen civili quodam modo fossilia, à metallis, quæ veteribus erant nota, diligenter separari possunt. *Tertia* verò ratio est, quia Germani, studio, usu, & *meta* metallorum, non penè inde sese oblectarunt, idque ex continentia Germanorum comprobatur. Nam in eodem loco illis pocula argentea, quo fictilia & Samia tam sunt, quàm habentur æstimanturque. Optandum per Charitas est, si quid votis proficeretur, eandem virtutem etiam hodie apud nostrates perdurare. Hinc factum est, ut olim nummorum tantus usus non erat. Nam juxta Tacitum proximi, hoc est, nobis Transrhenani Germani, in mercimoniis aurum & argentum non adeò repudiabant, & typos Romanæ monete non ignorabant, sicut etiam nunc passim in eadem parte vel in agris ejusmodi moneta eaque varietate Romani nominis ab agricolis invenitur, in qua imagines Cæsarum cum inscriptione, & titulis & symbolis ceu emblematis signata videntur. Imagines autem Cæsarum non semper propriæ sunt. Nam *Neroniani nummi* habitum *cyharedis*, *Serviriani* typum *Alexandri Magni*, *Octavianus* *sydus* *Capricorni* inculptum habebant. Ita Germanis utilitiores fuerunt nummi, propter *ferra*, notam *ferrati*, ita *Romanis* à *bigis biguti*, à *quadrigis quadrigati*, & sicut in illis imago duorum equorum currui junctorum, ita in his IV. equorum submissorum expressa fuit, ita à victoria Victoriati. Fuerunt enim & olim non minus atque hodie singulis gentibus sua symbola & typi cum inscriptionibus, veluti *Peris* *stateres* *Dareici*. In *Philippeis* erat *bovis imago*. In *Alexandreis* *mula currui juncta*. In *Atticis* *noctæ signum* videbatur, Næ multa occidentalibus, & meridionalibus Germanis tales nummi propter mutua commercia in proxima vicinia frequentiores erant, & præsertim argenteos, cum sint communiores in emptionibus & venditionibus, & *meta* magis ad amabant. Verùm Germani interiores, hoc est qui nobis sunt citra Rhenum ad Vistulam usque rerum permutatio in usu fuit, cujus usus in plerisque locis nondum in desuetudinem abiit, & plerumque aut *Wahr umb Wahr*, hoc est, merces pro mercibus aut *Stich umb Stich*, à veteri emptionis ut arbitror, ritu nominant. Ad hunc modum Homericæ Reges non pecunia, non ære signato, sed mercibus, vinum, æs & ferrum coemere consueverunt. Sic enim *Iliad.* canit.

ἰθὺν αὖ δεικνόντο κάρηκόμοιοι ἀχαιοί,
 ἀλοιμὴν χαλκῶ, ἀλοιὴ δ' αἰθῶνι σιδῆρη.
 αἰθῶνι δὲ ῥινόισι, ἀλοιὴ δ' αὐτοῖσιν ἑοτόσῃ,
 ἀλοι δ' ἀνδρῶν περὶ. τῆθεντο δὲ δαῖτα βαλλάν.

Hujus & Aristoteles in politicis meminit, & maxime eam commendat. Negat quoque Germanis ferrarias fodinas esse. & colligit; quia Germanorum tam peditum quam equitum tela parum ferri habent. Itaque obiter eorundem armaturam paucis recenset, in qua *primum septem telorum genera* numerat, quorum primum est *gladius*, quo cincti, & caesim & punctim ferunt, lancinant, & hostem petunt. Rariores tamen Germanis propter ferri inopiam gladios tribuit, *Alterum est telum lancea major*, id est, hasta oblongior, qualis erat Phalangi Macedonicæ sarissa, longo ferro in mucrone munita, & multis est lancea à latitudine ferri dicta. Est quidem teli genus longissimum, & Gellius ex Varrone *dictionem Hispanicam & non Latinam* asserit, & qui milites lanceam gerunt, *Lancearii sunt*. *Tertium est framea*, quæ ipsa hoc loci est hasta sed brevior, quasi dimidiata sarissa, à nobis hodie dicitur, ein halb Stange, & verè est *spiculum*, id est, *lancea brevis*, cujus ferrum erat, sicut & hodie *triangulum unciarum* nomen, & hoc est, Græcis λόγχη nobis ein Lonchi. Hastile autem pedum penè sex, interdum & octo est, & cum sit quoque missile juxta Vegetium, prudenter hic telum esse ait, quo & cominus & eminus, magis tamen punctim, quam caesim pugnatur. Hic tamen cum ferri copia desit, λόγχη brevem & angustam fecit, atque frameas à Germanis vocari tradidit, cujus nomen esse reliquum nobis nondum audivi, nisi quis stylum prælongum cultellis affixum similitudine quadam, quem etiam num, ein Pfriem, nominamus, intelligere malit. Malè cum Rhomphæa, quæ ingentis erat latitudinis apud Latinos Grammaticos confectum, ab ea derivatur. Hic enim prorsus Germaniam dicit omnem esse affirmatur. *Solebant quoque Germani in experimentis, & tyrocinio adolescentulos suos frameis, & scuto exornare.* *Quartum est scutum*, quod equiti tribuitur tanquam familiarius telum. Ita Romani ferè peditibus clypeos, & equitibus scuta dederunt. Deinde in eodem colore variis distinguuntur, sicut Græci frequenter *russariis*, *Carthaginenses albis*, *Corinthii rubris* utebantur; Sed hic tantum colores lectissimi habebantur, Græci quoque *diversa insignia* addiderunt & numina, vel *Neptuni*, vel *Gorgus*, vel *Minerva*. *Agamemnon caput leoninum*, *Alcibiades Cupidinem* cum sagittis retinebat. Nota sunt scuta *Achillis* apud Homerum, *Herculis* apud Hesiodum, *Æneæ* apud Virgilium. Sunt & *cecrasi*, cum cetræ sint scuta, ex loro rhombocide, sicut peltati, cum pelta sit *scutum breve luna instar*; & tales erant in principis milites ἐμότιμοι. Lucani quoque scuta, ex vimine contexta coriis tegebant. Verum hodie *Sarmatarum* & *Turcarum* scuta, ex nervaceis partibus concoctis, & compactis, corio obducta sunt, in quibus plerumque *vulvres* & *voraces*, quæ sunt Homero δεινὸν, depictæ sunt, & sicut Alexander Macedo suos scutatos ab argenteis clypeis ἀργυροσπίδας, ita Alexander Severus χρυσοσπίδας nuncupavit. *Quintum*, missilia complectitur, vetustioribus ἑλάν tela, ut *sagitta*, *lapides*, *jacula* erant, sed hodie, cum ænea

tormenta inventa sunt, longè alia & missilia sunt, velut ex sclopetis glandes, ex *bombardi globi ferrei*, plerumque centum libras plus minus graves in hostes eorumq, mœnia mittuntur. *Sextum loricas*, id est, *tunicas strictas* olim ex loris; hodie ex ferreis annulis intertextas continet, & sunt pectoralia, Græci βύρακες, sicut Homero sunt λινοβύρακες, hoc est, lineo thorace induti. Scythæ hodie ex bilice, cui gossipium cum frustellis vitreis suffarctum est, tessellatim & augustius consuunt, ein Pauser. *Septimum*, est *galea*, quæ & *castis* est, atque paucos Germanos esse galeatos propter ferri defectum pronunciat. *Verum de Germanorum armatura, si quis desiderat, eundem Tacitum libro II. annalium & alibi passim legat, voti sui compos erit.* Porro isthæc, sicut sua memoria auctor usu comperit, scripta reliquit, ut qui non penitus Germanis metalla denegarit, sed perstringit eorum studium aliquanto negligentius. Dicit enim, quis nam venas auri, & argenti scrutatus est? *Plinius* tamen *araria metalla inventa fuisse suo tempore testatur.* Verum hodie Dei Opt. Max beneficio *vix ulla in toto terrarum orbe Regio est*, propter metallorum, & diversorum copiam *Germania conferenda*. Siquidem passim *metalla plumbaria, araria, ferraria, argentaria, auraria, & alia id genus*, videlicet juxta *Noricas alpes*, juxta *Inrassum*, juxta & intra *Sudetos*, juxta *Carpathum*, juxta *Suittonum* montana hodie celeberrima sunt, quorum nomina si quis cupit, & vetera, & nova, Georgii Agricola intra metalla nati, & rei metallicæ, si quis alius, peritissimi, egregia scripta perlegat. Quid quod & in nostra vicinia apud *Lygids*, quos hodie *Silesios* nominamus, in eâ parte, qua est *Saganum, Sorabium, Sprotum, & Gortivium* tanta ferri copia est, ut lapides passim sub summo cespite inveniantur, & quod mirum est, Imperio, ut iisdem in locis illi ipsi renati sint; sicut ferri copia perpetua suppeditaret. Tertio autem ab hinc anno dum *Corruduno* usque ad *Maringos*, id est, *Cracovia*, quæ minoris Poloniæ, & regia & caput est, usque ad *Ducatum Opaliensem* *Vratislaviam* versus iter feci, metalla plumbaria, & argentaria admodum insignia vidi; ut *Ulcoschi*, quod *Cracovia* tertium usque ad lapidem distat, & *Tarnobii*, circiter VIII. M. P. ab *Opalio*, cujus mœnia & arcem *Viadrus* noster interluit, dissidentis metalla argentaria eaque feracissima, ex quibus aliquot puri argenti pondo non semel erunt sunt, & inde omnia numismata in tota *Sarmatia* excuduntur & signantur, atque inter hæc duo oppida, si qui strita, & publica via deviaverit, in loco æquiore atque pratensi, multos puteos cum scalis pensilibus, & machinis tractoriis, sed tum propter dissidiam diversarum nationum, tum propter ita, (nam neque præsidis, neque leges metallicas habent,) tum propter magnam aquæ confluentis vim, desertos reperiet, & sub id tempus, neque metallica opera in *Nordtvegiaca* metalla confugerant. Atque apud nos exigui fluvii sunt auriferi ad montium quorundam calicem. Non quod eorum arena auriferaces essent, cum iisdem neque vena, neque commissura, neque fibra sint, ex quibus metalla nascerentur, sed illud ipsum aut ex imbrü aut amnium, aut rivorum ab auriferis montibus impe-

tuosa fluxione abreptum affertur, undè Latinis sunt à radendo ramenta; Græcis ψήγματα quasi auream quis scobem diceret, quæ in lotione arenæ istorum locorum corraditur, & colligitur. *Milites* quoque *Germani* sunt, vel *nudi* vel *sagulati*, id est, *sagulo militari induti*: Id ipsum, ut essent expeditiores, factum esse non dubito. Hodie eorundem vestes ita sunt dissectæ, ut ubique facile adhæreant, taceo ut nihil brumali tempore calefaciant. Nudos autem sic, ut non sint aut runcati, aut sagulati, accipio, quales etiamnum plerique omnes esse consueverunt, cum scæmoralibus & tibialibus conjunctis ornati sunt, id est, caligati. *Veteribus autem caliga calceamenti genus ad mediam usque tibiam fuit, in cuius superiori parte caput quoddam Leonis apparuit, & sæpe ferreis clavis multiplicibus munita, & ab hac milites caligati nominantur & tales in tapetiis, & antiquis marmoribus, Ulysses, Hector, Aiaces, Achilles, & alii Heroes adhuc videntur. Notum est proverbium de Maximi apud Iulium Capitolinum, & de Epicratis apud Ciceronem caliga.*

Qui non forma, non velocitate conspicui, sed nec variare gyros in morem nostrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum æstimant plus penes peditem roboris, eoque mixti præstantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos antea aciem locant. Desinitur & numerus, centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, & quod primò numerus fuit, jam nomen & honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus infestis, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis præliis referunt. Scutum reliquille præcipuum sagittium, nec aut sacris adesse, aut concilium in ire ignominioso fas, multi que superfluites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

X.

DE EQUITATU ET PEDITATU

Germanorum, atque aciei instructione.

Si quis hic attentius animadverterit omnem gloriam rei equestris non minus adimit, atque Julius Cæsar, qui in 4. Gallici belli libro ait. *Germanos, neque jumentis importatis uti, sed quæ apud ipsos præva & deformia nata sunt, & turpissimum apud eos ephippiorum usum haberi adiecit. Ita in equis neque spectare formam neque velocitatem, neque gyrorum rationem asserit, sed agitationis formam exprimit, quæ Græcis est ὑπασία, quæ sit aut in dextram, aut in sinistram conversione, quæ est & σπείρη, de qua sic Xenophon πείρηται, inquit, ὁ ὑπασίας μὲν τὰ δεξιὰ σπείρουσιν, τὸ δὲ ἄριον ἀφ' ἡγῶναι, ὡς ἰσχυρὰ δὲ τοῖς ἄριστοις, quod est, si equus in dextram conversus fuerit, dextris quoque procedit, sin autem in sinistra, sinistris. Germanis autem flexus in dextrum usitator fuit, sicut veteribus Romanis in sinistrum. Est & πείρη, quasi concatenata agitatio, quæ per utramque buccam agitantur, de hac sic Xenophon: ὑπασίαν δ' ἐπιανύμεν τὴν πείρη καλυμμένην, ἐν ἀμφοτέρωσιν τὰς γνάθους σπείρουσθ' ἰθίαι, καὶ τὸ μεταβάλλειν τὴν ὑπασίαν ἀγῶνι, ἢ ἀμφοτέρωσιν ἀγῶνι καὶ ἐκάτερον τῆς ὑπασίας ἰσχυρόταται, hoc est, eam agitationem collaudamus, quæ πείρη dicta est. Siquidem sic assuescunt equi, in utramque buccam converti, & agitationis permixtio confert; nimirum, ut utra-*

que bucca utrinque in agitatione adæquetur. Quoniam in utramque partem convertere rectum est, & nisi oris contumacia sit impedimento, paris facultatis esse solet. Est & alia, quæ cum sit velut catena altera parte, itaque laxior & magis proeducta. Est & κυκλωτής, circularis aut gyrata. Nam gyrorum apud veteres, sicut & ex Virgilio liquet, exquisita ratio & ars magna habebatur. Est & ὀρθόρομος cum ea in directum fiat cursum, non in alteram partem conversa. Est & δονικώψις, cum agitatio flexuosa sit, de quibus ita Xenophon, ἐπιανύμεν δὲ καὶ τὴν ἑτέρον μὴν πείρη μὲν τῆς κυκλωτῆρος, ἢ θίων τῶν ἀνασπείρουσιν ὁ ἵππος, ἢ πείρη ἢ τὴν ἰθίαι, καὶ ἀνασπείρουσιν τὸ ὀρθόρομον, καὶ τὸ δονικώψις ἀμαμειτῶν αἶ. Ita Germanis fuit, & quorum circumactio, aut in dextram, aut in relictum. Nam eam, quæ in orbe fit, Romanis usitatiorē prorsus neglexerunt. Flexuram autem ab agilitate & promptitudine, ut arbitror (Sunt enim isthæc verba mihi adhuc subobscura, & in varios sensus torqueri possunt, quos Lectori permitto. Hæc autem ita passim habentur, uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo sit posterior) collaudat. Cæterum Tacitus peditatui quàm equitatui, contra Strabonis sententiam, plus tribuit. Nam penes peditem plus roboris fuisse scriptum reliquit. Quapropter in præliis faciendis pedites equis permixti erant, eosque in equestri pugna ante aciem ordinant. Itaque pedites & juvenes delectos propter corporis integritatem, & velociores esse oportebat. Ita prima acie in flore juvenum pubescentium ad militiam habebat, atque hi sunt resignati, cum ante signa & circa signa: nec non etiam in prima acie dimicent, ita principes, hoc est, ordinarii, ceterique principales nominantur. Quid si iidem apud Livium in 8. ab urbe cond. antipilani essent? Et cum Germania sicut & hodie juxta Cæsarem Helvetia, in pagos divisa fuit, veluti Suevum, (ubi hodie Marchia media, & in hac Hexapolis Prignitia, & Episcopatus Havelbergianus) cerant pagi, ut infra planum faciemus. Pagi autem nomine quasdam unius regiunculæ oras, & plagas ad unum fontem sitas capimus, ὡς enim & Δονίκε παῖς, est unde nobis Germanis adhuc est, ein Wachtl velut fons & fluvius. Itaque Pagani & hi sunt, qui in utraq; ripa fluminis cohabitans, atq; aut binorum aut ternum millium virorum esset disjuncta, ein Gebiet, vel ein Markt, vel ein Ort, interdum & XXM. hominum, ut minimum continebat. Ideo pagi modò angustiores, modò pro hominum acculentium multitudine habebantur ampliores. Ita & apud Cæsarem Morinorum pagi leguntur. Ad hunc modum quis in Marchia, qua nunc vitam vivimus, quatuor pagos constituerent, juxta Albim, ubi est antiqua, juxta Suevum, ubi est media, juxta Viadrum, ubi est nova Marchia, & denique juxta Ucarum lacum prægrandem, ubi est à Primislao Sarmatarum Rege Primislau, vulgò Pringslau, situm & hodie Ucaria Marchia, id est pagus Ucarinus nominatur. Sic & tota Germania in aliquot districtus per singulas nationes ferè fluvii insignioris accolæ discernebatur. Unde est nobis à Rheno Rbingan, Sic enim pagum ein Gau appel-

appellant.) Sunt & ab incolis quibuslibet pagi admodum celebres, ut à Rhetis *Rhetigau*, ab Almannis *Almangau*, à Tigurinis *Turchetgau* & sic de aliis judicandum est. *Quare Germani milites conscripserunt ex singulis pagis centenos evocabant*, atque sic *centenarii* sunt; vulgò *das Cent*, seu apud Francos *Centones*, quorum præfectus erat non alius; atque Romæ *Centurio*, isque primarius, tanquam primi pili ductor; atque *Livio* est idem *Primpilus*, nobis hodie est *Centgraffe*, id est *centum militum evocatorum Comes & Præfectus*, atque in Francia, *Othonis sylvæ*, & *Palatinatu* tales præfides etiamnum appellantur, ex rusticis delecti, & ab officio *Comites* ceu *Landgravia*. Itaque *nomen dignitatis esse*, & *non numeri in militum delectu Tacitus asserit*. Verùm eorundem *acies est cuneata*, cum ea *adversariorum ordines cuneat*, id est, *scindit & dividit*. Est enim ejus acumen angustius & cuneatius, & subinde magis atque magis latior procedit. Conferat autem hæc instructio, quod à pluribus in unum locum telamittantur, cujus typus videtur apud *Ælianum*. Erant quoque iisdem sua signa bellica, & sicut plerique aut tutelares Dei, aut quorundam animalium ferè terribilium effigiem habebant ut *Thebani sphinga*, *Persæ auream aquilam supra oblongam hastam patentibus alis*, quod est signum *Cæsaribus Germanis militare*, interdum fuit & *Solis simulachrum*, aut *sacer & æternus ignis*. *Porus Indorum Rex Herculem*, *Cyrus aureum gallum lanceæ affixum*, *Cymbri aneum idurum*, *Ossyris canem*, *Eumenes Ceterem & Alexandrum*, *Neoptolemus Minervam* pro bellico insigni gerebant: Ita Germani effigies lucis detractas præire jubebant, non aliter ac *Ægyptii pictis tabellis animalia quæ colebant*. Erat & in aggrediendis hostibus consuetudo; non tantum Germanis, sed & Gallis, ut congressu militari suum, de quo antea plura, *barritum servarent*. Solebant & Germani non prius *acies committere*, quam *per matres familias*, (quas non secus castris educebant, ac *Dionysius suas mulieres thyrsigeras*) *sortibus & vaticinio predictum erat*. Erat & iisdem quædam in conspectu disciplina, ut loco cederent, & rursus pro consilio instarent, idque *sapienter se habebat*, quoties milites dissipati in suos mox ordines cedendo redirent, ut coacto exercitu omnes uno impetu in hostes incursionem facerent, & magno ardore pugnam repararent, cujus sane consilii afferuntur & alia causa; nimirum ut equites dimissis equis sese peditibus æquato omnium periculo immiscerent, ut spe fugæ crepta pedestri prælio acius instarent, ut vi in hostes jam sparsos & incompositos viam facerent; sic & transfugis nullus locus concedebatur. Neque alia Romanis in suis cuneis & phalangibus fuit ratio. Itaque consilium salutare potissimum in magna animorum consternatione rebusque accisis; desperataque salute profuit. Verum qui hæc Taciti verba, inter quos est & *Annius Viterbiensis repetunt*, sic legunt, *consilii magis quam formidinis arbitrantur*; alioqui eclipsin ejusdem adverbii quis statueret. Erat iisdem & mos perinde ac *Heroibus Homericis*, ut corpora vel potius cadavera suorum in castra referrent. Nam & *Homero ignominiosum est*, aut esse *ελαρια κινεσθαι*, *οιωνοισι χαι πασιν*, id

est, corpora (Sic enim *avris* pro *caput* hoc loci accipimus) à canibus & avibus carnisvoris, veluti sunt, corui & vultures, dilacerarentur. Dicit nequit, quam religiose Turcæ eam consuetudinem adhuc mordicus retineant. Postremo sunt & illis multa militares, veluti *fixandas* cum tanta infamia notarent, ut penitus excommunicati, hoc est, à sacris & consiliis, videlicet a publico carne divisi & separati essent cum capite diminuti judicentur, Verum in transfugas, & patria aut civium proditores capitali poena animadvertent, hodie laqueo vitam finiunt, cum in crucem ferè agantur. Ita & *Iuba Rex sui loci desertores cruce affixit*, eorundem autem *Ausidius & Cassus & manus & pedes detruncavit*. Tales & olim *fustuario* plectebantur, quod & hodie *Pannonibus inferioribus* in usu est, & suo vocabulo *Haram psaltera*, id est, *tribus fustibus dignum*, veluti quodam proverbio clamant. Legitur quoque, ut *Alexander Magnus* quendam castelli custodia præpositum propter desertam stationem nece punierat. *Ridicula & Dacorum fuit consuetudo*, ut male pugnantescapita loco pedum ponerent, atque *γυναικων ποτε μινωι*, id est, *ministra uxoris præbere cogentur*. Solebat quoque *Africanus* posterior transfugas bestis obicere, *Paulus Æmilus elephantis*, & *Germani arboribus suspendere*, & imbelles paludi submergere consueverunt. Prospendio autem iisdem erant (si vero consentaneum scribitur) *epule & largiora convivium*. Fuit & tumultuaria castrorum munitione etiamnum usitata, cum pro vallo dispositos currus mutuo nexu haberant, unde in *Wagenburg* nominatur, atque in obsidione diuturna propter telorum faciliorem impulsionem aggerem jacere (qui ipis hodie est ein *Postwert* vel ein *Schanz*) & ex terra effossa & lignis contra murum extollere soliti erant.

Reges ex Nobilitate, Duces ex virtute lumunt. Nec Regibus inuota aut libera potestas, & Duces exemplo potius quam Imperio, si prompti, si conspicii, si antea cetera agant admiratione præstant.

XI.

DE GERMANORUM REGIBUS,

Ducibus eorumque potestate.

Sicut Magistratus Germanorum summus erat Rex, ita Respublica eorundem Regia: Reges autem & Duces officiorum sunt nomina, qui subditos aut cives aut milites regunt & ducunt: illi quidem Germanis *König* sunt, nimirum quod *fiundig* hoc est, periti, prudentes & sapientes, & sicut in capite est *το ηγεμονικον*, ita in Rege reliqua membra subdita, gubernante prudentia sapientiaque; potissimum collaudantur. Hi vero *Hersogon* nominantur, cum dictio sit integra *Hersog*, hoc est Duces vel exercitus, vel militum. Regnum autem non erat hereditarium sed arbitrarium, cum ex nobilitate unus aliquis deligebatur, & ab officio regio Rex salutabatur, & non a cognatione & sanguinis successione. Quæ consuetudo & hodie multis nationibus, quas barbaras plerique nuncupant, relicta est. Verum Nobilitas non ex sanguinis propagatione, sed ex rebus præclare gestis censetur, alioqui ejus aut Noeus, aut ejus filius Nobilitatis primus auctor fuisset, sicut non pauci sentiunt, quis non omnes homines ex hoc stemate

Nobiles iudicaret. Rectius facerent, si *Nimrodum* fortem venatorem constituerent Babyloniorum Regem, qui *αυτοκρατορος δυνάμις* id est, plenam & summam potestatem primus affectabat. Quare nimis excessam turrim, ne naufragium timeret, ibidem exaedificavit. Ceterum in principio Reges vel Babylonii, vel Persici, vel Syriaci, vel Aegyptii, vel Judaici ex gregariis hominibus propter virtutes singulares delecti erant. Nonne *Saul* ex pastore armentario? Nonne *David* ex opilione? Nonne *Romulus* & *Remus* ex pastoribus Reges creati sunt? & Reges Germani ex officio magis, quam ex cognatione Nobiles erant? Deinde iisdem visum est, ut Reges non essent *αυτοκρατορες*, & *αυτεξουσι* veluti quibus esset merum imperium, qui essent sui juris, suaeque potestatis & arbitrii absque controversia, id consilii ad vitandam tyrannidem & insolentiam, quae in Regia Republica frequentior esse consuevit, prudentissime intendebant. Ad hunc sane modum Duces ex virtute potissimum militari ab ipsis Regibus sumebantur, si, tales subditis magis exemplo, quam Imperio praesent. Exemplum vero sumebatur, si probi, si morigeri si bellicosi, vel in prima acie fuerunt. Hi quoque non sui juris & arbitrii erant, sed Regis iussa exequiebantur. Quare iidem aut exercitui, aut provinciis praeficiebantur, unde nunc Duces militum die *Hauptknecht* nunc Duces provinciales, der *Landschaften* *Süßer* und *Hauptknechte*.

Ceterum neque animadvertere, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec Ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt effigiesque & signa quaedam detracta Lucis in praelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, sed familiae, & propinquitates, & in proximo pignora, unde foeminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium, hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illae numerare aut exingere plagas pavent. Cibosque & hortamina pugnantis gestant.

XII.

DE SACERDOTUM MILITARIUM OFFICIO.

VEL ex Mose, Sacerdotes aut domi, aut bello, sed propter doctrinam fuisse constat, quorum priores, utpote domesticos domi docentes Romanorum more togatos, & posteriores sagatos tanquam bellicos doctores nuncupabimus. Verum Germanorum Sacerdotum bellicorum non est aliud munus, atque lictorum Germanorum. Nam illis verberare, vincere in vincula conicere, & punire, solis permissum erat. Hic tamen discernuntur a lictoribus, quod illi tanquam Dei, & non Magistratus alicujus iussu imperioque, sibi tribuerunt, nimirum ut ex religione, ignavis & consceleratis terrorem incuterent. Incredibile est, ut Religio etiam gentilis, si quid aliud, homines & in officio retineat & manufaciat. Itaque ejusmodi Sacerdotes plusquam satis Imperii sibi sumpserunt, sicut Iovis Sacerdotes in Meroe ea superstitione animos impleverunt, ut interdum misso nuntio Regi Aethiopiae necem demandarint, cujus dominium nemo detrectare ausus est, usque ad Egranem Regem, qui ad unum omnes Sacerdotes interemit, Sacerdotiumque totum sustulit. Ceterum ut religiosiores essent praeliaturi, ut non suis viribus, sed Dei beneficio

vincerent (est & hoc factae scripturae consentaneum, quae manifeste docet victoriam a Deo donari. Item Deum manus ad praelium docere & dirigere) statuas & simulacra Deorum, vel Martis, vel Herculis, vel ferarum terribilium, quarum ora propter terrorem incutiendum hiabant, lucis, id est, nemoribus alicui divorum consecratis detracta ferre solebant, ut vel solo effigie conspectu moverentur, ejusque auxilium expeterent, Sacerdotibusque summa observantia venerentur. Itaque Sacerdotum castigatio tanquam Dei vindicta judicabitur.

XIII.

DE CUNEORUM GERMANICORUM CONSTITUTIONE.

POTERIT ut majori tum fide, tum constantia contra hostes decertarent, non quoslibet & gregarios milites, aut in turmam, aut in cuneum, sed propinquos familiares, atque adeo ipsos liberos condecorabant. Nam sic movebantur, atque mulierum lugubri ululatu atque infantum vagitu anima eorum ad constantissimum conflictum procellebantur & invitabantur, cumque jam pro uxoribus & liberis, & pro focis, ut dicitur, & aris pugnandum esset. Hinc vel laudabantur strenui milites, vel ignaviter vituperabantur. Erant autem hic praelii facti testes & laudatores veri, non adulators, sed ipsi familiares, atque adeo propinquissimi. Quare neque matres neque uxores vulnera, aut filiorum aut maritorum dinumerare, & propter veram testimonii dictionem, & propter justam laudationem puduit. Fuerunt & in officio, quoties suis pugnantis cibos afferebant, quoties eosdem exhortabantur. Sunt enim hic hortamina *περὸς κελύματα* & *παροχηρικά* & *παρορητικά* veluti talia hortamenta, quibus pugnantes jubentur, incitantur & impelluntur, cujusmodi exemplum in Cymbriico bello, juxta Florum & Plutarchum in Mario propositum legitur. Mulieres autem lanificium colas, & fusus decet, sicut & Homerus canit, sicut olim consuetudo fuit, ut sponsa etiam nuptiarum die colum comptam, & fusum juxta cum stamine ad marturum deferret. Verum hic matronas lanæ admove manus, aut calathum, aut pensa tractare, non aliter atque apud Persas probrosum videtur. Romana quoque disciplina militaris mulieres castris interesse vetuit. Neque permittebatur iisdem, ut castra sequerentur, cujus consuetudinis & in Gallo Virgilio fit aliqua mentio. Atque Scipio Africanus maximus Imperator in bello Numantino, multa millia scorsorum expulsi, atque milites stantes prandere, nihilque cocti vesci coegit. Hodie ita impuri sunt milites, & Germani & Hispani, ut nihil propter foedam libidinem istis sit turpius. Hoc autem loci honesta uxores exercitui adhibentur, tum ut ignavis animum adderent, tum ut commertum suppeditarent, tum ut aciem inclinaram restituerent.

Memoriae proditur, quasdam acies inclinatas jam & labantes a foemina restitutas, constantia precum & oblectu pectorum, & monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius foeminarum suarum nomine timeat, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque Nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid & providum putant, nec aut consilia caute aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub Divo Vespasiano

Spasiano Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim Aurniam, & complureis aliis venerari sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.

XIII.

DE FOEMINIS GERMANORUM.

Nontantum erant in pugna exhortatrices uxores Germanorum & com meatuum curatrices, sed & acierum inclinatarum instauratrices *duplici ratione, una est invocatio & consiliatio.* Nam in ea fuerunt sententia, ut non nisi Diis invocatis vincerent. *Quare & nobis in more possuum est, ut praelium factari sint & Christiani & Charoli.* Christiani quidem cum Deum, tumque auxiliatorem in belli causa honesta defensores longè præstantiorem, atque est Aiace septemplex securum invocent. Charoli autem, cum bene armati fortiter contra hostes digladiantur, sicut Charolos, hoc est viros fortes & strenuos decet. Ita & femina Germanorum acies inclinationem tum piis precibus, tum forti & constanti consiliatio confirmabant. *Altera est presentis periculi veluti captivitatibus dicitur.* Nam alioqui eam propter uxores sibi unice charas, sicut infra de matrimonio planius fiet, valde timebant. Nam & in obligationibus pactorum cum aliis civitatibus, non aliis obsides ob fidem juxta Festum, quam nobiles puella repetebantur. Sciebant enim istos non tam subito à fide obligationis recessuros esse, ut in corpora adeoque vitam earum sævienti alicui potestas fieret. Verùm cum in iisdem sanctum, & ob divinandi artem providum quiddam esse judicarent, neque consilia earum repudiabant, neque responsa tanquam oracula negligebant, cujusmodi Velleda apud Bructeros, & Aurnia apud Catos fuerat. Illius quidem multa sunt vaticinia & responsa in xi. annalium Taciti. Hujus verò nomen adhuc apud veteres Saxonas reliquum est. Sic enim sagas, quæ incantationibus præfagiunt, Aurni tanquam Divinatricem eum Wahrsagerin cum fatidicæ sint, appellant, atque hodie multarum rerum eventa, aut ex cera in labrum aquæ plenum affusa, per certa carmina variisque modis effigurata, aut herbarum quarundam consecratione, aut aliis & monstrosis rationibus divinant. Velledam verò Tacitus, qui Gallia Belgica præfuit, in proxima vicinia Bructerorum, id est, bona ex parte Westphalorum vidit, atque se sub Vespasiano vixisse manifeste testatur, videlicet anno à nato Christo 75. Id autem verisimile mihi videtur. Nam ad id tempus Historia illius Augusta pertinet, & in ejus fine erga Vespasianum, *Vetus*, inquit, *mihi observantia, & cum privatus esset amici vocabamur.* Verùm quibus eundem sub Elio Hadriano Augusto floruisse placet, annum à Christo nato 120. statuiunt, atque sic 46. anni intersunt, quod tempus non tanti momenti in hoc dissidio esse judico.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem conciliis animalibus placant. Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde causa & origo peregrino sacro, partim comperi, nisi quod signum ipsam in modum Liburnæ figuratum, docet advectam religionem. Cæterum nec cohibere parietibus Deos: neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine celestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant, secretum illud, quod sola reverentia vident.

XV.

DE DIIS GERMANORUM,

eorumque religione.

Quanta sit mentis humana cecitas, jam tum superapte voluntate, tum Sathanæ perpetui salutis hominum hostis impulsione, vel ex hoc liquet. Nam iste sic homunculos devincit, ut non nisi ipse tanquam verus Deus ab iisdem excolatur. Quidnam igitur hic aliud vides, quam turpissimam Germanorum idololatiam, & Sathanæ odiosissimam malitiam. Numerantur IV. Diis inque præcipui, Mercurius, Hercules, Mars & Isis. Hi sane communes toti Germaniæ fuerunt, alioqui singulis penè Marchiis sui erant Diis. Quare Teutonibus, de quibus paulò post, Teutanes erat ipse Mercurius. In quibusdam & Sotem, Vulcanum & Lunam coluerant. Quid multis? Hos Deos judicant, à quibus multum beneficii cumulatam est. Illis quoque suæ ceremonia in sacrificando fuerant. Nam Mercurio homines mactabant, sicut Græci in ipsa invocatione suos sacrificabant liberos, veluti Iphigenia ab ipso Agamemnone propter secundioris venti votum immolata fuit. Aliis verò Diis bruta tantum mactabant. Aras quoque singulis aliis per certam effigiem, sicut & hinc ex Iside pater, dedicabant, easque frontibus orabant Diis ipsis familiaribus, ut Jovis aram Esculus, Apollinis laurus, Minervæ olea, Veneris myrtus, Bacchidæ hederæ, Panos pinus, Diis aram cupressus expoliebat. Vittima quoque erant æquæ, ἀτομα μὴ εὐπύρα quas & Solon ἀφελῆς nuncupare conluevit, hoc est, ut eadem integræ, infectæ, immutilatæ vel sincera essent. Neque verò omnibus interesse sacris qualibuscumque licuit. Quare supra eos à sacris excludos tanquam, ut hodie loquuntur, excommunicatos, qui in acie scutum amiserant. Neque polluti ad eorum sacra propter impuritatem admittebantur. Itaque non secus ac Græci sacra adituros τὴν ἵερον, hoc est, quisnam hinc rogabant, sed referebatur ἀποδοτεὶ καὶ ἀγαθοί, id est multi & boni. Siquidem impuram vitam viventes semper à sacris arcebantur. An verò Germani in victimis colorem, certumque gestum mactandi Homérico modo, mihi incertum est. Scythi quoque non nihil prudentiores judicarentur, qui Marti suo non homines, sed quaslibet bestias hoc ritu sacrificabant, ut victimæ primi pedes ligarentur, & ea ad aram sistebant, quam per laqueum collo injectum, & per baculum circumductum strangulabant. Sic & Lacedæmonii Marti suo humana viltima litabant, atque Aristomenes Messenijs eò dementiæ pervenit, ut tercentos homines, inter quos & Theopompus fuit, uno sacrificio mactavit. Quapropter tantam truculentiam Romani perferre noluerunt, Senatus consulto cautum fuit, ut nullus homo, nullus humanus sanguis porro litaretur. Tantum Sathan apud suos potest, ut non nisi humani cruoris dispersione placaretur. Hic autem imposuit quadam imitatione Hebræorum sacrificiorum, quorum gentiles velut similes non aliter ac Romanenses sacrifici, imitatores & spectatores sunt. Isida quoque Ægyptiacam in Germaniam venisse ex navigio conjecturam Tacitus facit. Nam ex Luciani dialogis non est obscurum, ut navigationi præfuerat. Servius autem

ex ea Terram facit. Plutarchus, & ante eum Diodorus Siculus, Lunam esse fingit. Itaque juxta Plutarchum est *κεραειφορα*, id est, corniculata Lunæ modo, *μελανόσολος* pulla stola ornata propter ejus occultationem & inumbrationem præsertim in Solis coitu, & ejus sacerdotes lineas vestes induti erant. Itaque *Poësis est Dea linigera*, ut Ouid.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba Idem. Vidi ego linigera numen violasse fasentem Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Ejusque pompam & metamorphosis Ovidiana fulsissime explanat, eaque *τιθήνη*, id est, nutrix, & *παιδοειχης* id est, generationis omnium rerum nutrix & suscipitrix dicitur. Quare in basi ejus templi talis erat, autore Plutarcho, inscriptio: *εγω ειμι παν το γεγονος και οτι και εος ομενο, και το πιπλοοι μιν ιδεισ των θητων απκαλυψαν.* Hic vero eandem apud Suenos *Semnonas* cultam fuisse subjicit, hoc est, *Albis* accolæ, in quorum vicinia est *Luneburgum* civitas admodum insignis, & humanitatis studiosa, ubi *idolum Isidis*, hoc est, Luna etiamnum in arce excelsa supra montem *calcarium* conspicitur, videlicet esse coruuta qualis Luna solet ferè triidua, ejusq; effigiem deauratam, & hodie senatores *Luneburgenses* petentibus commonstrant. Ego vero sententiam meam permutavi. Nam ipse quasi *Leoninum* *πυργον* esse contendit, cum ibidem & insignia Leonis habeantur, atque *Saxonica* dialecto *ein Löw* nominatur. Quare ibidem vicinas civitates à septem Planetis, quos olim coluerant, defensas esse affirmant, ut *Hamburgii* *Iovem* *Hammonem*, & alia quæ isthic ceu certissima esse narrantur. Volunt ab *Iside* *Isnam*, *Isenachum*, *Eisbergum* derivare, sed incertæ sunt conjecturæ, cur non potius apud *Cattos* nostrates sicut adhuc *Germanica* lingua retinet *Marburg* tanquam *pyrgum* *Marchiæ*, hoc est *districtus* & *oras*. Certum est *Cattos* propriam sedem hodie non retinere, sicut suo loco planum fiet, Attende sit ne apud *Hermunduros* *Marspyrgum* idem quod *pyrgum* *Marchium*, id est, *limitaneum*. Neque *Germani* suis *Diis* *templa* *exedificaverunt*, neque *statuas* *fabricarunt*, cum res cælestes multo digniores sint, quam ut hominis imagine effigarentur, quatum consuetudinem & *Christiani* Imperatores sapius secuti ita sunt, ut à multis *οικονομαχαι* dicti sint. Quare pro templis illi *lucos* & *nemora* *consecrata* *retinuerant*, in quibus ceremoniæ certæ per sacrificia habebantur. Vidimus & eam consuetudinē adhuc reliquam *Niemonis*, id est, hodie vocati *Memelii* *accolas* *observare* non longè à *Regio* *monte* *Borussia*, ubi *hircos* *potissimum* *mactant*. Quare *Germanica* *lingua* *Wetheligen* hoc est, *hircorum* *cultores* *plerunque* *vocantur*, eos tamen *Illustrissimus* *Dux* *Albertus* *Marchio* *Brandenburgensis*, *studiorum* *singularis* *Mæcenas*, ad *veram* *pietatis* *Christiane* *formam* *reducere* *conatus* *est*, iique sunt veri in illis partibus *Borussi*, quorum *lingua* *non* *est* *Vandelicæ* & *admodum* *peregrina*, sed *Græca* *depravata*, sicut *Gallica* & *Hispanica* *ex* *Latina* *corrupta* *ferè* *nata* *est*, sicut ipse usu comperi, quoties *Græcissando* *illis* *locutus* *sum*, ut qui *patriæ* *mez* *vicini* *sunt*.

Auspicia, sortesque ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex virgam frugiferæ arbori decisato, in furculos amputant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vellem temere ac fortuito spargunt, mox si publice consultatur, Sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamilias precatus Deos, cælumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam antè notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re, in eodem diem consultatio: Sin permillum, auspiciozum ad huc fides exigitur, & illud quidem etiam hic notum, avium voces, volatusque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque præfagia, ac monitus experiri publice alioque turisidem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos ac Rex vel Princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes. Secum ministros Deorum, illos conscios putant. Est & alia observatio auspiciozum, qua gravium bellorum eventus expectant. Eius gentis cum qua bellum est, captivum quoque modo interceptum, cum electo popularium suorum, utiis quæque armis committunt: victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.

XV.

DE SORTIBUS, ET AUSPICIIIS Germanorum.

Veteribus erat *μαρτινη* id est, certa divinandi futura ratio ex variis rebus: *Germanis* enim *sortitiones* fuerunt *sortes* & *auspicia*, ex quibus fiebant divinationes & humanorum eventuum prædictiones. In sortibus quidem & prophanis est causa, sed ea quæ ab aliis causa est per accidens, ut apud Aristotelem fortuna dicta. Sed hæc parum faceret, nisi tum spiritualis causa, cujus vi phantasmata moveretur, & manus sortientis impellitur, tum spiritualium ministerium accesserit. Quamobrem ante sortitionem, sacram propter spirituum locum dirigentium invocationem præmittebant. Sortes vero jaciebantur, aut virgulta diversis notis signata, aut talorum jactus, aut tesserarum impressa, aut carminum, seu *Homericorum*, seu *Virgilianorum* seu *Psalterii* occursum. Sortilegus autem in causa vel publica sacerdos civitatis fuit, vel private paterfamilias, qui & ipse domi sue Sacerdotii officium fungitur. Verum quando sortitiones licitæ sunt, quando non, in sacris literis justa solet fieri explanatio. Id tamen observandum est, ut sortes eodem erant, sicut hodie multa Astrologorum vicinia eò vergunt. Quare Germani subinde sortiebantur, quod si uno die prohibuerunt, alio eandem experiebantur. Neque tamen sola sorte, cum aliquid fieri feliciter permiserat, contenti erant, sed & auspicia, propter rerum futurarum certitudinem accesserunt. Germanis autem auspicia præcipua judicabantur tria, quorum primum ex avium, aut volatu, aut voce, sicut Romanis præterea & oscinæ erant, illud quidem oculis, hoc vero auribus innotescit. Alterum est ex equorum hinnitu, quos de more in lucis & candidos, & equis nondum curru junctos publice in hunc usum alebant. Itaque auspices vel Rex vel Princeps eodem non nisi sacro curru pressos, & junctos propter eorum & hinnitus & fremitus observationem comitabantur. Hoc autem auspicii genus apud omnes maxime fiebat, adeo ut Sacerdotibus ad equarentur. Siquidem Sacerdotes Deorum ministri, & equi consilii Divini consilii judicabantur. Tertium est in mo-

monomachia. Nam in singulari certamine, & captivi, & unius alicujus ex suis, inter illorum superior in eodem erat, animadvertent, inde eidem parti victoriam tanquam rem præjudicatam pollicebantur. *Fuit autem Germanis eadem consuetudo que Romanis*, ut nihil inauspicato facerent. Fuerunt verò vetustioribus auspicia aut pedestria, quæ ex quadrupedibus capiuntur, aut volucra, aut cælestia, quæ bona ex parte *μετεωρολογικα*, utpote cum ex tonitruis & fulminum formis petantur, judicari debeant, aut sacra, videlicet ex sacrificiis collecta. Ita *Michael Scotus*, si quid barbaro scriptori fidei est, & *auguriorum decem genera enumerat*, quæ cum sint gentilia, & à Christianismo dissentanea, prudens omitto. Sic & singulis Gentibus certæ aves futura prælagiebant. Unde *Græcum aquila ex dextra parte volaræ, & maxime stridentibus alis, omen bonum indicabans*, atque læta, & magna portendere dicebant. Inde & proverbium natum est, *Aquila volat*. Sic & *Atheniensibus sua erat noctua*, cujus volatus, semper fuit victoriæ auspiciū. Quid multis? & singulis penè Principibus & Imperatoribus, peculiaritæ ex avibus erant prælagia. Nonne *Aquila Tarquinio Prisco*, cum Pileum in sublimi detraxerat, & rursus capiti imposuerat, regnum ominabatur? Nonne & *Alexandro Babyloniam* ingressuro, & *Ciceroni corvi involantes* & obstrepentes imminens periculum, extremasque ærumnas prædixerunt. Ratum autem auspiciū esse contendebat, si corvus à dextra, & à sinistra cornix aut picus apparuerat. Id quod & *Melibeus Virgilianus intellexerat*, si Poëtæ genuinus versus est, cum querulus sic canit.

Sapè sinistra cava prædixit ab ilice cornix.

Verum isthæc tam auspicia, quam auguria, & pleraque divinationum genera *Christianus homo aspernabitur*, etiam si quis signa esse contenderet, sed idolatrica. Id quoque, certum est, vel ex *Plutarcho*, in *Cælaris vita*, ut mulieres Germanorum sortilega fuerant, quarum consilio nullum prælium ante novilunium ipsi fecerunt. Idem & *Julius Cæsar* repetit.

DE minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes petraçentur. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum incidit certis diebus, (cum aut inchoetur Luna, aut impletur, nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec iusti conveniunt, sed & alter, & tertius dies cunctatione coeuntium absuntur. Ut turbæ placuit, consistunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur. Mox Rex vel Princeps, pro ut ætas cuique, pro ut Nobilitas, pro ut decus bellorum, pro ut facultas est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestare. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, si placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est armis laudare.

XVI.

DE CONSULTATIONIBUS

Germanorum.

Sicut Græcis militibus suum erat *συνέδριον*, ita Germanis erat *consultatio*, in qua primùm attenduntur causæ & negotia in senatum relata, eaque sunt vel minora vel majora. De illis Principibus solis deliberare licuit, sed de his non item. Deinde Sena-

tores adsunt, & Principes, & plebei, de controversiis deliberantes. Postea & tempus consultationis præscriptum est, tum Lunæ (*hac enim crescente, & plena, deliberationis tempus opportunum est*) & dierum quos à noctis principio, ad alterum usque suppulant, tum, cum iisdem tanta sit libertas tarditatis, vel intra triduum conventus. Adhæc in consultationibus, non nisi armati, & taciturni adsunt. Nam cum per Sacerdotes silentium indictum est, confident, *Postremo in hoc Senatu Reges vel Principes magis sunt suasores quam iussores; ne quid Germanica libertati derogetur*, His autem vel suffragantur, vel refragantur symbolis quibusdam, illic quidem framearum concussio, hic verò fremitus erat. *Consultationis autem nomine Senatum, Comitium, & Concilia intelligimus, in quibus actiones sunt de rebus, vel minoribus, quorum iudicium est penes Principes; ejusmodi, essent causæ forenses, privatae, & lites & contentiones leviores, quas illi citra negotium componerent, vel majoribus, veluti essent publicæ totius aut civitatis, aut Reipublicæ. Hæ enim ejusmodi sunt, ut omnium ordinum in publica coronatum auscultare, tum componere intersit. Nam quod commune est, & publicum, neque facile, neque tutum citra aliorum arbitrium est disjungere. Quapropter id consilium in controversiis componendis potissimum placere debeat, atque etiamnum in plerisque civitatibus eadem consuetudo obtinetur, ut Judex vel Pedaneus leviores causas pensitet & solus, sed cum res ardua periculosa, toti que Reipublicæ onerosa, aut tota civitas, aut ejus nomine sæpe viginti quatuor viri convocantur. Neque tamen id prudentia caret, quod plebiscitorum censura per Principum placita, id est, senatus consulta præsertim quoties non è Republica fuerant, retractabantur. Id verò horrendum, ut non nisi armati coacto concilio intersint. Tyrii prorsus observarunt contrarium. Nam apud illos nemo cum relo concilium ingrediebatur, vel pœna capitis. Hic quoque erat aut dissensus, qui murmur, & fremitu significabatur, aut suffragium, cum frameas, & tela concuterent, sonoque armorum & tripudiis approbarent. Quæ consuetudo fuit, & Macedonibus, qui cum in publica consultatione quidpiam improbarent, hastis scuta quatientes obstrepebant & aversabantur. Et sicut Belgis silentium altissimum placuit, in senaculo (Nam si quis aliquo concionante fremeret, parte vestis mulctabatur) Ita Germani sæpe tumultuabantur, & non nisi per Sacerdotis edictum tacebant. Erant & illis peculiæres mores in rogandis sententiis. Nam sicut Syracusis nemo rogatus sententiam dixit, sed ut quitque ætate honore aut eit, ita sua sponte, quid sibi concilii sit, in medium affert non rogatus, aut si omnes tacent, sorte dicere coguntur, quibus in usu erat, ut in concionem prodituri per literatum elementa educerentur, ita Germani pro ætate, & Nobilitate primi audiuntur, sententias autem rogabat senatus Princeps. Mirum est cur non Persas imitati sint, qui probè poti & vino incalescentes, vel de rebus gravissimis consultabant. Ridiculum & hoc est, quod Germani & Lacedæmonis publicis consiliis mulieres admiserant, illasque frequenti curia in exequendis negotiis socias assumpserant; multaque feminarum arbitrio decreverant. Sic & Celtæ & Galli quicquid erat contentionis*

& intestinorum odiorum per foeminarum interventum composuerant. Rursus *Atheniensibus* lex fuit, ut nulla foeminarum publicis consiliis advocetur, nulli neq; suffragium ferre, neq; concionibus virorum interesse liceret. Quid quod & Romani etiam pueros certis de causis excluderunt. Tempus verò consultationis fuit luna, aut crescentis aut plena. Sic enim cuncta feliciter succedere arbitrabantur, juxta astrologorum placita, quae & Turcam commoverant, ut is sub initium novilunii praelium faciat, atque inter insignia ejusdem imago Lunae triduanæ perspicitur, atque adeò Viennam Ostriæ ante paucos annos, repetere conatus est, quod in D. Stephani turri sic eadem luna deaurata. Is tamen conventus solet esse tardior propter libertatem. Nam ut stara hora aut die jussu Principum convenirent, non concesserunt suæ libertatis studiosissimi. Quare sæpe trinocetium citius extrahebatur, quam convenirent. Est autem illis temporis supplicatio, non à diebus sicut Romanis fuit, sed à noctibus. Nam diem suum post occasum solis, id est, noctem auspiciantur non aliter atq; Judæi. Quapropter illis in mœrepositum adhuc hodiè est, ut noctes pro dierum multitudine substituant. Atque hinc quis videret, ut libertatem suam mordicus tenuerant, cum suosores conciliores & jussores, cujus vestigia passim sunt reliqua, veluti cum Princeps pro sua libidine quodvis tentare non audeat, neque illi permittitur, nobilitatem totam convocat, ad ejus rei, vel iudicium, vel consultationem, talemque conventum plerumque et in Ritterband hoc est, equestris ordinis concessum nominant, & quicquid ibi decretum fuerit, per nobilitatem, hujus & Princeps arbitrio aut probat aut renuit.

Liçet apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto proditores, & transfugas arboribus suspendunt, ignavos & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injecta insuper cræte, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & levioribus delictis pro modo poenarum, equorum pecorumque numero convicti, mulctantur. Pars mulctæ Regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus, exolvitur.

XVII.

DE POENARUM JUDICIALIUM DISCRIMINIBUS.

Verum cum in eodem concilio & crimen alicui facinoroso intendere liberum erat, aut poenæ, aut mulctæ militares habebantur, quædam majores, utpote, quæ capitis supplicio luebantur, quædam minores, prout vel graviter, vel leviter peccatum esset. Cautum enim est apud Jurisconsultos, ut non sit major delicto poena. Itaque desertores, seditiosos, fugitivos, aut si loco, statione, præsidio, cessissent, tergaq; dedissent, aut ex castris aufugissent, tanquam pessimo facinore astrictos capitali poena plectere solebant. Hic autem eadem exprimitur, cum in cruco agebantur, atque imbelles, atque ignavi submergebantur. Sic & Juba Rex asper & durus fuit, cum desertores, qui loco amisso in castra aufugerant, cruci affixerat, eisdem Aphricanus posterior bestis, Paulus Semilius elephantis objecit. Hodie quoque in iusta militum ordinatione tales securi percuti-

untur, aut dum iter faciunt per taxiarchos, & præfectos istos damnati in aliorum militum hastas, & jacula currere coguntur, quod illi dicunt, durch die Spießruhen laufen. Multa verò non erant poenariæ, sed aut equinae aut pecuariae, quatum una pars vel Regi, vel civitati cesit, altera ipsis vel eorum propinquis, qui vindicabantur. Adjicit & sententiam, de suppliciorum usu. Nam sic scelera, hoc est, gravia & enormia delicta publice puniuntur, ut in aliis confeceratis gravius terribilamentum. rum in flagitiis, hoc est, levibus erratis aliquantulum conuendum est. Quare Romani leviori poena fiebant, veluti cum pro frumento hordeum dedebant, aut extra vallum, sive tentoris reliquerant, aut districtis gladiis distinctos destituerant. Sic enim variis ignominias affecti, & his contumeliis coercendi diligentius mandata exequantur. Cæsar verò utique in aliis rebus connivere solitus, sed seditiosorum & desertorum ætremus fuit inquisitor, & punitor maximus. Nota est Sertorii in eadem disciplina severitas, cum cohortem propter morum obscenitatem, & immodicas rapinas ad unum interfecerat. Erat quoque cæso hastaria, quoties milites hastas dare jubebantur. Nam nonnullis propter probra ignavia, & luxuria hasta adimebatur. Siquidem sicut gloriosum erat, quoties viri fortes pura hasta donabantur, ita valde ignominiosum judicabatur, quoties ignavis, & contumacibus adimebatur, tanquam spermerendi stipendia illis adempta foret: Ita non pro levi noxa, sed pro acris delicto hac animadversio habebatur. Vetus quoque solebant aut militiæ gradu dejicere, aut exarrotare, aut equum illi adimere, aut virgis cedere. Quid multis? quicquid Ducum sua disciplina, eaque familiari contentus erat, veluti cum Tiberius, & prætorianum militem ob subtratum pavonem capite punierat, cum & Pescennius Niger ob surreptum gallinaceum ea epulans effecerat ignominia, ne porro illis furtum facere liceret, neque quid cocti obsonii sumerent, sed pane, & fuscis vescerentur, adeò multis Principibus, & turba militum displicuerunt. Itaque legibus militaribus prudentissimè ejusmodi cavere consueti erant. Didnequit, ut Hispani juxta cum Germanis sint furaces, mi, aut propter Imperatorum negligentiam, aut propter legum militarium (vulgò die Artickels Brieffe in quo articuli, & puncta eorundem adnotata sunt) contemptum.

Eliguntur in iisdem Conciliis, & Principes, qui jura pagos, vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe Comitès, concilium simul, & autoritas adfuit. Nihil autem neque publicæ neque privatorum rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas sufficitur probaverit.

XVIII.

DE PRINCIPUM ET COMITUM ELECTIONE.

Ecquis hic non videt alios Germanorum veterum fuisse Principes atque nunc extare perspicimus, cum hodiè juxta cognitionem sic salutantur, quasi & virtus in posteritatem semper propagaretur. Olim autem Principes, id est, vel principatum habentes, vel præcipuum locum ab officio, quod erat per pagos, & vicos jura reddere, erant, & non hæreditariis, sed concilii arbitrio, & consensu electi. Eadem & cum Comitibus ratio habebatur, qui, hi alii non sunt, quam Principum vicarii, cum hi tot pa-

Pagis, & vicis impares in iure dicendo essent: Itaq; Principibus singulis, ex plebeio ordine centeni Comites; propter delegati muneris executionem adiciebantur, ut iisdem eadem juris reddendi vicatim potestas, eademque consilii dignitas esset, quæ ipsi Principibus, cuiusmodi sunt nostra memoria, quos more Græcorum *Boate* nominamus, sicut illi *βουδοι* id est, *Principum, sic electorum, auxiliariis* ministri sunt. Quare eorundem officium, & illis est *βουδοι* & nobis *die Bogthen*. Deinde in singulis vicis sunt, & hodie iudices, quos à debito, *Schultheissen* exigendo videlicet obligationis, nuncupamus. Polybius quoque more Romanorum *τὸς πρυτανίας*, sed in acie instructione agnoscit. Nam post hastatos Principes, sequebantur viribus, & ætate fortiores, & Principes ordines ducebant, tanquam ætate robustiores, & usu doctiores ab hastatis per intervalla divisi, proximè eos tertii vexilli triarii substituebantur. Sic & in Theologia gentili Principes *Dii* colebantur, qui sunt magni & XII: numerantur. Alii enim tanquam inferioris notæ communes dicti sunt. *Laudanda autem est imago apud Lacedæmonios, & iudicum sine manibus; & Principis sine oculis in foro proposita, ut in reddendo iurs, nullis minusculis, nullisq; affectibus permoveantur.*

Tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juvenatæ honos, ante hoc, domus pars videntur, mox Republicæ. Insignis Nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis assignant. Cæteris robustioribus, ac jam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter Comites aspici.

QUORUMNAM JUDICIO

adolescentuli arma sumebant.

Prudentissime nequis temere sibi arma quælibet sumeret præcipue ad excitandos, & erigendos animos adolescentulorum, caverunt. *Que ratio est, & in Scholis*, quoties propter ordinem discendi, & docendi auctoritatem, & ut animi aliorum exemplo candidatorum confirmetur, & imitentur, aut *Magistri, aut Doctores, renuntiantur.* Neque diversa fuit consuetudo Romanis in vestitu. Nam multo honoratioribus erant, quibus donabatur toga, ita & hic in publico Concilio vel Princeps, vel pater, vel propinquus armis, cuiusmodi sunt scutum, & framea, tales adolescentulos ornabant, ut porro non domus propter hæreditatem pars esset, sed Republicæ, cui eundem sic ornatum inferre oportebat. *Atq; hodie Nobilitati idem est mos, cuius liberi dum aliquot annos, vel principi, vel Episcopo servierint eorunde iudicio idem armis digni pronuntiantur, quod illi dicunt, einen werbafftig machen / hoc est, dignum armis æstimare potissimum, cum rei bellicæ specimen quoddam præbuerat. Insignia quoq; incitamenta honoris addebant, quorum unum est dignatio apud Principes. Hi enim tanti faciebant illos, ut paternorum meritorum laus iisdem assignaretur, & sic hæc Nobilitas esset, & ingenita, & parva. Alterum est consuetudo, quæ licita fuit illi cum senioribus, & bene approbatis militibus. Tertium est convictus, quo illi vel inter Comites absq; ullo pudore viverelicuit.*

Gradus quin etiam, & ipse Comitatus habet, iudicio ejus quem sectantur. Magnaq; & Comitum æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus, & Principum, cui

plurimi, & acerrimi Comites. Hæc dignitas, hæc vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua gente cuique sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero, ac virtute comitatus emineat, experuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsa plerumq; famabellæ profligant. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitari, virtutem Principis non adæquare. Jam verò infame, in omnem vitam, ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illud defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est, Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe.

XIX.

DE COMITUM ORDINI-

bus, & studio.

Est hic prudentia Germanorum collaudanda, quod honoribus voluerant sua esse incitamenta, quæ præstantiora non sunt, quam in Comitum esse æmulatione & ordine, & eò digniores iudicabantur, quo is quem sequebantur, præstabat. Nam & *Latinis sunt Comites à comitando, Principes enim quorum operæ destinati sunt, comitantur, & ut hic dicit, sectantur.* Neque parum refert quibusnam quispiam inserviat. Neque defuit Principibus sua æmulatio, qui Comites sibi esse & plurimos, & acerrimos affectabant, etsi ambitio quædam videatur, tamen ad honorem est incitamentum. Verum ut altius etymum nostratis vocabuli (*der Grafen*) exquiratur, pauca ex Romanæ Republicæ statu repetam. *In hac sane fuerunt Senatores, vel Seniores ipsi patres, non quod senes fuerant, sed quod tum senili prudentia, tum paterno affectu ad Republicæ gubernacula sedebant.* Ad hunc modum Galli & Germani Senatores suos Comites, *die Grafen* / hoc est, Seniores aut Præfectos, aut Iudices, aut *βουδοι* nuncuparunt. Verum cum auctoritatis senatoriæ vis minuebatur, & Cæsares in suspicionem tyrannidis venerant, *nomen patrum aut Senatorum Roma in desuetudinem abiit, in quorum locum Comites surrogati sunt, qui Cæsaris initium sententiamque sequebantur, quibus etiam si consultatio cum Cæsaribus fuit, tamen inferioris dignitatis censebantur, ne socii, sed comites essent. Quare Cæsares quibusdam Regionibus quæsdam commisit, quæ comitatus nomen receperunt. Ita apud Principes Germanorum eodem fuerunt loco, & ipsi Comites, quorum comitatus non erat hæreditarius, sicut factus post Caroli Magni tempora. Nam antea uno Comitum demorsuo mox alter huic præfecturæ aptus eligebatur: Atque sub Rege Duces erant, & Principes, qui sæpe nobiles Duces nuncupantur. Siquidem Comites loco iudicum habebantur, & alii præfecti nobiles Hæroes nominantur. Verum quando sub Othone Imperium Romanum Gregoriana lege ad Germanos verè translatum erat, mox Comitibus, & Principibus in altiorem dignitatis gradum subvectis ditionum, quibus præfuerant hæreditas venit, & sicut olim absque omni adulatione filii Principum *Sungheren* / hoc est, minores heri vocabantur, hodie vel rustici Nobilitatis sibi vindicare audent, quibus vix quippiam aut impurius, aut ignobilius esse potest. Hinc fit, ut hodie varii Comites, ut *Palatinus, der Pfalzgraf / Provincialis, Landgraf / Marca, id est, limitis, aut certi distinctus, Markgraf / Castrensis, ein Durggraf* / atq; ita comitatus fuisse *Borbeyan* quædam satis dilucide patet, atq; hinc intelligi potest illud Jurisconsulti, ut *Matematici, i. e. magi & præstigitores,**

tores, neque sub Caesare, neque sub Augusto, neque sub eius Comitatu ferendi non essent. Tales autem Comites apud Germanos in summo honore habebantur, modo legati, & ibi (ut fieri solet vel hodie) multis muneribus ornabantur, modo bellatores tanti, ut etiam eorum fama hostes profligaret. Itaque & eorundem precipuum fuit munus, ut ipsi pro Principe decertarent, & sicut turpe fuit Principi non virtute excellere, ita Comitibus summum dedecus fuit, cum non virtutem cum Principe adaequarent. Quare cum tantopere pro Principis salute dimicarent, superstitem mortuo Principe permanere valde ignominiosum iudicabatur. Sic & eorum sacramentum militare urgebat, ut Principem defenderent, rutarerentur, & egregia facinora non sibi, sed virtuti Principis adscriberent. *Huc si quis vellet*, mutationem Imperii afferret, totamq; Germaniam in Ducem, in Landgravios, in Margravios, in Burgravios, in Palatinos Comites, in Comites Liberos, in Barones, in Nobiles, in Episcopos, in Abbates, in Praepositos, qui & olim fuerunt de xvij. capitulis, in civitates Imperiales, in socios civitates maritimas divisam inveniet, cum magnorum titulorum, si Deo placet, accessione.

SI civitas in qua orti sunt longa pace & otio torpeat, plerumque nobilitum adolescentium perunt ultra eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & facilius inter incipitiam clarescunt, magnumq; comitatum non nisi vi belloque tueantur, exigunt enim a Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victri- ceni que frameam. Nam epulae, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri. Pigrum qui in otio, & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus & penarium & agrorum cura, foemina senibusque infumissimo cuique ex familia. Ipsi habent miram diversitatem naturae, cum iidem homines sic ament inertiam, & odiant quietem.

XX.

GERMANI NON SUNT OTIOSI,
sed bellis assueti, & dediti.

Bellaces Germanos fuisse vix unquam fuit, qui in dubium vocarit. Nam id non solum plurimae historiae, sed & experimenta per multa secula usque in hunc diem contestantur. Nota est sententia, ad quam & Tacitus alludit. *Oportet homines, aut literis, aut bello inclarescere.* Ita cum Germanis quies ingrata erat, aut comitatum praetexti vi & bello, sicut decet, defendebant aut irrumpebant. Itaque etiam si Romani omnes regiones sibi provinciales esse optabant, tamen Germaniam totam nunquam vicerunt. Quare juxta Senecam Romanorum pax est usque ad Germanos. Caesar Ariovistum cum Germanis ex Belgico citra Rhenum repulit, sed cum primum Suevos exercitum conscripsisse, ad persequendum audierat, mox refracto ponte iterum abiit. Bellicosos fuisse Germanos & Drusus sub Augusto Imperator designatus usu comperit suo triennali bello, in cuius locum Quintilius Varus successit, cuius tanta clades fuit, ut praegritudine animi caput parieti impegerat, & clamaverat. *Quintile Vare legiones refer.* Etiam si Tyberius Drusi frater, in principio felicior fuit, tamen tandem

discedere cogebatur, suamque fortunam post Tyberium, & Vespasianus in Germania experiri voluit, quadraginta praelis tantam cladem acceperat, ut diffugeret. Trajanus donis Germanos sibi placavit. Ita quis per Historias, & temporum seriem usque ad Valentinianum & deinceps pergeret. Non desunt, qui sibi veluti a devicta provincia, ut creditur, Germanicum sibi vindicant, ut Drusus vix partem, quae est in ulteriori ripa Rheni, nobis ad Mosellam, in provinciam redegit, ilico scilicet Germanicus salvari voluit. Quantula quae so haec est portio ad Germaniam totam? Ad id suum comitatum turari studiosissime laborarunt, aut aliis paganis auxilio fuerunt, quoties apud eos de stipendiis fecerant, veluti apud Reges, apud Imperatores, & alios, quorum res gestae non sunt obsecrae, aut erant Caesarum & Regum comitatores, id est, corporis custodes, quales & hodie Galliarum Rex, & Romanus Pontifex sibi conducit, aut factae sunt, ab iisdem in Italiam, in Thraciam, in Galliam, in Hispaniam, in Africam irruptiones, sicut & hodie eorundem nomina in iisdem partibus audiuntur. *Oportet*, cui plus otii esset, ut bellorum Germanicorum Historias, & annales, usque ad Carolum V. vel in tanta barbarie quiescunt scriberet, atque sic Germanos belli avidos juxta Senecam affirmaret, atque sic Germanis esse robusta corpora, primoque impetu contra hostes congregari juxta Josephum approbaret, atque sic ipsos cum finitimis bella gerere, causas eorum ex libidine accersere, neque imperitandi, neque prolatandi, possidendi studio (Nam ne illa enixe quidem colunt) sed ut circa ipsos quae jacent, vasta sint, praesidiari juxta Melan affereret, atque sic eorundem mulieres bellicosissimas fuisse, juxta cum Strabone confirmaret. *Si quis vero illorum morum causas rimaretur*, Galenus in 2. de temperamentis eos iracundis facit, audaces & precipitis consilii: Nam naturalis calor in viscera confugit, ubi dum agitat, praemittitur, effervescit. Quare subito irascuntur, & se in pericula conjiciunt; neque diu de eventu rerum futuro consulunt. Multum quoque facit quod se a teneris linguiculis educati, sic instituti sint. Caeterum stipendium aliis atque aliis nationibus est nimis diversum. Germani epulas & apparatus, non ita laetos, & delicatos, largos tamen pro stipendio recipiebant, alioquin propter Principem armis donabantur, ut equo bellatore; ut victrice framea, ut deauratis armillis, aut phaleris; & id genus aliis. Id tamen praecipue ad Comites Principum, qui pro horum salute dimicabant, referendum esse judicarem. Ita olim Aegyptii suis militibus praeter praedas panis tostipondera definita carnis bubulae minas; vini sextarios quatuordecim singulis dabant. Quare Germani milites non erant, sicut hodie conducuntur mercenarii, sed iisdem munificentia erat; si bello & raptu victum sibi pararent. Bello quidem propter praedam; Raptu autem propter latrocinia & furta; Nam Cymri & Germani, etsi duri sint, atque laboriosi, tamen latrocinia, & rapinae quarum nullam infamiam putant, a pueris dediti erant. Sic & Aegyptii furta legibus inulta reliquerunt. Itaque Lycargi furta impunera esse voluit, ut ingenia magis excuerentur, animoque solertiore essent. Sic & apud Persas Cardaces non nisi rapinis

vincerent, sicut & Tauroscythæ juxta Herodotum. Honestius esset, ut stipendiis suis contenti milites in justo bello decertarent. Noluit Solon eam licentiam permittere Atheniensibus, ut quid quod non potuisset, tolleretur, sed ut improbus pœnas lueret, legibus cavit. Draco autem multo severior fuit, cum omnes ab alieno manum abstinere decreverat, & vel eum, qui stercoreandi causa sterco bubulum abstulisset, aut olera, capitis supplicio afficeret, eumq; furem judicavit, qui invito Domino aliorum, quam quo utendum acceperat, deduceret. Id quod & furti definitio, & tractatio manifestissime apud Jurisconsultos exigit, atque Draconis legem maxime explanat. Hinc factum est, ut non tantam agriculturam operam dederint, quantam rei bellica. Maluerunt enim victum sibi sanguine, quam multis laboribus comparare. Itaque Cæsar Germanis mirram, & inopiam, & egestatis, & patientiæ consuetudinem fuisse memoriæ prodidit, neque agriculturam studuisse, sed majorem victus partem in lacte, caseo, carne constituisse, nec agros proprios habuisse, sed ut magistratus in annos singulos designassent, ita permutatis viribus habitasse, & coluisse, ne videlicet assidua consuetudine capti, belli gerendi studium agricultura permutarent, neve qui latos fines parassent, humiliores possessionibus summoverent. Postremo ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones nascuntur. Verum cum Mela Germanos victu asperos esse, & ita incultos, ut cruda carne, vel recenti, vel renovata vescantur, posteris scriptum reliquerat, id non Germanis, nisi extremis juxta Berosi sententiam, ad Tanain accolis conveniet, ubi Scythæ propter viciniam Germanis permitti erant, & inter Scythas sunt, & Tractari, quibus hodiè est nomen Tartarorum, & hi etiamnum carne cadaverosa victitant, sicut ipse plus millies in arce Cracoviana, in Massobia, in Russia, in Borussia (ubi compedibus vincti jussa herilia exequuntur) vidi. Contra ubi Germani sunt otiosi, & neq; pralia faciunt, neq; venantur (Siquidem hæc natio venationi dedita est, & si quis eorum studia, atque artificia in venationibus attenderet, Xenophontea consilia derideret) indulgent & gula, & crapulam edormiunt. Nam cura vel infirmisimis ex familia rerum, & agrestium, & domesticarum, vel senibus vel fœminis delegatur. Ipsi verò aut bello crepant, aut otio immoderato vitam extrahant. Merito igitur Tacitus eorum naturæ diversitatem admiratur, ut pacati inertiam adeo adamant, & viceversa quies iisdem sit odiosissima. Hinc colligitur, ut bellum Germanis erat contra inertiam, contra gulam, & contra torporem, & soporem remedium presentissimum.

Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus, vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.

XXI.

DE LIBERALITATE CIVITATUM IN PRINCIPES.

Magis consuetudine, quam lege aut divina, aut humana adductæ civitates Germanorum erant, ut Principibus tanquam legitimo magistratui propter tutelam, propter administrationem justitiæ, & honestatis custodiam, ultro & viritim aliquid

penitentent. Fuerunt autem tria penitententium genera, canon, oblatio & indictio. Canon quidem portoria, vectigalia, tributa (quæ tributim à singulis proportionem census exigebantur & decimas frugum complectebatur. Ita oblatio plerumque vel ex mercimoniis, cum aliquid ex vino aut heminatim, aut cuppatim, aut culeatim divendito, vel à negotiatoribus seu solidariis qui res integras & solidas venditant, seu numiti, ut qui sunt & propolæ colligitur. Indictio verò est collatio, quam & Cicero collectam, Græci ἐγγυον & interdum symbolum vocabant, non nisi extrema necessitate permittebatur. Itaque olim erat breviarium principale, quod ferè summam aulicarum expensarum etiam voluptuarium, utpote avitii & equitii continet. Meminerimus ut ultro & viritim collationes fiebant, nam tunc subditos etiam si tondere integrum fuerat, tamen deglubere Principibus non licuit, neque tot indictio-nibus illos onerabant, volentes igitur conferebant. Hodie multa superindictiones nonnullis Principibus non satisfaciunt cum suarum rerum negligentissimi sint, cum nullum breviarium vel primarium vel secundarium supputent, cum harpiis insatiabilibus multa donent, quasi hoc modo liberalissimi essent. Quare fit, ut subditi omnino exugantur, & utrobique ceu pertusa dolia reliqua esse videantur.

Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modò à singulis, sed publicè mittuntur, electi equi, magna arma, phalæxq; torquesq;. Jam & pecuniam accipere docuimus.

XXII.

DE MUNERIBUS QUIBUS GAUDENT GERMANI.

Verum est quod ille cecinit.

Munera crede mihi placant hominesq; Deosq;
Flectitur iratus Juppiter ipse datus.

Germani verò cum milites fuerant, multo gratiora habebant dona militaria, cujusmodi erant, electi equi, illustria arma, phalæra & torques, verum postea accesserunt munuscula aurea & argentea, quibus animi etiam constantissimorum virorum nonnihil frangi solent, neque alia ratione sibi Germanos Trajanus retinuit, quam ejusmodi donis. Verum est illud Euripidis.

— πειθεν δῶρα καὶ θεὸς λόγος
Χρῆος δὲ κρείσσων μὲν ἐμν λόγων βροτοῖς.

Quapropter subjecit Tacitus, jam & pecuniam accipere docuimus, ubi bigatorum & ferratorum supra facta erat mentio. Et cum haud multo ante indicarat comites legationibus gaudere, & ea munera innuere videtur, quæ lautiorum appellatione comprehenduntur, siquidem Plutarchus ἐκαλιτο, inquit, λαυτεία τὰ πεμπόμενα τοῖς πρεσβυτοῖς ἔνια, hoc est, lautitia, quæ olim & Daucia juxta Festum nominabantur, munera Legatis exterarum gentium dona mittenda, cujusmodi apud Livium Attila fuerant decreta. Quibus verò aut nihil donabatur, aut stipendia erabantur in Panegyrico Pliniano, erasi appellabantur, qui mos & in militum lustratione observatur, quoties nonnullorum nomina certis de causis, quæ tamen sæpè odio conceptæ sunt, expunguntur.

Nul.

Nillas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis & coherentibus ædificiis. Suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi.

Nec cementorum quidem apud illos aut regularum usus. Materia ad omnia jrituntur informi: & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terra ita pura & splendente, ut picturam & liniamenta colorum imitentur. Solent & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper sino onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt, & si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

XXIII.

VETERIBUS GERMANIS TANTISSIMARUM CIVITATUM & VICI FUERUNT, & NON URBS.

ID admodum probabile est, urbes olim in Germania non fuisse, cum ipsa in pagos & Comitatus per Principes & Reges divisa erat, neque certitudo possessionis aut in agris, aut in ædificiis ea de causa, quam ex Cæsare attuli, constituebatur. Quare civitas illis fuit, non qualibet hominum multitudo collecta, sed & ea, qua ad statum rerum suarum sustentandum per se sufficiebat, & qua legum vitæque consensu, conjuncta esset. Itaque vel juxta Rudolphi finitionem civitates Germanorum sunt, confœderationes & facta, quam ligam barbari solent appellare. Itaque apud Cæsarem est, civitas Helvetiorum, Heduorum, Nerviorum, Rauracorum & aliorum, sicut ex illius commentariis satis liquidum constat, cui suæ erant leges, instituta, mores, & agri, & sic Germanis est, vel *Eydenossen* / vel *ein Gericht* / vel *ein Gemeinde*. Atque totam Marchiam Brenno-pyrgensem rectè Cæsariano more civitatem Marchiam nominaremus. Ita & pagos tum numerarunt tum nuncuparunt, aut à puteo, aut fonte, aut à campo, aut à nemore, sicut supra eorum mentio facta est, in quibus vici ædificiis non coherentibus constructi erant. Romanis enim connexa, eaque perpetua juxta vitorum Latinorum descriptionem ex ædificata placebant. Duas autem causas subnectit Tacitus intervallorum intra domus, vel propter incendium vitandum, vel propter extrinseci inscitiam, utraque tamen non esset usque adeo à veritate aliena. Siquidem & hodiè apud Lygios multi vici aliquot M. P. longi reperiuntur, in quibus domuacularum magna sunt intervalla, & singulis sua prædia adjuncta, & hujus consilii causam incendio præterdunt. Deinde etiam si insignes tum affuissent artifices, & mechanici, tamen cum materia extructionum defuit, nihil profuissent. Fateor in villis & vicis multas casas ex paucis lignis, argilla seu limo contextis adhuc videri, sed cementorum & regularum copiam illos non desiderasse arbitror, ut qui & simplicitate & mundi rudimento contenti erant. Nonne Tacite tua Roma domos rudi cemento constructas scandalis aut robusteis, aut stramenteis urbem contextam per quadringentos annos usque ad Pyrrhi bellum habebant? Nonne Galli domicilia pluvieis & crasibus, intexabant? Nonne Britanni in tuguriis una cum armentis stabulantur? Nonne Ligures montani speluncas & vastissimos specus aut cubilia modica sub obscura incolabant? Nonne Dardani foveas subterraneas & sordidas adas inhabitabant? Nonne Mardi

in specus montanos se, conjuges & liberos receptabant? Ita rudissima erant & ubique non tantum architectonices, sed & omnium artium atque scientiarum rudimenta. Alia cum Sabæis & aliis Arabibus, alia cum Coreyrisubi & Alcinoi domus ab Homero laudatissima fulgebat, alia cum Persis, alia cum Indis, alia cum Spartanis, alia cum aliis Græcis, à quibus & architectura & alia artes juxta cum vitis in Italiam promanarunt, ratio erat. Vidimus tamen & in Pannonia utraque, & in Moravia hodie sic dicta, antra tum rusticorum tuguria, tum frugum receptacula forsan propter assiduam hostium incursionem excavata.

Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina contextum. Cætera intecti, rotos dies juxta focum arque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente. Gerunt & setarum pelles, proximi ripæ negligent, ultiores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina spargunt maculis, bellibusque beluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare pignit. Nec alius sciamis quam vitis habitus, nisi quod scaminæ sæpius lineis amictibus velatur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extenditur, auda brachia ac lacertos. Sed & proxima pectoris patet.

XXIV.

DE GERMANORUM VESTITU.

Veterum Germanorum stola, si quis cum præfente contulerit, plerasque ejus partes simplicissimas & pauperrimas utique usitatas comperiet. Vestis autem erat sagum villo crassiore contextum militia aptum contra calis intemperiem, si quando necessitas urgebat, quæ utilis, & cum plerumque strictum esse soleat, conserebatur, id est, connectebatur circa pectora, vel fibula, quæ ferè aut ossa aut metallica esse consuevit, vel ejus loca spina & aliud ligni frustillum aduncum, ut facilius sagum consereretur. Reliquis verò partibus non sunt recti cum illis neque scemuralia, neque ocreæ, neque calcei fuerant. Rationemque Tacitus affert. Toros inquit, dies ad focum sedent & ad ignem. Talis verò vestitus adhuc apud Roxos inter plebejos ubique videtur, & Sagum non est, quod armis super inducitur, sicut Græci præterea quædam nominarunt, sed frequentius vestis militaris, quæ & Græcis est ἰσθὴν spatiosa; atque hic est viatoria, imo quotidiana, nos Sagum vocabulo à villi crassissimi contextura, & velamine composito ein Silsmantel / sicut & fibulam ein Hest / nominamus. Hodie tamen plerique, cingulo lato, sub quo marisupia confusa sunt, succinguntur. Verum ditionum stola, ut credibile est, fuit aliquanto comptior, & sic stricta, ut artus majores in veste extuberantes conspicerentur. Mirum est, ut cuncta sint inversa. Nam hodiè Sarmaticæ sunt strictæ, nobis fluitantes, admodum & sinuosæ & complicabiles. Sunt quoque Germanis usitatores rhenones, sicut eosdem illis Cæsar tribuit, qui sunt vestes pellicæ maxime teneræ in usum humanum redactæ, quorumque etymum rectius Græcum est ἰσθὴν id est à pelle, quam ab renibus quasi hos solos calidos retineret. Hic verò quis in dubium vocaret duo adverbia negliger & exquisitius. Aut est negligenter pro raro, & exquisitius, pro eo, quod est frequentius. Sic apta est ratio subdita. Quia nullus per commercia illis sollecultus. Solent & novarum & excultarum vestium rationes mercatores magis, atque milites excogitare, aut est negligenter, idem, quod impolite, non

non artificiose, exquisitius idem, quod excultius, artificiosius, sicut utrobique vocum propria natura est. Sic Rhenani, hoc est, qui proximè Rhenum habitant, exquisitiorem haberent cultum, atque interiores Germani, cum iisdem nulla per mercatores consuetudo sit, negligentiore. Rhenones autem ex pellibus animalium detractis & excoriatas, quas variis coloribus spargunt, id est, tingunt, & pellibus belluarum subducunt. (Nam hic spargendi verbum aut largius sumendum esse, aut aliquid deesse judico) cujuscmodi, luporum, vulpium, leporum, cuniculorumque, aut urforum, unde sunt vestes, lupinæ, Vulpinæ, leporinæ, cuniculinæ, ursinæ, & aliæ id genus. Quid quod & præstantissimæ pelliculæ non ex mari ignoto, quod Cronion esse dicitur, sed ex terris Balthico sinui adjectis deinceps & Boream & ortum versus ad Rha fluvium, hodiè Volga dictum, quo loci degunt Borussi, Livonii, Moschi, Litvani, & Tartari nonnulli, quibus maxima istiusmodi est pellium copia, & præsertim mustellarum genera, quorum aliquot sua habent nomina, ut Martes Martiali, sed hodiè est vulgò *Mardrus*, & hoc multo præstantior *Zobelus*, & *pellicula inde Zobellina*, Quare in capitibus civitatum Sarmaticarum publica & celebria in illarum pellium negotiatione emporia sunt. Vilnæ equidem celeberrimum, & id quotidianum, solo die, Dominico excepto, vidi in medio foro, ubi ejusmodi pelliculæ in domo magnifica & huic negotiationi apte venduntur, utpote ex lupis canis, ex leporibus albis, ex mustelis, ex viverris, ex muribus, vel Ponticis, vel Noricis, vel Pannonicis, vel sylvestribus, & ex aliis compluribus feris, quæ tamen & Lublini in Massobia, Bosonanæ in majori, Crocaviæ in minori Polonia, Dantisci, Regiomontè, Torunni in Borussia prostant, sed per certos mercatores. Quare factum esse non dubito, quod Vilnæ platea integra latericiis ædibus constructa à Germanis mercatoribus, & Germanica hodiè dicta sit. Vix Tacitus & Lappones intelligit suo tempore non ita notos, sed revera isthinc & ab vicinis accolis sinus Finnonici, (qui est extrema Balthici sinus usque ad Boream) & preciosæ pelles, & plurimæ veluti ex Phocis, ex suis per mercatores afferuntur, sed & belluarum verbum iisdem aptius quadraret. *Græcis quoque Antiquissimas pelles leonum, pardorum, ovium, & caprarum, & luporum a principio in vestitu usitatissimas fuisse vel ex ipso Homero colligitur. Neque Mauri, leonum, pardorum, urforum, tergora propter stolam repudiabant. Scythæ olim vulpium & murium velaminibus detractis operi incedebant. Hispanis primùm fuit & sagulum, & mox stolas & togas à Romanorum consuetudine receperunt, unde stolati togatique dicebantur. Horrendum est quod Geloni ex hostium cutibus sibi vestes consueverant.* Verùm hinc non liquet, an fuerint more Gallorum, Medorum & Scytharum & brachati, cum Tacitus cætera intactos dixerat. Hæc verò sunt de vestitu virili simplicissimo, & humillimo, à quo non ita diversus fuit muliebris. Nam harum velamina non erant villosa, sed lineæ, & purpureo colore depicta absque manicis. Quare brachia & lacertos nudæ describuntur, & cum circa collum vestis circumcisa erat, superior pars pectoris patebat, quæ consuetudo vix intra quadrienniū in Sarmatia & in Silesia exolevit. Hinc quoque

saga fuisse manicata quilibet conjecturam faceret.

Quamquam severa illic matrimonia. Nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam propè soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob Nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Interfunt parentes & propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quæsitæ, nec quibus nova nupta comatur, sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea, gladioque. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro offert, hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Nec se mulier extra virtutum cogitationes, extrahit; bellorum casus putet, ipsi incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum, accipere se, quæ liberis inviolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, cuiusque ad nepotes referant. Ergo sepra pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis convivorum iritationibus corrupta.

Literarum secreta viri pauciter ac scemine ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena præsens & maritis permilla. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit, publicatæ enim pudicitie nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenit. Nemo enim illic vitia ridet, ne contumpere & corrumpi, seculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ Civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur. Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.

XXV.

DE RELIGIONE MATRIMONII, de sponsis, dotibus, & adulteriorum poena.

Sicut & Germanis matrimonia severa, non dura, non tristia, non acerba, sed propter religionem & fidem matrimonii summa adhibetur severitas, id est, gravitas *ὡς σεμνότης*. Itaque eandem tantam Tacitus facit, ut vix ullam morum partem magis laudandam esse censeat, *αἰθολογία* est, quia non sunt neque bigami neque πολυγαμί hoc est, non simul ducunt, aut duas, aut plures uxores, quales in Veteri Testamento fuisse leguntur, sed certa, ut videretur, causa. Sed Deus Opt. Maxim. primus matrimonii author volebat duos esse in carnem unam, quod est masculinum & sceminam inter se committere, devinci, ut esset individua, & indissolubilis, dum uterque in vita superstes relinqueretur. Siquidem non quælibet conjunctio matrimonii causa est, sed quæ est & divina & legitima, utpote juxta Dei ordinationem & legum honestarum constitutionem. *Erant tum polygami non libidine, sed Nobilitate adducti.* Verùm sponsalia non prius certa erant, quam dos à marito offerebatur in parentum & propinquorum conspectu, quorum iudicio dos approbatur. Hæc autem quatuor rebus constabat, non sine mysterio, ut boves, frenatus equus, framea & gladius, scilicet munera, vel *περίτεια* vel *ἀπύλεια* dicta, non ita muliebria, hoc est, quibus sponsa exornaretur. Contra & sponsa sua attulit dona, quippe arma. Hisce sanè ceu Deus nuptialibus, vel ut D. Augustinus appellat, conjugalibus fit inauguratio. Sic est *τέλειος Ἰuppiter*, *τέλεια*, *Ἰuno*, sic *Venus*, sic est *πέθε*, id est *Snadela*, sic est & *Diana* nuptialis. Hos enim

quinque Deos Romanis in connubiis invocare soliti erant, quibus interdum Talassus, qui est Græce Hymenæus, adjugebatur. Cereonia autem dotis nihil aliud significabatur (Est enim in hac aut mysterium, aut *ἀμνηστέρειος*) atque uxorem esse & pacis & belli sociam, & calamitatum & fortunarum participem, ita ut verè inter hos *συζύγια* observaret, sicut boum nomine res pecuaria & domestica paxque ipsa: ita telorum bellicum studium, defensio tutelæque mutua in quacunque fortuna adiunbratur. Siquidem ut boves, ne se virtutum æconomicarum cogitationibus, studiis, & conatibus: Ita tela, ne à bellorum periculis exclusam putaret uxor, erant quædam commonesactiones & symbola. Societatis igitur ad utramque fortunam mutua, atque inter sese devinctæ istis sponsalibus argumentum est. Sic enim aut vivendum, aut pereundum erat, cum dotis ejus ad posteritatem usque successio propagaretur. Neque Deus adiutorium uxorem appellasse aliter videtur, atque cujuslibet fortunæ sociam. Et si verò priscis seculis uxores nunquam esse indotatas visum erat, præsertim Julia lege, dotis tamen modum definierunt. Itaque Romanis in principio res grave fuit, mox X. millia æris, postea moribus corruptis dotes ad quadraginta millia supergressæ sunt. Cautum quoque erat, ut tenuioris fortunæ puellæ pro natalibus publico dotarentur. *Ad hunc modum Athenienses Aristidis filias propter paupertatem ære collato, connubio locabant.* Huic autem malo Solon & Lycurgus medicinam daturi, ne qua viris dos daretur, legibus vetuerant. Porro sponsa probe educata fuerant. Nam neq; spectaculis, neq; conviviiis tanquam corruptelis easdem frequenter interesse olim volebant. Verum est illud Menandri, & à D. Paulo citatum; *Bonos mores pravis colloquiis corrumpi.* Siquidem ut in spectaculis obscæna, & dicta & gesta in pulpito proferuntur. Ita in conviviiis, lascivæ saltationes jocationesque ineptæ, maximè honestis puellis obfunt. *Quare Paulus eis *οὐκ ἔπειθε* esse voluit, tanquam sue domus custodes, non domesticarum novarum rerum cupida ulirò citroq; cursitantes, sed domi tanquam sub limacæ telum & lanam tractantes quasi septesedeant.* Id tamen sub id tempus, aut propter incitiam rûde & difficile, aut certa de causa inutile videbatur, ut puellæ literas condiscerent. Verum supra ostendimus, ut tardius ad Germanos per Gallos & per Imperatores quodam Germanos literarum cognitio pervenerat. Itaque non est mirum, ut tam viri quàm sæminæ inertes redarguantur. Talis autem puellarum educatio multò laudabilior est atque Thracica. Nam *Thracibus in more positum fuit, non asseruare virgines, sed cum quibus libitum erat, commiscere licebat.* Cæterum de fide matrimonii & nuptiarum erat sua quoque Germanis ratio. *Nam in adulteras, quas tamen paucas fuisse asserit, vel in ipsa propinquorum dorona ipse maritus animadvertit. Adulteram enim coma præcisâ domo expellebat, & vicarum flagris cadebat licitoris vicem fungens, quæ etiam juvenis etiam formosa, etiam opulenta propter profligatam pudicitiam contemnebatur.* Tanta enim severitas & potius *ειμώτης*, id est, veneranda quædam gravitas, cum austeritate conjuncta Germanis fuit, ut vitia non videant, id est, connivendo, more Gnathonico col-

laudent; ut in corruptis moribus seculum, id est, seculi depravati consuetudinem non causentur. Ita Lacedæmonii, cum nulla noverant adulteria, nullam quoque legem Lycurgi in adulteros receperunt. Verum Solon ut adulteria refrenaret, lupanaria instituit. *Tenedis autem lex fuit, ut adulteri, & mas & sæmina capite plecterentur. Pifida equo insidentes circumducebant. Egyptii namque præcidebant. Romani sæpe virilia exercabant. Didymus tibicen testiculis suspensus est. Attici suos raphano torquebant, cujus & apud Aristophanem mentio fit. Arabibus semper placuit, ut adulteri pœna capitis afficerentur. Valeant Indi, Æthiopes, Massageta & Barbaræ nationes, quibus adulteria impunita fuerunt. Quid verò lex Julia sibi Romæ voluerat, notius est, quàm ut reperatur. Juxta Mosem verò mœchi lapidibus adobruerantur. Fuit & quibusdam civitatibus, quæ hic sunt *δεικνύουσι* consuetudo, ut in matrimonio tantum *χορὸν*, id est, quæ adhuc virgines nuberent, sic & sponsi essent *εὐδαίμονες*, nempe adolescentuli, qui antea uxorem nullam duxerant. Sic enim utriusque hæc conjunctio, non tantum corpore, sed & animo, erat individa. Experientiam enim multorum matrimoniorum damnasse videntur. *Quare vidua mortuo viro non ultra cogitabant, non longius novæ nuptias expetebant, sed semel & sperabant & vivebant ita vitam vivere.* Quam tamen consuetudinem & Romani agnoverunt. Nam ex nuptiarum multitudine animum intemperantem colligebant. Adhuc nimis stultum fuit quibusdam gentibus numerum liberorum definire, cum is potius naturæ cursu absolvatur & desinat, quàm legum constitutione. Prudentissimè autem Qu. Metellus Numidicus Cæsar, deinde Julius Cæsar, postea & Augustus legem de maritandis ordinibus tulerunt, eosque ad progeniem propagandam præmiis & immunitatibus invitarunt. Siquidem patri trium liberorum, erat muneris vacatio, cui plures, libertas donabatur. Sic & Lacedæmonii parentem, cui tres erant liberi à custodia & excubiis, cui quatuor, ab omni onere immunem fecerunt. Romani quoque parentibus plurium liberorum magistratus & honores designabant. Quid multis: stultum est & hic naturæ modum per leges præscribere. Est quoque flagitiosa agnati alicujus internecio, quasi aut alicubi pia esset, aut parricidia impunita judicantia essent. *Pium quidem fuit apud Indos, ut liberi senio confectos parentes, sed ex æcri temperie longè optima vivacissimos inserimant.* Sed de homicidio, ejusque pœna haud multò post plura subdemus. Habetur, inquit Tacitus, non quod legis quippiam cautum fuisset, sed bonis moribus approbatum erat. Mores autem ut plurimum sunt leges non scriptæ, sed consuetudines judicio & consensu rectè sentientium, juxta legem Dei cordibus inscriptam longoque usu receptæ. Boni quoque judicantur, cum ad honestatis & societatis hominum conservandæ normam adæquantur & referantur. Laudatur igitur Germanorum Respublica à morum bonitate, quæ plus valet atque *ἠνεμία*, id est, justa & bona legum constitutio. Itaque Antiphanes bonos mores judicavit esse *καμνηλιον* preciosissimum hoc versu.*

Τρόπος δίκαιος, κτήμα ἡμιώτατος.

Hinc est quod Perithous bonos anteposuerat mores

res legibus. Nam illos immutabiles, cum sit iudicium Dei istiusmodi tabulis cordium nostrorum insculptum, perpetuum esse asserit: leges per Oratorum eloquentiam subinde figuntur & refiguntur. Cujus autem Senarii hi sunt:

Τὸ πρῶτον ἐστὶ χρεῖος ἀσφαλτέστερος νόμος.

τῶν μὲν ᾗ ἔδεις διασπείλαι ποτι.

ῥήτωρ δὲν ζῆτο. Τὸ δ' αὖτε καὶ κάτω.

λόγοις ταρσεῖσιν, πλάκῃσι λυμαίνεται.

IN omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, crescunt. Sua quæque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Domnum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos. Virtus agnoscatur. Seta juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas: nec Virgines festinantur, eadem juvenita, similis proceritas, pares validæq; miscentur, ac robora parentum liberi referunt.

XXVI.

DE LIBERORUM EDUCATIONE.

Varia semper fuit apud diversas Nationes infantum ex utero matris egestorum ratio, variæque institutio. Galenus quidem; Germanos solitos infantem recens natum in frigidum humorem immergere, memoria prodidit, idq; duplici de causa faciunt. Priori quidem, ut de nature vigore periculum facerent. Posteriori autem, ut corpus ipsum (nam per externum frigus calor internus adaugetur) confirmaretur. Hinc vehementer in Germanos invehi sibi permittit Galenus, eosque propter hanc educationem barbaros appellare non veretur. Lacedæmonii quoque Lycurgi legibus edocti, idem factitarunt. Nam infantes jam jam editos, rigidissima aqua, propter corporum confirmationem, fovebant, nudos in patientia laboris enutriebant; nihil somni causa sternebant, cibi potuq; modum præscribent, convictum sobrium cum aequalibus præscribent, in eodem sodalicio & studiorum societate, humiliq; cultu educabant, dura & horrida disciplina, severissimisque moribus assuefaciebant. Neque diversus fuit Germanorum educationis modus, quo tamen per fascias deligaturam infantum adhibuisse necesse est, qua membra & artus benè formarentur, ut in tanta corpora (supra enim ex Josepho, magna & robusta tribuimus) aliis Nationibus pusillis admirandâ succrescerent, etiam si non benè culti, non bene loti humi jacerent. Deinde infantes nutriuntur ab ipsis matribus, quod negotium neque ancillis, neque nutricibus creditur. Id sanè Plutarchus triplici ratione approbat. Una est, ex dilectionis vinculo, quæ majoris diligentia & attentionis in nutriendo, quam in conductitiis nutricibus erit, causa iudicatur. Altera est, ex ipsius Nature ductu, quæ cuilibet animalium generi lactis quoque copiam suppeditavit, ejusque tanta fuit providentia, ut pro gemellis matris & duos fontes lactis procrearet. Ultima est ex amoris proprietate. Sic enim multò magis suos adamabant. Medicis verò sunt & aliæ rationes, quas Gellius, Macrobius, & alii complures repetere non dubitarunt. Inter has autem non infir-

ma est causa, ne subito nutritio ipsa permutetur, cum eodem lacte vel ipso utero enutriti sint. Idem est Quintiliano; & quibus non prudentibus atque peritis consilium? Neque verò diversa educationis in adolescentia forma, siquidem servilis ab ingenua nutritione vix discernebatur. Quapropter Germanis non secus ac Cretensibus cura fuit, ut pueri ab incunante adolescentia calores & frigora pati assuescerent, ut visibus amicti amiculis hyeme pariter atq; æstu nempe eodem vestitu incederent. Juvenes penè militiæ per ætatem patientes, non delitiis, quæ animos hominum frangunt, sed laboriosis exercitationibus, veluti cuitu, jactu disci, algore, æstu, inedia, & sitis tolerantia, arduarum & difficilium viarum peragratione, pugnarum simulacris, subinde exercitabantur. Quamobrem educatio, vel inter pecora communis est; etiamnum in Sarmatia, Lituania, & Russia usitatissima, quibus stabula, cœnacula, etiam vaporaria eadem sunt, quæ tamen si barbaræ, tamen ætate & Virtute ingenui a servis citrà negotium discernuntur. Generosa enim indoles, quæ est Græcis ἐν φη, non potest diu esse obscura. Fatemur & hic opus esse, ut ad naturam ratio, quæ est disciplina, & consuetudo, quæ est exercitatio, accedat, si iusta instituendæ pueritiæ ratio ineunda esset. Nota est Historia, ut ex duobus catellis à Lycurgo aliter atque aliter edoctis in publicam coronam Lacedæmoniorum propositis, educationis vim & mores veluti intento digito ille demonstraret. Postea iidem pubescentes, summa cura à Venere arcentur, quæ nimis quoque vires enervat, & rectè ille dixit: Si infirmior esse cupis, Venere indulge. Liber & huc consilium admodum salubre, quod de puerorum procreatione Aristoxenus Pythagoricus intendit, adnotare.

καθὼς λέγουσι φυλάττειν τὸ καλεῖσθαι προσφέρειν ἕτερον τῶν φητῶν, ἕτερον τῶν ζῶων ἰκαρπῆα τὰ προσφέρειν γίνεσθαι, ἀλλὰ χρεῖον τὴν ἀποκαρσεῖσθαι λέγειν, τῆς καρποφείας ἐν ἡν ἐνίστασθαι & καὶ πεπληρωμένα τὰ σώματα, παρεχόντα πρὸς ἐργασίαν καὶ τὰς καρπὸς δεδιήνται, πολλὰ δὲ εἶναι, ἐν οἷσιν ἰψιμαθία ἐστὶ βέλτερον, ἴδιον ἢ τὸ ἀφροδισιάζειν πράγμα. δεόν δ' ἐστὶ παῖδα οὕτως ἀγεῖσθαι ἀπὸ τῶν σωμάτων ἀφελῆς, ὥστε μὴ μόνον μὴ ζητεῖν ἀλλ' εἰ δυνατόν μηδὲ εἶναι τὴν τοιαύτην συνήθειαν ἐν τῶν εἰρησιν ἰτῶν, ὅταν δὲ καὶ εἰς σπυροφίκοις σπαιλοῖς, εἶναι χρεῖστον τοῖς ἀφροδισίοις, ὅτι ᾗ πρὸς τὴν τῶν γυναικῶν, &c. Quod est: In universis præcox Venus est cavenda. Siquidem neq; in plantarij, neq; in animalium genere, qua præcocia sunt, fecunda fiunt, sed certo tempore, ad fructificandam facultatem preparantur, ut corpora ipsorum roborata, & perfecta, femina & fructus perferrent. Sunt quidem multæ res, quas serius didicisse conveniret, & inter has est Venereum opus. Quare sic pueri corporibus exercendi, & aliis negotiis obruendi sunt, ut non modo Venere non querant, sed & pro virili illam ipsam intra vice simum annum ignorent, cum & hac aetate rarior esse debeat. Hoc enim tum ad parentum, tum ad generandæ prolis bonam habitudinem multum conducit. Laudandi igitur sunt veteres Germani, ut qui in educatione liberos suos, neque ἀκράτους, id est, libidinosos, & intemperantes, neque ἀκρατεῖς, hoc est, incontinentes esse volébant. Itaque σωματοφίλῃ, quod est

umbratilis, mollis, & delicata educatio, nimis odiosa iisdem fuit. Noti enim & hi versus.

*Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra,
Sed vitam faciunt, balnea, vina, Venus.*

Itaque Germanis consultiſſimum fuit, ut virgines non feſtinarentur, hoc eſt, non citò ad conjugium raperentur. Exſpectabatur enim ætas generationi apta, quæ & firma eſt, cum omni ex parte ſibi conſiſtat, & integris viribus exiſtat. Et cum Ariſtoteles gignendi finem in maribus quidem annum ſeptuageſimum, in mulieribus autem quinquageſimum ſtatuerat, magis firmæ ætatis ratione, & communi quadam experientia, quàm re ipſa, ita facile erit iuſtitiæ conjugandi conſtituere, nimirum ut puella octodecim annorum nuptiis detur, & maſculus trigintaſimum ducat, cui & Heſiodus ſuffragatur, cum ſponſum tricenarium plus minus fecerat. Quare hic in utroque ſexu non erit diſſimilitudo, neque ætate, neque ſtatura. Amicitia igitur juſta inter conjuges conciliabatur, veraque *αὐξία*, propter æqualitatem ſtatuebatur. Verùm eſt illud Ariſtotelicum: *δι ἀνομοιότητες τῶν ἡδῶν ἡμῶν φιλικὸς*. Siquidem diſſimilitudo morum, diſſidii & contentionum mater eſt. Sit igitur, juxta Pythagoram, amicitia æqualitas. Poſtremo liberos parentum corpora retuliſſe, quàm prudentiſſimè ſubdit. Nam in cunctis animalibus, nunc juveniles partus penè imperfecti ſunt, nunc ſæmellæ crebrius quàm maſculi (cum genitura maſculina juxta Hippocratem nondum ſit integra) gignuntur, nunc minoris ſtaturæ homunculi procreantur, iiq; admodum imbecilles, nunc puellæ non ita paucæ partu, propter valdè teneram ætatem, & imbecillitatem intercidunt. Quare Træzeniis reſponſum datum rectè huc quadrat, *ὡς οὐδὲν ἄλλο φησὶν ἢ ἄλλο τὸ γένος*. Hoc eſt: Quàm multæ pereunt, cum juniores nubant. Taceo ut ex immaturo, & intempeſtivo matrimonio liberi ferè degenerent, ut illud ipſum ſit incontinentiæ ſignum. Præterea & multas eaſque juſtas cauſas Medicis notas, & *γενεῶν*, id eſt, temporis ad procreationem apti ætatem Cenſorinus adnotavit. Germanis quoque eſt proverbium dextrè intellectum à veritate nihil diſſidens, *Kinden machen Kinder*, quod eſt, homines pueriles, nimirum ætatis adhuc infirmæ, alios liberos, quàm infirmos gignere non poſſunt.

Sorum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam ſanctiorem arctioremq; hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt, tanquam ii & animum firmius, & ædum lacius teneant. Hæredes tamen ſucceſſoresq; ſui cuique liberi, & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione fratres, patres, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratior lenctus, nec ulla orbitatis precia.

XXVII.

DE SORORUM FILIIS, ET DE hæredum inſtitutione.

Id magis uſu, & *αὐξία* *φύσει* receptum eſt, quàm legibus & tabulis, videlicet, quod filii ſorum in eodem ſint honore apud avunculum, quippe matris fratrem, quo apud patrem. Eſt quidem con-

nexio penè in circulum abiens, multò arctius affinitatem copulans, Quare adhuc tales filii avunculos ſuos, dicuntur *Betterni* veluti patres, ut arbitror, appellant, Veruſtatis avitæ veſtigia retinentes, non niſi propter honoris æqualitatem, paterno nomine, vitæ per primæ vocalis, vel immutationem, aut inclinationem mellioſiorem ſignificatam. Itaque factum eſt, ut propter illud arctiſſimum affinitatis vinculum Germanis uſitatus, libentius aliæ nationes filios ſorum in obſides acceperint. Germani quoque nullum ſunt teſtamentum, neque nuncupativum, neque ſcriptum, ſed ratum erat illis, & longo uſu receptum, *utiq; à naturali jure non alienum*, ut hæredem inſtituerent, id eſt poſt mortem aliquorū ſuorum bonorum Dominum facerent Primum *ἑκτὴ* *linea* *descendente*, ut liberos: Deinde cum orbitas fuerat, *ex tranſverſali linea* hæredes ſucceſſerunt, veluti fratres, patrni & avunculi. Contra Romanis hæredes primos aſcendentes, alios descendentes, tertios tranſverſales, atque extraneos fecerunt. Siquidem hæredes tripliçes præſcribuntur, quarum alii ſunt neceſſarii, cujuſmodi ſervi etiam nolentes, poſt mortem Domini, & libertate donantur, & iſtædem hæreditas venit. Alii ſunt ſui & neceſſarii, quales Germani fuerunt, filii & filia, atque propinqui proximi. Alii ſunt extranei, ut qui juri teſtatoris ſubjecti non ſunt, quos Germanis fuſiſſe non eſt veriſimile. Siquidem ſi qua alia, hæc præfertim Natio gignendis liberis operam dedit, & multitudine tam agnatorum, & cognatorum, quàm affinium etiamnum gaudet. Quare affinitatis nomen apud nos fuſiſſimè ſpargitur, ut gradus nulla ratione ſubducerentur, aded arctiſſimam inter ſe utraque de cauſa connexionem eſſe affectant. Itaque orbitas id eſt, quibus nulli erant, aut propinqui, aut liberi in nullo precio habebantur, atque hoc modo *calibatus* valdè odioſus fuit. Quæ conſuetudo, & Veteribus Romanis, quoties maritis, & congiatis, & donaria tanquam ad nuptias illeceſtamenta, ab Imperatoribus conſtituta fuerant, ita Romæ plerique divites uxores non ducebant propter vitanda matrimoniorum onera. Quare cum hi nullos liberos, nullosq; hæredes tollerent, mox hæredipetæ alii ſucceſſerunt, & alieni. Quam verò rem cum & ci- publicæ damnola eſſet (nam & legitima prole civitas deſtituebatur, & teſtamenta multo improba, inofficioſa, & inhumana fiebant) lege *Papia de ordinibus maritandis*, id eſt, in matrimonium locandis correxit, cum multiplicia præmia, immunitates atque honores iis, qui uxores haberent, atque ex iis liberos ſtatuerat. *Calibatum* verò atque orbitatem vicium *penis ſubjecti*, quæ omnes ad locupletandum ærarium inſtituta atque excogitata erant. Fecit autem id, ut invidiam ſubterfugeret, ex Divi Julii commentariis edoctus. Quamobrem Suetonius D. Auguſtum leges quaſdam retradidit teſtatur, maximè tamen de maritandis ordinibus, quam cum recuſarent poſiſſimum Equites, perferre, hoc eſt, ad finem, ſeu ad plenum decernere non potuit, utique teſtimonio quodam muto, cum Germanici liberos accitos receptosq; partim ad ſe, partim in patris gremium oſtentaverant, manu vultuq; ſignificans, ne juvenis exemplum imitari gravarentur, inſtauravit autem, & ſanxit quod

quod ante Amplissimus Qu. Metellus Censor conatus est, de quo sic Florus. *Qua inquit, Metellus Censor censuit, ut ducere uxores omnes omnino cogere liberorum creandorum causa.* Hujus quoque orationem Augustum in Senatu recitasse Suetonius ait, cuius & Gellius cap. 56. meminit, cuius summa fuit, *ut civitas sine matrimoniorum frequentia consistere non posset*, quam & Tacitus in III. lib. repetit. Proinde cum Germanis orbitas odiosissima fuerat, sed affinium, & propinquorum numerus magna animi contentione requirebatur, bona eorum non erant caduca, quæ cum sint vacantia, ad ærarium pertinebant, sicut apud Jurisconsultos, de caducis tollendis, præscribitur.

Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant. Uitur enim etiam homicidium certo armentorum, ac pecorum numero, recipiturque satisfactionem univèrsa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitie juxta libertatem.

XXIIX.

DE INIMICITIARUM ET HOMICIDII, EXPIATIONE, & MULTATIONE.

Sicut honorum hæreditas propinquis venerat, ita & amicitiarum, & inimicitiarum. Nam qui amicus patri testatoris fuerat, idem & hæredibus fuit, & è diverso, qui hostis patris fuit, & hæredibus hostis. Erant tamen tales hostes, ut essent placabiles. Nam irasci & dissidere facile, sed mansuetum assè longè melius est, sicut stuporis est *ἀοργασία*, & furoris *ἔργασις*, præsertim perûnax, ita mediocritas est placabilitas, & *πραότης*. Observabant, & Germani in homicidii pœna suam rationem, *Constat sanè ex Gorgia Platonis, duplicem puniendis peccatis esse causam, unam communitiois, alteram animadversionis. Communitio quidem fit propter delinquentem, ne postò peccare pœgat, sed ut ad benè honestèque vivendum promptior, & emendatior fieret, curabatur. Animadversio vero fit, non ejus, qui pœna afficitur gratia, sed aliorum, ut metu pœna ab eadem noxâ detererentur.* Sic Germanis homicidium certo pecorum numero læbatur. Leviora verò crimina pecoris, vel equi damno. Ita Romani Reges homicidii confcios arietes damno multabant, quem in sacrificiis Deorum expendere consueverunt. *Prisca enim paupertas ante argenti, & auri ulum ex noxiorum bonis sacra Dei exhibuisse fertur, quare supplicia dicta sunt, & cautum fuit, ne quis multam indicendo bovem prius quam ovem nominaret. Neq; Roma multari quempiam gravius decebat, quam triginta bobus, & duobus ovibus.* Bos quidem centussibus ovis verò decussibus æstimabatur. Quapropter & multa pecuniaria, juxta hanc æstimationem, modus præstinebatur, ut maxima multa esset trium millium & viginti assium. Atque ex superioribus patet, ut gregibus armentorum & pecorum tanquam gratissimis opibus sese Germani oblectarent, idèd exiisdem multa decernebatur, cum pecuniæ usus ubique non tantus erat. Hac autem

pœna toti domni, id est, familiæ interfecti, in publicum satisfiebat. Nam si quis ex eadem familia neglectus fuisset, sicut Germanis semper magna fuit libertas, ejusque studium extremum, nova exorta fuisset contentio, ex non plena satisfactione. Quare inutilitatem publicam totius domus multa pecuniaria distribuebatur.

Convictibus & hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur. pro fortuna quilibet apparatus epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii, & comes proximam domum non invitati adeunt, nec interest, pari humanitate accipiuntur, notum ignotumque quantum ad jus hospitii, nemo discedit, ab eunti, si quid poposceris, concedere meritis, & poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis, statim è somno quem plerumque in diem extrahant, lavantur, sæpius calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Lauti cibum capiunt, separatè singulis sedes, & sua cuique mensa.

XXIX.

DE GERMANORUM
Hospitalitate.

Magna fuit Veteribus hospitum observantia. Nam in defensionibus primum locum parentibus tribuerunt, secundum hospitibus, tertium servis, sicut apud Gell. in V. cap. 13. memoria scriptum est. Sic & Penelope ad Antinoum dixit, Odil. φ.

— & μὴ καλὸν ἀτέμειν, εἰδὲ δίκαιον,
ξείνους τελεμάχῃ ὄσμεν, τὰ δὲ δώμαθ' ἰκνῆται.

Sic & Telemachus Minervam, quæ sese Mentæ Taphiorum Regi assimularat, hospitem tam diu foris perstitisse indignabatur, mox ipse prorupit illius dextram cepit, & hastam eandem salutavit, atque inter suos amicos recensuit, atque prius cibis saturati, quam negotium suum expedire iussit. Quid multis? *laudatissima est omnium Virtutum apud Homerum Hospitalitas*, cui non temerè vel ipsam Jovem ξείνον, dictum, præfecerunt. Ita Germanis jus hospitali sanctissimum fuit, ut nullum hominem suis tectis arcerent. Hoc enim pessimum flagitium iudicabatur. Deinde eosdem hospites prolixè, sed profacultate accipiebant liberalissimè. Liberum quoque fuit, in aliam domum divertere, si prius hospes defecerat. Solent enim hospitii esse non tantum monstratores, sed & comites, cum illos in proximam domum deducunt. Postea hospitalia sunt communia tam notis, quam ignotis. Siquidem jure hospitii utrique in nullo ponebantur discrimine. Tum celebri more hospites cibo potuque refertos, aliquo munere ceu symbolo amicitie ornare solebant, atque hæc munera, ξενία dicebantur. Ad hunc modum apud Hom. Ioti, pasti, saturi, *οἷς τερπόμενοι φίλον ἦτορ* offerebant donum *πυθῆν, μάλα καλόν, ὅτοι κειμήλιον ἔσαι ἐξ ἡμεῶν δια φίλα ξένοι ξείνους δίδουσι.* Ab altera verò parte dicebatur, *οἷ δ' ἀξίον ἔσαι ἀμειβῆς*, ita numeranti renumeratur. Germanis tamen mos fuit, ut in datis muneribus, nulla esset imputatio, & in acceptis nulla obligatio, imò esset mutua quædam seu liberalitas, seu munificentia. Adhæc victus, qui hic est vivendi consuetudo,

& familiaritas, non asper, non malignus, sed comis & benignus, atque facilis. Postremò hospites, in multam usque diem dormiunt, & loti Homericorum hospitem more sic comedunt, ut singulis suæ sint, & sedes, & mensæ. Quæ consuetudo etiamnum mordicus, in multis Germanorum partibus observatur. *Familiarius tamen iisdem fuit, ut se non in balneis sed fluminibus lavarent.* Itaque nandi periti, & summi Viri natatores habitus sunt. Si quando tamen balneis lavarent, calida, (frigidior enim aura est, utpote ad Boream inclinata, & vergens, sicut cum complura testimonia Authorum, ut Cæsaris, Taciti, Melæ, suffragantur, tum ipsa experientia juxta mundi climata, quam manifestissimè contestantur) abluébantur, lauti que vescebantur. *Eadem Hospitalitatis apud Lucanos fuit ratio, ubi lege cautum erat, ut si quis sole occidente, divertentes hospites notos ignotosq; domo exigeret, non exivias teneretur, multamq; eo nomine pendere cogeretur.* Laudatur & Calabrorum Hospitalitas, qui hospites comiter, & benignè invitare, pyra illis affatim apponendo, solebant. Quid dicam de Corinthiis, qui vel captivos tam leniter habuerant, ut illos veluti hospites tractarent, sine præcio dimissos *δοσφίτους* appellarent.

TUM ad negocia nec minus sæpè ad convivia procedunt animi.

Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebra (ut inter vinolentos) tixæ rarò convitiis, sæpius cæde, & vulneribus transiguntur. Sed & dere conciliandis invicem inimicitis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis Principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentia joci. Ergò detecta, & nuda omnium mens, postera die retractatur, & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt.

XXX.

DE GERMANORUM
conviviis.

Abent & suam convivandi rationem Germani, quam prorsus militarem esse arbitror, præsertim si quis hoc loci quinque capita adnotarit, quorum primum est, ut victores armati conveniant. Nam Germanis familiare est, & in seriis negociis, & in conviviis armatos adesse, sicut ordinem militarem decet, & hodiè à præcipua Nobilitatis parte eadem consuetudo retinetur. Alterum est in strenua potatione dies & noctes, qua sese Græci oblectabant, dum in primis epulis brevioribus poculis utebantur, & in fine laxiora adhibebant. Quare Græcorum more bibere, est capacioribus poculis haurire, quibus lex data erat, ut in symposiis, aut biberent aut abirent, unde & proverbium inter potores natum est, sicut apud Scythas est *Scythiffare, idem quod intemperantiu bibere.* Potationem autem hanc magis circa Rheni accolæ, quorum mores Tacitus præcipuè vidit, usitatam fuisse, quam in tota Germania judico. Verùm hodiè cum passim, & vineta coluntur, & aliunde alia, atque alia vini genera afferuntur, incredibilis ubique temulentia, qua mirum in modum inter sese potissimum sic juvenus conficitur, ut non malè ab aliis nationibus Germani ebri-

osi incusentur. Tertium est de rixis sanguinatis. Nam vino excalescenti, & bile commora effervescenti, jam armati, non convitiis inter se certant, sed aut mutuis vulneribus aut cæde digladiantur, sic ut Centaurorum, & Lapitharum convivia hic cerneres. Quartum est de sermonum convivialium materia quintuplici, aut de reconciliatione inimicorum tractatio suscipitur. *Liberaliora enim in bene potis quibusdam solent esse ingenia,* atque ita placabiliora. Solent & nunc non cyathos, sicut olim Romani, amicitia præbire, sed magnis crateribus eam nunc, aut renovatam, aut inchoatam confirmare. Aut de jungendis affinitatibus. Tunc enim inter bene potos per affinitatem amicitia conciliatur, & de filiis collocandis feliciter consultant: Aut de suscipiendis Principibus, quos olim (sicut supra indicavimus) electivos, non hæreditarios habebant. Itaque de Principum ejusmodi, quibus erant centum comites adjuncti, Virtute, Autoritate, & Peritia differebant: Aut de pace agebatur: Aut de bello suscipiendo, & inferendo. Hæc enim convivialium consultationum præcipua capita erant, vel quòd in probè potis mens nihil reconditi habeat. *Ebrietas enim operis recludit,* & ille verè pronuncia- vit: *Vinum,* hoc est, ebrietatem esse mentis specularem, vel quòd poti essent, ad res magnas obeundas, multò & calidiores & promptiores. Est enim gens Germanorum non astuta, non fucosa, non subdola, sed candida, aperta, neq; aliud dicit, atq; sentit, neq; aliud cogit, in lingua est atq; in pectore, imò omnia eorundem, & cogitata, & dicta aperta absq; fucis existunt. Et quòd mirum est, dum liberalissimè jocantur, seria tamen depromunt, adeò ut vel jocando nihil dissimulare possint. Ulrimum est de consiliorum, & Senatus consultorum istiusmodi retractatione. Siquidem ebrii, dum nihil fingere possunt, deliberant, Sobrii, dum mentis suæ compotes aberrare nequeunt, constituunt atque decernunt. Etsi neque inter Xenophontem & Platonem propter symposiorum certam formam conveniat, imò quædam, exque indubitate diffensiones comperiantur, tamen si quis utriusque Authoris scriptum ad Germanorum, & veterum, & nostra magis symposia, quam convivia contulerit, longè majorem diversitatem dignoscet. Verùm de his conviviis, & eorum ceremoniis in nostris symposiis quæstionibus plura invenies.

Orti humor ex hordeo, aut frumento in quadam similitudinem vini corruptus Proximi tixæ, & vinum mercantur. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim, non eadem temperantia: Si indolis ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiiis, quam armis vincuntur.

XXXI.

DE GERMANORUM VICTU.

Victus hic & potum, & cibum complectitur. Potus autem est vinum, aut nativum, aut factitium, quòd illud raris modis imitari affectat: Nam & Suidas *Zythum vinum vocat hordeaceum,* quòd sit cerevisia ex hordeo cocta vicem nativi vini gerens, etsi illud ipsum Sophocles, & Æschylus *βύτρον*, quam *Μαδ* appellare maluerint. Eius quoq; Authorem primum apud Ægyptios pleriq; omnes, aut *Dionysium* Ham-

Hammonis filium, aut *Osyridem*, quem ille sibi in filium adoptavit, cujus uxor Isis fuit, ut est, apud Diodorum Siculum, ad unum *fatentur*. Quare à loco primæ inventionis *Pelusiacus* à Pelusio, Nili Ægyptiaci ostio potus nominatur, & ad alias nationes, ut fieri solet, ubi vini nativi copia deest, propagatus est, alia atque alia recepit nomina, veluti Hispanis est *Ceria*, Gallis *Berius*, Germanis *Bierus*, passim tamen *Cerevisia*, sive à *Cerere frugum inventrice*, sive ab alia ratione dictæ nomen frequentius est. Aristoteles quoque *vinum* nuncupavit, nempe vinum hordeaceum, quo temulentos aut pronos decumbere, aut supinos idem posteris scriptum reliquit, atque ita ejusmodi vinum, ex frumento decoctum Græcis est *αγογεις*. Hellenicus quoque *ex oryza*, sicut & Athenæus *ex milio fieri* testatur, sicut in commentariis nostris, in *Georgica* Virgillii, fusius expositum est. Nunc verò docendi gratia *cerevisiam* appellabimus, quam communem toti penè Germaniæ, aut *hordeaceam* aut *triticeam* facimus, & utrique plus minus *lupuli* vulgò dicti, qui ab aliquibus *lupus salictarius* apud Plinium esse putatur, accedit. Nam hujus *flores* ac *capitula* in cocturam *cerevisiæ adiciere solent*, non alia ratione quam *ut obstructionem à frumento præsertim à tritico factam tollant*. Meatus enim apprimè, vel obstructos in visceribus referare possunt. Hæc sunt de materia, ex qua & temperamentum colligendum est. Siquidem ex aqua nullum habet, præsertim ex ea, quæ non medicamentosa, sed potabilis est. Nam in coctura quamlibet rerum aliarum qualitatem recipit, & in alteram naturam sese transformat, in qua autem si hordeum coxeris, erit apud Galenum, aut *αριθινούδαρ*, aut *το κριθινόν*: nobis hordeacea aqua est in febribus, nescio an quid usitatus? Hæc refrigerandi, & exsiccandi facultatem obtinet, & abstergendi non ita magnam. Itaque cum febrientes vehementius exiccati jam exiccantur, excitationem *uvæ passis*, & *glycyrrhizæ*, & *semibus frigidis* obtundunt, & quodammodo opprimunt, ut porro refrigeraret, & humectaret. Sin autem in eadem triticum coctum fuerit, potus erit calidus juxta tritici naturam, & non parum, cum simplex permaneret, meatus, suo glutino obstrueret. Quare in triticea *cerevisia plus florum lupi salictarii incoquitur*, qui cum sint calidi, & sicci sunt, incidendi quoque, aperiendi, abstergendi, mundificandi sanguinem, evacuandi humores biliosos potissimum arcendi putrefactionem vim obtinent.

Quapropter si *lupi flores cum tritico coctos attenderis, calidam cerevisiam, & siccam pronunciabis*. Namque alia erit temperatura hordeaceæ *cerevisiæ*. Etiam si natura hordei frigefaciat, tamen præparatione quadam aliam induit qualitatem. Siquidem frumenta prius macerantur, ut sit Hippocratica *βροχη*, propter putrefactionem quandam introducendam, & resiccata torrentur, tosta mola franguntur prius, quam cum aqua concoquantur. Jam verò vel ex putrefactione vix inchoata, & ex tostone, quæ est adustionis forma, cunctas res incallescere non est dubium. Itaque ejus temperamentum est calidum & siccum, sive triticeæ, sive hordeaceæ, sed utriusque gradus, vel intendun-

tur, vel remittuntur pro materia *cerevisiæ* multitudine. Nam quò plus materia incoctum fuerit, eò calidior, & siccior erit, cui suffragantur in potantibus faciei rubor corporum atque potissimum capitis calor, & rubor, atque ebrietas ex halitu calidorum fumorum, in caput sublevatorum nata idem approbat. Quæ cuncta fieri non possent, nisi calefaciendi facultas in *cerevisia* præsens adesset. Calida enim ruborem, calorem & ebrietatem efficiunt. Quare eorum sententiam confirmare nequeo, quibus placet omnia *cerevisiarum genera, in universum frigefacere*, & magis multo potu incallescere homines, & inebriari, quam ejus temperamento dijudicant. Boni videlicet homines, *απύρευνα*, in hordeo permutare qualitatem innatam non vident. Deinde cum *cerevisia* sitis remedium esse statuatur, mox ei refrigerandi, & humectandi virtutem tribuunt? Nonne & vinum humectat, & è diverso exicat? nonne idem sitim restinguit, sed alia atque alia ratione, ut in diversis locis Galenus differit? Verum si quis utriusque *επιτελεσθαι* urget, quis non utrumque, & refrigerare, & humectare pronunciaret? Sin autem *δύναμις*, aliud sentire necessitas, tum propter causas, tum propter effectus compelleret. Proinde temperamenti, in *cerevisiis* quibuslibet indicium non aliud est, atque cujuslibet decocti in pharmacopoliis etiam exquisitissimum, & *suapte natura cerevisiæ calidus esse, & per accidens refrigerare*, non aliter ac vinum, pronunciabitur. Quare & inter recentiores Græcos Medicos *Phucam* (sic ipse *Zythum* appellabat, nisi sit potius *Æginetæ φασκα*, quæ à posca plurimum differt) simplicem, frigidum & compositum siccum, & calidum esse pronunciat, atque Galenus *Zythum* hordeo esse acriorem non dubitat. Verum hic ab optimæ notæ Scriptoribus Medicis, nos dissentire oportet. Nam illi constanter, ad unum omnes, *ex eadem renes, & nervos ladi, membranis cerebri noxium flatum inferri, mali succi esse, elephantiasin gignere* scriptum reliquerunt: Id verum est, cum eorundem *cerevisia* ex sola aqua & hordeo sola cocta fuerat, mox exacerbebat, & ex acore, ejusmodi morbos præcipuè in nervosis partibus nasci dubium non est. Hodie autem isthæc incommoda, per florum lupi accessionem commoda, tolluntur & emendantur. Hi enim & tormina, & flatus discutunt. Si quando meningis in capite distenduntur, id non fit nostrate *cerevisia*, sed potius ebrietate, & crapula, quæ causa & ex vini ingurgitatione oritur. Quare non statim ex veterum Authorum dictis utcunq; in medium prolatis, cujuslibet sententia temere damnanda est, cum utrobique non sit eadem, & materia & præparatio seu confectio. Hæc sunt obiter de *cerevisiæ* temperamento observata, addendæ sunt porro, & *cerevisiarum differentia apud Germanos* notissimæ, quarum prima est ex modo coctionis: Nam una est *ex cruda seu male cocta*, certis de causis, hæc flatulentum ventriculum efficit, renibus & vesicæ obest, nō secus ac curmi *Dioscoridis*, cum lupuli flores, juxta cum capitulis, non sint probe concocti. Eadem in commoda conficit, cum non ritè deserbuerit. Altera bene percocta, quæ iisdem malis non est obnoxia. Secunda vero differentia est, ex consistentiâ, vel leviori, vel crassiori, vel mediocri, pro materia mul-

titudine, tum pro coctura, ad certas partes ratione. Tenuiora autem esse magis *diapoptica* & crassiora *sarisa*, ex Philosophia elementis non est obscurum. Hinc & alimenti, seu copiosioris, seu paucioris, & concoctionis, seu tardioris, seu velocioris conjectura faciendâ est. *Tertia est ex colore.* Siquidem hordeacea subalba ferè esse consuevit, sicut subrubra triticea. Quid multis? tum ex maturis lupi salictarii floribus & multis, tum ex tostionis modo intenditur vel remittitur, atque ex colore caliditatis conjecturam facere, non est ineptum propius pensculanti. *Quarta est ex sapore.* Est enim alia dulcis, alia acris, & alterius saporis, qui non aliunde, quam ex materia, & coctura nascitur. *Quinta est ex odore,* qui & natus non aliter ac sapor, & factitius est potissimum, ex aromatatum, & rerum conditanearum congerie. *Sexta est ex arte:* Nam recens turbulentior esse consuevit, & minus defecata. *Ætas & hic non minus,* atque in vino partes aquosas absunt. *Ecquis non vetustam esse calidiorē hic assereret?* *Septima est ex doliis seu vasis,* quæ variant, aut ex diversis lignorum formis, aut ex preparatione quadam, cuiusmodi sunt picata, quæ etsi diutius cerevisiam conservant, & excalfaciunt, tamen capita tentare imbecillia non cessat. Hic obiter notanda & sunt rationes, cur nonnullæ cerevisiæ diutius perdurent, modo ex lupuli quantitate, modo ex coctura tempore, modo ex aëris ambientis temperatura, modo ex cellæ cerevisiariæ loco, vel profundo, vel frigido modo ex doliis. Sæpè tamen fit, ut cerevisiæ sint vitiosæ, vel à materia, cuiusmodi habuit & Manardus Budæ, sicut ex ejus Epistola apparet, parum & accuratè, & medicè de cerevisia scribens, vel à cocturæ modo, veluti cum fit per ministrorum coquentium negligentiam, aut non satis percoquitur, aut propter ignem immodicum, & agitationem decocti intermissam adustionem sapit, quod nos dicimus; *Es brandenge* aut propter ineptam materiem inurendam, fumum & fuliginem respicit, *Es schmeckt vauchrig* / aut propter non satis aptum & commodum fervorem. Hinc enim dulcedo adnotum ingrati membri nutritionis, & flatulenta conciliatur, aut propter vasa non apposita lota & expurgata, per negligentès famulas, alienum saporem recipit, vapescent, exolecunt, cum vasa non probe obaurata fuerint. Efficiunt & hinc non minus atque in vino suam *loram*, quæ & *diuretica* nonnullis est, & *secundariam cerevisiam* nuncupant. Sunt & cerevisiæ, non eadem per omnia & uni eadem commoda, quæ si quis diligentius adnotaturus esset, librum conscriberet, vel de sola vini & cerevisiæ collatione, & commoditatibus; Proinde *cerevisia est Tacito humor ex hordeo, aut frumento, in similitudinem vini corruptus.* Affectat enim esse vinum ex aquæ humore, atque vel hordeo vel tritico macerato, resiccato, tosto, & crassius molito, concoctum. Verum ripari Germani, hoc est, qui ad Rheni ripam accolunt, & vina mercantur. Hodie autem ex iisdem locis Rhenanis maximus vini numerus in multas Europæ partes destrahitur. Cæterum cibus Germanorum est admodum simplex & frugalis. *Vitiant enim aut agrestibus pomis, aut serina, eaque recens, aut lacte concreto, quod est Græcis* *πυκνόν.* Addit

Plinius & pulcem avenaceam. Cruda autem carne eos vesci juxta Melam, Tartatis id ipsum con venire rectius judico. *In his quoque obsoniis non sunt neque aromata, neque blandimenta sacher accedunt aliunde petita, sed sola simplicitas iisdem placet.* Quam optanda esset & hodie eadem nobis & frugalitas & parsimonia, quam & temperantiam nunc cupat, eandem tamen in siticulosis Germanis exposcit. Ignorat Tacitus, ut *cerevisia magis quam vina nutriant.* Nam bibentes *cerevisiam minus sunt voraces, cum ex eadem plurimum alimenti subministratur.* Deinde *ex ejusdem usu corpora multo & crassiora & robustiora passim repetuntur.* Bibacitatis quoque notam Germanis impingunt quidem, *si tantum vini induleris, quantum concupiscunt, cuius ebrietatis vitio, quam gladio vincuntur.* Ridiculum est, quod nonnulli bibentes Germanos asserant, propter Aquilonem constringentem & corpora hominum exhaustentem aërem, exsiccantem, patrocinentur, quasi bibacitas resiccitatis à Borea obvientis ardorem exsiccet. Digna fanè ratio bibulis Scriptoribus, ut operculum patella dignum inveniatur. Miror cur non potius caliditatem corporum propter meatus acutancos à boreali frigore obstructos, atque ita magis intrinsecus exortam sitim causentur. Sed quid hoc miror? Cum educationi & consuetudini, tanquam alteri naturæ rectius id vitii acceptum ferendum sit, alioqui bibacitatis cause naturales tum ex mundi inclinatione, tum ex temperamentis cujuslibet hominis præter educationis virtutem petendæ sunt. *Pluribus & cerevisia conditanea, veluti est, à rosa rosacea, à pulegio glechoniites, ab absinthio absinthites, à salvia salviaites, ab hyssopo hyssopites, ab helenio nectarites, ab origano origanites, ex asaro asarites, ex baccis juniperi cheirides, à sacureia Thymbrites, à thymo thymites, à dictamnino dictamnites, à cumula herba Conyzites, ab aromatis aromaites, à malis cydoniis cydonites, à marrabio prasites* dicitur cerevisia, & ut plurimum herbæ maceratæ naturam recipit, ex qua & de eadem exactum iudicium faciendum est, sicut in factis vinis fieri solitum est.

Genus spectaculorum unum atque in omni cætu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frames saltu jaciunt. Exercitatio autem parva, ars decorum, non in quantum tamen aut mercedem, quam vis audacis lascivie, precium est voluptas spectantium.

Aleani, quod mirete, sobrii inter seras exercent, tanta luctandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu deliberata de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava perverbia, ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victorie exoluant.

XXXII.

DE GERMANORUM SPE-

laculis & ludis.

Porro apud Græcos fuit, *σφαρομαχία*, qua qui vicerat Rex salutabatur, & victus assinus, atque victoris jussa exequabatur. Hæc autem quantum topere inter exercitia conferat, inter alios quæcipue Galenus docuit. Ita Spartanis fuit palæstræ quæ & Atheniensibus usitata fuit, sed huic *πυκνόν* aut *πυκνόν* certum ludum equestrem ad-

jun-

Junxerunt. Aliis quoque fuerunt petauristæ, aliis *ἀρῆτες*, quorum & Galenus subinde meminit. Verum Germanis *πυλὴ πρίλλανος* certus etiamnum arridet, quo certa est ictus tam excipiendi quam dandi ratio, atque inter & super gladios strictos choreas quasdam sibi ducere permittunt, *ἐν Σχαιρδανῶν* id est, choream gladiatoriam frequentissime nuncupant. Solent & sese inter gladios & infestas frameas jacitare, illasque transilire illæsi. Nam sic longa exercitatione assuefacti *ἐξ* sibi compararunt, & ex hac decorum & ornamentum, quæ ratio in omnium & ludorum genere, & artium tum usitatissima, tum admodum necessaria est. Perspicitur sanè in hoc spectaculo magna juvenum procacitas, qui non propositis illustribus brachiis, ut in certaminibus fieri solitum est, sed sola voluptate spectatorum adducti, idipsum exhibent. Verum ludi Germanorum appellatione alex comprehenduntur, cujusmodi numerantur latrunculi, ex quibus Scachia luduntur, tali, tessera, astragali, taxilli, pilæ, & id genus ludorum fortuitarum, in quibus erant & sobrii, & attentiores, vel ad lucrandi vel perdendi temeritatem, qui cum omnia lussissent, & nihil pecuniarum superesset, in lusu extremo de libertate contendebant, in alea in servitutem victoris adjudicabatur, cui veluti mancipium adducebatur, citra omnem ætatis, tum firmitudinis discrimen. Eam autem pacti magis pervicaciam, quam constantiam illi fidem appellant, & hodie subinde repetunt, quoties dictis, & promissis stare experunt, *auff* *Blauben und Treue!* quo ceu elogium & veritatis & fidei promulgant. Verum istiusmodi servos in commerciis divendebant, cum servos istos mercibus permurabant, unde sese rubore suffusi propter victoriam aliquando exoluerent & liberarent.

Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut velis, ut colono injungit, & servus hactenus parat. Cætera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare servum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super Nobiles ascendunt. Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXXIII.

DE SERVORUM MINISTERIO ET

libertorum & libertinorum dignitate.

Sicut *Thracibus in mare positum erat*, servos sale commutare, qui eam ob causam *πρὸς ἄλλοις ἡγορασμένοι* veluti sale coempti & comparati nominabantur ita & Germani alea victi reddebantur ceu *ἀλάντια δολαρία*, id est, servili sale empti celebantur in victoris servitutem prorsus adjudicati. Nec multa ex tanta alex pervicantia victi mancipia

reddebantur. Verum alii Germanorum servi non ita *ἐυνοί* erant, hoc est, contempti, quasi vilissimo precio coempti, sed quasi Domini, contra Romanorum consuetudinem, quibus erant omnes homines aut liberi, aut servi. Illis quidem est facultas eaque naturalis ejus quod cuique facere liber. Hi vero ex constitutione Juris Gentium alienis dominiis contra naturam (nam natura nullum est personarum prorsus discrimen) subiiciuntur. Tales autem eveniunt, aut ex ancillis, aut ex captivitate, aut Jure Gentium, aut spontanea venditione, aut jure civili. Ita servi prorsus inter sese olim nihil discernebantur, nisi propter quandam servitutis causam. Liberti autem differunt. Alii sunt ingenui, utpote ex matre, quæ libera fuit, tempore, aut conceptionis, aut medio, aut partus, nati. Alii sunt libertini, ut qui ex justa servitute manumissi sunt. Nam hæc manumissio nihil aliud est, quam libertatis datio. Cæterum *Germanorum servi*, veluti coloni esse videntur. Siquidem *iisdem* non tantum domus certa credebatur, sed *ἔ* *annonæ* *ἔ* *armentorum* *ἔ* *pecorum greges*, atq; ex his *dimensum servile numerabatur*, atq; in his *servorum ministerium* *ἔ* *obediencia visa est*. Nam reliqua negotia domestica non a servis, sed ab uxore & liberis conficiebantur. Itaque *Germanorum servitus*, non fuit dura, sed admodum tolerabilis. Romanis, Hebræis, & aliis Nationibus non item. Neque erant sicut Thessalis a paupertatis ratione servi *πενίται* neque apolides, neque Insularii, tanquam extra civitatem in insulas propter perpetuum opus publicum deportati, neque mesaulii, quos & mediastinos esse non dubitamus, ut qui abjectissima munera inter servos obibant, cujusmodi in aulis sunt lignarii, bacularii, qui omnibus vel ad digituli crepirum parere coguntur. Itaque apud Germanos Dominis non erat in servum aut vitæ, aut mortis, atque aded omnium bonorum potestas, eam ob causam disciplina servilis rara fuit, cum neque verberabantur, neque in vincula conjiciebantur. Horrenda tamen fuit internecio & impunita, quoties servore iracundiæ facta fuerat. Nam tum non servus, sed inimicus & hostis judicabatur. Porro liberti, cum sint & libertini, sed non sine patrono, servis penè pares erant, tam in domo & familia, quam in civitate vix alicujus momenti erant. Verum ubi Regium erat Imperium, ibidem & ingenuis & Nobilioribus anteponebantur, & præferebantur. Itaque impares, sed apud cæteros, quibus non est Regia Respublica, pares (sic enim legendum esse judico, & non impares, sicut constanter exemplaria retinent, atque hic *ὑποδιασολῶν* statuendam esse judico) sunt, hoc est, non alicujus dignitatis & æstimationis, supra serviles homines censentur, & subdit, libertini libertatis argumentum sunt, quod est, nisi fallor, cum libertini esse malint, libertatem Germanis & gratam esse & jucundam, satis arguit. Dicit enim nequit, ut vel hodie pro libertate asserenda dimittent, & digladientur.

Fœcus agitare & in uluras extendere ignotum, ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.

XXXIV.

GERMANI NON

erant usurarii.

Quam multò laudabiliores veteres Germani fuerunt etiam gentiles, nondum Christo per prædicationes Evangelicæ sementum lucrificæ, atque hodiernæ. Illis enim usura ignota fuit, his verò nihil ea usitatus & frequentius, cum illicitam esse eandem Christiani probè teneant, cum ex musuo nihil sperandum sit. Incredibile autem est, ut nostra memoria, & Principum & subditorum bona per sceneratores exhauriantur, ita ut passim præter illos omnia dominetur. Est quidem usura inter formas rei comparanda excogitatas præcipua; sed contra naturam, itaq; vituperanda & detestanda est. Siquidem nummus inventus est: non ut nummum gignat, sed ut sit medium in contractibus, ut Aristoteles inquit, οὐκ ἐγγυήθη: tanquam fidejussor. At cum in usura nummus gignat nummum, Græci τὸ αὐτὸ ἀπὸ τοῦ πλάτων appellare non dubitarunt, nimirum à partu, sicut Latinis fœnus est à fœtu. Nam ista hebraea argentum numerosiore fœtura gignit. Usura enim non est ex fructu, hoc est, ex re naturali non oritur, sed ex alia causa, id est, nova quadam obligatione. Miseri igitur, qui ab usurariis fœnerant, & Phineci similes, cui Harpyæ victum detrahunt. Sæpè enim voruram ex vorura facere coguntur. Verùm de hac sic Aristoteles in politicis memoriæ prodidit, cujus verba cum sint & utilissima, & authoritatis plena, adscribam. εὐλογώτατα, inquit, μισῆται ἡ βροτοῦ ἀλλὰ, διὰ τὸ ἀπὸ αὐτῶν νομισμάτων εἶναι τὴν κτήσιν, καὶ οὐκ ἐφ' ἑστέ ἐπαρῶν. μεταβλήθης δὲ ἐγένετο χάρις, ὅτι τὸ αὐτὸ ποιεῖ πλέον ὄνει καὶ τὸ νομισμα τῶν ἄλλων φερῶν, ὁμοία γὰρ τικθῶντα τοῖς γενέσθαι αὐτὰ ἐστίν, ἐστὶ τὸ καὶ γίνεσθαι νομισμα νομισματῶν, ὡς καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν ὄντων τῶν χρηματισμῶν ἐστίν. quod est: *Inter habetur odio usura. Nam per eam quæritur nummus nummo, cum ad hoc non sit institutus. Est enim propter commutationem. Usura autem se ipsam auget unde & nomen fœneris accepit. Quoniam genita sunt similia gignentibus, & in fœnore nummi nummum gignit. Itaque hac ratio comparanda pecunia maxime est præter naturam.* Quapropter cum malum valde exitabile Romam primis statim temporibus invasit & vexavit, & fœneratorum avaritia cives primum pecuniis sic exhaustis, ut etiam nexi debitorum creditoribus traderentur. Hinc ingentes sæpè seditiones coortæ sunt, adeo ut fœnebre licentiam legibus constringere necesse fuerit, ne soluta ac libera in maxima pericula Rempublicam præcipitaret. Quare in principio fœnus unciarum, deinde semunciarum institutum erat, & cum ne sic quidem illud tolerari posset, L. Genetius ad plebem tulit, ne fœnerare liceret. Eisdem & Caesar modum imposuit, ut pecunia credita ad possessionum modum astringerentur, ne cui plus crederetur, quam ex ejus bonis redigi posset, unde etiam beneficium cessionis bonorum promanavit, debitoribus lego Julia concessum, cujus & Tacitus alibi meminit: *Interea, inquit, magna vis accusatorum in eos irripit, qui pecuniam fœnore audivant,*

contra legem Dictatoris Caesaris, qua de usura credendi, possidendiq; intra Italiam caverat. *Tunc vero, ut fœnus omnino tanquam pestis Reipublice tolleretur, milies sestertium per menses disposuit, & cavuit, ut singulis facultas creditum accipiendi in triennium sine usuris fieret, si dictator in duplum populo cavisset.* Porro non Germanis tantum fœnus ignotum fuit, sed & Indis & plerisque gentibus, quæ inexpiabili odio illud persecutz sunt, nimirum cum furem dupli fœneratorem quadrupli condemnaverant. Laudandus est Lycurgus, quæ tota Sparta usuras exterminaverat. Laudandus est & Agis Athenensium Dux, cui ita fœnus exosum fuit, ut omnium fœneratorum tabulas igne suppositas in foro concremavit, quò igne nullum clariorum vidisse Agesilaus asseruit. Laudandus est & Cato, qui ex tota Sicilia fœneratores exegit, illamque ære alieno obrutam in pristinum decus restituit. Huc asserto quid sit *εὐχρησία* & *εὐνομία* apud veteres, quantumque operæ positum sit in tollendo fœnore, illinc agnosces. Hodiernam apud nos vel Christiano nomini addictam, usurz audiuntur annuæ, diurnæ & menstruæ. Sunt & hic qui ad Srephiadis Aristophanici exemplum lunam cælitus detractam cupiunt, ne fœnus cum sit *εὐχρησία* exolvere cogantur. Sunt & hic quibus magnopere vel *ἀτακτοσύνη* aridet. Incredibile est quantum usurarii nunc sibi sumunt. Christianorum autem Principum interesset, rem tum divina autoritate reprobam, tum multis exemplis perniciosam à Christiana Ecclesia tollere. Nam si quis nostris temporibus more observaverit, quæ de antiqui fœneris magnitudine conscripta sunt, ludum & jocum judicaret.

Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur, facilitatem partendi temporum spatia præstant: Arva per annos mutant, & superest ager. Nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria consertant, & præterlepiant, & hortos rigent, sola tenæ seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hyems & Ver & Æstis intellectum ac vocabula habent, Autumni perinde nomen & bona ignorantur.

DE AGRORUM MUTANDORUM VI
ciffitudine, & tribus tantum anni
discriminibus.

HAUD multo ante certitudine possessionis & in agris & in prædiis confirmavimus, quæ & hic aliquanto fufius explanatur, cujus ratio & antea exposita est longè alia, atque Egypti fuit post Nili inundationem, quæ geometriz, cujus pars est geodesia, ansam præbuit. Talem autem & annuam agrorum permutationem & Caesar Germanis concessit. Nam in VI. lib. Comme. Germani, inquit, non student agriculturæ. Item, *Ad que longius, inquit, auro remanere uno in loco colendi causa licet. Sævos tamen collaudas, quos Sempronius abique dubio, ut quibus censum*

pagi, juxta bonorum Auctorum fidem capit. Nam apud hos neque belli rationem, neq; agricultura intermitti, memoria prodidit, eisq; oppida fuisse commemorat, de quibus jussi sunt, missis nunciis post habitum concilium, demigrare. Sed quid quæso hic oppida conducerent, si non longius anno residere liceat? En hic Historicorum Romanorum interdum supinam quandam negligentiam? En ut Cæsar sibi ipsi vel in hac sententia dissideat? Præterea Mela Germanos in agricultura ignaviores agnoscit, cum eosdem bellorum causas ex libidine accelerere tradat, neque imperitandi, prolatandique quæ possident (Nam ne illa quidem enixe colunt) sed ut circa ipsos quæ jacent, vasta sint. Tacitus quoque paulò ante Germanorum terram in universum esse sylvis horridam, esse paludibus refertam, esse humidiorẽ Gallis, esse ventosiotem, quæ Noricum & Pannoniam aspicit, esse satis feracem, esse frugiferarum arborum impatientem, esse pecorum fecundam observavit. Itaque vel hinc liquet, ut agriculturæ non tantum olim studuerint. Idem Capitolinus affirmat, *semel, cum ait, ingressus Germaniam Transrhenanam per trecenta vel quadraginta millia, barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædis sustulit, & nisi Germani per amnes & paludes, & sylvas conjugissent, omnem Germaniam in Romanam Ditionem rede-gisset.* Iterum paulò post: *Pervenissemus, inquit, ad sylvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Ad hunc sanè modum plerique omnes veteres Germaniam sylvosam, & palustrem, & montibus asperam faciunt. Quare agriculturæ non in tanto præcio fuerat, cui accessit & ipsa annuatim agrorum per vices permutatio, in qua sunt agri occupatorii, sed non more Romanorum. Nam his ager occupatorius est, quod in tempore occupatus sit à victore populo; territis & fugatis colonis, cujus & Melibæus Virgilianus meminit.

*Impiustam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes, en queis &c.*

Verùm hic ager occupatur per assignationem & divisionem, quæ tamen fiebat secundum dignitatem & æstimationem. Credo & illos per *strigas* & *scamna* divisisse, atque assignasse. *Siquidem ager strigatus est, qui à Septentrione per longitudinem in Meridiem decurrit. Scamnatius autem qui eodem modo ab Occidente in Orientem crescit, atq; ita ager limitatus decumanus, id est, ab orientali in occidentem limite, & cardinibus, id est, à meridie in Septentrionem decurrit, contineri solet.* Assignantur autem hoc loci agri, cum sint ingentia camporum spatia, quam largissimè, ita ut supersint subseciva dicta, sive majora sive minora. Nam tanta est agriculturæ negligentia, ut agros neque consitos, ideo nulla sunt prætorum septa, neque pascuos, ideo nulla sunt pomaria, neque floridos, ideo nulla est rigandorum horridum ratio, curasse videntur. Solos enim agros frumentarios curabant. Itaque primam unicam agriculturæ partem olim Germani exercebant; cum ejus ratio his quatuor agris, sicut ex Virgilio liquet, absolvatur & perficiatur. Ejus autem negligentia nullam aliam causam esse video, quam annuam illam agrorum sine possessionis certitudine permutationem. Quare subdit, sola terræ seges imperatur, quod est, soli agro frumenta-

rio propter segetis comparandæ copiam dant operam, reliquos tres agros repudiant. Quare factum est, ut iisdem tria sint anni discrimina, cum aliis sint quatuor juxta puncta & Solsticiorum & Æquinoctiorum. Siquidem Autumnum ignorant, cum illis non sint agri consiti propter vineta, & pomaria & arbores frugiferas, quarum inopiam & Pompon. Mela in Germania professus est. Fructus igitur autumnales qui rectis *ὀπρωτοί* nominantur, cum *ὀπρωτὸν* verè sit tempus, quo fit *ὀπρωτοίς*, id est, ex arboribus fructuum collectio, & quasi vindemia quædam. Aliis verò tempora fuisse quatuor, non est ignotum. Virg in Georg.

Temporibusq; parèem diversis quatuor annum.

Eadem Græci modo *καίρος*, modo *ὥρας*. Sunt qui interdum *ῥόσας* non tamen ubique satis apposite nuncupantur. Verùm de horum singulorum initio, medio, & fine longior est controversia, quam ut hoc loci componatur. Verisimile tamen est pascuos & agros & illis usitatos fuisse, cum tota regio sit pecorosa & armentosa, forsan illud sugillatur, quod in tanta copia agrorum per septa limites non designabantur.

Funerum nulla ambitio Id solum observatur, ut corpora clarorum unorum certis lignis cremarentur. Struem rogi, nec vestibus, nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equis adjicitur. Sepulchrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis aspernatur. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponunt. Fœminis lugecie honestum est, Viris meminisse.


XXXVI.

DE FUNERANDI MODO, SEPUL- tura; & luctu funebri apud Germanos.

Verùm ut simplicitas in vestitu & in aliis rebus Germanis gratior fuit, ita & funeratio, in qua minus strepitus, nulla ambitio, nulla pompa videbatur. Erat tamen illis pyra extruendæ ratio pro dignitate & honoribus, quibus quis in vita functus erat, & quo, ampliorem magistratum gesserat, eò majorem pyram extruxerunt, in qua contra legem XII. tabularum, qua cautum erat ne ex lignis politis ædificaretur, certa ligna requirebantur. Græci pyram *cypresso* ad vitandum gravem cremati corporis nidorem, ne tetra odore proxime rogam stantes ædificabant, abigerentur. Soliti & erant nonnulli, præter arida ligna & papyrus, quo facilius cremarentur, & crocum cum vino propter odorem adijcere. Germani verò per pollictores tanquam funerum ministros corpus igne supposito cremabant, nulla ornamenta, nullas armillas, nullas zonas, nullas bullas, nullum mundum muliebrem, nullas vittas virginalis comæ, nullos retortos crines, nullos torques, nulla thura, unguenta, & odoramenta in pyram consecerunt. Solebant olim & nonnulli ea cremare, quæ defuncto charissima, inter quæ fuerunt luscinae, aves & alia animalia ad rogam trucidata, sic & Germani arma, veluti scuta, gladios, froneas, & sæpè dilectum equum, ut una cum defuncto cremaretur, igni tradebant. Neque Germanis fuerunt sepulchra operosa, ut gravia defunctis, itaque humili condebantur tumulo. Multò clariora fuerunt Ethiopibus. *Ditiorum enim monumenta ex auro fiebant, tenuiorum ex argento, inopes autem siccilibus condebantur, quod postremum & Germanis usitatus fuisse olla sicciles cen urnæ,*

in quibus adhuc cineres interdum cum annulis reperuntur, passim & in multis regionibus inventa consistantur. Cyrus vero apud Xenophontem nec auro nec argento condidit, sed terræ corpus reddi voluit, tanquam matri. Quam verò ardua Ægyptiis sepulchra fuerant, hinc constat, unum præcipuum erat & maximi sumptus, quod argenti talento æstimabatur, medium minarum viginti, humile ex levi materia minimæ impensæ. Atque sicut Demetrius Rex sepulchris modum statuit, sanxitq; super defuncti erigi columnellam Græcis ἑλίμη dictam, quæ ultra tres cubitos non extaret, ita Germanis loco ejus cespes fuit. Ubinam hic tituli honorum inscripti? Ubinam sunt ἐπιθήδια sive ἐπιτάφια?

Prudenter Lycurgus defuncti ejus nomen tumulo adscribi voluit, qui fortiter pro patria occubisset, & qui operam in bello Reipublicæ navasset. Postremo est luctus funebris, nō per nēnias & præficas, nō per vestium lugubriū colorem aut cæruleū, aut Phæum, sed per tristitiam & dolorem. *Lachrimari enim, sicut viros decet, cito cessabant. Luctus quidē mulieribus tanquam decorum concedebatur, sed viris memoria & recordatio defuncti.* Hic non sunt funebres orationes, hic non sunt Threicio more, cantus, luxus, & lasciva gesticulatio, hic non sunt tibiarum breves lugubre canentes more Phœnicum. Quid multis? candor, simplicitas, amorq; recti Germanis arrisit.



POSTERIOR PARS LIBELLI,

QUO FIT

SINGULARUM IN TOTA
GERMANIA NATIONUM
ENUMERATIO.

Hæc in commune de omnium Germanorum origine, hæc moribus accepimus. Nunc singularem gentium instituta, ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum re, fuisse summus autorum divus Julius tradit, eoque credibile est Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim annis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc & nulla Regnorum potentia divisas?

Igitur inter Hercyniam sylvam, Rhenum & Mœnim amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens tenuere, Mani adhuc Boiemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.

I.

DE FREQUENTI LIMITIS GERMANIAE
occidentalis mutatione, & de
Celtarum appellatione.

Hactenus Germanorum mores, sed communium in tota Germaniæ amplitudine catalogum subiicit, in quibus interdum vix uno aut altero verbo, quæ familiaria & propria, adeoque nativa sunt, adnotare consuevit. Ordinem verò eum observat, qui & Dionysio, Mela & aliis Geographis usitator est. Ab occasu enim initium facit, in ripa Rheni sinistra, quæ fuit & Gallica olim, ad occasum, cui & alteram dextram, quæ est Germanica subnectit, à quarum utraque septentrionales, quos antea Vigeyones nuncupavimus, enumerare pergit, atque eis proximos Herimones, nimirum Suevos Aquilonares facit, juxta cum australibus. Postremo orientales usque in Sarmatiam & Pannoniam porrectos recenset. *Ceterum de occidentali limite semper controversia fuit. Siquidem interdum Galli vicini potentiores, sicut & Caesar in 6. Commen. tradidit, Rhenum transgressi sunt. Nam juxta Strabonem in 4. ex Belgis, qui ferre arma poterant, tanquam bellatores CCCM. censeari dicebantur. Quare Galli Italiam invaserunt, Romanam combusserunt, Macedoniam devastarunt, Asiam exuperarunt.* Notum quoque est, ut Tarquinio Prisco Romæ regnante Celtæ, quorum imperii summa penes Biturigas fuit, qui Ambigatum Regem Celtarum designarunt, sed cum in Gallia

ingens hominum multitudo excreverat, novas sedes, quas Dii auguriis dedissent, quæsit, & sororis filios Bellonesum & Sigovesum Duces delegit, atque Sigoveso fortibus datos esse Hercyneos saltus: *Livi, in 5. ab urbe condita* contestatur. Ita Tectosages ex Gallia Narbonensi, sicut Augustus Cæsar divisit, non tam propter bellorum libidinem, quam propter hominum multitudinem, agriq; inopiam trans Rhenum colonias miserunt, & ut Beatus Rhenanus arbitratur, *Nicri, qui & Neccharus* est, ripam accoluerunt, ubi arx Deccensium Ducum videtur, & Tect nominatur. Nihil dicam de Helvetiorum, de Bojorum, de Gotthorum in Germaniam transitu, qui ab aliis summa diligentia observatus est. E diverso quot non sunt in Gallias & alias regiones Germanorum irruptiones? Prudenter igitur Tacitus causam istius permutationis in angustos limites transtulit. Parum enim Rhenus obstabat, ut non subinde sedes promiscuæ permutarentur, ut nō Regna toties cōfunderentur. *Siquidem ex Casare liquet, quam subinde Germani cum suo Ariovisto in Gallias sedem fixerint, & contra quam sæpe numero circa Rhenum Romani juxta cum Gallis eisdem repulerint.* Tacitus lib. 20. Historiæ Augustæ, sub Cerealis persona Germanos sæpe in Gallias transcendisse asserit. Neq; aliam transeundi eis fuisse causam, quam libidinem, avaritiam, & mutandæ sedis amorem, ut relictis paludibus & solitudinibus suis, fecundissimum Galliæ solum unâ cum Gallis possiderent. *Sic Strabo Commune, inquit, est omnibus, qui hunc tractum incolunt, ut alios facile migrent, & propter victus tenuitatem, & propter agrorum colendorum ignaviam, & propter pecuniarum inopiam, &c.* Quare factum est, ut Celtarum appellatio utriq; nationi & Germanicæ & Gallicæ sit communis. Etsi in principio Narbonensis provinciæ Gallos à Græcis hominibus appellatos Strabo scribat, tamen iidem postea universos Gallos Celtas nominarunt, idque partim ob eorum claritatem, partim quod id nominis à Massiliensibus Græcis hominibus, & doctis vicinioribus mutuati videntur. Quæ & causa esset, cur

Rho-

Rhodanus etiam à Græcis Eridianus vocaretur, sicut ex 3. s. *Βολοσολικῶν* Oppiani perspicue liquet. Al-
 ledit quoque Strabo ad significationem vocis ista-
 rum, quum hos ab autoritate *Διο τῆν ἐπιφάνειαν* no-
 minatis esse scribit. Livona Celtarum (quæ Ger-
 manica, nisi quod admodum paucis dialectis va-
 riantur) *Βελτερ* / quod multum valeat. *Βελτεν* / quo-
 que eadem est quod Latinis valere, unde & apud
 eosdem *Βελδ* est ipsa pecunia. Græci autem rectius
Γαλατας scribunt, quam Romani per *κ Κέλτας*.
 Patebat tum id nominis tam late, ut non tantum
 universam Galliam, sed & universum Occidentem
 occupasse Strabo affirmat, à quibus tam Celtibe-
 ri (Sunt enim quasi Celtæ & Iberi, id est, Hispani)
 quam Galatæ ad pontum Euxinum, ad quos D.
 Pauli scripta est Epistola, originem referunt, & et-
 iamnum porta Galli nominatur. Quod verò Cel-
 tæ & Germanum & Gallum apud Græcos signifi-
 cer, & quod Romani Germanos Gallos etiam vo-
 carent, vel ex his argumentis patet. Siquidem ser-
 vum publicum ad Marium in carcere Minturmano
 clausum, ut occideret eum, missum, tum Plinius,
 tum Florus Gallum fuisse scribunt, quem tamen
 Vellejus Paterculus, & Valerius Maximus Ger-
 manum, ac in Cymbrico bello captum ferunt à Ma-
 rio, ideoque à servo Dominum statim agnitum, &
 impune dimissum. Contra Eutropius lib. 5. de
 Cymbrico bello, & Orosius lib. 5. tum Cymbros,
 tum Teutonas Gallorum vocabulo notat. Ita-
 que subinde & Galli nomen sicut & Celtæ utram-
 que gentem, quamvis diversam promiscue signi-
 ficabat. Idque factum non alia de causa est,
 quam ut fines circa Rhenum subinde commutati
 utrinque sint, quam ut sese fratres in bellis & rebus
 feris vocarent, quam ut lingua & moribus ma-
 gnam hæ duæ nationes communionem habuerint.
 Nam Celticam fuisse Germanicam linguam multis
 rationibus confirmari potest, sicut neque hodie Bel-
 gica ab illa admodum dissidet. Solæ tantum &
 hæ pauca discrimen faciunt dialecti Germanis non
 ignota. Nam & Cæsar, qui cum Gallis per inter-
 pretem est locutus, differentiam observavit, quæ
 etiamnum oblitterata est, & penè talis est, qualis in-
 ter Misenesium & Saxonum linguas attenditur.
 Nam ubi Celtis estis sibi Belgæ more Attico, substi-
 tuunt, *Wasser* / *Water* / *das* / *was* / *dat* / *wat* / *ich* /
mich / *dich* / *ich* / *mich* / *dich* / & sicut superiores Ger-
 mani, non aliter olim Celtæ Diphthongos passim re-
 cipiunt ita inferiores, inter quos sunt & Belgæ juxta
 cum Saxonibus easdem respuunt. Quare cum &
 illis *weîn* / *meîn* / *seîn* / est, hi *wyn* / *myñ* / *syn* / dicunt.
 Eadem ratio est & in aliis Diphthongis, ex quibus
 prior vocalis ferè abjicitur. Illam quoque linguam Plinius
 sibi & ipse Gallus Cisalpinus fuit, ut Romani
 loquuntur, haud ignoravit, sicut ex diversis ejusdem
 Authoris locis citra negotium quis comprobaret.
 Hodie quoque & Germanica lingua bona ex parte
 ibidem dominatur, quibusdam tamen Gallica, quæ
 est Latina, sed depravata familiarior est, cum frequen-
 tius Romani & bella gesserant, & præsidia contra
 Germanos habuerant. Verum utriusque nationes se-
 des subinde permutatas esse ex Helvetiorum & Bo-
 jorum, qui & Galli fuerunt commigratione confir-
 mat. Nam quicquid terrarum inter Hercyniam syl-
 vam, Rhenum & Mœnum amnes fuit, id totum Hel-
 vetii ex Gallia profecti tenuerunt, sicut ultiora, id

est, quæ potissimum ad ortum vergunt Boy, à qui-
 bus etiamnum Boihemia, tanquam Boiorum domi-
 cilium inter Sudetos montes sita vocatur, atque Cæ-
 sar trans Rhenum Boios, atque eosdem in finibus
 Heduorum confedisse testatur. Strabo quoque
 Hercyniam sylvam prius ab eis inhabitatam, quæ
 eandem ob causam nostra quoque memoria Bojo-
 hemica nominatur, asserit, quæ de re Beatum quo-
 que Rhenanum consulendum esse judico. Id tamen
 non est sic accipiendum, quasi Galli prorsus relicta
 sua terra sedes mutarint, sed quæ nam esset ejus ve-
 ra sententia ex Cæsare, quem hic citat, certa collige-
 retur. Virtute, inquit, Gallorum factum, ut trans
 Rhenum colonias mitterent, & sicut mox Volca-
 rum, Tectosagum exemplum subjungit: Ita Cor-
 nelius Helvetiorum & Bojorum meminit. Quæ
 (malum) dementia fuisset, ut terra relicta, sicut
 Cæsar tradit meliori, in vastitatem & in ingentem
 solitudinem sese totos transferrent? Veros autem
 Helvetios usque ad Geneva pontem pertinuisse, &
 Jura monte occasum versus terminasse, in commen-
 tariis suis Cæsar affirmat. Velum si Tacito tanquam
 non ubique diligenti investigatori credendum est,
 tunc Helvecii omnem tractum intra Schaffhusiam,
 Noricam urbem, Herbipolim & Heidelbergam oc-
 cupasset, ipsa vera Helveria longe amplio-
 rem possedissent (nisi quis forsan vastitatem à Rheno ad No-
 ricam usque urbem pertinuisse prætenderet) id non
 a veritate abhorre- re mihi videretur. Neque esset
 poenitenda natio, si spacium à Rheno ad Nicrum
 usque duntaxat extenderetur. Sic & Boii diversas
 sedes habuisse leguntur. Fuerunt enim in Norico
 circa Danubii loca, item ante Cæsarem aliquot se-
 culis, circa Padum confederint, ut ex Livii lib. 5. ab
 urbe condita apparet, & lib. 1. de bello Punico. Boi-
 hemos verò esse Boios, à quibus & Bavaros, qui
 sunt & Bojarii, descendisse sentiunt. Cæterum la-
 tē patuisse Hercyniam sylvam vel ipse Cæsar indicat.
 Nam in diversas regiones per varia cornua, & tra-
 ctus dispergitur, & ibidem sua recipit nomina. Qua-
 re ejus nomine absque controversia Eremum Hel-
 vetiorum, Gabretam sylvam, Lunæ sylvam, Sude-
 tas, atque meo judicio Semanam sylvam, Abnobum
 & Melibocum montes complecteremur. Dividit
 enim totam Germaniam usque ad Riphæos montes
 & paludes Meotidis, non secus ac Asiam Taurus,
 Mauritaniam Atlas, Italiam Apenninus. Est autem
 Hercynia nomen Germanicum à resina, quæ nobis
 est *Harz*, unde apud Ammianum & alios hujus imi-
 tatores rectè Hartzinia sylvam nominatur, quæ cor-
 ruptè aliis est Marciana. Videmus autè sylvam, quæ
 est nobis *Wald*, Romanos omisisse, & ad resinam
 tantum respexisse. Facilem quoque lapsum ex H. in
 M. quis agnosceret, ut Martianum nemus sit ex Har-
 tziâno factum. Verisimile tamen est & quosdam
 Germanos crassius (ut in plerisque vocabulis fieri
 solitum est) *Horz* pro *Harz* pronunciassent. Quare
 Erotosthenes Orciniam nominavit. Sic & Bacevis
 nomen corruptum esse non est dubium. Movit ne-
 scio quid Volaterranum, qui Barcenin in Cæsare le-
 gere maluerit, ut sit *Varz* pro *Harz*, propter ean-
 dem elementorum affinitatem. Germani tamen vel
 nostra memoria ubique non unam retinent appella-
 tionem. Siquidem *propè Frisburgum* Brisgauria,
Schwarzwald quod sit nigra sylvam, a pinorum opa-
 citate, sed *propè Heidelbergam* Otthonis, qui ibi fre-
 quentissimè

quentius venari consuevit, sylva Germanicòs *Diethwald* ita propè *Herbipolim*, & à pavonis monte *Babenbergam* dictam *Ardua sylva* Germanicòs *Siengerwald* / (attende sitne *Gabretæ* vox apud *Strabonem* in VII. hinc nata) propè *Confluentiam*, *Westerwald* / id est, *occidentalis* sylva, propè *Francofordiam*, cis *Mœnum*, & *Mogontiacum*, *Spyshartz* / id est, *picaria* sylva. Nam & Germani *Pech* nominant, à qua in *Comitatu Mansfeldiano*, dicitur, *uff dem Hartz* / à *Thyringis Thyringiaca*, à *Bohemis Bohemica*, ubi & *Sudeta* nominantur.

SEd utrum *Aravisci* in *Pannoniam* ab *Osi* Germanorum natione, an *Osi* ab *Araviscis* in *Germaniam* commigratorum, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant.

II.

DE LIMITIS AUSTRALIS

permutatione.

QUEinadmodum in limite Occidentali, juxta *Rheni* utramque ripam, nationum & mutatio, & confusio facta est, ita & in limite meridionali juxta *Danubii* utramque ripam, sedes nationum subinde transferebantur. Siquidem ut in ulteriori ripa ejusdem fluminis *Aravisci*, ita in citeriori *Osi* habitantur: Illi quidem *Pannoniæ inferiores*, hodie *Hungari* dicti: Hi verò *Germani* fuerunt, sed inter utroque tanta commigratio contigit, ut utri ab alteris discesserint, ab utraque ripa pro certo non habeatur. Nam utrobique idem est usus sermone, institutis, moribus, & communi fortuna, propter utriusque ripæ proximam viciniam, infra tamen *Osi* ex *Pannonica* lingua non esse *Germanos* arguit. *Aravisci* autem in *Pannonia inferiori*, juxta *Ptolemæum*, maximè ad *Septentrionem*, sicut *Scordisci* ad *meridiem* pertinent. Sic etiam ait, *αρχικωτατοι πληθασι βιαιοι. μεσημεριοντεροι δε σκορδιαιοι*. Quare *Aravisci* hodie, qui *Flaviani*, quorum juxta *Petronellam* ruinae videntur, hodie essent qui *Gaurii* *Die von Raab* / qui *Strigoniæ* *Die von Gran* nominantur, ubi & linguæ Germanicæ, præsertim juxta dialectum *Ostriaicam*, apud *Mercatores*, & quosdam cives plurimos usus est. *Osi* verò cum ripam *Danubii* septentrionalem contra *Araviscos* habitent, sicut hinc conjectura fieri potest, erint hodie nonnulli *Moravi*, *Posoniatæ* (vulgò *Presburgenses*, & intra *Vagam* atq; *Granum* accola, usque ad *Bacciensæ* *Episcopatum*, atque inter hos etiamnum verè Germanicæ lingua, & *Ecclesiastæ* in templis docere audiui, & in foro res promercales divendi ejusdem linguæ usu vidi.

TREVIr & *Nervii* circa affectatione Germanicæ originis, ultro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertia Gallorum separarentur.

III.

DE TREVIRIS ET NERVIIIS.

TREVIr sanè in *Gallia Belgica* numerantur, sed *Galli* sicut & *Nervii* sese *Germanos* esse affectant. *Treviri* quidem, à *Trebetæ* Duce, ex *Babylonia* per *Semiramidem*, novercam novercantem, expulsio, orti sunt. Hic enim per mare, si verum est, quod scribitur, in *Rhenum*, & ab hoc, in *Obrincam*, quæ est *Mosella*, navigavit; ubi condita est *Trebe-*

ris circiter *Abrahami* tempora, utpote mille & trecentos annos *Romana* urbe antiquior, & eam *Martianus*, *D. Petri* auditor, per *Christi Evangelicam doctrinam* lucrifecit, quater devastata, vix instaurata est; ejusq; *Episcopus* inter *septem viros Romani Imperii Electores* Erecensetur. Cæterum juxta *Amnianum* *Treviri* inter *Belgas fortissimi* judicabantur, neque adventitiis deliciis effeminabantur, neque *Germanis Transrhenanis* in certando cedebant, apud quos *Populi Romani curia* in *causarum cognitione* fuit, cujus & in *Floriano* *Vopiscus* meminit. *Nervios* verò plerique omnes *Tornacenses* appellant, à *Treviris Boream* versus vergunt, apud *Ptolemæum* sunt *vepovios*, eosque ambiciosos facit adeò, ut Gallis separari voluerant. Hos enim inertes & molles plerumque alii judicabant. Verum si quis *Nerviorum* descriptionem apud *Cæsarem* diligentius observat, quantam animi magnitudinem frugalitas pariat, & è diverso quantam molliem, ignaviam, & malorum agmen luxus secum trahat, facile cognoscat, atque verum esse comperiet, ut de *Hannibalis* exercitu, postquam vino *Campano* maderat, scortisque indulgebat, actum erat.

Ipsam *Rheni* ripam haud dubie *Germanorum* *populi* colunt, *Vangiones*, *Treboci*, *Nemetes*. Ubi quidem, quantum *Romana* colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses* conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento *fidei* super ipsam *Rheni* ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

III.

DE VANGIONIBUS, TREBOCI, NEMETIBUS & UBIIS.

Hodie constans est opinio multorum *Doctorum* *virorum*, & consensus: à quo non ita temerè discedere affecto, *Vangiones* esse *Wormatienses*, & subditos ejusdem *Episcopatus*, quorum *etymum* est, *vom Gân* / id est, à terra seu campo, id tamen, sicut neque approbamus, ita neque magnopere damnamus. Arbitror tamen à *Brotomago Vangionum capite* *Wormaciam* esse, ut fieri apud *Germanos* solet *deflexio*, atque *inscriptio*, quæ est in turri *Pavonia*, dicta videtur, *specula Vangionum*. Sunt qui & *Guarmatiam* nuncupant sed id fit juxta superiorum *Germanorum* consuetudinem, qui ex duplici *uu*, prius in *g*, vertunt, sicut ex *Wolffgang* *Guolffgangus*, & *Wilhelmo* *Guilhelmus* derivatur. Sunt qui eandem in *Conciliis*, & *canonibus Vermeriam* eandem appellatam contendunt, ab *Attila* *Hunorum* Rege devastatam, *Franci* Reges insaurarunt, & *Ottho* *Cæsar* hanc *Germanico* Imperio, tum propter multas *Synodos*, tum propter complurium *Regum* inhabitationem admodum celebrem dedicavit. Ad hunc modum *Nemetas* *Spirenses* esse contendunt. Utrique tamen *Ariovisti* *Regis* partes secuti sunt, apud *Cæsarem*, atque vel eosdem *Germanos* fuisse, conjectura fit. Quod si quid *Ptolemæica*, & *tabulæ* & *pictura* credendum sit, tunc neq; *Nemetes* *Spirenses*, neq; *Vangiones* *Wormatienses*. Siquidem is sub *Trebocis* *Vangiones*, & *Nemetas* sub *Vangionibus* collocat. Quare ordine pene inverso hac duo vocabula exponenda esse, facile quis videret, & *Ptolemæus* *Nemetis* *Neomagum*, & *Ruffianam* tribuit. Neque hoc latet, ut *Græcis* *ωβίγα* sit *cohors*, & sicut olim *cohors prætoriana* illic fuit, ita hodie *Camera* *Imperialis*

pecialis Judicium. *Tribocci* autem apud Ptolemaeum recta sub Rauracis ad Rhenum locantur. Straboni idem sunt *Tribocchi*. Multi enim à *tribocis Dryadibus Nymphis consecratis* eosdem dicunt, tributchen esse autumant, & eosdem esse, *Argentoratenses*, passim hodie Strasburgenses vocantur eorum nomine plerique omnes accipiunt, sed non fit verisimile, si quid Ptolemaeo creditur. Inter enim Borbetomagum, & Argentoratium regionum urbes facit, sic τριβόκκων, Breucomagum & Elcebum, quod non paucis certa quadam conjectura est *Slestadium*. Quare vide, sintne sub his potius *Alfatii* intelligendi? Eosdem autem Germanosuisse Strabo scriptum reliquit, atque addit, in relicto natali solo trajectoque Rheno sedes possiderunt. *Fabulam* quoque esse credo *Argentoratium*, quod *Attila* Hunnorum Rex dirutis mœnibus sibi urbem fecerat, *Strasburgum* nominatum fuisse. Neque *Argentinatam* ideo nominari censeo, quod argentum propter militum stipendia *Iulius* & *Augustus* commiserunt. *Colonienses* quoque *Ubios* esse vix est ullus qui refragatur, & sic Ptolemaeus sub *Nemetis Agrippinensium* coloniam, quam ille ἀγριππινίων vocat, ad Rhenum substituit. Tacitus enim eum ordinem servavit, qui est à Meridie, ad Boream juxta ripam Rheni Gallicam. *Ubii* autem sunt Romanis Scriptoribus *Transrhenani*, itaque eosdem *Marcellinus* in secundam Germaniam reponit, etiam si eos *Gallos* *Sextus Aurelius* fecerat. Est autem *Agrippina colonia*, hodie *Éolun*, ab *Agrippa*, qui *Ubios* (ut Strabo ait,) ad interiorem ripam adduxit, dicta, aut si quis mavult juxta Tacitum lib. 12. annalium, nomen inditum illis est, ab *Agrippina Augusta* *Claudii* *Cesaris* ex uxore *Germanici* filii *Agrippinae* concepti apud *Ubios* nata. Hæc enim à marito *Claudio* eo veteranos coloniamque deduci imperavit, atque hinc *Agrippinenses* coloni vocari maluit, atque *Ubii*, & illos *Transrhenanos* (Eos enim olim transgressos, & super ipsam Rheni ripam collocatos esse scribit, ut *Germanos* incursionem facientes arcerent, non ut à Romanis custodirentur) facit, cui sententiæ, & *Coloniensium* *Chronica* suffragantur, atque veteris alvei vestigia apud *D. Pantalœonis* ac undecim millium *Virginum* templa cernuntur, & in alteram ripam, nimirum sinistram, Colonia translata esse videtur. Non satis aptè *Volaterranus* defendi potest, qui *Marchicos* *Badenses* sub *Duce* *Clivenfi* & *Ubis* constituit.

Quorum harum gentium Virtute præcipui *Batavi*, non multum ex ripa, sed inulam Rheni amnis colunt. *Cattorum* quondam populus & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet tamen & antiquæ societatis insigne: nam nec tributis contenti, nec *Publicanus* arceat, exempti oneribus, & collationibus, & tantum in usum præriorum sepositi, velut tela atque arma bellis referant.

V.

DE BATAVIS.

Ubi *Hollandi*, cum sit vox Germanica, Regionique aptè respondens, vocentur *Germanis*, non potest esse obscurum. Hic autem à Tacito, atque à Romanis tanquam sociis eorundem Imperii propter Virtutem bellicam commendantur. Insulares vero sunt, cum intra Rheni ostia, & *Mosam*, atque *Oceanum Germanicum* sint conclusi. Is enim

tractus *Mosaulia* à *Mosa*, & *Vahali* fluminibus nuncupatur. Ad hos quoque *Catti* *Germani* propter domesticam seditionem pulsati sese contulerunt, qui & ipsi socii Romanorum fuerunt. Quare immunitas & libertas iisdem concessa fuit, cum non ei aut tributarii, cum neque *Publicanos*, quorum avaritia non parum subditi torquebantur, habebant, cum nihil muneris iisdem imponebatur, cum nihil exactoribus pensitabant. Horum enim usus non alius fuit atque telorum, & armorum, quæ seposita in armamentario præriorum tempore depromebantur. Qui plura scire cupit, totamque Historiam Taciti, libros, in annalibus, & tricesimum, & secundum, & vicesimum perlegat, Proverbium quoque *Erasmii* *Roterodami* *Batavi*, quod est *avis Batava*, non negligat. Hinc vestigia ejusdem Historiæ etiamnum reliqua esse agnoscat.

Quid enim *Battenberga* aliud est, quam *Cattorum Berga*? Quidnam *Nomarum* pars inferior *Hessi* montis appellatione, & hodie celebris sibi vult? In *Batavia* quoque est *Episcopatus Trajectensis*, non *Utrechti* ubi & quædam *Geldriæ* pars constituitur.

Et in eodem obsequio, & *Mattiacorum* gens. *Proter* enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, utraque veteres terminos Imperii reverentiam, Ita sede finibusque in sua ripa mente animoque nobiscum agunt, cætera similes *Baravis*, nisi quod ipso adhuc terra sua solo, & cælo actius animantur.

VI.

DE MATTIACIS.

Non est quod quis *Ptolemaei* *Mattiacum* huc referat propter locorum distorum longitudinem. Deinde ultra Rhenum dum dicit, ambiguum est. Nam aut ultra Rhenum, aut ad Septentrionem respicit, tunc absque controversia *Zelandi* ipsi sunt *Mattiaci*. Nam parum abest, quin illi sint *Batavorum* socii, & proximi vicini ad ostia Rheni positi, *Germanis* dicti quod eorum terra sit in mari, aut ultra Rhenum ad ortum accipitur. Sic *Mattiaci Geldenses* juxta *Clevesilium* judicabantur. Cæterum ex *Plinio* liquet, qui *Mattiacos* fontes, admodum calidos esse, eorumque haustum triduo fervere memoriæ prodidit. Fons autem ille est *Visebada* in platea, cujus aqua non solum ova coquit, sed etiam alices magno fervore deplunat, & serofas suos depilat, vel immersione, vel perfusione. Huic autem in secunda Germania certus locus designatur. Tacitus quoque eosdem *Riparios*, id est, ripæ *Rhenanæ* accolæ facit, tanquam *Romani* nominis socios. Quare eos cum *Romanis* mente & animo agere subdit, habentque eandem immunitatem, & privilegia, quæ *Baravis* à *Romanis* data sunt. Animosiores tamen, tum propter naturam soli, tum propter cæli, id est, vel aëris, vel stellati orbis, qualitatem, asserit, cujus aliquot causæ ex *Hippocrate* de locis, aëre, & aqua peti possunt.

Non numeraverim inter Germaniæ populos, tanquam trans Rhenum Danubiumque confederint, eos qui *Decumates* agros exercent. Levissimus quisque Gallorum & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto promotisque præfidiis, sinus Imperii, & pars provinciæ habentur.

Ex ripa Rheni dextra.

G.

DE

VII.
DE DECUMATIBUS AGRIS.

Nondum pro certo habetur, cur *decumates* istiusmodi agri nominati sint, an a limite *decumano*, cujus ab ortu ad occasum cursus est, qualis est Danubius, meridie versus, an quod *illinc decima*, per *decumanos*, id est, publicanorum principes ibidem exigebantur, an quod *decima legionis praesidia ibidem constituiebantur*, sicut secundam, sextam & septimam ab ordine, & numero legionum dixerunt Romanorum more. Agreste autem exercitium, cujusmodi esse solet in agricultura, Tacitus agnoscit, maxime per Gallos, quorum levitas, inopia, audacia, & extrema egestas nota & perspecta fuit. Erat utique pars Provinciae Romanis. Quare ut ad decumani agri naturam alluderetur, & limitis ulterius acti, & promotorum praesidiorum meminit, unde conjecturam de illorum appellatione faciendam esse iudico, cujusmodi fuit & in Gallia Narbonensi Decumanorum colonia. Hi vero sunt propere eremum Helvetiorum, ubi est hodie Ducatus Würtembergensis cum Rhetiae Provinciae aliqua parte.

Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusus, ac palustribus locis, ut caeterae civitates; in quas Germania patescit, durant siquidem colles, paulatimque rarefcunt, & Catos suos saltus Hercynius prosequitur, atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis, ac solertiae, praepone re electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, diserte imperus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter cetera numerare, quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in Duce, quam in exercitu, omne robur in pedite, quem super arma, ferramentis quoque, & copiis edonerant. Alios ad praedium ire videas, Catos ad bellum, rari excursus, & fortuita pugna. Equestrum sane virum id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiae est. Et aliis Germanorum populis usurparum, rara & privata cujusque audentia, apud Catos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbaramque summittere, nec nisi hoste caeso exuere uovivum obligatumque Virtuti, oris habitam. Super sanguinem, & spolia revelant frontem, sequae tum demum praecia nascendi retulisse dignosque patria, ac parentibus ferunt. Ignavis, & imbellibus manet aequalor. Fortissimus quisque ferreum in super annulum, ignominiosum id genti, velut vitulum, gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Catorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, & hostibus simul, suisque monstrati, omnium penes hos initia pugnarum, haec prima semper actus, visu nova: Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut aper, aut aliqua cura, prout ad quemque venire aluntur, prodigi alieni, contemptoris sui, donec ex anguis senectus tam durae Virtuti impares faciat.

VIII.
DE CATTIS, ET DE NATIONUM
apud Tacitum iusto ordine.

Alteri sunt in eadem ripa Rheni, post agros decumates Catti, qui Ptolemaeo sunt, *Χαριττοι*. Nam is *Χαριτας*, *Meliboci montis* accolas constituit, qui nobis sunt *Hessi*, & iidem sunt *Catti Meliboci* *Chariboceni* non ab *ansone*, id est, cubito, sed a *Meliboci* voce corrupta. Quare si quis ordinem exponendū apud Tacitum ab Austro ad Boream usque juxta Rheni ripam Germanicam probe attendat, nullam in eis reperitatis, cum a tanto Eruditorum Virorum consensu discedere audeam, no-

tam impingeret. Siquidem sicut post Helvetiorum Eremum, sunt Ptolemaeo Caritni, his proximi *Vesipi*, post quos *Tingeri*, *Busfactori* parvi & *Frisii*, ita Tacito sunt, in eadem ripa agri decumates, *Catti*, *Ulsipii*, *Tencteri*, *Bructeri*, & *Frisii*, & hi omnes sunt *Istavones*. Sic citra negocium quis omnia scripta, ad amussim quadrare, & non toties sedes nationum mutatae causari oportere videretur. Est quoque in appellationibus perspicua allusio. Et si Ptolemaeus & Cornelius eodem penè tempore scripserint, tamen eadem nomina non ubique eadem, sed modice inflexa indita sunt. Credimus Ptolemaeum, ab aliis Scriptoribus antecessoribus nomina recepisse. Cornelium autem sui temporis statum Germaniae, sicut tum ipse & viderat, & audierat, descripsisse. Proinde mihi dubium non est, sicut & cuilibet rectius observanti talem ordinem utrobique retinendum esse, nisi quod Ptolemaeus à Septentrione in eadem ripa usque ad Austrum nimirum, ad alpes pergens, è diverso autem, ab his incipit, & in parte Boreali desinit. Postea uterque à Borea incipit. Sic enim Ptolemaeus, *μετὰ δὲ τούτους*, inquit, *καὶ Χαριττοι, μετὰ τὸ ὄρος ἑργίου ποταμῶ*, quod est; *Post Frisios sunt Chauci parvi, usque ad Visurgin fluvium*. Sic & Cornelius ait. *In Septentrionem ingenti flexu redit, ac primo statim Chaucorum gens, &c.*

Sunt igitur *Catti non Hessi*, sicut haecenus sibi persuaserunt, sed qui *Marchiam Badensem, & Heilbrunnam, Heidelbergam, & vicina loca Otthonis sylva*, quae Hercynii saltus pars est, incolunt. *Catti*, vel *Caritni describuntur; nunc à loco habitabili*. Nam his non sunt loci palustres, ut in aliis Germanorum partibus, sed ibidem montes modo sunt alti, modo declives. Illic quidem durant, & ardui sunt, hic vero humiliores, & rariore sunt, circa Hercynium saltum cujus portiones sunt Helvetiorum eremus, & Abnobi montes perpetui cohabitant. *Nunc ab habitu corporis* notantur: Sunt enim illis duriora corpora, membra tamen augusta, & astricta: *Nunc à vultu, & habitu animi*, quia vultu minaces, quia vegetiori, & alacriori sunt animo: *Nunc ab ingenio ejusque sagacitate*, & solertia, cujus argumenta sunt; vel in aliis honorandis, quia electos, atque Virtutibus insignes caeteris proponunt; *Vel ab obedientia*, quia suum Magistratum audiunt; *Vel à Prudentia*, quia ordines rerum norunt, atque perpendunt; *Vel à providentia*, quia occasiones non negligunt, sed intelligunt; *Vel ab abstinentia*, quia imperus & iracundiam differunt, & differendo cohibent. *Vel ab laboribus*, quia diem in certa negotia disponunt, & ordinant, noctemque vallant, id est, quasi vallo propter quietem firmant, & muniunt. *Vel rerum iudicio*, quia in fortuna dubium eventum, sed in Virtute certitudine quaerunt cum in *καὶ τὸν ἑνὸν ἐν πρᾶσιν, ἐν δὲ ἀμυνεῖν τέλει ἀγαθῶν λαχόντων ἵππων ἀγαθὸν ἔχειν*, juxta Aristotelis sententiam, *Nunc à preliandi ratione*, tam in Peditatu, quam Equitatu, quia Duci tanquam Leoni confidunt, quam exercitui, praesertim in quo sunt cervi. Peditarius quoque gravior est, qui non tantum armis, sed & rerum bellicarum copiis & ferramentis onerantur. Magistamen bellum adamant, quam praedium, id est, pugna atque ipsum conflictum. Itaque gravate incurflones faciunt, pugnaque eventum fortunae acceptum ferunt. Caeterum equestribus copiis, ab-

erit victoriam parant, idque formidinis, aut cito cedunt, idque constantiæ cuiusdam argumentum esset. Laudabunt igitur Cunctatorem Fabium, quæ meritarium & insolentem Minutium. Cupit tantum solum tacite fugillare & notare, cum juxta & propior, quasi non sit vera formido, veraque constantia. Nam ab ornatu capitis, menti, & digitorum, qui et si aliis Germanis ferè competebat, in cuiusque est audentia, eaque raro, sed apud Caros, quasi consensu familiaris & proprius fuit, nimirum nemini aut capillitium detondere, aut barbam radere licebat, nisi prius hostem confecerat. Quare super hostem prostratum frons revelabatur, id est capillitium prædicebatur, & harbitium deradebatur, atque ideo ignavi, intonsi & barbati in vita permancbant. Neque iisdem annulum ferreum, tanquam rem valde huic nationi ignominiosam deponere concedebatur, nisi prius hostem interemerunt. Nunc à canitie, quia cani & insignes virtute bellica, & hostibus, & ipsis Cartis minoribus, tanquam *αυδηνύματα* ostendebantur & proponebantur. Hi enim tum prælii initium fecerunt, tum in prima acie dimicarunt, quibus semper vel in pace altissima vultus non mitis, non mansuetus sed minax & asper, & terribilis erat. Nunc à fortuna Carti adumbrantur, quia nemini quippiam proprium erat, suorum bonorum contemptores aliena conquebantur, usque ad extremam senectutem, quæ exangues & exuccos reddit viros, atque ita imbelles, itaque Virtuti bellicæ impares.

Proximis Cartis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficit, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinæ ante præstant. Nec major apud Caros peditum laus, quam Tencteros equitum. Sic instituere majores, posteri imitantur. Hi iustus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant. Senes inter familiam & penates, & jurâ successionum, equi traduntur, excipit filius, non ut cætera maximus natu, sed prout ferox bello, & melior.

IX.

DE USIPIIS ET TENCTERIS.

Usipii sunt Usipetes & Ptolemæo Vispii, Appiano Sypetes, Cartis id est, Caritnis proximi ad Septentrionem, & ipsi Rheni, qui limes Germaniæ occidentalis est, accolæ: cujusmodi hodie essent in aëre Francofordiano atque Consuentino atque in locis vicinis habitantes. Ita Tencteri, Plutarcho *τενκτεριδες* Ptolemæo *τινκτεροι*. Lani & Luppia & Rheni accolæ, ubi plerique Hessi hodie sic nominati, & nonnulli Franco degunt. Hi sanè non parum à virtute bellica præsertim ab equitatu commendantur, & sicut Carti peditibus ita hi equitibus magis præstant. Cauterò alia non est atque ipsa educatio, & à prima institutio. Nam in omni ætate talia sunt iisdem exercitia, atque in successione hereditatis equi legantur, non maximo natu tanquam primogenito, cui alioqui & passim multum juris & potestatis conceditur, sed ferociori & bellaciori. Neque hodie ab iisdem moribus aded Hessi, Franci, & quidam Juliacenses recesserunt equitatu, ejusque discipline, quæ Græcis est *ἵππων* plurimum gaudentes.

Juxta Tencteros Bructeri olim occurrerant, nunc Chamavos & Angrivarios immigrasse narrantur, pulsibus Bructeriis & penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbia odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum: nam ne spectaculo quidem prælii invidere, super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quæso, duretque gentibus, sed non amor nostri, at certe

odium sui, quando urgentibus Imperii fati, nihil jam præstare Fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

X.

DE BRUCTERIS, CHAMA-

viiis & Angrivariis.

Hi sunt Ptolemæo Busactori, hodie Luppiani & Monasterienses, usque ad Offenbruggum, quod ab iisdem forsitan nomen accipit, ubi & quædam Hercyniæ sylvæ maximè circa Hassiam pars, de qua est illud Claudiani.

Bructerus Hercynia venit accola sylvæ

Chamani vero intra Melibocum montem & Albin juxta Ptolemæum consistunt, ubi sunt nonnulli Miseni, sicut Angrivarii sunt contra Suevos Semnonas quos Albis tantum dirimit, positi, ubi hodie Magdeburgenses, & veteris Marchia incolæ. Hi autem duo populi expulsis & excisis veteribus Bructeris, in eam partem commigrarunt, idque vicinarum gentium consensu atque suffragio, vel quia iisdem Bructeri odiosi erant, vel quia prædæ dulcedine capiebantur, vel quia Dii Romanis propitii idipsum sic destinabant. Siquidem neque Dii invidabant prælii spectaculo. Nam supra sexaginta millia ceciderunt, non armis, non telis Romanorum, sed domestica discordia, quæ & Romanorum oculis ita grata fuit, ut eadem se non parum oblectarent. Quare ut Romani essent pacatiores, Germanis perpetuam inter sese discordiam esse cupit atque vovet, sicut ex Annalibus Taciti, Drusum, ejusque filium Germanicum idipsum unice studuisse liquet. Ecquid hodie sit in tanto & Principum, & Civitatum dissidio aliud, cogitandum est? Quapropter Bructeri erunt Luppia acolæ & Ostphali, & westphali plerique, ubi est & Angria & Archiepiscopus Coloniensis se Angrivariorum Ducem scribere solitus est die Engern in Westphalen/ Neque id quempiam lateat vel hodie oppidum, cum insigniori & editiori arce, in qua est sacellum multis gemmis ornatum, Caroli quarti, nisi fallor, opus, quod & incolæ Carols Capell nominant, & dicitur Angermundum, tanquam Angrivariorum ostium in veteri Marchia, quæ septem urbibus constat, primum in Albis ripa, quæ illis citerior, nobis ulterior est. Ridicula autem eryma quorundam non tanti facio, neque Tlitera in capite dictionis appollita me movit. Nam id factum est, propter alterius in Marchiæ media in ripa Viadri oppidi positi, Angermundi vocati discrimen.

Angrivarios & Chamavos à tergo Dulgibini & Charii cludunt, aliaque gentes haud perinde memorata, à fronte Frisii excipiunt. Majoribus minoribusque Frisii vocabulum est, ex modo virum, utraque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illac tentavimus, & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstiter Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire. Hactenus in Occidentem Germaniam novimus.

XI.

DE DULGIBINIS, CHA-

suarius & Frisii.

Dulgibini Ptolemæo sunt *δουλβινοι*, id est, Brunsvicenses, Halberstadienses & Hildesheimenses. Casuarii autem, alii sunt Cartuarii, Ptolemæo Casuarii *κασιων*, inquit, *ἀπ' ἀνατολῶν τῶν ἀνοβοταίων ὄρων*, *δικαίων ὑπερ τῆς σιήβης κατὰ βορρῆν* quod est: Ab orientali parte iterum Abnobiorum montium supra Sue-

vos Anglos Casuarii habitant, ubi hodie est *Casella*, forsan a casu, irris dicta *Schmalcaldia*. Hi duo à tergo, videlicet ab occasu Angriyarios & Chamianos claudunt & retinent, ne toties in alias partes incursiones faciant. Porro Frisii adhuc veterem obtinent appellationem, de quibus sic Ptolemæus *Ἐπὶ τὴν Βερεκαίηρον δὲ Φριόσιον, μέχρι τῶν ἀμῶν ποταμῶν*, quod est; Supra Brusfactoros Frisii sunt, usque ad *Amisium* (qui & hodie sed, ut fit, corruptè die *Emis* nominatur) fluvium. Sunt autem *Frisii* duplices, aut majores aut minores. Illi quidem forsan sunt intra *Amisium* & *Visurgin* vulgò de die *Weser*, ubi est *Groningensium* ager & civitas. Hi verò sunt intra *Visurgin* & *Albim*, ubi est *Bremensium* tractus, qui essent & *Busactori* majores, quibus adnumerantur *Werdenses* & *Minduses*. Frisii tamè & Orientales & Occidentales Angriyariorù & Chamnorù impetü excipientes & sustinentes juxta Oceanum, & est à Ptolemæo dictum, *τὴν πορωναίην κατέχουσι*. Occidentales autem magis Rheno prætexuntur, atque in eorum vicinia sunt aliquot insulæ, ad quas classis Romana aliquoties pervenit *Tentarunt & Romani Oceanum Frysiacum* maris Germanici partem, sed deterriti sunt atque frustra conati. Nam Hercules quidam, quem Teutonicum esse verisimile est, eò usque pervenit & substitit, atque ibidem stelas, quæ ab authore Hercule, non aliter atque apud *Garidanos* Herculeæ dictæ sunt, constituit. Solebant enim veteres *Heroes*, vel *columnas*, vel *aras* tanquam certas peregrinationum & laborum metas collocare. Ejus autem tentationis, & in Annalibus Tacitus meminit, sicut arbitror, & à *Vespasiano* factæ, & antea à *Druso Germanico*, ut *Suetonius* & alibi Tacitus meminerunt. Sed huic non minus atque olim *Herculi*, quisquis ille fuit, Oceanus fluctuans obstiit. Quare nemo id ipsum porro tentare ausus, tanquam per fata adiutor. Hinc factum est, ut isthac credere maluit, quam explorare. Id tamen non est negligendum, hodie Frisiorum ditionem ita amplam esse, ut veterum *Chaucorum* tam parvorum quam magnorum agros occuparint.

IN Septentrionem iugenti flexu redit. Ac prima statim *Chaucorum* gens, quanquam incipiat à *Frisiis*, ac partem littoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in *Cattos* usque sinuetur, tam immensum terrarum spacium non tenent tantum *Chauci*, sed & implent, populus inrer Germanos Nobilissimus, quique magnitudinem suam malit *Iustitia* tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniiis populantur. Id præcipuum Virtutis ac virium argumentum est, ut superiores agant, non per injurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus plurimum Virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama.

XII.

DE CHAUCIS.

HActenus Occidentem (ut ipse appellat) id est, Occidentalem Germaniæ limitem, in utraque *Rheni* parte sibi notum explicuit. Nunc & Septentrionem, id est, limitem Borealem, ubi designantur *Ingævones*, per flexum maris Germanici, subjungit, inter quos primi obvii sunt *Chauci*, quos *Ptolemæus* sicut *minores* intra *Amisium* & *Visurgin* constituit, ubi sunt *Frisii Groningenses* hodie, ita majores intra *Visurgin* & *Albim*, ubi sunt nunc *Bremenses*, *Luneburgenses* ad *Hamburgum* usque. Sunt autem ejus verba, καὶ χοροὶ μικροί, μέχρι τῶν ἀμῶν ποταμῶν, ἢ μικροί, μέχρι τῶν ἀλβίος ποταμῶν. Hodie

tamen iidem ferè *Frisiorum* nomine continentur. Initium autem *Chaucorum* à *Frisiis*, qui erant intra *Vidum* & *Amisum*, vel ipsius *Ptolemæi* sententia, atque iidem sunt aut *Vingævones*, aut *Ingævones* tum amplissimi. Nam hi maritimis nationibus, hætenus numeratis, prætenduntur, adeo ut in *Cattorum* tractum usque insinuentur. Hic nemo eosdem *Cattos* intelliget, quos *Ptolemæo* *Caritnos* esse judicavimus. Nam eo usque non implicantur, atque vix verò consentaneum, etsi quis vel *Ptolemæicos* *Cattos* juxta *Melibocum* montem, vel ipsos *Cattuarios* acciperet. Itaque non est dubium in *Cattorum* appellatione *Taciturno* nimis variare, tum nobilissimi sunt & propter justitiam & propter innocentiam, quæ illam non secus ac umbra corpus comitatur. Sunt quieti, sunt & si res poscit, bellaces.

IN latere *Chaucorum*; *Cattorum* quæ *Cherusci* nimiam ac imarcentem diu pacem illacessiti nutrierunt, idque jucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos, salò quiescas, ubi manu agitur modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni & quique *Cherusci*, nunc inertes ac stulti vocantur. *Cattis* victoribus fortuna in sapientiam cessit. *Tacti* ruina *Cheruscorum* & *Fosi* contemina gens adversarum rerum ex æquo locii sunt, cum, in secundis minores fuissent.

XIII.

DE CHERUSCIS

& Fosis.

Cheruscos *Albis* accolæ esse ex *Ptolemæo* satis perspicue patet, quos tamen plerique omnes (quod equidem sciam) *Eruditi* ad confluentem *Sala* & *Albis* urbem, cui *Cerne* est nomen est (nisi quis à *Cerneis* derivare mallet) adscribunt cum toto *Comitatu Anbaldinensi*. Sub his & nonnulli *Turingi* comprehenduntur *Chamanis* vicini. Laudantur à nimio pacis studio, quo per ocium homines marcescunt, sed rursus damnantur, quia id non tutum fuit, etiamsi jucundum fuerat. At enim inter impotentes, hoc est, valde potentes quiescere non ita bonum est, cum victores judicentur modesti & probi. Quemadmodum *Cherusci* equi & probi fuerunt, sed per altissimam pacem jam inertes censentur. E diverso *Catti*, cum sint bellaces, & per fortunam victoriosi, sapientes habentur: Ita hodie commendantur *Martiales*, & contra pacati & pacificatores vituperantur, atque adeo utrorumque aut *Philosophi*, aut *Theologi* scilicet, si pacis studiosi sunt, salvantur. Verum de horum moribus & bellis, & *Taciti* *Annales* consulito. Collocantur autem hic *Cherusci*, veluti inter *Chaucos* & *Cattos*. Hos enim habent meridionales, sicut illos Boreales. Viciniam quoque arguit, quod cum *Drusus* *Cattos* ex improvviso adortus fuisset, *Cherusci* hos juvare cupientes, à *Cecinna* prohibiti sunt. Sed legitur è contra ut *Catti* post *Cheruscos* subactos cum *Hermunduris* ob *Sala* flumen, quo loci *Halas* *Saxonum* hodie cernimus, contenderint. *Fosi* autem *Cheruscis* proximi vicini statuuntur in rebus adversis, locii æquales fuerunt, sed in secundis inferiores.

EUndem Germaniæ sinum proximi Oceano *Cimbri* tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens, veterisque famæ late vestigia manent utraque ripa castra ac spacia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis & tam magni exitus fidem. Sexcentissimum & quadragesimum annu urbem nostram agebat, cum primum *Cimbrorum* audita sunt arma, *Cæcilio Metello* ac *Papirio Carbone* cons. Ex quo si ad

liberum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur, tam diu Germania vincitur.

XIV.

DE CIMBRIS.

In his sic Ptolemæus, πόντος δὲ δὲ ἀρκτικὸν ἡμῶν ἡμῶν, quod est: Cimbrici inter omnes Vindexones magis sunt Septentrionales, à quibus Chersonesus tota Cimbrica dicta est, olim parva fuit civitas, sed hodiè magna. Nam quicquid terrarum est inter Lubecum & Hamburgum usq; ad ejus Chersonesii extremum angulum, Cymbrorum nomine continetur, ubi sunt Holsati, Dani, Jutlandi, ubi à forma cunei à Germanis Saxonibus im Kii appellatur. Endonium quoque eorundem inferitur: Modo à gloria propter bellum, quod inde Cimbricum nominatur: Modò à situ, ut sit bimaris non aliter ac Corinthus: nam ab una parte Occidentale, vulgò die Westsee, ab altera est Orientale, vulgò die Ostsee: Modò ab amplitudine. Nam admodum spaciola in ambitu totius Chersonesi est, cui tantæ commigrationis in alias nationes fides accedit, ex qua certò constat, quòd sit natio admodum copiosa, innumerisque populis referta, qui & in Illyricum usque invaserant. Turbas autem Cymbrorum insurgentium contra Romanos Plutarchus in Mario, Justinus in I. lib. Paternulus describunt. Hos tamen exuperavit C. Marius, ut est apud Florum de Cimbrico bello, sicut postea Stilicon in eadem Chersoneso Getas, qui sunt & Gotthi, vicit, ut est apud Claudianum. Fuerunt & γερμανοὶ dicti, à quibus sinus primum Getanius, deinde Godanus, postea Gedanus à Lubeco usq; ad Dantiscum porrectus, quod & inde Gedanum nominatur à situ appellationem recepit, modò à perpetuo belli studio commendantur, siquidem circiter ducentos & decem annos Cimbrorum arma audita sunt, atq; inter hos vinci cœperunt. Siquidem tot anni colliguntur à COSS. C. Cæcilio Metello Capratio & C. Papirio Carbone qui posterior in Illyrico à Cimbris victus & fusus est juxta Florum, Anno ante natum Christum CXI, videlicet anno mundi 3851. circa quem Cleopatra veneno, quod filio Griphoni paraverat, hausto, vitam cum morte commutavit, & citè tertium ab hinc annum Iugurtha Adherbalem interemit, Ciritham per deditionem accepit. Colliguntur autem usque ad alterum Ulpii Trajani Crimi Consulatum (nam sexies Consulatum egerat) cujus collega fuit Coccejus Nerva Augusti. Ferme autem adjecit, siquidem rectè supputanti tempora sunt ducenti & novem anni.

Milio tam longi ævi spacio multa invicem damna. Non Samnites non Pœni, non Hispaniæ, Galliarve, ne Partium quidem sapius admonere. Quippe regno Atlacis actor est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipso Pacoro infra Ventidium dejectus Oriens obiecit?

XV.

DE GERMANORUM VIRTUTE

re bellica digressio.

Collatione quadam per calamitatum acceptarum & præliorum factorum enumerationem Germanorum Virtutem bellicam collaudat. Fuit autem Samniticum bellum primum ab urbe condita 413. M. Valerio Corvino, A. Cornelio

COSS. ante natum Christum 339. anno: Sicut alterum fuit ab urbe condita 430. COSS. L. Furio Camillo 3. D. Junio Bruto Scæva, ante natum Christum 322. Punicum autem primum bellum fuit, ab urbe condita 489. COSS. Ap. Claudio Pulchro Q. Fulvio Flacco, ante natum Christum 261. Secundum fuit anno ab urbe condita 536. COSS. P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Longo, ante natum Christum 216. Tertium fuit ab urbe condita 604. COSS. L. Quintio Flamminio, M. Acilio Balbo, ante natum Christum 147. Hispania autem devicta sunt, vel expulso Pœno à Scipione ab urbe condita 548. COSS. L. Verurio Philo, Q. Cæcilio Metello ante natum Christum 203. vel quando Metellus in Hispaniam missus cui & Pompejus adjunctus erat, adversus Sertorium ab urbe condita, 677. COSS. M. Aemilio Mamerco, D. Decio Bruto Juliano, ante natum Christum 74. vel quando Cæsar Augustus totam Hispaniam subegerat, ab urbe condita 730. COSS. C. Cæsare Octaviano, C. Norbano Flacco ante natum Christum 21. Gallicum verò bellum unum fuit ab urbe condita 527. COSS. P. Valerio Flacco, M. Attilio Regulo, ante natum Christum 225. Alterum quod Cæsar gessit, de quo ejusdem commentaria leguntur, fuit anno ab urbe condita 696. COSS. L. Pisonè Cæsoniano, A. Gabinio ante natum Christum 55. Sic & Parthi cum Romanis sub idem tempus bellum gesserunt. Cùm Gallos Florus inquit, per Cæsarem in Septentrionem debellat, interim grave vulnus à Parthis Populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri possumus, caret solatio clades, adversa & Diis & hominibus cupiditas Consul Crassi, dum Parthico inhiat auro, strage undecim Legionum, & ipsius capite mulctata est, quod Tribunus plebis Metellus exeuntem Ducem hostilibus diris devoverat. Parthi autem quorum Rex Arsaces fuit acres, sicut clades Crassiana testatur, sed liberi Germani multò acriores sunt. Siquidem Parthi, eorumque Magigistratus Romanis quid nam quam cædem Crassi objicerent, cum ipsi majorem cladem etiam Rege Pacoro amisso per P. Ventidium M. Antonii Legatum acceperant? Siquidem Ventidius Labieni copias, ipsum Pacorum & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem sinum late prostravit, viginti amplius millium fuit. Ita inquit Florus, Crassianam cladem Pacori cæde pensivimus. Item à Tacito in Annalibus, à Floro, ab Appiano lib. qui Parthicus inscribitur. Plutarch. in M. Antonio. Pergit igitur nunc miro compendio Germanorum victorias contra Romanos tanquam uno fasce, enumerare, & sunt duodecim, quorum Prima est, ut C. Papirius Carbo à Cimbris, qui nunc in Danos & Holsatos abierunt, victus sit, cum in Illyricum, Romanorum Provinciam venerant, juxta Florum in epitome Liviana lib. LXIII. Id autem accidit, Anno

Ab urbe condita. 641. Ante natum Christum, 111. Mundi, 3851.

Alterà fuit cum L. Cassius in finibus Allobrogum (quos hodie Sophotis nuncupant) à Tigurinis Gallis sub id tempus pago Helvetiorum cum exercitu casus erat, Anno

Ab urbe condita, 647. Ante natum Christum, 107. Mundi, 3857.

Tertia fuit, cum Aurelius Scaurus à Cimbris captus à Bolo Rege Cimbrorum interfectus erat, Florus lib. LVII. Anno

Ab urbe condita, 648. Ante natum Christum, 105. Mundi, 3858.

Tunc autem COSS. erant C. Atilius Seranus, Q. Servilius Cæpio. Verum quarto ab hinc anno M. Junius Syllanus infelicissimè contrà eosdem decertavit.

Quarta fuit, cum Caius, aliis autem, inter quos est & Tacitus est M. Manlius (falso Manilius legitur) Q. Servilius Cæpio à Cimbris victi, & castris exiit fuerant, proximo ab hinc anno COSS. P. Rutilio Ruffo, C. Manlio Maximo. Ita Cimbris quinque Consules, atque totidem Consulares exercitus Romanorum more vicerunt. Belli autem (quod à Cimbris, primis authoribus, Cimbricum, à Teutonibus Teutonicum, à sociis Tigurinis Tigurinum nominatur) occasio hæc fuit: Cum Cimbrorum terras Oceanus inundasset, novas sedes toto orbe quærere coacti erant, sed ex Gallia & ex Hispania exclusi in Italiam sese contulerunt, Legatosque in castra Syllani, inde ad Senatum miserunt, petentes ut Marius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium: Cæterum ut vellet, manibus atque armis suis uteretur. Verum iidem sibi Tigurinos & Turegos adjunxerunt, & contra Romanos conspirarunt, atque in conflictu Syllanum, Manlium, & Cæpionem, & nisi Marius victoriosus Imperator subvenisset, Cimbris vel ipsam Romam vicissent. Senem Cimbrorum in Gallia Narbonensi cis Rhodanum juxta aquas Sextias hodie Arx circiter 36000. interemit, & sub id tempus junctis curris mulieres Germanorum diu Romanis reluctatæ sunt, tantisper dum novo mortis genere perterrefactæ, veniam petierant, qua denegata suos ipsorum filios interfecerunt, & se gladio confoderunt. De hoc autem bello Florus, Plutarchum in Mario, Appianum, Strabonem in VII. Valerium Maximum lib. V. cap. VIII. lege. Erat autem exercitus divisus, cujus una pars Germanorum cum Tigurinis in Gallia Narbonensi prostrata est, quorum Rex fuit Teutobochus ibidem interemptus. Altera pars in Italia cum Beleo Rege pessundata est.

Quinta fuit sub Octaviano Augusto, ejusq; Imperii anno quinquagesimo altero.

Ab urbe condita, 762. Post natum Christum, 12. Mundi, 3973.

Fuit autem in Germaniam ab Augusto *Quintilius Varus* ablegatus atque Imperator designatus, atque tribus legionibus ultra (nobis citra) Rhenum profectus, Germanos à Druso victos & domitos, *novitate legum figendarum & resigendarum plurimum uris.* Sed Germani libertatis semper cupidi, Ducem belli *Arminium*, qui est nobis *Hartman* crearunt, ejusque opera & consilio tres legiones interemerunt. Multorum quoque captivorum oculi effodiebantur, alii manus, alii pedes dissecebantur. Varum dissectum in fluvium conjiciebant, urbes à Romanis conditas propter limitum tutelam diruebant, & civitæ ad Rhenum usque munimenta demoliebantur: Augustus verò propter hanc cladem acceptam plurima tristitia affectus est, ejulans & clamans: *Quintili Vare legio-*

nes reducito, ejusque clades plurimum annuum esse constituit, sicut apud Suetonium legitur & Paterculum, Florum & Orosium. Strabo quidem in VII. prælium factum apud Cheruscos non longè ab Albi esse testatur: Alii verò, inter quos sunt Ottho Frisingensis & Nauclerus, juxta Augustam Vindelicorum locum prælii designant. Est & de hac re Udaltici Hutteni Dialogus, qui Arminius inscribitur admodum elegans.

Sexta fuit eodem tempore, quo Cimbris Italiam devastare cœperunt, eisdemque Marius percudit, propterea Romani magis terrebantur, quam secundo Punico bello Hannibalis adventu, sicut Eutropius & Orosius meminerunt.

Septima fuit sub C. Julio Cesare, qui primus singulari Imperium affectavit, post Galliam devictam Germanos aggressus est, eosque ex Gallia juxta cum Rege Ariovisto, quem antea Ernestum, vulgo Ernestum nominavimus repulit, sicut ipse libro I. Gallici belli contestatur, & tunc uxores flentes suos maritos orabant, ut forti & constanti animo pro libertate asserenda, contra Romanos conflictarentur. Quare Cæsar ira percitus, parum viriliter & mulieres & pueros interemit, & sub id tempus Ubii (quos intra Confluentinos & Colonienfes habitasse non est dubium) à Suevis, Albis accolis plurimum dissidebant, & illi fœdus feriebant cum Cæzare contra Suevos. Quapropter Cæsar juxta Ubios Rhenum ponte jungebat, exercitumque per illum cis Rhenum ducebat, Germanorum prædia incendebat. Suevi copiis collectis infesta sic signa ferebant, ut eundem fugientem sequerentur. Proinde re comperta Cæsar retrocessit ultra Rhenum, pontemque extructum destrui curabat, ne quam cladem à persequentibus Suevis acciperet, COSS. L. Pisone Cæsoniano, A. Gabinio, Anno

Ab urbe condita, 696. Ante natum Christum, 49. Mundi, 3907.

Octava fuit sub Octaviano Augusto, Drusus Nero Cæsaris Augusti privignus, Tyberii Cæsaris frater Imperator contra Germanos creatus primus domuit, ut inquit Florus, Ulpipes, inde Tencateros percurrit & Catos, hoc est, quosdam Rheni accolas inopiantes vicit, sed mox per Suevos victor insolens repulsus est. Nam viginti Centurionibus crematis, hoc veluti sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoria spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint: Cherusci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos eligerent, & jam de Romanorum copiis actum fuisset, nisi superbientes & securi fuissent. Siquidem exercitu collecto, Drusus inopinantes adortus est, plurimosque prostravit, sed non sine magna suorum clade. Nam & mulieres juxta cum liberis gravissimè contra illos decertarunt, & cum eam Germaniæ partem, quæ est in ripa Rheni Gallica, in Provinciam redegerat, utpote à Mosella usque ad Rauracos, ubi hodie est inclita Basilea, circa cujus tractum sexaginta arces tanquam munimenta & præsidia contra Germanorum incursiones extruxerat, Germanicus scilicet à devicta Germania salubatur. Quæ de re Florus in IV. cap. 12. consulit. Mortuus autem est vul-

vulneris à Germanis accepti dolere, atque hunc Oceanum tentasse ad Herculis exemplum Tacitus supra scriptum reliquit. Invasit autem Catos anno Christi XVII. Decijus rebus gestis, si quis scire velit, ex I. & II. annalium libris petat, necesse est, Tacitum & Suetonium meminit. Fuit & alter Germanicus, Drusi Germanici filius, contra Arminium qui Cheruscorum Dux circiter nonum annum ante Christi floruit, ad abolendam infamiam propter Marianam cladem pugnare studuit, atque idem triumphavit, circiter XX. nati Christi annum, de quo Strabo in V. II. consulendus est, & in II. Annalium Tacitus. Rectius tamen quis fecerit, si hoc loci Germanicum cum Druso Nerone conjunctum, id quod & Tacitum velle arbitror. Vicinam ad Visurgim Cheruscos, & Sterrinio Angerivam sese dediderunt: C. Silius Catos, & Marcos facit, Anno

Ab urbe condita, 768. Post natum Christum, 17. Mundi. 4002.

Nona fuit sub Caligula Imperatore, cujus fuit in Germanos expeditio, sed nihil egregie egit etiam minacissimus, ut apud Suetonium, Eutropium, Tacitum & in Annalibus, & in vita Agricolæ, Paterculum aliosque complures legitur, Anno

Ab urbe condita, 792. Post natum Christum, 41. Mundi. 4002.

Porro ad sua tempora Tacitus respicit, videlicet post Caligulam fuisse ocium & pacem cum Germanis tantisper, dum occasione captata propter dissidia bellorum intestinorum & civilium, vel in Gallias Germani sese contulerant. Quare colligit magis triumphatos, hoc est, de illis in multos triumphum egisse, quam victos, cui & Florus astipulatur. Difficilius, inquit, est provincias obtinere, quam facere, viribus parantur, jure retinentur. Igitur breve gaudium id fuit. Quippe Germani victo magis, quam domiti erant, moresque nostros magis, quam arma sub Imperatore Druso suscipiebant. Proinde Germanici salutabantur, non Drusus, sed & Domitianus, Nerva, & Tiberius filium suum Germanicum vocari jusit, non propter victoriam, cum nunquam tota Germania devicta sit, sed propter Romanæ animi magnitudinem, fidem & constantiam Germanorum expectandam, aliisque proponendam sic nominabantur. Ad hunc modum quis adhibere bella aliorum Imperatorum, tam Romanorum quam exterorum, contra Germanos suscepta, veluti in tabula enumeraret. Nonne Tiberius triennium & quindecim legionibus contra Germanos pugnavit, sed sæpe ita infelicititer, ut tandem sese propter Suevorum impetum in fugam coniecisset? Nonne et Vespasianus post quadraginta prælia facta exercitum penè suo domum miser redierat? Nonne Trajanus Germanos pacatos habuit, non armis, non præliis, sed mansuetudine, Comitatus & Affabilitate, atque haud levi indulgentia? Afferto & exteros Reges, quidnam quæso Alexandro Magno majus fuerit in Asia & Africa, atque bona Europæ partem, sed quando Germanos sollicitavit & tentavit, utinam quæ secundiorem fortunam experiri voluit? Sic Darius & Cyrus Persarum Monarchæ, ad Tanain usque pervenerunt (qui olim Germaniæ veteris Orientalis limes fuit) nunquam Germanos petierunt. Sic Lyfmachius apud Danubium victus & à

Germanis & à Rochemete Germanorum Rege captus est. Iterum redito ad Romanos Imperatores M. Antonium, verum in extremos paupertatis limites redactum propter bellum Germanicum fuisse cognosces. Hujus loci sunt, ut Maximinus sub Alexandro Severo propter infelicitatem belli in Germanos illati in ordinem redactus sit, ut Decius Germanos in Thraciam depopulantes aggressus perierat, ut sub Valeriano ex Italia 30000. Germani ingentem prædam abduxerant, ut Emilianum prope Moguntiacum vicerant, sic pergito à Probo, Constantino, Juliano, Valente usque ad nostra tempora. Rhythmum Germanicum vetustum à vero non ita alienum esse videbis, qui est

Welcher im Krieg tollt Dngluel han/
Der fang es mit den Teutschen an/
Mit den Teutschen mach du Freundschaft/
Vnd steuch dabey ihr Nachbarschaft.
Die Teutschen sind Vâren mit Vernunft/
Darum freue sich keiner ihrer Zukunft.

Quid multis? Neque hodie victi sunt, & si quis rerum potitur in quibusdam Germaniæ partibus, id non propria sit, sed ipsorum Germanorum, quorum auxilia expetuntur, Virtute, & arte in tanto dissidio, ubi subjugandæ Germaniæ occasio quaeritur & captatur. Vincuntur quidem Germani, sed non nisi per Germanos.

Nunc de Suevis dicendum est quorum non una (ut Cætorum Teneterorum ve gens) majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Suevi à cæteris Germanis, sic Suevorum ingenui à lervis separantur. Sic in aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum & intra juventutis spatium, apud Suevos usque ad canicem horrentem capillum retrò sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant Principes, & ornatiorem habent. Ea cura formæ, sed innoxia. Neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam & tentorem adituri bella compti, ut hostium oculis ornantur.

XVI.

DE SUEVIS.

Suprà Suevum fuisse Germanorum Regem observavimus, à quo & Suevis nomen inditum est. Suevia autem duplex est, vetus & nova. Vetus quidem à Tacito descripta, quorum alii sunt Aquilonares, ut Semnones, Longobardi, Reudigni, Aviones, Angli, Varini, Eudoses, Suardones, Nuithones. Alii Australes, ut Hermunduri, Narisci, Marcomanni & Quadi. Alii sunt Orientales in Pannoniam & Sarmatiam porrecti, ut Ligii, Arii, Helvecones, Manimi, Elysi, Naharvali, alii sunt penè aut in ipso Oceano, aut ejus littore, ut Gothones, Ruggii, Lemovii, Suiones, Æstii & Sitones. Ex quibus universis liquet, quanta veteris Sueviæ amplitudo olim fuerat, ex quibus more Taciti & Plinii, quis alios Hermiones, alios ingævones, alios istævones more supra dicto faceret, atque de his Suevis sunt veterum Authorum sententiæ, ut Cælaris, Suevorum gens est longe maxima, ut Strabonis, Suevi sunt populosissimi, ut Orosii, qui maximam gentem fecit, atque eorum quinquaginta gentes fuisse memorie prodidit. Breviter totam Saxoniam, & veterem & novam Suevia olim complectebatur. *Nova*
vetero

verò est, hodie sic appellata, ubi antea *Vindelici*, & nonnulli *Rheti* habitant. Verum ut sedes eorum permutata sit, vix dum certæ conjecturæ (quod equidem sciam) reliquæ sunt. Verum à prioribus mare dictum esse Suevicum, & vetustiora bella Suevica nominari, vix quispiam tam bardus & stupidus est, ut in dubium vocaret. Ita ab iisdem *Saxonia Principes*, & *Dynastæ*, sicut *Speculum Saxonicum* contestatur, *Nobilitatem suam acceperunt*, eosque intelligit, qui *Saxoniam* & *Albim* tenebant, non qui aut *Lycum*, aut *Danubium*, aut *Nicrum*, etiam si iisdem *Alemanniæ* olim vocabulum tributum fuerat. *Suevi* autem ab aliis *Germanis*, & gentium tam numero, quam certis appellationibus & insigni ornatu differunt. Siquidem *calamistiro intorquent*, & in vertice ferè nodo comam colligant, qui tanti sit ut per hanc *Personarum discrimina statuantur*. Sic enim servi ab ingenuis separantur, ut vel cani religantur in ipso vertice. Reliqui verò *Germani*, dum *Suevicum* ornatum imitantur, eum tantum spacio juventutis retinent. *Cultus* tamen *Principum* propter & honorem & dignitatem multò excultior est. Ita *forma* & *pulchritudini studuerunt*, non ut essent *sceminarum*, quæ *venultæ* esse student, more *comptæ* (Siquidem *amorem nauci faciunt*) sed eodem ornatu *bella* vel in *hostium conspectu* in *altitudinem dignitatis*, & *excellentiæ victoriosæ*, ut *arbitror*, & in *terrorem hostium*, adeunt.

Vetustissimos se nobilissimosque *Suevorum Semnonis* inemolant. *Fides antiquitatis religione* firmatur. *Stato tempore* in *sylvam* *auguriis patrum* & *prisca formidine sacram*, omnes ejusdem *sanguinis populi legationibus* coeunt, *cæsoque publicè* *homine celebrant*, *barbari ritus horrenda primordia*. Est & *alia* *luco* *reverentia*. *Nemo nisi vinculo* *ingreditur*, ut *minor*, & *potestatem Numinis præ se ferens*, si *fortè prolapsus est*, *attolli* & *insurgere* *haud licitum*, per *humum* *evoluntur*, eoque *omnis superstitio respicit*, *tanquam inde iniria gentis*, *ibi Regnator omnium Deus*, *cætera subiecta*, *atque parentia*. *Adjicit autoritatem fortuna Semnonum*, *centum plagis habitatur*, *magnoque corpore efficitur*, ut se *Suevorum caput* credant.

XVII.

DE SUEVIS SEMNONIBUS.

Nunc *distributione* *ἡ μερῶν*, *Suevorum nationes* *ordine enumerat*, inter quos *primi sunt Semnones*, quorum *situs* sic à *Ptolomæo* *statuitur*, *καὶ τὸ τῶν συνήθων τῶν στυμόνων, ὅλινες διήκουσιν μὲν τὸν ἀλβιν ἀπὸ τῆς εἰρημῶν μέρους πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τῆς συνήθους ποταμῶν*, id est. *Post Angelos Suevos, ad Septentrionem usq, ad medium Albis fluvii protensos, Suevi Semnones post Albim à prædicta parte, ad ortum usq, ad Suevum fluvium, habitant.* Siquidem, sicut in *orientali Albis ripa*, *Suevi Semnones*, ita in *occidentali Angrivarii, & Longobardi*. Eos autem *Tacitus* *primùm ab antiquitate collaudat*, *idque antiquitate religionis confirmat*. Nam *hæc adducti*, *stato tempore lucum ingressi*, *hominem publicè* *maestant*, & *quod sacrificii genus*, non nisi *valde antiquum* esset. *Mirum est*, ut *Sathan hominum mentes, excacaverat*, *ut non aliter atq, hominis maturatione placaretur*, quod & *multis nationibus* non *utique barbaris*, sed & *Græcis* *fuit usitatum*: Sicut *Agamemnon suam ipsius filiam Iphigeniam*, ut *Diana iram in ista navigatione placaret*, *ad aram ma-*

estavit, ut est *apud Euripidem* in *Iphigenia Comædia*, *apud Lucretium* *Iphionassa dicta*. *Fuit & hæc consuetudo olim Syris, Arabibus, Egyptiis, & vix ante sexaginta annos in India insulis* *tales idololatriæ* per *Lusitanorum navigationem* *inventæ sunt*. Est *quidem hæc ceremonia* *admodum horrenda*. *Fuit & Suevis altera ceremoniæ forma*, *quam lucum* *ingredientes observabant*. Nam *vinci ibant*, *siquidem vinculum humilitatis & observantiæ*, atq; *Religionis symbolum* *quoddam erat*, atque si *vinculus prolapsus erat*, non *erigebatur*, non *sublevabatur*, sed per *humum voluebatur*. *Id autem eo consilio factum est*, ut *hac superstitione esset quædam ibidem ejusdem gentis primam originem esse Deum opt. max. significatio*. Itaque *cætera volabant ita subiecta esse*, ut *parere discerent, & scirent*. *Quare istis rationibus & antiquissimis, & propter antiquitatem, & dominium ex ipsa origine prima Nobilissimi* *judicabantur*. *Laudantur*, & à *fortuna secundissima* atque *potentia*. Nam *illis fuerunt centum pagi*, id est, *diœceses*. *Germanis à γία* *Geit* & à *pago* (nam *Græcis est, πῆγῃ* sed *δωκεῖν πῆγῃ*) *ein* *Dach* *nominatur*. Est enim *pagus* *veluti distinctuncula*, *binum aut ternum millium virorum*, & *alibi 20000 hominum pagus* *complectebatur*. Ita *apud Cæsarem, & horum Suevorum totidem pagi sunt*, sicut *aliquot Morinis concessit*. Itaque *totum corpus efficitur propter tot pagos*, & *tam numerosum populum*, ut se & *caput*, & *metropolim aliorum Suevorum esse sibi persuaserant*. *Eo autem loco est Episcopatus Havelbergensis, Prignitum*, quod *sex urbibus hodie constat*, & *quam Regiunculam Havella vulgò dat Havelland* *nuncupant*, *ubi & Ratenanum, Brandenburgum, & quædam oppida* *visuntur juxta cum Comitatu Rappinensi*.

Continua *Longobardis paucitas*, *Nobilitasque* *quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti*, non *per obsequium*, sed *præliis, & periclitando tuti sunt*.

XIX.

DE SUEVIS LANGOBARDIS.

Ptolomæus hic nonnihil variat, nam *Langobardos Rheni accolæ* *facit*, de quibus *idem* sic, *κατέχουσι*, *inquit, τῆς γερμανίας τὰ μὲν, καὶ τὸν εἰς τὸν ποταμὸν, ἀρχομένους ἀπὸ ἀρκτῆ ὡς τε βόσταν προοί μικροὶ ἔοισιν γαμβροί, ὑφ' ἃς οἱ σύνθεοι λαγγοβάρδοι, εἰς τὴν γαίαν, quod est: Obiient Germaniam, quæ circa Rhenum fluvium sunt, incipientibus à Septentrione, Bisjætori parvi (Sunt enim & magni non ita à Visurgi diffisi) & Sycambri. Sub quibus (Is enim à Borea ad Austrum rationem ordinis ferè subducit) sunt Suevi Langobardi, deinde Tingeri. Eos verò facile quis cum *Brabantis*, qui *Gelrensis* *vicini sunt*, *conferrer*, *eisdemque esse*, & *certis rationibus*, *pronunciaret*. Itaque eos, propter *longius à Suevis Semnonibus intervallum*, *hæc loci non accipiemus*, cum *Ptolomæus eisdem Suevos esse voluerat*, & *vix ab ullo defendi potest*. Nam *Suevorum tractus, & eorundem pagi, eousque nunquam pertinuerant*. *Deinde apud eundem sunt λαγγοβάρδοι*, quos *absque controversia Tacitus intelligit*, cum *sint valentissimis nationibus*, ut *Chaucis*, *Cheruscis* & *Cattis cincti*, cum & *ordo*, atque *gentium enumeratarum consecutio* *hic instituta*, *id ipsum urgeat*. *Postea iidem Langobardi tuti sunt*, non quod*

quod subditi essent; sed quod in cunctis periculis vicinorum loci, & auxilia fuerant. Verba autem Ptolemaica hæc sunt, *καυχῶν δὲ τῶν μεζόνων καὶ τῶν ἡμετέρων, ἀγγελοῦσθαι, ἢ τὰ λακκοβαρδοί, ἢ φ' ἢ δὲ ἡμεῖοι*, quod est. *Cauchorum autem majorum & minorum sunt Angriarii, deinde Laccobardi, & quibus Dulgunivii.* Quare Longobardi Ptolemaici Rheni sunt accolæ, & Laccobardi ipsius Albis, ubi est hodie Episcopatus tam Magdeburgensis, quam Halberstadiensis. Sunt & apud eundem *λαγγεβαρδοί*, sicut Græca constanter habent exemplaria, his verbis, *τῶν δὲ ἐν τῇ καὶ μεσογείῳ ἐθνῶν, μέγιστον ἐστὶ τὸ, πὲ τῶν συνίθων τῶν ἀγγελοῦσι, ἢ ἀνατολικώτεροι τῶν λαγγεβαρδῶν ἀνατέλλοντες πρὸς τὸς ἀρκτῆρας, μέχρι τῶν μέσων ἢ ἄλβιθ' ἢ ποταμῶν*, hoc est: *Inditiones mediamq; terram interiorem incolentes Suevi sunt Angli, qui magis orientales sunt quam Longobardi, dum illi ad Septentriones usq; ad medietatem Albis fluvii extenduntur.* Hic revera Longobardi sunt, quos ante Longobardos Rheni accolæ fecit, atque sic cuncta probè respondere comperies. Itaque vocabulū subinde permutatum esse agnoscimus, cum planè sit Germanicum, nimirum à promissa barba quam fovebant, juxta Germanorum dialectum iidem dicti sunt. Hi autem Longobardi Saxones Duce Alboino Italiam intrarunt, dum Pannoniam Hunnis, Attilæ reliquis, a quibus Pannonia nomen in Hungariam mutatum est, reliquerunt, Vincentiam, Veronam, Mediolanum, breviter Insubres per deditionem acceperunt. Idque factum esse Paulus Æmilius lib. I. à nato Christo DLXXIX. anno, asserit, sed Blondo IIX. lib. decadis 1. annus est, à salute nostra restituta per natum Christum DLXXIX. Habuit autem Longobardorum Rex Alboinus in copiis suis Sævos (absque dubio vicinos intelligit Semnonas bellicosissimos) & Saxonas circiter vicies mille, quibus admiscebantur, & uxores, & liberi, in primo congressu Venetiam exuperavit, mox & Insubres, qui postea à victoribus, & possessoribus Longobardi appellati sunt, atque etiamnum idem nomen retinent, vulgò & corruptè dicti Lombardi, de quorum rebus gestis multa lectione digna Paulus Diaconus adnotavit. Alboinus autem dum Veronæ libentius habitabat, & voluptuabatur, Rosimundam uxorem suam, ut ex craneo Patris sui interfecti Ghumfundi aureis fulcris ornato biberet, coegit: hæc irata postea fidem matrimonii soluit, adulterum Peredeum adamavit, adeo ut ejusdem opera Alboinum maritum, & Regem vel dormientem interemerit, circiter annum CHRISTI DLXXIV. & ad Longinum Ducem Romanorum, qui Ravennæ degerat, cum adultero Peredeo, qui alius est Helmelchildis confugerunt, cujus insidii (nam regnum Langobardorum ambibat) Rosimunda Helmelchildi veneno post balneum mortem parabat. Hic verò insidias intelligens, accepto potu & Reginam, ut reliquias ebiberet compulsi, ita ambo uno die ultimum traxere spiritum. Longinus Alboini thesaurum cum filia Alstinda ad Tiberium Imperatorem Romanorum Constantinopolim misit, qui sicut felicissimus in prælio Persico, ita in Langobardico infelicissimus fuit. In locum autem Patris Alboini Cleophis successit, anno post natum CHRISTUM DLXXXIX. & I. Imperii Tiberii Constantini, is

multas urbes Italiæ cepit: Galliam penè Cisalpinam, ut Latini tradunt Scriptores, occupavit, sed in Romæ obsidione à suis interfectus est juxta Æmiliū & Blondum, ubi triginta Interreges in tempus aliquod creati sunt, quos variis rationibus Clotarius Gallorum Rex sollicitavit, sed non nihil spe sua frustratus est, & surrogatus est, in Patris Cleophis mortui locum Antharius filius, qui nominatur, & Flavius, post natum Christum DLXXXI. Ne multa. Ab Alboino usque ad Desiderium ultimum Regem circa Caroli Magni tempora, tercentum annos has Regiones retinuerunt, in quibus & XXIII. Reges successerunt.

Reudigni deinde & Aviones, & Angli, & Varini, & Endosifus & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut sylvis munitur, nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Heitum, id est, terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, in vbi populis arbitrantur. Est in insula Oceanii Castum nemus dicatum, in eo vehiculum veste contextum, attingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse, penetrati Deam intelligit, vestamq; bubus sæminis multam veneratione prosequitur. Læri tunc dies, festa loca, quæcunque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantum vora, tunc tantum amara, donec idem Sacerdos sanctorum conversatione mortalium Deam templo reddat, mox vehiculum & vestes, & si credere velis, Numen ipsum secretolacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Acaus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident. Et hæc quidem pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur.

XIX.

DE REUDIGNIS, AVIONIBUS,

Anglis, Varinis, Endosifibus,
Suardonibus & Nuithonibus.

Hic opus & labor est, ut veteribus Germanis certus designaretur locus, cum quod nulla sit vocum allusio, cum quod nulla pictura tabularum Geographicarum situm aliquem comonstret, cum quod apud nullum Authorem, post Tacitum, eorumdem fiat mentio, qua per conjecturas quasdam recentiorum nationum cum veteribus collatio fieret, ut tandem aliquando illarum appellationum unus aliquis ulus esset. Quare factum est, ut tanta bonorum Authorum hic loci sit diffusio. Aviones in Euontios insulares abierunt, etiam ordine non observato, cum Suevorum Aquilonarium ortum versus, sit enumeratio. Itaque nunquam Reudigni in Bojaria essent Vendigni, nunquam Nuithones in Aventicensem tractum, reponerentur, nunquam Suardones in Misenam statuerentur. Neque desunt, qui conjecturis quibusdam, forsitan ex ordine, quem Tacitus instituit, adducti proximos Suevis Semnonibus, & Langobardis ad septentrionem Megalopurgenses illarum nationum appellatione comprehendi voluerant. Quare iisdem sunt Reudignorum tractus qui Megalopurgensium Ducatus est, ubi olim Pharo-dyni, Obotritæ, Heruli & Hæneti, qui sunt & Vandali (sicut etiamnum eorundem Duces Herulorum & Vandalorum Domini salutantur) habitaverunt, supra quos Teutones, id est, Comites Rappinenses degunt, iisdem & Suardones propter exiguam allusionis formam sunt Suerinenses. Verè huc Strabonis sententia afferretur, qua emigrationes assiduas septentrionalium Germanorum fuisse testatur, propter belli studium, propter victus tenuitatem, cum neque agriculturam exerceant, neque negotiantur, sed bona victus

Pars est, ex pecoribus, κριὸν inquit, ἢ ἐστὶν ὑπὸ τοῖς ταύρῳ (Septentrionalem partem intelligit) τὸ περιττὰς με πινυαίσι, εἰς ἑν μάρτι, Ἀφ' τῆν λιτότηα ἔ. βιῶ, καὶ Ἀφ' τὸ μὴ χαίρειν, μηδὲ θησαυρίζειν, τὸ φη δὲ ὁπότεν θερμμάτων ἢ πλείον. Verum cum in plerisque aliis vocibus Germanicis; Latini & Græci suas flexiones ἑλληνικαῖς dictas servarunt, quæ & in causa subinde sunt, cur non ubique eadem appellationes retineantur, sicut in Carithnis, & aliis Rheni accolis, apud utriusque literaturæ. Authores non parva diversitas dignoscitur, ita hîc loci, & si quis ex Reudignis Ptolemaicis ἐλλυκίαις, ubi hodiè Cassubi Dantiscanis vicini, ex Avionibus, ἀλγαιῶνας, ubi sunt Poloni, & Borussi nonnulli maximè, qua parte Conicium strage Polonorum, & Borussorum oppidum celebre situm est, sic ex Varinis aut Βιρύνος, ubi nunc sunt Marchiæ novæ incolæ, quibus Sidenorum Regio Septentrionem versus, vulgò dat Stetinerland/ vicina est, aut occasum versus Pharodynus, id est, Megalopurgenses, aut ortum versus Varinos, quos & interdum Varinios nuncupant, non ita longè ab ostio Vistulæ distitos, ubi Dominica est Ecclesia Warmia dicta, vulgò die Frauen Stadt/ à qua totus Episcopus Heylspurgensis (sub cuius diocesi, & mea patria est Refellium, nomen habet, qui est ferè Warmiensis, cum esset, aut Warinensis, aut Warmiensis: Verùm has conjecturas neque ipse, cum non sint adeò σαχάσικαι, tanti facio, ut Doctorem Virorum iudicio, & iusto consensui anteponerem. Suevos autem Anglos Ptolemaus inter Amasin, & Visurgin fluvios, constituit, quorum latus occidentale Sicambri, meridionale Casuarii, boreale Chemæ, & orientale Dulgumni, & Camani claudunt, sed apud Tacitum quis non Boreales atque adeò Ingævones, ex ordinis consecutione, in enumeratione Suevorum videret? Constituendi autem Angli, Suevi & mediterranei, quos Ptolemaus habet, & maritimi inter Vitas, id est, Jutas, vel hodiè Lutlandos & Saxonas veteres habitavunt, sicut apud Bedam Anglosaxonem legitur, & hi sunt à Britannis evocati, ut Scotos atque Pictos ejicerent, sed Angli Duce Vortergerno totam Britanniam, olim Albionem dictam sibi vendicavunt, cujus prius Rex fuit Eggebertus à nato Christi 97. Caledoniam quoque à Germanis ortam esse, & ipse Tacitus profitetur, postea in Scotia nomen abiit. Cæterùm ut primum illi Angliæ nomen inditum erat, ut antea in septem Regna divisa erat, ut à Dacis accepta, & tributaria facta erat, ut à Francis, & à Seotis vastata erat, ut Pontifex eos in suam fidem receperat, ut à Scotia per vallum divisa erat, ut libertas iisdem concessa erat, ut Christo tota insula lucrifacta erat, ut lingua Anglica sit Saxonica, sed corrupta, sicut & bona ex parte Scotica est, aliaque id genus quàm plurima in Historia Anglorum, fusius explicantur. Quid multis? Ita facilè ea conjectura adducti Endofas, Suedonas & Nuithonas intra Suevi juxta Veterum sententiam, & Vistulæ in Gedani viciniam ostia in parte septentrionali, ad Oceanum collocarent, cum his insulam Oceani Facitus proximam ordinat, cum idem hanc partem Suevorum in secretiora Germaniæ, hoc est, ad Ingævones porrigi pronunciet. Sed quisnam quæso iisdem certa designaret loca in tanta locorum, & commigrationum confusione? Videsne intra Vi-

adals, Polonos ferè nominatos cohabitare, & quantum veteri Germaniæ occasum versus accessit, tantum ab ortu per Vandalorum incursiones, & irruptiones decesit. Collaudat tamen has Nationes, tum à munitione, præsertim naturali, quæ hic per flumina, & saltus significatur, tum à religione. Siquidem his Suevis Aquilonaribus communis est Dea, Terra ipsa, quam Erde Germani appellant, & postea Latinorum inclinatione Hertum factum est. Terram tanquam custodem negotiorum humanorum aspectricem fecerunt, sicut de suis Diis & senferunt & judicant. Quare dum aut Justitiæ, aut Virtutis alicujus ad studium Poëtæ exhortantur Deos cunctarum hominis actionum inspectores atque observatores constituunt. Eodem modo Hesiodus Magistratum commonefacit, quo Salomon in Proverbiis, ut omnes homines sint tam in administratione, quàm in negotiatione justii. Nam Statera bilanx iudicium DOMINI sunt, omnia pondera ejus sunt: Ita & Hesiodus Deos in cœtu hominum obertare, & versari, & opera hominum animadvertere, ne qua porro licentia peccandi impune concederetur. Sunt autem ejus versus.

ὦ βασιλεῖς ὑμῶν δὲ κατὰ Φερεζέος καὶ αὐτοί,
τῆν δὲ δίκην, ἐγὼς γὼ ἐν ἀνθρώποισι ἔοικτες,
ἀθάνατοι λεύκασιν, ἄσπι σκαλιῆσι δίκησι,
ἀθλητὸν τρέβουσι, βεῶν ἔπιν σὺν ἀλέγοιτες.
Τελεῖ γὼ μύρασι εἰσὶν ἔσθ' ἄσπι πλυβοτεργ,
ἀθάνατοι ζηνός, φύλακες ἔνητων ἀθρώπων,
δι' ἔα φυλάσσουσιν πὲ δίκης, καὶ ἀρετῆα ἔργα,
ἢ ἔσθ' ἰσοσάμμου, πάντα φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Quod est,

O vos qui regitis terras advertite mentem,
Huc ad justitiam, quoniam superi propè nos sunt,
Dii qui cuncta vident, & eos, qui per mala jura
Defraudant alios, spreta ratione Deorum,
Ter numerum exuperant cælestia numina, terram
Qua nobiscum habitent, in tutelam data nostrum,
Illaque, quid juste observant, quid fiat iniq,
Aere tecta, omnem pedibus peragrantiâ terram.

Ita Suevi Hertum, id est, terram Deam omnium actionum humanarum presentem inspectricem esse arbitrantur, ut hoc modo ad honestæ, & piæ vitæ studium incitarentur, ejusque cultum subdit & ceremonias. Nam ut alii Dii curru vehuntur, ita terræ suum est vehiculum arquatam & veste contextum, quod nemini attingere alii licuit, atque Sacerdoti. Mirum est cur ejus simulachrum neglexerat: Siquidem supra Isis erat, in modum Liburnæ, & Jupiter Labradæus cum securi pingebatur, Apollo verticosus in pyramidem exurgit, Paphiæ Veneris imago initium seu basin informem & latiore habuit, metæ in modum fastigiatum. Hercules quoque apud Celtas cognomento ὄγκιθ, imagine decrepiti senis, capite incompro, pelle rugosa, dextra clavam tenens, sinistra protentum arcum, multos mortales catenis vincetos ducens. Ita terræ simulacrum cum clavi fingebatur, sed hoc loci nullum est. Et sicut currum Veneris columbæ, Bacchi tigrides, ita terræ boves fœminæ satis pro decoro trahunt. Colebatur autem in loco, quem Castum, forsan ob Deæ reverentiam, in Oceani absque dubio Baltico insula,

insula, cujus nomen & Tacito incertum est. Feriæ quoque eidem dicatæ sunt, quarum observantia nihil rerum agebatur, cuncta erant tranquilla non alter ac Romæ, cum lani templum clausum erat. Postea consuetudine hominum Sacerdos interiore quadam lacu, & Deam & vehiculum cum vestitu habebat, sed lacus ministros de more statim in ipso lacu hausit, quod prorsus Sathanicum est, in tantis tenebris mentis, quæ puritate & doctrinæ & religionis non perpoliebatur. Lacus igitur haurientis causas ignorant, utique venerantur, *ειδωλομανής*. Tantus est Sathanæ furor in humanum genus, & tanta hominum naturæ tum depravatio, tum cæcitas.

Deprior (ut quo modo paulo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundorum civitas, fida Romanis, eo quæ iolis Germanorum non in ripa comercium, sed penitus atq; in splendidissima Rhetici provincie colonia passim sine custode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo contraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen inclytum, & notum olim, nunc tantum auditur.

XX.

DE HERMUNDURIS.

Hætenus limitis & Occidentalis quippe Rhæni, & septentrionalis Oceani accolæ recensuit. Nunc & Australes à Danubio, seu meta meridionali, initium faciens enumerare pergit, quorum primi sunt Hermunduri, qui propè Albim cohabitant Danubium versus. Itaque juxta Tacitum in *Hermundurorum tractu Albis oritur*, & juxta Paterculum Suevorum Semnonum, quos Marchios Brandenburgenses fecimus intra Albin, & Suevum incolentes, & Hermundurorum fines Albis præterlabitur. Sunt igitur *Hermunduri* partim *Bojehemi*, in quorum tractu non ita longè à Bardevico ejus fons est, partim *Miseni*, ad Suevorum Semnonumque fines pertinentes, à *Misena* ejus civitatis capite, & sede Marchionum dicti. Quapropter adhuc apud veterum Saxonum Scriptores istiusmodi non *Miseni*, sed *Suevi Principes* nominantur, tam quod *Suevi* sunt juxta Taciti auctoritatem, quam quod *Hermunduris* *Suevi* imperant, atque hi sunt, qui cum *Cattis* propter *Salam* fluvium gignendo saliaprum, & ubi sunt etiam *Hermundurorum* *Alai* splendidissimæ visuntur, magno prælio decertarunt. *Catti* autem sunt partim *Westphali*, partim *Hessi*. Et quodammodo *Turingi*, quos utilitatis magnitudine invitatos esse, & progressos, ut salinas occuparent, credibile est. Si quidem & Strabonis sententia *Hermunduros* ad *Albin* incoluisse constat. Conjectura autem est, forsitan *Lysos veteres*, in bello Gotthico apud *Pannonas*, eo pervenisse, & juxta cum illis *Tyrigeta*, à quibus (si quid istiusmodi conjecturæ tribuitur) *Turingorum* *Mysis* vicinorum appellatio nata est, ubi est *Semana sylvæ*, hodie *Turingiaca*. Laudantur autem à justitia & societate Romani nominis. Itaque non armis, non bellis agitabantur, ut alii Germani sed iisdem per Rhetiam, sub id tempus Romanorum provinciam, negotiati liberum fuit. His enim non perentibus januæ patefiebant. Tanta erat societatis cum Romanis fides.

Iuxta *Hermunduros* *Narisci*, ac deinde *Marcomanni* & *Quadi* agunt. Præcipua *Marcomannorum* gloria viresq;

arque ipsa etiam sedes, pulvis olim *Bojis*, Virtute parta. Nec *Narisci* *Quadi* degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus *Danubio* pergitur. *Marcomanis* *Quadi*ve ad nostram memoriam Reges manserunt ex gente ipsorum, nobile *Marobodui* & *Tudri* genus, jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus & auctoritate Romana, raro armis nostris, sæpius pecunia juvantur.

XXI.

DE NARISCIS, MARCOMANNIS & QUADIS.

Hic iterum *Ptolomæus* nomen *Nariscorum* permutavit. *Habet enim* *Variscos* & facillimum lapsum inter *N.* & *V.* literas apud Latinos (quorum sonum & *ἐκλίσην* illum secutum esse credo) nemo est, qui non videt. Verba autem illius hæc *ὅτι τὰ σάθητὰ δὲ ἐξ τένελο χαίμοι* (forsan hic legendum est *πυλο χαίμοι*, ut *Turingorum* appellationi curioso indagatori conveniret) *ὅτι δὲ τὰ δὲ ἐξ δαεσι*, quod est, *Supra Judetos montes* id est; *Bojehemicos* (videlicet ad *Boreaïn*) *sunt Teuriochani*, sed *sub montibus* (*Austrum* versus *Suditorum* ratione) *Varisci*. Quapropter *Teuriochani*, *Sala fluvio* vicini esse videntur, & *Narisci*, *Voidlandi usq; ad Babebergam, Noribergam, Ambergam, Calmutium* citra *Ratisponam* & *Passavium*. Est autem *Voidlandia præfectura* dicta. Nam tam Græcis quam Germanis *Bojeh* & *Voidt* est, nimirum *Præfectus*, & *Landt* Regio, ita ut sit *Præsidis* vel *Præfecti Regio* *Marcomannorum* autem vox omnino est Germanica, de quorum situ sic *Ptolomæus* *ὡς τὴν γὰρ ἐστὶν ὕλην μαρκομανοί*, quod est: *Sub Gabreta sylvæ Marcomanni*. *Gabreta* autem sylvæ *Boihemicorum* montanorum, ad *Austrum* partem complectitur, circa quam habitant olim *Marcomanni*, id est; *Moravi*, qui per *Olmuntium*, *Brunnam usq; ad Posonium*, id est, hodie *Presburgum*, in ripa *Danubii* situm oppidum, apud *Pannonas superiores* pertinent, quorum magna gloria fuit, & multa prælia ab iisdem contra Romanos facta sunt *Anroninorum*, præsertim tempore, quibus *Rex Maroboduus* fuit. Id tamen certum est in tota, quæ nunc sic dicitur, plures fuisse incolas, sed per partes montium ad mundi cardines ferè distinctos. Itaque cum *Marcomanni* tales ad eosdem habitent, nimirum ad eorum partem *Gabretam sylvam* apud *Paterculum* altero lib. *Bohemum sedem Marcomannorum fuisse recte* intelligetur, atque in eadem sententia fuit *Strabo*, cujus verba hæc sunt; *ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ βοιέμον τὸ δὲ μαρκομάδα βασιλείαν, εἰς οἷς ἐκείνο τόπον ἀλλὰς μετὰ τὴν ἡσθεῖς καὶ δὴ καὶ τὰς ἐμπεθεῖς ταῦτα μαρκομάδης*, quod est: *In illorum tractu est Bojehemum Marobodui Regia, aut in eum locum complures alias gentes transfudit, atq; adeo Marcomannos sibi conterraneos*. Hi quoque *Mediolanum* anno à nato Christo 272. vastarunt, & ad *Placentiam* victi erant, ut *Author* est *Vopiscus*. Verùm de his qui plura scire expetit, *Strabonem* in *VII. Tacitum* in *II. Annalium*, & *Vellejum* *Paterculum* *II. lib.* consulat. Atque hinc quoque apparet *Bojorum* veterum amplitudo, & sicut *Hermunduri* in eorundem montium parte *Boreali*, ita *Marcomanni* *Australi* habitant. Cæterum *Quadi* sunt *Ptolomæo* sub *Hercynia sylvæ*, *ὡς δὲ ἔργονιον*, inquit, *δρυμοί, κενάδοι*. Hi enim intra eundem saltum, qui est *Bojehemicorum* montium, ortum versus pars, & *Sarmaticos* montes habitabant. Quare sunt partim *Moravi inferiores*, ubi est *Leger* *Sorssum*, *Glocium*, & alia vicina

vicina loca, *partim Silesij, circa Sueynicium* penè ad Carrodunum vergunt, quo tractu hodie Polonia minor collocatur, & Ducatus Teschenſis. Quare Julius Capitolinus Hermundurjs & Marcomannis Sarmatas conjungit, de quibus haud pœnitenda apud Ammianum Marcellinum leges, & hi in varijs locis tum propter frequentes migrationes, tum propter assidua bella vixisse, leguntur. Quare modo in Pannonia prima, ubi Narrabo (vulgò die *Nab*) prope Gaurium, unde est Episcopus Gaurienſis, *der Bischoff von Nab* in Danubium sese exonerat, cujus rei testimonium, ex Ammiano afferet, sedes fixerunt, modo in Helvetia habitasse, leguntur, sicut ex Eutropii libro VI. conjectura fit. Verùm Ptolemæus addit ὅφ' εἰς τὰ εὐδηρωσύχια, id est, sub quibus sunt ferri fodinæ, imò hodiè ibidem sunt auraria, argentaria, æraria, & plumbaria metalla, quemadmodum intra Crocontiadæ & Opalienteses, & in Silesia prope Zuechemantelum & alios locos vicinos in parte Boihemicorum montium australi ad Subfolanum & Vulturum usque ad Sarmaticorum montium radicem, ubi hodie *metallifera urbes* sunt *Cremnitium, Semnitium, Sola,* & vetus, & nova, & antea metalla Ducatus Opatensis, & vicinorum locorum quodammodo sed paucis pro loco adnotavi. Hæ autem nationes à parte meridionali cis Danubium frontem, hoc est, aut *συνεχόμενως* caput, aut translato initium Germaniæ Cisdanubianæ constituunt, quarum tanta virtus est, & rei militaris peritia, ut à Romanis nunquam auxilia petierint, sed pecunia tantum illis ab his numerata sit.

Nec minus valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Buri, terga Marcomannorum Quadorumq; claudunt, è quibus Marsigni, & Buri sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osi Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, & quòd tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt, omnesque hi populi pauca campetrium, cæterum saltus & vertices montium jugumq; infederunt. Dirimit enim scinditq; Sueviam continuū montium jugum, ultra quod plurimè gentes agunt, ex quibus latissimè patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ Religionis lucus ostenditur. Præsider Sacerdos muliebris ornatu, sed Deos interpretatione Romani Castorem Pollucemq; memorant. Ejus Numinis nomen Alcis, nulla simulachra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium, ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Cæterum Ariti super vires, quibus enumeratos paulò ante populos antecedunt, truces, in sita feritate, arte ac tempore lenocinantur, nigra scuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt, ipsaque formidine atq; umbra feralis exercitus terrorem infarunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum, nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.

XXII.

DE MARSIGNIS, GOTHINIS, OSIS,
*Buriis, Lygiis, Aris, Helveconibus,
Manimis, Elyſiis, Naharvalis.*

Nunc verò Nationes Germaniæ, easque adhuc Suevicas recensere ad ortum, nimirum ad Pannoniam, Sarmatiamque usque pertinentes pergit. Itaque in principio Corneliani Marsigni non sunt Ptolemæici Marvingi, nam illi quidem Marcomannorum & Quadorum terga claudunt (cum hi in occidentem prospectant, & more Poëtico pars Borealis

iusdem dextra, & Australis sit sinistra) atque ita Marsigni, Gothini, Osi & Buri in ortum intra Carpathum & Sarmaticos montes, nempe ab ea Danubii parte usque ad Vistulam protenduntur. Hi verò Ptolemæici sunt intra Sudetos & Abnobios montes, sub Dandutis, qui Casuariis proximi sunt vicini. Quare sic scriptum reliquit ὅφ' εἰς τὴν ὄρη, καὶ μαρβίνγι, quod est. *Sub Dandutis sunt Turoni & Marvingi,* & paulo post ὑπὲρ τὰ εὐδηρωσύχια, τὸν ὄρη καὶ τοὺς ὄρη ἀναρτοῖ, ἵνα γὰρ εἴη ὄρη, καὶ ὑπὸ μὲν τὰς μαρβίνγι καὶ ὄρη, quod est: *Super Sudetos montes sunt Teuriochami, sed sub montibus Varisii, deinde Gabreta sylvæ, & sub Marjungis Curiones sunt.* Quare cum illis propter situs magnam diversitatem conferri nequeunt, atque ita *Marsigni & Gothini sunt nonnulli Silesii & hodie Ungari proximi,* Zepusii vicini erunt, atque sicut Osi non nihil ad Danubium occidentem versus tendunt, inter quos & Araviscos sæpè de limite meridionali Germaniæ controversa fuit, de qua in principio nonnulli adnotavi, ita *Buri ab ipsis Silesii Vistulam versus pertinent.* Verùm ex sermone & cultu discrimen facit, quarum utraque notatio inter nationes esse consuevit, atque ex utraque Marsignos & Burios Suevos esse pronunciat, cum illis erat sermo, & cultus Suevicus. Verùm cum Gothinis Gallica lingua & Osi Pannonica fuerit familiarior Germani esse nequeunt. Accedit & tertia notatio, nimirum quod sint tributarii. Siquidem tributorum partem Sarmatæ, partem Quadi exigunt, ita Gothini sunt terræ ferratiæ fossores forsàn Quadorum operæ aut conductitiæ, aut quasi in servitutem redactæ. Hi autem omnes accolæ sunt Carpathi, qui à Suevis Suevus dictus est, & Sarmaticorum montium. Ita quosdam intra Ungariæ terminos Danubium versus habitasse apparet, cum illud jugum Suevicum easdem pariter determinat, in cujus latere septentrionali *Lygi* cohabitant, qui *sunt ipsi Silesii,* quorum nomen olim fuit amplissimum. Siquidem ab hoc jugo & à Quadis usque ad Vistulam ejusque penè ostium pertinebant, ubi hodiè degunt *Odoraces Poloni,* & qui mediam, ubi oppidum, sed per conventum Herorum Polonicorum admodum celebre Peterconium est, & qui magnam, ubi degunt *Heneti Bossini,* à quibus nominatur *Posanania* cum Episcopatu Guisnensi & Curiensi. Itaque multarum civitatum inter Lygios appellationes extractæ sunt propter Henetorum, quos & Wendos & Vandalos nuncupamus, incurſionem & occupationem. Nam eo loco veteres Germanos eosq; Lygios habitasse non est obscurum, & cum horum nominum neque allusiones habeantur, neque certi situs in tabulis Ptolemæi inveniuntur, haud facilè quis recentes nationes Polonicas, cum vetustis Lygiorum Suevorum appellationibus appositi conferet. *Subjungit Naharvalorum superstitionem, qua Sacerdos muliebris stola ornatus juxta Romanorum interpretationem, geminos nimirum Castorem & Pollucem in lucu coluit.* Ipsi verò illud *Numen,* non geminos non *δοσκέει* Græcorum more appellarunt, sed *Alcin,* aut à robore *αλκην,* aut ab ætate, *Alit.* Hunc enim juvenes ut fratres in summa concordia coluerunt. *Contra Aris hostibus terriculamenta esse cupiebant, propter nigrorem.* Itaque & eorum corpora & atria arata conspiciabantur. Sic enim lenocinabantur, id est, vel

Geographi passim & Poëtae, & Scriptores illud & Cronium à Saturno, qui *αἰθριος* est dictus, tradunt & describunt. Cæterum, *an marina aqua congelari possit*, Difarius Macrobianus fusissimè disputat, neque ut longius hoc loci, cum esset penè *παρρηγορος* & non *ἔργος* reperere operæ precium esse iudico. Desideratur & hic Authorum quorundam diligentia, cum eandem partem nondum satis perlustrarint, sicut paucis ab hinc annis Colomannus Austriacus insignis Mathematicus eandem aliquanto diligentius investigavit, suamque observationem, sicuti adhuc superstes sit, in publicum proferet. Verùm apud Ptolemæum ultra sexagesimum tertium latitudinis gradum, ubi Thyle locatur ultima, non pergitur, cum hodie sit ultra septuagesimum gradum, ejusdem intervalli, exportata, ubi & in frigida zona Ingrovalandi & Plappenlandi, quorum de situ, moribus & victu recentiores Geographi non pauca memoriæ prædiderunt. Sunt & hic Gotthi (qui essent veterum Germanorum reliquæ & à quibus est Gothicum bellum) tam orientales, qui rectius *Ostgotthi*, quam propter linguæ Germanicæ incitiam *Ostrogotthi*, quam occidentales, qui malè *Westgotthi*, sed rectius *Westgotthi* nominantur, & horum Rex fuit Ericus, quem Gothici belli Scriptores Gensericum nuncupant, cum ignorent König nobis esse Regem & Ericum proprium nomen Eren, reich/ veluti gloriæ divitem. Hoc autem verè est Cosmographicum, quod sol æstivus apud eosdem non ita occidit, ut sidera essent conspicua. Quare splendor solis vel in ortum ipsum perdurat. Id autem, ut rectius intelligatur, paralleli cum climatibus & umbris per certa loca ex sphaericis statuendi sunt. Sit igitur hic clima sextum decimum & parallelus tricesimus tertius, mox verticem borealem esse ad 66. cum 6. parte gradus sublatum, ibique primos periscios esse. Solem non occidere (cum sit horarum 24.) dignosces. Ita parallelus 34. totum mensem solem semper videri, & nunquam occidere citè solstitium æstivum verticem 67. Solem autem esse, manifestè sic indicat. Ita in 35. parallelo 17. clima verticem ad 69. cum semisse grad. sublatum, diem esse duorum mensium deprehendes. Ita in 36. est trimesis dies in climate per Pilappos ducta. Ita in 37. climate per mare glaciale 17. designato, dies est quatuor mensium in 38. quinque, & in 39. semestris spaci, ubi est clima 19. atque hinc septem periscii numerabuntur. Sonum verò Orientis solis ibi exaudiri falsum est, & à sphaerica doctrina alienissimum, etiam si apud Strabonem Possidonius id ipsum asseveret. Cæterum *speetra ibidem passim & apud Suisones, & Norwegios & Islandos videri*, & Historici, ut Albertus Grantzius & Saxo Grammaticus, aliique testantur, & naturæ etiamnum bona fide narrent. Neque ejusmodi in *Angliis, & Italia, & Patriciis palatiorum, speetra desunt*. Quare stultum vulgus Christianæ Religionis ignarum Deos esse, & eorum causam prædicare propter Divinitatem arbitrat. Et quædam consentanea esse subjungit, & natura

Etiam in Suevici maris littore Æstivum gentes, quædamque habitus, & Suevorum lingua, & canitibus, & Danum venerantur, in igne superfluos, & nonnulli esse dicunt. Et pro amle, quædam curia, & cetera. Et aliorum etiam inter hostes præ-

stat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta cæterisque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæ situm compertumve, diu quin etiam inter cætera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen ipsis in nullo usu, rude legitur, informe perfertur, preciumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quadam atque etiam volucris animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox desiccante materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora in cosque, sicut Orientis secretis, ubi rhura ballamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisq; inesse crediderim, quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant, naturam succini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alique stammam piuguem & oleatam, mox ut in picem resinamve lentescit.

XXVI,

DE EFFLUIS SUEVIS.

Ibidem mare Suevicum esse dictum ab accolis Suevis, vix quispiam ambiget, cum & hodie Suevicum à Suecia, quæ Suionum Suevorum fuit Regio nominatur, in cujus littore *Efflus*, vulgò *Efflunder*, quasi Effluorum Regio propè sinum Venedicum, qui nunc est Curientis, in cujus finibus sunt Suidi, quorum opera in eodem littore succinum legitur. Est autem elegans *Effluorum descriptio*: Modò à moribus, qui Suevicus est: Modò ab habitu *seculi*, qui ab aliis Suevis non variat: Modò à lingua & dialecto, quæ proxima Britannicæ fuit, & hæc bona ex parte atque hodie Germanicæ est, sed per vicinas nationes, & transmigrations corrupta. Modò à Religione, cum aut terram aut Cybeleæ Deorum matrem colunt. Itaque in hostium terrorem & superstitionis argumentum formas aprorum hiantium in galeis gestant, quod præstantissimum & amuletum & propugnaculum in ipso prælio judicabatur: Modò à telorum genere, cum ibi non sint ferraria metalla, fustibus sudibusque præstis decertare malunt: Modò ab agricultura studio, in quo majorem operam, quam alii Germani, quos & inertes fecit Tacitus, ponere consueverunt: Modò à navigationis usu. Nam cum sint maritimi, cur non alio propter mercimonia navigarent? Modò à rerum genitalium copia, quæ ferrariis, argentariis, & aurariis metallis, in quibus dignitatem & utilitatem rectè æstimer, longè præstat.

COMPENDIOSA PRO
LOCO SUCCINI HISTORIA.

Hic verum est quod ferè dicitur. Non omnia fert omnia tellus. Siquidem arbores, fructes, herbae, & cuncta ex terris nata natales situs, veluti natura sua accommodatior, sibi que familiarior vendit, in quibus consentiente loci genio leniores profluunt. Ita & Divina Providentia hanc terrarum partem Borealem succino ornavit, quibus alibi aliter non emanat aë, ibidem. Ejus autem succini, quædam, neque effecta, aut Efflus aut Venedicum, tanquam barbari explorantibus, itaque tanquam maris ejectamentum nauarum acciebant, cujus usus prioris ignorabatur. Efflum genos, ut dicitur, nulla

Cupido. Verum per diligentiores indagatores Tacitus a Barbarie, etiam Romanus, defendi nequit, ut ejus materiam succini resinatarum arborum, sic Plinius sub idem tempus contendit, esse velle. Nullaque alia ratione, quam ut animalcula varia resina fluente, & per frigus aqua marina densata, concluderentur. Quare illius sententia, erit arboris resinata alicujus vel lachryma, vel gummi, vel succus. Quam discrimen hic nullum constituit Romanus scriptor, ne suam ipsius incertiam proderet. Argumento quoque est, ut quam facillime in picis vel resinæ matrem succendatur. Quapropter causa conficiens effol, lachrymas in arboribus concitans & liquefaciens, qui sic in Oceanum delapsus indurefcit, atque fluctibus impetuosis in adversa litora ejicitur. Hinc collatione quadam partes & Orientis & Occidentis commendat. Nam sicut in Arabia, quæ verè & multis rationibus etiam olim non satis cognitis, est Græcis ἰνδία, sunt thura, atque sicut in Syria, cujus pars est Judæa, balsama, eaque nativa & laudatissima, sicut & ipse Tacitus præter alios Authores complures in Annalibus contestatur, ita in Oriente succinorum copia in cælum usque efferri debet. Cum igitur veteres Suevi eorundem utilitatem & naturam, non probè tenuerant, non est mirum cur repudiârunt: curabant autem, sed non nisi propter precium mercatorum. Constat enim, ut olim usq; ad Illyricum vendatum sit, atq; in Veneriam, regionesq; Italia vicinas. Quare fictum est eadem in Eridano, qui & Padus est, nasci. Cæterum cum calumniatores in me invehi tacite, intra privatos parietes non desinant, propter Succini ignorantiam, quam mihi impingunt, pauca de eodem argumenta subjiciam sed modestissime, ut à quo altercandi studium semper fuit alienum. Fateor quidem me esse Borussum, eumque Resellianum sub Episcopatu Varmiensi, qui est & Heylbergensis, sed post parentum meorum mortem statim in prima ætate, vix dum quatuordecim annos natum, in Marchiam Breinopurgensem, ubi est Francofordiana Academia, pervenisse, ubi post medioerem primarum dicendi Artium & Mathematicos cognitionem, ad Physiologiam animum adjuñxi, qua verò felicitate, judicium penes alios esto, atque de more ejusdem Academiæ Magister renunciatus, Bucolica Virgilio enarrare incepti, atque commentaria qualiacunque sub prælo excusa sunt. In quibus cum locus de electro explicandus esset, multosque meos cives conuivi, ut veritatem pro virili adumbrarem. Siquidem eam partem nunquam in vita mea vidi, cum ne partes quidem in hæc patriæ satis pro dignitate perlustrarim. Ibi autem, ut legitur, Historiam succini aliquanto propius, ac priores Scriptores citavi, precium urinatorum saltem esse commonefeci, aliæque historica minimè neglexi, sed de materia succini nihil adhuc tentabam, propter judicii in hac ætate, & tanto Veterum Authorum consensu, tenuitatem. Quare adhuc subdubitans à tot & tantis Authoribus recedere non audebam in tanta censuræ imbecillitate. Videant igitur quales in me sint & severiores æquò judices, dum clamitent, Jodocus est Borussus, & succini naturam non probè descripsit, atque delineavit, qui si æquiores essent, meam operam & conatum potius de meliori nota com-

mendassent. Verum post aliquot annos nova scholia in eadem Bucolica pro auditoribus, & breviora recudere cœpi, in quibus ut sententiam mutaram, utique nihil planè asseverans, aliorum judicium expectans, omnibus legentibus constar. Nam ipse probè noveram, rationes quasdam, quibus quis adductus, non resinam esse, sed aut bitumen, aut ejus puriorem, atque ita meliorem partem Naphtham, ejusdem materiam pronunciaret, tum ex colore. Siquidem juxta bituminis fluxum ex venis idem plurimum variat, id quod in resina nunquam conspicitur, tum ex incendio & odore. Suavius enim redolet, adeoque ipsum bitumen, quam resina, etiam si utrumque facile succendatur, tum ex nigri succini, quod Gagates est, venis, quibus effoditur, tum ex concludis bestiolis, aut aliis rebus, nunquam tamen folia pineæ arboris continet, tum ex facultatibus, quæ in bitumine & succino prorsus eadem sunt. Hæc sunt argumenta & alia nonnulla, quibus ab omnium (quod equidem sciam) Scriptorum sententia secessionem facere mecum decrevi. Verum cum experientissimus rerum naturæ & metallorum amicus meus in primis charus Georgius Agricola de industria propter certa argumenta & physiologica, & historica, id ipsum confirmaret, ipse animo infracto idem saxum moxolvebam, accessit & quædam evidens ejusdem rei comprobatio. Nam propè Neomandram (quam novam appellamus Cellam, hinc circiter tria milliaria distantem) lacus est ingens, in cuius ripa succinum phalernum reperitur, cuius frustum non tantum vidi, sed & in cistula repositum conservo, ejusque majoribidem esset copia, si justior indagatorum, qui vel scintillantem flammam sæpe in aquis sese vidisse autumant, adesset diligentia. Proinde paucis meam sententiam contra obrectatores & bona fide planam faciam neminem fugillans, primum de ejus appellationibus nonnulla dicam, Deinde succini causas & differentias explorabo. Postremo ejus temperaturam, atque ex hac, tanquam matre, facultates & commoda recensebo. In Principio quidem Romanis Scriptoribus est succinum, ut qui arboris alicujus succum esse censuerat, atque eadem causa aliis est & Græcis δακρυον, aliis ἰπος, aliis γυλος, aliis gummi, cum nihil pro certo de ejus origine & causis habuerant. Græcis est λεκτρον quod & in Latinorum coloniam abiit, vel à sole, qui apud Nicandrum, Euripidem, aliosque Poetas Græcos ἠλεκτρον quod sol exoriens homines dormientes à lecto ad operas exciret forsan, aut cum ejus interdum colorem referat, aut colore solari in venis terræ liquefit, & exudatur, aut quia Phaëtonte, qui & Chymicis sol est, atque à Martiale, cum ejus artis vix dum fundamentum jactum erat, hoc disticho sic accipitur.

*Quum Phaehontea formica vagatur in umbra
Implicuit tenuem succina gutta feram.*

Atque Ovidius ex lachrymis Phaëtonciadum succinum enatum cecinit, circa Padum, ad cuius ostium Aristoteles Electricides insulas collocavit. Sed hæc falsa esse Lucianus usu comperit. Siquidem is miraculi videndi gratia ad Padum sese contulit, fatetur ibi neq; populos esse, neq; succino collaebrymâsse. Sic enim disserit, ibi nullam succini esse materiam, ut-

portē neque populos, neque harum lachrymas, succinum igitur ibidem gigni non poterat, quod Dioscoridi placuerat: Aut est *electrum*, à colore *electri metallici*, cum sit aurum; sed quinta sui parte argentum, cuiusmodi in aula Menelai Homerici visum est. Habetur & alterum ex tribus auri partibus & una argenti. Straboni autem est auri purgamentum ex prima coctura, quod ex sulphureæ cuiusdam cretæ comitatu fit. Dicitur & *lyncurium* quasi ex lyncis urina natum, quam animal invidens aggesta pedibus terra obruit. Itaque vel masculum utpote ex maribus lyncibus collectum, quod ferè fulvum & igneum, vel femineum, videlicet è fœminis, quod est candidum atq; languidum. Sed id genus urinae an sit in rerum natura, multis seculis super hoc controversum est, cum sit prorsus fabulosum. Bene igitur Dioscorides & illam sententiam damnat, atque idem cum electro facit, & Ovidius non nihil subdubitat 15. Metam.

*Victa racemifero Lycas dedit India Baccho,
Equibus (ut memorant) quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelas aère tacto.*

Sunt & aliae rationes, quibus *Lyncurium* à succino nihil differre comprobaretur, quibus de industria brevitati studens supersedeo, atque sententia Theophrasti lib. de lapidibus facile refelli potest, cum *lyncurium* neque colore, neque durezza, neque facultatibus, neque essentia à succino diffideat. Adde quod & Theophrastus ibidem *Lyncurium* succini colorem inesse, & spiritu trahere propinquantia, dolores renum sedare, regio morbo mederi, dilucide doceat. Dicitur & Græcis ἀρακὴ à rapit. Nam ἀρακίζω est rapere & attrahere. Est enim virtus ἀρακτικὴ, qua non tantum frondes & acus sed aris ferrig, bracteoas, ut Diocles & Theophrastus scriptum reliquerunt, rapit, cuius causa sunt succini spiritus, qui in eodem ingeniti incalescunt, res leniores vel frustilla magnetis ad se rapiunt, atque id Plutarchus voluit, dum excitata vi caloris floccos, stramenta, atq; vestium fimbrias, & quacunq; levia sunt, ad sese allicere asserit, præter ocymum & alia oleo imbuta, qua aut respuit, aut à sese abigit, et si quis, ἀλαθῆαν causaretur, sed & ratio est, quod succini spiritus, cum sit calidus & siccus, non nisi res siccas ad se pertrahat, atque humidus, oleoq; imbutas renuit, non secus atq; magnes ad se ferrugem non amplius trahit, si alio perlustratur. Dicitur & apud Arabas atque vulgares Scriptores Karabe ab attractu palearum, floccorum, & filamentorum sententia Avicennæ dictum, quomodo & Græcis est ἑρυσσοειδῶν. Germanis verò est, aut Hornstein / cum lapidem ex succo arborum natum esse crediderant atque cremabilem. Siquidem cum accensum tædæ modo ac nidore flagret, facta est appellatio vel Plinii atq; Taciti consensu, posterior tamen à priori non admodum differt. Nota enim est V. & B. literarum apud veteres Germanos affinitas. Effet quoq; fucati cuiusdam pigmenti, quod vulgò Vernix nominant, cum ex succino & lini semine, ad mensuram, parietum, & aliarum rerum venustandos colores comparatur, atq; ita est res factitia ex gummi quod Arabibus, & Sandaraca sandaros & Carabe appellatur, & cum eo quod est apud Galenum βερβικίον, cum sit nitrum ab oppido Trogoditarum Berenica dictum, sicut creditur, con-

ferri nequit: Dicitur & *glessum* ipsius Taciti testimonio, sed ea vox nobis vitrum notat, nisi quis huius appellatione valde perspicuum & translucent succinum intelligeret, ita ut translucendi respectu primo appellatum sit, quomodo & Græci ἀλάον accepisse videntur. Vox autem ἄγστιν / ab agate deflexa & depravata est. Cæterum ut cum succino conveniat Ambarum, quod & *Ambra* & *Ampar* profertur, ex Aetio non est obscurum, qui & materiam ejus subindicavit, cum illud multis in locis, aut sulphuris, aut bituminis modo scaturire pronunciet & Selachiticum à municipio quodam Indiae vocatum, ubi scaturit, cum ibidem sit subalbidum, aliis anteponat, in officinis Indicum ferè *ambra grisea*, nostra verò *citrina* appellatur. Gallis etiam eadem consuetudo permansit. Hæc de communibus appellationibus succini satis sunt, in quibus & nostra & veterum de materia ejusdem sententia satis manifesta est, quam tamen fusius aliquando explanabo, ut tota res propius intelligatur, olim quidem tot tantorum Autorum pertinacia à succo arborum prædenso succinum, sicut & nomen testatur, gigni constanter vel multos coëgit, cuius sententiæ fuit & Ovidius de Phaethontiadum lachrymis hic canens.

*Inde fluunt lachryma, stillataq; sole rigescunt,
Deramis electra novis, qua lucidus amnis,
Excipit, & nurbus mittit gestandâ Latinis.*

Hic materia est lachryma arborum, utpote populorum: consiciens causa, una quidem est sol, stillatim ex arboribus suo calore liquefactum succum elicens. altera verò est frigus aque, aut Marinae, aut Padanae. Postremo & ejus unus aliquis vitus subjungitur. Siquidem fœminæ Transpadanae succina monilium vice decoris gratia gestabant. Ad hunc modum & alii Poëtæ tam Græci, quam Latini, juxta cum rerum naturæ Scriptoribus ad unum omnibus, atque medicis, docuerunt quorum numero sic Aegineta ait, ἡλεκτρον τῆς ἀγαστρὸς δακρυὸν φασὶ καὶ τὸ ἕρδα τὸν πῶμον δὲ χιόμῃον, καὶ πηγυμῶον χρυσοειδῆς, quod est: Succinum albae populi lachrymam esse, dicunt, juxta Eridanum fluvium effusum, & coagulatum anrei coloris. Hic quoque satis dilucide apparet, ut magis aliorum sententia steterat, quam sua, colliquationis & concretionis causam subindicans. Ne multa, plerique omnes magno consensu idem memoriam prodiderunt, quibus & nautarum quorundam narrationes accedunt, qui resinatas arbores in adverso littore esse quam plurimas, atque harum succo per calorem solis effuso, & condensato per gelu marinae aquæ succina gigni, atque iidem esse succinum τὸ ὑργὸν πῆκτον asseverant. Quare non nisi in tractum Curientis littoris, aut per Circum, aut per Corum in adversam partem per tempestates impelli conjiciunt. Verum cum argumenta tantum conjecturalia sint, neque adhuc satis certa, sicut paulò antè quædam refellimus, neminem pro certo habere cogent. Quare alias causas quærere oportet, & aptiores & veriores. Est autem materia aut bitumen, aut naphtha, quod apud Plutarchum est ἐσύμα, apud Dioscoridem περὶ κηρῶνα bituminis, & sicut illic vox, ad fluxum communior est, ita hic ad fluendi modum contractior est, atque

Arque adeo bituminis non tantum colamea, sed flos esse videtur, non aliter ac reliqui sulphuris candidum sulphur, & ex specu hiatuque vi caloris, tam interni quam externi nimirum solaris magis excolatur, quam sua sponte fluere videtur. Quapropter Alexander Magnus, post devictam Babylonem naphthæ fluorem, si quid aliud admiratus est, de quo sic Plutar. τότε χάσμα, inquit, τὸ πῦρ ἐν ἐκβατέροις ὡς ἀπὲρ ἐκ πηγῆς συνεχῶς ἀναφέρομενοι, καὶ τὸ εἶναι τὴν ἀφθαλιμωζόντος. Ἐξ τῶν πηλῶν ἔσπορον τὸ χάσμα τῶν ὡσεὶ ἀπὸ τοῦ ἀσφαλτοῦ προσεικέν, quod est. In Echatanis (Babylonicae regionis parte) ignis hiatus ex quo velut ex fonte ignis perpetuus suscollitur, & fluxus naphthæ etiam stagnum, aut paludem facientis, propter copiam non procul ab hiatu, ita ut cetera bitumini similis sit, &c. de qua Galenus sic inquit; *Est liquidum bitumen, sicut hiacinthium, & quod à Babylone affertur, ibi quidem candidum gignitur, liquidum est & Apolloniaticum.* Quæ omnia Græci πικροασφαλτοῦ, ex picis, & bituminis argumento appellant. Gignitur & pingueliquorisq; oleorum in Sicilia, Agragantino fonte efficiens rivum: Incolæ id ad arundinū panniculis colligunt, citissimè sic adhærescens, quo ad lucernarum lumina olei vice utuntur. Est quoque bitumen & in mari mortuo, quod est stagnum salum in Cœlosyria, & à bitumine asphaltite nominatur, quo loci olim Sodomæi & Gomorrhæi habitabant, sicut ex sacris literis liquidum patet. Ad hunc modum in quibusdam locis & nigrum bitumen invenitur, idq; fossile, unde Gaggates, qui est nigrum succinum, nascitur. Itaque juxta bituminis colorem & hic magna varietas perspicitur. Est enim aliud candidum præcipuè ex naphthæ productum, quod Posidonius sulphur candidum esse voluit, aliud huic proximum, utpote in cinereo candidum, aliud est fulvum, quod Callistratus χρυσολεπρον. Aegineta χρυσοειδὲς nominat, aliis est & χρυσοφόρον, aliud est rufum, aliud cæcum aliud mellem, aliud phalerum, quippe ceræ, mellis decocti & vini similitudine, aliud nigrum, aliud in nigro rufum, aliud pene cæruleum. Proinde succinum, ex bitumine, videlicet ex succo lento, & præpingui, atq; ad inflammationem, per calorem tam internum quam externum in hiatu liquabili, & per frigus aut aqua, aut alterius rei appropinquantis congelabili (Frigus enim & condensat & exiccat) verè nascitur, & sicut in aliis rebus claritas & perspicuitas ex materia dignoscitur, ita hæc si hæc pura fuerit, eo candidiora & puriora prodibunt succina: Contrarium in ea quæ non pura est, attenditur, id quod ex Galeno colligitur. *Bitumen inquit, ex eis est, quæ in aqua marina proveniunt, & in alia quapiam, quæ non est marina dissimilis, ut in Apollonio Epiri, & per alia id genus loca multa, aquis sponte nascentibus ceu spuma quadam innatans, hoc medicamen reperitur, & molle quidem est, dum innatans, postea verò resiccaturum pice sicca durius efficitur.* Ita absque dubio in Sudinorum regiuncula (quæ olim & Sudavia & Austravia dicebatur) varii coloris succinum reperitur, cum ibidem sit hiatus absque controversia, etiam si is non pateat sensui, Siquidem æstuaria ibidem nunquam esse solent, tum cum veluti scintillans sulphur ab accolis ad Junam in mare prosilire, subinde videatur, quis non bitumen, vel naphtham nimio calore liquefcentem judicaret? Itaque ventis

adversis magis ex occasu quam Septentrione spirantibus, tum per fluctus in altum & litus attollitur, iam ab ipso gelu concretum, & condensatum, & mox Sudini, cum sint & piscatores & urinatores, reticulis magnam succini copiam juxta cum alga exhauriunt, atque hæc collectio seu piscatio succini iisdem tum longa exercitatione tum necessitate vel famis; Nam pro mensura succini capti à præfecto pondus solis rependitur, cum sint piscatores, & piscatione tantum victitent, vel obedientiæ, cum jubenti magistratui in hac re parere cogantur, est quam expeditissima. Hæc ipsa de causis satis perspicua & certa esse sagaci, & prudenti lectori arbitror, nunc & odoris & saporis ratio habenda est. *Nigrum enim gravis odoris, candidum jucundi, reliqua medio modo se habent.* Ita nigrum est quodammodo subamarum, candidum in pingui dulce, & mediū coloris quædam sunt modice acria. Accedit & essentia, quæ non semper ex æquo densa, sed sæpè subrara. Siquidem succina densiora sunt, quæ tum oleosa, tum pingua, in quibus, cum sint elaborata & polita Rudia enim sunt adhuc corticosa, fluor lentus alius atque alius affluens & conglutinatus liquidum cernitur, & talia sunt terrestris natura, atque de his verum est Avicennæ dictum, ut ex terreis partibus, iisque subtilibus, & aqueis, sed exiccatis composita sunt, & hæc quoque graviora sunt. Contra alia nonnihil æris continent, qui meatus eorum replet, & levia redduntur. Quapropter ex libratione manifestissimè alia succina ad candida, bistantio graviora esse deprehendes, atque in candidis propter substantiam æream, adeoque igneam cum terrea exiccata dominari, & in alijs quandam crassitudinem esse ipse dijudicabis. Proinde ex his universis formam succini, quæ & harmonia & temperatura ejusdem est, colligere cuilibet promptum erit, quæ ex materia, sapore & odore (nam colore, & tactu hic parum promovimus) deprehenderetur, aut sic calidæ, & siccæ naturæ plus minus juxta ejus naturam ex prioribus notis collectam, & universè utraque qualitate secundus ordo constituetur, non secus ac in bitumine, quod juxta Galenum, & Aeginetam siccat & calefacit in secundo ordine atq; sic illi erit virtus resiccatoria & calefactoria, à quorum sententia neque Avicennas recedit. Sic enim ait: est calida parumper, & sicca in secundo: qui tamen sibi non parum diffidet, cum nucis Romanæ, id est, populi gummi esset tradiderat. Ejus inquit, gummi est ultima in calefaciendo. Incertus igitur fuit tam materiæ, quam formæ ratione, quemadmodum naphthæ Dioscoridis facultates, ἀφύμαντοι, κολλητικήν, εἰσφορητικήν, μαλακτικήν habet, hoc est, inflammationes atcet, glutinat, discutit, & emollit. Eligendum igitur est succinum, quod gravius est & crassius, atq; ita minus calidum, & hoc quam commodissimè loca inflammata mitigat, sic inglutinando idem, quod est aut pinguis, & valde oleosum, aut multo siccius & crassarum partium. Hoc enim modo melius glutinat, cum sit ἐμφρακτικόν: Sic indiscutiendo candidum delgatur succinum, cujus partes non sunt tam crassæ; Siquidem hoc non nisi ex tenuissimis halitibus intra hiatus sursum elatis, & ad superiora laxa in tenuem liquorem resolutis, qui postea per cavernas & venas, atque com-

missuras terræ fontium modò scaturit, & frigore abuz congelantur & condensantur. Nam pro vaporum ratione, ut & meteorologica testantur, non parva erit juxta materiam differentia. Sic pinguis magis indurata emollit. Quare prudentissimè juxta diversas actionum formas, succinorum delectus faciendus est, & non ubiq; temere pronuntiandum cum Avicenna est, ut restringendi virtutem habeat. Non diffiteor nimium sicca & alstringentia quoque, sed longè alia ratione meatus quosdam recludere, sed hoc quot & quanta incommoda læpe secum afferat, hoc loco nihil dicam. Emolliturus igitur pinguis succinum, ita conglutinaturus, oleosum, dulce, & ponderosum, crassarumque partium, discussurus candidum, leve, subrennium partium eligat, & capiat. Et si id discriminis in confectionibus, quas Barbaras olim appellarunt; veteres non observarunt, tamen Methodum & componendi remedia, & utendi secutus, nentiquam negliget. Itaque dum rejectionem sanguinis, dum hæmorrhoidas apertas & nimium fluentes, dum dysenteriam sistit, id non fit aliter ac glutinando, cum sit κολλητικόν, & sic id succinum capiendum est, huic consilio intento appositum. Rationem quoque singulorum eventuum exquisitam tenebit, juxta cum experientia, quæ ex secundiore successu medicandi sumpta est. Hujus igitur delectus non ita negligendus, illa tamen ratio in amuletis, quæ & hic sunt more Hippocratico περιαιτία desideratur. Nam contra lymphationes, contra incantationes, contra febres, contra venena non nulli eodem utuntur, atque hoc modo calidiores abscessus curare, sibi Avicenna permittit, atque ita in vulneribus conglutinandis id erit aptius, quod est ponderosius, & sic crassarum partium. Hoc enim modo vulnera prius exiccantur (Est autem vulnerum curatio ipsorum exiccatio) & sua pinguedine oleosa suffercit & conglutinatur & inflammationem arceat. Quid quod & ædemata suo calore discutiat, & siccitate humorem absumat, sed hic candidum magis accommodatum, non ita oleosum, non ita grave, non lentum, sed non nihil λεπτόμερες, propter aut aereæ, aut igneæ substantiæ dominium & odore acri. Hoc igitur modò istis vel naphtha vel succinum candidum auxiliabitur. Porro ex his probe cognitis & perspectis citra negotium attenditur, ut sit cephalicum, dum gravitatem discutiendo, & exiccando potius, quam glutinando tollit, dum præsertim si fuerit acri odore sternumentum, atque ita est præmicum remedium, concitat, dum comitiali morbo correptos, adeoque in ipso accessionis momento suffitus ejus excitat, non minus atque odor rutæ naribus appositus, sicut & quotidiana experientia contestatur. Quare de exemplari Dioscoridis non semel dubitavi, ubi de naphtha, sic hodie legitur, ελεγχει & επιτηληπτικούς υποθυμιαρθήσα καθάπερ ο γαγάτες λιθός, quod est: gagatis lapidis more comitiales morbos deprehendit. Ubi verius cum ratione, tum experientia εγχείσει, quam ελεγχσει, legendum est, cum magis decumbentes excitet quam deprehendat. Non tamen ignoro quasdam medicinas esse, quæ sacro morbo laborantes, ελεγχσει, id est, deprehendere, explorare, investigare, adeoque interdum concipere, ejusmodi verè esse epilepticos deprehendunt. Nonne suffitus galbani, aut myrrhæ, aut unguarum caprinarum eosdem detegunt? Nonne id ipsum jecur vel hircinum, vel caprinum costum præstat?

Odontalgicum quoque est, dum dentibus ex destillatione capitis laborantibus ejus decoctum cum rebus calidioribus admittis, in aqua eluendo medetur, sicut ex eodem aphtas gargarifinus curat. Quis non quæso hoc loci aut candidum succinum, aut certè naphtham ipsam præferret præsertim verustissimum? Siquidem, & ætas diuturna ipsum ita exiccat, ut non tantum color non nihil permutetur, (ferè enim albescent) sed etiam ut digitis conteri propter raritatem, & partium tenuitatem possit. Contra verò, quando thoracicum, veluti cum hæmorrhagiam in qualibet parte & sanguinis rejectionem compescit (tribuunt enim omnes Scriptorum illi virtutem sanguinem sistendi) recentius succinum, oleosum, dulce & grave requiritur. Est quoque stomachicum, cum ventriculum præsertim frigidum & humidum, unde fastidium & nausea nascitur, quia calefacit, atque exiccat, juvare solet, atque hoc modo cephalalgiam ex flatibus hinc surrectis per consensum nausæ sedat, atq; cardaligiam; quoties ostiolum ventriculi, quod Cardiaci Græci nominant, lipothymias causa malè affectum, isth modo reficitur, atque sic cardiacum medicamentum censetur. Est & jecorarium, cum vesica bilis obstructionem auferat candidum succinum, verustum & in pollinis modum redactum. Est & nephriticum & cysticum, cum urinam citere, & calculum conterere solet. Est & hystericum, cum facultatem cito pariendi, quæ Græcis est αὐτοκία, ejus quippe candidissimi & levissimi pollen cum aristolochia epotis, promoveat, sicut & suo suavi odore δυσερικὰς τῶν ὀστέων & πρὸς πῶσιν, id est, uteri strangulatus, & procidentiam per sua loca accommodata curat. Idem & secundas expellis, alterum verò pinguis & glutinosius menses redundantes, & è diverso retentos eosdem alterum irritat, Hemorrhoidas apertas nimiumque fluentes, cruentamq; urinam sistit & coepescit. Ita ex his nō difficile succini vim pro necessitate exacuere, quod & Galeno & ἀξύνειν & παροξύνειν, cum ejusdem facultatis aliorum medicamentorum accessio justa fieret, quales apud celeberrimos Authores sunt confectiones barbaræ dictæ, linctus & pastilli διήλεκτρα. Notandus est & hic præparandi, ne hac in parte studiosis adolescentibus desim, modus. Siquidem multum refert, ut in usum contritum fuerit. Siquidem medicamenta quæ per venarum oscula absque ullo impedimento, & in partes corporis digerenda sunt, exquisitissimè conterenda, tenui incerniculo ita cribanda, ut tenuissima sint. Contra quæ in ventre hærerè debent, minus conterantur & cribantur, atque hoc modo Galenus dispositum ad urinas movendas sumebat, tenuissimum, & minutissimum pollinis modo erat, cum id ipsum per alvum ducere volebat, crassius relinquebatur. Ita in discutiendo, sit pulvisculus succini subtilissimus, contra in conglutinando crassior non tenuis cribro excretus. Confititur hodie & oleum succini opera Chymistarum, sive id in capitellum sursum versus feratur, sive in vas subiectum mox defluat, & sicut illic est destillatio per ascensum & sublimationem, ita hic per descensum hodie dicta. Sunt qui in oleo communi maceratum, insolutum & insolutum de integro in pulvisculum subtilissimum redigunt, qui in alio conteritur & liquefcit: Id quoq; cum oliva erat oleum sacratum, præsertim cum sacrum morbum, id est, comitiale, dum naribus illitur,

fitur, sedat. Postea & ulcera, resolutaq; membra
 arque si quis pila metallica id conclusum
 aut huic in nares distillaverit, aut tantum ol-
 eum mirifice spiritus animales recreat, & capitis
 dolores mitigat. Hæc sunt quæ in locum Taciti pro-
 portionem, paucis adnotare mihi visum, maxime ut
 commune facerem, quo cuncta diligentius ri-
 nescent. Optimum enim, & hic aliorum frui in-
 stant, & quisque cui mica est candoris, hunc cona-
 tum boni consulat.

Suionibus Sironum gentes continuantur. Cætera simi-
 li. Sicut differunt, quod femina dominatur, in tantum
 non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerant. Hic
 Sicut in his.

XXVI.

De Sironibus.

Verum cum Sironas Suionibus continuos, &
 perpetuos esse dicit, & ipse ortum verius per-
 ipse absque dubio *Sironum Regiuncula erit Finlan-*
dia, quæ Germanis à Regionis pulchritudine sic di-
 cta est, cui Einnigia, Germanis Ennig / quod pro-
 pter eximiam fertilitatem singularis sit terra. Eos
 aut per omnia Suionibus similes facit, sed *Yvaxæ-*
æ contra naturam, id est, uxorium Imperium hos
 ab illis discernit, quo fit ut non solum libertas sit
 amissa, vixit quam recuperanda, sed etiam à servi-
 tute Germanorum, de qua supra nonnulla adno-
 tavimus, degenerant. Hic licet in *gynecratiam*
inveni, & debauchari, quam & olim non pauci
Scythiarum (hoc, quæ prophani damnarunt, sed
 prohi dolor, quas non terrarum partes occupa-

Peucinos, Venedorumque, & Fennorum nationes
 Germanis an Sarmatis adscribam, dubito, quanquam
 Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, se-
 ã, & domiciliis ut Germani agunt, sordes omnium actor-
 um, & concubitiis mixtis non nihil in Sarmatarum ha-
 bitum tradatur. Venedi multum ex moribus traxerunt.
 Nam quid inter Peucinos Fennosque sylvarum, ac mon-
 tium latrociniis perentant, hinc tam inter Germa-
 nos potius referuntur, quia & domos fingunt, & scuta ge-
 rant, & pedum usu ac pernicitate gaudent, quæ omnia di-
 gitur Sarmatis sunt, in plastro equosque videntibus. Fennis
 præsertim, sed a paupertas, non armis, non equis, non pena-
 rum, non herba, vestitiu pelles, cubile humus, sola in sagi-
 tis, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venat-
 ionibus, ac feminas alit. Passim enim comitantur,
 prædæ prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum
 immittunt, quam ut in aliquo ramorum nexu
 conpeditur, hinc redeunt juvenes, hoc seivum receptaculum.
 Idemque arbitrantur, quam in gemere agris, illaborare do-
 mibus, aliæque fortunæ spe, memque versare. Sicuti
 ad verum homines, serui adversus Deos, rem difficillimam
 alleunt, ut illis ne voto quidem opus sit.

XXVII.

De Peucinis, Venedis, Fennis, &
 Bastarnis.

Plinius Suevorum nationem amplissimam, &
 valde numerosam explicuit, nunc prius Sarmatis
 ultra Vistulam Cornelianæ Germaniæ recenset,
 quam totam ejus descriptionem claudat. Ita *Peu-*
cini Sarmatis utique ex vicinia Germani à *Peuca-*
nia, quæ a partho Serapentionem versus adha-
 ret, hinc, quæ accole sunt, *ubi hodie degunt Po-*
landiam, Lithanijs usq; ad Moloch, ad Borjsthenem,
et omnia Nether nominant. Ita *Venedi* sunt quæque
 in Sarmatis à Germanis adnumerat juxta Pto-
 lemaum videntur esse, qui intra Vistulam & Chro-

non non longe à Regiomonte cohabitant, ubi est & *Ve-*
nedicus sinus, quem hætenus *Curientem* non sine
 causa nuncupavimus, in quorum vicinia, videlicet
 à ripa Chroni atque Rubonis ripam Sudini electro-
 getuli Prolemaici vitam degunt. Ita *Finni* eodem
 Authore sunt versus meridiem à Guythonibus sta-
 tuuntur, *ubi hodie Torunnei sunt cum Grandenti-*
nis usq; in Massobia Ducatum, quo loci est, & Epi-
 scopatus Plocensis. Verum ab iisne an Venedis
 Finlandia propagata sit, alii divinabunt, mihi tota
 appellatio est Germanica. Finnis autem proximi Ci-
 stoboci, per quorum tractum etiamnum fluvius
 Bocus (cujus nomen prioribus syllabis, ut fit apud
 Germanos est corrupta) in Vistulam sese exone-
 rans, sicut ipse vidi, fluit. Neque à Peucinis ita lon-
 ge *Bodini*, quorum Regio hodie est *Podolia*, disti-
 dent, maxime ubi est Camminienensis Episcopa-
 tus, nisi quodammodo eorundem propter Tarrar-
 orum incursiones sedes commutata esset. Postre-
 mo *Bastarnasunt Rutheni* (Nam Molchi sunt quoq;
 Rutheni sed albi, intra *Axiacem & Tyram fluvios*,
 & hic hodie *Nester* nominatur, ad quem *Leopolis*,
 quam nos *Ruthenium Lempergum* nuncupamus, si-
 ta est. Verum Tacitus incertus de istarum nationum
 discrimine. Nam Peucinos, & Bastarnos esse quo-
 rundam sententia assent, qui si sermonem, si vesti-
 tum, si sedem, si domiciliorum, structuras spectas,
 Germani sunt, si autem sordes & adulterina con-
 nubia, Sarmatae sunt, quorum mores, & Venedi re-
 ferunt. Nam latrociniis viciant, sed ex domorum
 exædificatione, ex armorum genere, expedestri fa-
 ciei forma & velocitate Germani sunt. Ab his Ve-
 nedis, Schlavos, ipse juxta cum aliis deducerem &
 Vandalos nancuparem, nisi Vandalos Germanos
 tum habitu, tum lingua fuisse tenerem. Quare ex
 Asia Hænos esse eosdem, nisi & hic quædam argu-
 menta essent impedimento, juxta quorundam opi-
 nionem affirmatam, *Fenni* autem notantur, modo
 à moribus, quia *feri sunt homines*, modo ab adver-
 sa fortuna, quia *pauperissimi sunt, inermes & in-*
no, modo à victu, quia *herbis viciant*, modo à ve-
 stitu, quia *rhenonibus ornantur*, modo à lecto geni-
 ali, qui terra est, modo à telorum genere, quia sa-
 gitis, quarum fastigia exasperata, cum ferrum desit,
 ossibus sunt, modo ab affectatione, quia *venationi*
interi, feris studet, & prædæ partem sibi vendicat,
 modo à domicilio, quod illis ex ramorum connexu
 fieri consuevit. Tales sunt & hodie Wildelappi
 & Engrovelandi ultra Sueciam.

Eræta jam fabulosa, Hællusos & Oxionas ora homi-
 num vultusq; corpora atque acies ferarum gerere, quod
 ego ut incomperum, in medium relinquam.

XXVIII.

De Hællusis & Oxionibus.

Hællusos Plinius Hællæones nuncupat, eosque
 Insulares facit in *Codanis sinu*. Si hæc vera sunt,
 tunc erit *Peninsula*, quæ non longe à *Gedano si-*
 num efficit, hodie dictum *Pucicum*, & à nobis for-
 san propter discrimen mihi ignotum *Borussiarum*
Heilum vocatur, hinc recta flant. Aut *Borjsthenem*
 daviam navigatur. Ita ex *Borjsthenem* *Oxionarum*
 Scythicis insulis *Boræam* verum cohabitare appella-
 tos, quod *ovis marinarum* *etiam viciant*. Est enim
 norum ut ab illis omnibus; monstruosos homines
 olim constanter videntur, cujusmodi sunt *Scythi*,
 ut

est ratio in Varta flumine, quod à Viadro prope
Costrinensem arcem excipitur, itaque Bojemi Var-
re malunt lupos, quam Viadri. Possunt & vi-
susum sint nigriores, & quibusdam maculis infi-
gunt, & tactu, cum durior & carnis & cutis sint,

dignosci. Quare iidem cocti, palato nobis tanto
gratiore esse solent. Hæc sunt quæ obiter de Suev
fluminis fote, ostio & colore, & sapidioribus piscib
contra Geographos tam veteres quam recentiore
ad veritatem certius explorandam, observare volui

COMMENTARIOLUS, DOCTISSIMI VIRI, HENRICI GLAREANI

IN
P. CORNELII TACITI,

De

MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ LIBELLUM,

vetera ejus vocabula paucis explicans:

JOHANNES FROBENIUS ZING. suo

S. D.

Quam Libellum Publii Cornelii Taciti, de
moribus & situ Germaniæ populorum typis
nostris excudere cepissemus, commodum ex
amicis nostris quidam commentariolum no-
bis exhibuit, in quo paucis aperitur, quorum veterum
populorum, qui novi populi sedes hodie teneant. Equidẽ
nisi sic videtur, eos, qui prisca illius antiquitatis Scri-
ptæres duntaxat legunt, præteritis sis, qui mediam anti-
quitate scriptis suis complexi sunt, in multis necessario
liti. Nam quantas tu rerum mutationes à morte Iulii
Cæsaris factas arbitraris? Ut concedere cogamur non
tam illius commentariolum, qui certè & fide & stylo sum-
mam laudem merentur, quam Spartiani, Vopisii, Tre-

bellii Pollionis, Amm. Marcellini, Eutropii, Procopiiq;
lectione esse necessariam. Quod si rediret ex inferis ho-
die Cæsar, nihil hic propemodum agnosceret. Adeo gens
genti mixta est, populi partim penitus deleti, partim aliò
translati (& ut summarim dicam) mutata omnia. Pro-
inde eum commentariolum studiosis usû futurum tibi vo-
lui dicare, qui norim te hoc genus delicias animum oble-
tare solere, quoties ex altioribus studiis obrepit fastidi-
um. Hanc eandem rem agunt, ut antiquitati lucem as-
serant duo Helvetiorum decora, Henricus Glareanus
summus amicus noster, & Joachimus Vadianus præci-
pue in commentariis suis, in Pomponium Melam, quos
doctis omnibus probari magnopere gaudeo. Bene Vale.

COMMENTARIOLUS, VETUSTA GERMANIÆ POPULORVM

Vocabula paucis explicans,

Et

obiter alia quedam;

HENRICI GLAREANI.

In primis admonendum lectorem putamus, in
veterum descriptionibus non ad vivum, quod
ajunt, omnia statim esse exigenda, velut exempli
causa, si quæ de Suevis in hoc libello scribit Tacitus,
velit quispiam istis tribuere, quos hodie Sue-
vos dicimus, rota aberrabit via, cum prisca illi Sue-
vi ad Albim suum vivum habitarent, quam Regionem ho-
die Saxoniam appellamus; isti verò Rhetiam inferi-
orem occuparint. Nec est ulla propemodum hodie
Natio, quæ veteres suas sedes inconcussa teneat. Qua-
dere si quis dubitat, legat ex antiquis Spartianum,
Vopiscum, Marcellinum, Orosium Eutropium,
Procopium, & Agathium: ex recentioribus Regi-
onem, Luitprandum, Annonium, Sigebertum,
& peculiare Nationum Chronographos. Nam di-
ci non potest, quantis mutationibus, & Regna &
populi mutati sint. Igitur amice lector, si ve-
terum, si recentiorum evolvas monumenta, non
statim, ut ante diximus, ad vivum rem exigas, sed et-

iam atq; etiã circumspice, quo tẽpore scriptũ
fuerit, quod legis, à quo, & de quibus, deinde con-
fer nova cum veteribus, aut e converso, inutationum
semper memor. Hanc monitionem nostram si se-
cutus fueris, magnopere te senties in Historiis adiu-
rum.

Germania omnis] Mirũ cuiusq; videri possit, quod
hic astruit Cornelius, Germaniam videlicet à Galliis
Rheno separari: cum tamen ipse fateatur Vangionas,
Trebocos, Nemetes haud dubie Germanorum po-
pulos ipsam colere Rheni ripam, quinetiam Tre-
viros & Nervios Germanicam originem affecta-
re. Sed antiquam Germaniam descripsit, & ve-
teres illius fines, non eam, quæ ante ipsius etiam
tempora, Belgicæ Galliæ bonam partem sibi usur-
paverat. Nam quis nescit quanta sit Germaniæ
facta accessio? posterioribus seculis, & bona, ceu
diximus, Gallia parte, tota Rhetia, tota Vindelici-
cia, Scythia, Sarmatia, Pannonia subactis, &
occu-

occupatis. Nec quicquam vetat verè Germanos in Gallia habitare. Equidem Procopius Græcus Autor, qui Justiniano Cæsari à libellis fuit, & eidem in omnibus bellis comes adhæsit, his verbis Germanos testatur in Gallia regnasse, quæ lubitum est hic referre, quòd ad Germanorum laudem non parum facere videantur.

Galliarum, (inquit,) partem suæ quondam ditionis effecit, in hujus belli principio Gothi Germanis tradiderant, cum minus se posse existimarent, Romanis simul, ac Germanis resistere. Id sanè factum non solum nil prorsus Romani interpellarunt, sed ut Gallias sibi Germani haberent, Justinianus ultro permisit. Non enim illi has tuto se possessuros rebantur, nisi & Imperator, ut suæ ditionis futuras perpetuo confirmasset. Quo factum ut eo ex tempore Princeps Germanorum Massiliam Phocensium quondam coloniam, & cætera circa id mare loca tenuerint, totiusq; ejus oræ maritimæ potiti Imperio sint. Unde & Arelate nunc resident ad certaminis equestris spectaculum. Aureum nummum, è nativo Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine, sed sua impressa. Perlarum siquidem Imperator etsi ad arbitrium argentum nominis facit, auro tamen non illi fas est, suam, ut in dat effigiem, nec barbarorum Princeps alius quisquam id facere aulit.

Hætenus Procopius.

Cui Græcus item author Agathius his verbis stipulatur. Francorum, (inquit,) natio Italix proxima est, & terminis juncta. Veteres tamen hos esse Germanos dixere, quod utique ex eo sarliquet. Nam circa Rhenum hi habitant, & huic propinquas incolunt partes, Galliarumque maximam possident partem, non propriam, sed vi in posterum occupatam. Habent præterea Massiliam urbem Jonum olim coloniam. Hanc enim Phocenses quondam per Medos sedibus suis abacti incoluere. Dario Hydaspis filio Rege Perlarum regnante, nunc verò Græca ex urbe, reddita jam barbara est. Nam patrio illo rejecto, & prisco vivendi modo, Imperantium utitur institutis. Tamen hoc tempore videatur non admodum pristina dignitate defecit, nimirum cum Germani haud quaquam sint (ut plurimi barbarorum) pastores, sed Romanorum poliria & aliis institutis, & multis utuntur, iisdemque Legibus vivunt, & cæteris item, ut in conventibus faciendis & nuptiis medelisque eadem statuunt. Sunt quippe omnes hi Christiani, & rectissimæ inter cæteros omnes opinionis. Habent præterea per civitates Antillites sacerdotesque. Fellos insuper haud secus ac ipsi nos peragunt dies. Et sanè hi mihi, etsi cætera barbari, moribus tamen videntur quàm optimis præditi, & maximum in modum civiles. Nec quicquam habere, quod à nobis faciat alienos præter vestitus barbariem, & vocis innatæ sonum linguæque. Quos equidem cum ob eorum Virtutes, tum ob in cæteros æquitatem, inter seque concordiam mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor, & magnifacio.

Hæc Agathius, qui item Justiniani temporibus scripsit. Atque horum sanè Scriptorum testimonia ipsis illorum verbis commemorare visum est operæ precium: cum quia libello de Germanis tractanti, hæc quæ posterioribus temporibus acciderunt, plurimum quadrare videbantur, tum ut gravium virorum autoritate Germaniam asseramus, eos qui hodie lingua Germanica utuntur, semper fuisse Germanos ostendendo, quando verbis aperitissimis scribit Agathius, Galliarum illos maximam possedisse partem, non propriam, sed vi & in posterum occupatam. Transulerunt igitur Galliam in Germaniam, partim submotis, partim occisis habitatoribus, id quod Divus Hieronymus in epistola ad Gerontiam his verbis clarissimè testatur: *Remorum*, inquit, *urbs præposita, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacæ, Nemeta, Argentoratæ, translata in Germaniam.* Hieronymo subscribit Eutropius, qui Atrebatas, Ambianos, Menapios, Veromandos, Atuaticos,

Conduentes, Eburones suo ævo Germanos fuisse vocatos, testatur. Idem Autor est Augustum ccccM. captivorum ex Germania transtulisse, & supra ripam Rheni in Gallia collocasse. Cæterum unde Germanorum vocabulum sit ortum, ab Autoribus varia afferuntur rationes. Quidam fabulantur, Trojanorum reliquias mari aduectas in ripa Rheni, pulsas Gallis, confedis, eosdemq; Germanos fuisse vocatos à Romanis, qui item in Troianos originem suam referunt, quasi fratres, affinitatis videlicet gratia. De hac tamen re nihil usquam extat in literis, excepto Jordano Osnaburgio. Nec Julius Cæsar tanti momenti rem silentio videtur præteriturus fuisse, magnificus ubique ostentator. Sed ut Livianum illud immutatis paululum verbis proferamus, datur hæc venia antiquitati ut miscendo fabulosa veris primordia populorum augustiora faciat. Receptior opinio est eos, qui primum in Gallorum finibus transito Rheno confederunt, ab inita quadam affinitate Germanos à Latinis fuisse nuncupatos, unde deductum vocabulum omnibus postea commune factum fuerit, quod etiam Cornelius Tacitus docet. Non omittendum hoc loco quod Erasimus Roterodamus in suis in Hieronymum scholiis scribit, exponens *Germanum esse*, quod Græci *γερμανος* appellant, hoc est, genuinum, cujus contrarium sit *οδερ*, hoc est, adulterinum. Nec, inquit, absurdum sit, Germanorum gentem hinc appellatam videri, quos si cum reliquis confusas nationibus, minimum fuci, plurimum antiquæ sinceritatis ac fidei & rusticana (ut dici solet) veritatis obtinent. Porro Alemannorum vocabulum recentius esse, Flavius Vopiscus his verbis in vita Proculi testatur. *Alemannos*, inquit, *quis tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contrivit.* Fuerunt autem Alemanni dicti non à Lemanno lacu, sed quòd esset collectitia diversorum hominum multisudo, allerlen Mann auß allen Landen Mann. Id quod Agathius ex Asinii Quadrati autoritate nos docuit, sic scribens: *Alemanni* inquit, *s. Asinio Quadrato, viro Italicensi, fides præstanda est, qui res Germanorum diligenter perscripsit, adventiti sunt, & ex varia hominum colluvione conflati, quod sanè eorum cognomento præfertur.* De victoria quam ab Alemannis pugna longe acerrima, ad Tilbiacum oppidum commissa, Franci reportarunt, lege Paulum Æmilium libro I. Denique *Germania vocabulum* apud Autores etiam plurativè reperies usurpatum, quòd multiplex sit, superior videlicet, & inferior, Cisrhenana & Transrhenana, prima quoque & secunda Am. Marcellino: sic enim Germanias dicimus, sicut & Gallias, Rhetias & Pannonias. Scribit autem Ammianus ita divisas Gallix Germanixque Provincias. Prima Germania Moguntiaço, Argentoratoque nobilis. Secunda Germania in qua Agrippina & Tungri. Prima Belgica, Mediomatrices & Treviros habens. Tum secunda, Remos, Sequanos, Ambianos complexa. Hinc Lugdunensis prima Senones, Bituriges, Lugdunum, Augustodunum. Secunda Botomagum, Mediolanum, Tricaspinas Alpes continebat. Eodem modo & Aquitanix fines distincti. Autor Alciatus.

A Gallis) Res est annotatu dignissima, quod veteres Romani Galles omnes & Germanos Gal-

Gallorum vocabulo nuncupabant. Quemadmodum rem & Græci cum Gallis tum Germanis Cellarum appellationem accommodarunt. Hæc res non animadvertenda, multis errandi causa fuit. Refert à Celtis aditum Alexandrum Magnum in Cethis tum agentem Strabo. Haud dubiè Germanos intelligens, ut rectè vertit Arriani interpres, hanc quoque rem commemorantis. At perperam multi. Scribit Appianus carnificem illum qui ad occidendum Marium in carcerem fuerat ingressus, Celtam fuisse, Gallum reddidit interpres. Cum tamen Vellejus Historicus latinus Germanum fuisse dicat, sic scribens. *Ad quem interficiendum missus cum gladio servum publicum natione Germanus, qui forte ab Imperatore eo, bello Cymbrico captus erat, &c.* Præterea scribit Herodotus in Celtis oriri Danubium, quem tamen constat, ex supremis Hercyniæ sylvæ montibus profluere, ceu mox dicturi sumus.

Rhetia.] Idoneis autoribus esse Rhetia videtur, quam hodie Sueviam vocamus. Nain Ptolomæus *Taxagetum, Brigantium, & Campodunum*, hoc est, ut quidam volunt, *Rotuvillam seu Rotandavillam, Pregnitium & Campodunum*, in Rhetia ponit. Quidam *Austrius* etiam *Rhetorum* vocabulo comprehendi volunt. Et extat hodie tractus in Suevis, qua Noricum spectant, à Rhetis appellatus, imò *Rhies*. Utcunq; sit, verisimile est Rhetorum aliquos in Illyricum penetrasse, qui hodieque *Rheteni* vocantur, die *Rhegen*. Bellis equestrem navant operam, & Parthicum quiddam referunt, celestis utentes equis, in speciem quiddam turpibus, sed ad cursum promptis & laborum patientibus. *Rhetos* hodie vocamus, qui *Cursensem Episcopum* agnoscunt. Dicta autem fuit *Curia Rhetia*, propterea, quod illic olim causæ cognoscerentur. *Rhetici vini* meminit Suetonius & eo delectatum Augustum scribit, *Seitiner Wein*. Arguit autem Rhetiarum vocabulum, variam fuisse *Rhetiam, superiorem, inferiorem, planam, Alpestem, & Cisalpinam &c.*

Et Pannoniis.] Numero multitudinis usus est. Nam superior est, & inferior. Superiorem, *Austriam* hodie vocant. Inferiorem, *Ungariam*. Vellejus ubi Pannonici belli narrationem exorditur. *In omnibus*, inquit, *Pannoniis non disciplina tantummodo, sed lingua quoque notitia Romana, plerisque etiam literarum usus, & familiaris erat animorum exercitatio*. Porro vocatam *Austriam* ab *Austrasia Gallica*, Paulus Æmiliius autor est.

A Sarmatis.] Sarmatia duplex est altera *Asia*, que hodie *Tartaria* dicitur: *Europe altera*, quam *Poloniam* appellant, *Scytharum* olim regio fuit.

Rheticarum Alpium.] Ut Studiosi juventur, ac melius historicos intelligere possint, opportunum visum est hoc loco referre, quæ de variis *Alpium* vocabulis And. Alciatus Mediolanensis vir impensè doctus in annotationibus suis in Tacitum scribit his quidem verbis: *Locus hic*, inquit, *admonet, ut varia Alpium nomina attingam, quando eorum qui de his scripsere etiam de recentioribus diligentiam non satis probem. Igitur Alpes Pœnas ipse eas esse opinor, per quas ex Druentia flumine, rectè in Italiam tenditur Brigantionem versus & Ferietam, qua via nostro quoque tempore est frequens. Grajas vero esse, qua & maritima, quod per eas Hercules ierit: ubi etiam Monæci portus illi sacer, ut autor est Ammianus lib. 15. Coctias autem existimaverim, qua à Sugefio oppido per Centronas itur, tamen si recentiores, ut Paulus Diaconus & Georg. Merula, Coctias esse existiment, in quibus Bobium urbs est, quod antiquis autoribus non est probabile. Sed & Coctias appellatam*

*quandoque etiam Julias, non falso fortasse aliqui tradunt, quod in eas per Tricaspinos casur. Bellovesum autem per Tricaspinos in Julias Alpes venisse, Livius est autor. Sed & non malè Julias Tacitus appellat Alpes, qua versus Carnos sunt, unde & Julium Carnicum, & forum Julii, qua ex Venetia in Noricum itur: cui sententia ex recentioribus adstipulatur Sabellicus in Aquilejense Historia. Sunt & Rheticæ Alpes quibus in Rhetos vadimus, quos vulgo Chrisones vocant. Incipiunt ab Adyamoto Siraboni, corruptè legitur nunc adula, nunc adula, id est, inaccessio, vernacula simplicitas montè Bralium nuncupat in Volturena, seu ut imperiti, in valle Telina, & in Venetiam protenduntur, donec Ocrasubeant. Leopontia adhuc servant nomen, sunt in Suitensibus qua Claronam ex Bilitionis castro rectè tendimus. In Alpibus, quas Casar in Comment. Summas appellat, cum ceteris convenio. Sunt inter Sedunos & Veragros & ubi Octodorus est pagus, quem Sancti Mauricii vocant. Ceterum quamvis, hæc nostra sententia videatur plurimis autoribus congruere, non arbitror omittendum esse etiam, qui refragentur, quando Ptolomæus inter *Adulam & Ocras Pœnas Alpes* collocet, quo in loco esse Rhetica juga ipse prodidi: verum ex Plinio illius sententia consultatur, qui de Grajis & Pœnis in Salasso descendere tradit, ut fortasse Pœniæ Alpes illic incipient, & desinant in maritimas, si Ammianum sequimur. Est & adhuc Suitensibus, qui vulgo eorum sermone *Alpes Grey* dicitur mons, qua Friburgum tendimus. Ipse inter veteres non omnino consistisse harum nomenclaturam existimo. Nam & Plinius in Leopontis dissidere ferè usus est, qui cum Coctiana juga Centronibus vicina tradidisset, Grajis Alpibus aut easdem, aut certe contiguas Leopontias mavult, quod non probo, cum longe gravior sit autor Casar, unde nostra sententia fulcitur: & Plinius non affirmet, sed aliorum relatione ex etymoinnuere videatur. Hæc Andreas Alciatus.*

Danubius.] Andreas Alciatus Mediolanensis, in annotationibus suis, quas in Cor. Tacitum scripsit, hunc locum cum castigans, tum exponens sic scribit: *Danubius præcipiti & extello montis Arbone jugo oritur. Ansonius ignotum Danubii fontem esse scribit:*

Danubius penitus caput occulatus in oris.

Apollon. ab Hyperboreis nasci eum cœcinit manifesto commento: sed omnino Taciti vera est sententia, si non *Arbone*, sed *Arnobi* legatur. In ejus enim radicibus oriari jam notissimum est prope Hercyniam sylvam, vulgo *sylvæ nigra* nomen servat, ex adverso *Rauracorum*, quorum oppidum est *Basilica*. *Arnobi* Plin. Ptolomæusq; meminit, de ostiis quoque non eadem sentiunt auctores, Hactenus ille. Sed quando ortus Danubii nobis paulo compertior est, à quo non ita multum absumus, quod tamen cum Alciati venia dictum sit, & scriptorum, quos secutus est, Plinii præcipuè lectorem adnotum volumus, rectè scripsisse Cornelium, ex molli enim & clementer edito montis Arbone jugo scaturit. Ubi videtur Cornelius totam eam Hercynii nemoris regiunculam, quam hodie vocamus, *Uff der Baar* montem *Arbonam* appellare: nullus autem illic mons est paulo altior, colles tantum sunt terreni. Cultores rem rusticam exercent, & alendis bobus cum laude vacant. Nec fugit nos Arbone nomenclaturam oppidulo cuidam ad lacum Constantiensem tribui: sed verisimile est hic tractum illum in quo Danubius oritur Arbone vocabulo signari, Germanica vulgatè appellationis allusione suffragante. Oritur autem apud viculum, quem appellant *Eschingiacum Danubii*, Done-

schingen.

schlinget. De hostiis, quibus in mare se exonerat, vide *Pomponium Melam, Solinum, Strabonem, & alios.* Omnes autem Europæ fluvios magnitudine superat, accessione sexaginta fluminum navigabilium auctus. Ab undarum strepitu seu sono nomen sibi invenit, ut curiosis placet. Ingreditur mare Euxinum.

Tuistonem Deum.] De Tuistone Deo, qui Germanis omnibus nomen dedit, & hujus filio Manno, rursus hujus tribus filiis Ingevone, Hermione Itzvone, vide *Berosum* libro secundo.

Ingavones.] Hos volunt esse *Cimbros & Tensonas,* autore *Plinio.* Hodie *Daci* fuerint *Sarmatarum* nonnulli. *Lege Solinum & Berosum.*

Medii Hermiones.] *Hermionum* gentes recenset *Plin. Suevos, Hermundurios, Carios, Cheruscos.* Videntur esse *Saxones* hodie, aut certe *Pomerani.*

Isavones.] Hos quidam putant esse reliquos Germanos ad *Rhenum* vergentes. *Vide Plinium.*

Marfos.] De *Marfo* *Hermionis* filio & hujus filio *Gambrio* & nepotibus *Suevo Vandalo,* *lege Berosum.* De vicis *Marforum* meminit *Tacitus lib. 1.*

Tungri.] Hos in secunda Germania ponit *Marcellinus* cum *Agrippinensibus.* Siti sunt inter *Eburones, Rhenum & Mosam.* Extat adhuc oppidulum hoc nomine. *Tungrorum* oppidum esse *Attuaticum* scribit *Ptol.* Apud *Tungros* olim sedem *Episcopalem* fuisse memorant, quæ post ad *Leodium* fuerit translata.

Asciburgium q.] In hoc *Asciburgio* nomine, sicut & in multis aliis, ab omnibus *Cosmographiæ* expositoribus erratum est. Non enim (ut putant) est id oppidum, quod hodie *Emmerich* vocatur, in *Cliveni Ducatu:* sed verus hujus *Asciburgii* civitatis locus visitur in comitatu *Morsensi,* eodem adhuc nomine gaudens, olim super *Rhenum,* quem tunc illic præterfluxisse certum est, situs, quando *Morsatorum,* ut *Plin.* vocat, erat insula. Ubi adhuc ab agricolis plurima sub terra murorum, nummorum, & antiquitatis reperiuntur vestigia. Alibi *Tacitus Asciburgii* meminit, lib. 20. sic scribens: *Rapiunt in transitu hyberna ala Asciburgii sita.*

Vidimus sub divo Vespa Velledam.] Hæc virgo gentis *Bruclteræ* fuit, & amplam apud Germanos administrabat dititionem, id quod his verbis *lib. 20. Tacitus* explicat, *Munius Lupercus legatus legionis inter dona missus Velledæ, Eam virgo nationis Bruclteræ, latè imperabat, veterè apud Germanos more, quo plerasque seminarum fructicas, & auferente superstitione arbitrentur Deas. Tuncque Velledæ auctoritas adolevit. Nam prosperas Germanis res & excidium legionum præduxerat.* Meminit ejusdem rursus *lib. 21. circa finem.*

Hercyniam sylvam.] Arbitrantur hanc sylvam à *pice* seu *resina,* quam Germani *Hartz* vocant, nomen invenisse, quæ in *Helvetiis* initium accipiens, ad *Dacos* usque porrigitur, variè accolarum vocabulis appellata, cum tamen eadem sylvæ sit. *A Thuringiæ Thuringica sylvæ, à Bohemi sylvæ Bohemica, Bacenis.* *Hercyniam sylvam* novem dierum spatio putat *Cæsar* expeditum cerni posse. Multo pluribus: *Mela:* Nec negat *Cæsar.*

Mœnim.] Hunc fluvium quidam *Mogannum,* quidam *Mogum* vocant. Oritur in montibus *Orientalis Franciæ,* & *Francosordiam* nobilissimum Germaniæ emporium præterlapsus, apud *Moguntiam* *Rhenum* miscetur. Unde & ei civitati nomen.

Helvetii.] Ostendit *Tacitus* veterum olim *Helvetiorum* partem è *Gallia Rhenum* transgressam, eas incoluisse regiones, quæ comiti *Palatino, Marchio-*

niq̄e Badenſi & Spirenſi Epilcopo hodiè parent. *De Helvetiis* nemo melius scripsit *Cæsar.* Non videtur alienum propter mediæ antiquitatis studiosos, cujus cognitio haud scio an difficilior, an magis necessaria, hoc loco commemorare, quare de *Helvetiis* *Andreas Alciatus* *Mediolanensis* in suis annotationibus in *Tacitum,* prodidit. *Eutropius,* inquit, *Helvetiorum sedes à Quadis occupatas satis ostendit; ut suspicer omnes deletos, cum Quadis Marcomaniq̄, sub Aureliano in Italiam prorupere. Extat adhuc in eis vallis Marcomana nomine, periere & illi, atque ab Alemannis (colluvies Germanorum erat) superati, in eorum nomen concessere: à Theodorico, deinde Gottho victi, Franci ex fœdere dediti sunt: aucti demum Saxonum accessione, quos ob violatam pluries fidem sedibus ejectos Carolus Magnus in Alpes coniecit, Suintentes capere dicit, parvum deinde regibus Germanorum. Centum ferè anni sunt, cum secessis præfectis in libertatem asseruere cum cade repressis Cesaribus. Hac etate prima illis peditatus gloria. A Philippo Vic. quod deletis cohortibus dedecus subierant, frequentibus nunc victoriis recuperavere, nisi quod & memorabilis prælio, sua inter se perfidia, in suburbanis Mediolanensibus à Francisco Francorum Rege cessi, superbos titulos deponere rursus coacti sunt. Hæc Andreas Alciatus. Qui tamen diligenter evolverit historias, etiam eorum, qui mediæ antiquitatem utcunque monumentis illustrarunt: manifestè tamen labitur, cum inquit, *Helvetios* paruisse *Regibus Germanorum,* ut de vindicata libertatis tempore taceamus, nisi *Regum* nomine *Duces Austriæ* intelligat, aut de quibusdam oppidis, *Berna, Turrego, Schafhusia* loquatur, quæ *Romanum* quod vocant, imperium & agnovissent olim, & adhuc reverenter agnoscunt. Nam cum hæc proderentur, de electione novi Imperatoris, qui in demortui *Maximiliani Cæsaris* locum substitueretur, ad *Pontificem Romanum & Electores Germaniæ Principes,* non civitates modo, sed & pagi omnes *Helvetiorum,* habitis apud *Turregum* comitiis, concordia voluntate literas scripserunt, in quibus à corpore *Romani Imperii,* quod vocant, se nullo modo separant. Porro quid sibi *superborum* titulorum mentio velit, quos deposuisse *Helvetios* scribit, ut ingenuè fateamur, haud intelligimus, cum modestiam *Helvetiorum* prædicent omnes, & his sit peculiare, non verbis sed factis gloriari. Verum multis dolet aliena felicitas. *Alciato* subscribit *Joachimus Vadianus,* *Helvetiorum* in literis decus, in commentariis suis in *Pompo, Melam* his verbis: *Helvetiorum tractum hodie habitant ex Germanis illuc profecti, &c.* *Paulus Æmilius Transjuranorum* vocabulo videtur *Helvetios* significare, cum inquit *lib. 1. Transjurani ferax genus hominum Burgundionibus, ante rerum potensibus attributi, nunc sui prope juris effecti, &c.**

Ulteriora Boji.] *Boji* in Germaniam olim transgressi, incinctos *Hercyniæ sylvæ* campos incoluerunt, quæ regio propter antiquos cultores *Bojos, Wonenhelms* dicta est à Germanis, quasi *Bojorum* olim patria: nam *helm* Germanica dictio patriam significat. In eam regionem expulsis *Bojis, Quadis & Marcomani* immigrarunt. De *Quadis* mox *Tacitus,* de *Marcomanis* testatur *Vellejus,* sic scribens, *Sensio Saturnino mandatum, ut per Carthos excisis consuetibus Hercyniæ sylvæ legiones Bojohæmum* (id regionem quam incolebat *Maroboduus* nomen est) duceret. Fuit autem *Maroboduus* eodem autore teste, *Marcomanorum Princeps.* Hanc deinde regionem post *Marco-*

Marcomannos & Quados, quos in Helvetiis confedisse scribit Alciatus, patriis sedibus relictis, *Dalmatarium* populus quidam cum Sarmatia, quam Poloniam vocant, occupavit: & etiamnum hodie tenent. Priscum tamen mansit nomen: nam *Bohemiam* adhuc vocant à *Bohis* illis Gallicis. Dii boni, quæ rerum, imò regnorum vicissitudines?

Avarisci.] *Avarisci* Pannoniæ populi fuerunt, ut multi volunt, inferioris: quorum hodie sedes *Hungari* tenent, olim *Umsi* dicti. *Os* verò Germaniæ partem coluerunt, quos unâ cum aliis populis quibusdam, Marcomannorum Quadorumque terga claudere Tacitus scribit. Et igitur regioni vicini fuerunt, quæ hodie *Moravia* dicitur, versus *Slesiam & Poloniam*. Taciti verba sic Picus carmine complexus est, in Staurosticho

Osus Avarisco dubium deductus ab illo,

Angenus antiquum referat.

Treviri & Nervii.] *Nervii* legendum est non *Nervili*, quemadmodum codices impressi habent. Sunt autem *Nervii* populi *Menapii*, hoc est, Juliaensis vicini, quorum oppidum est *Tornacus*, die im *Tornayer* *Wstumb/nicht weit von Slandern*. Porro *Trevirorum* antiquitas vulgo quoque nota est. Sed non est nunc otium, fabulas narrandi.

Vangiones.] *Vangiones* populi sunt ad Rhenum habitantes, quorum oppidum est *Wormatia* illa, diurnis Sacerdotum suorum litibus & multis belli incommodis totam ætatem nostram miserè divexata. Vangionum nomenclaturam à Germanico vocabulo *Sungon* ortam putant.

Treboci.] *Treboci* sunt, qui circa *Argentoratium* habitant. Unde ea civitas *Strasburg*, quasi *Treboch* vulgò vocatur, detorto nonnihil vocabulo, ceu fieri solet. Nam quod tradunt post *Attilæ* devastationem hoc vocabulum adeptam, fabulæ simillimum est. Erat enim perexiguum oppidum. Et insignis iste *Pyrgopolinices*, ac *πυρπολητής*: alias complures urbes delavit, in quas æquius hoc nominis competisset.

Nemetes.] Hos eos esse putant, qui hodie *Spirensis* agnoscunt Antistitem, quorum caput est *Spira*.

Ubii.] *Ubii* sunt, qui circa *Coloniæ Agrippinam* Rhenum accolunt, qui Germanos consanguineos suos vocant in oratione, qua Tencteris respondent apud Tacitum, lib. 20.

Batavi.] Hos *Hollandos* esse volunt. De *Batavis* in *Cornelii* historiis multa. *Silius* lib. 2.

Jam puer auricomo performidate Batavo.

Mattiacorum gens.] *Mattiacos* hodie *Selandos* putant. *Mattium* fuisse caput *Cathorum*, scribit Tacitus lib. 1. Est *pilarum Mattiacarum* apud *Martiale* mentio, quibus *Japonem* innuit, ut annotavit *Hermolaus*.

Ultra hos Catthi.] *Cathorum* regionem quidam hodie *Turingos* colere volunt, quidam *Hessos & Francones*; *Silius*:

Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Catthi. Martialis,

Ex Catthis gloria tota est.

De *Domitiano* loquitur.

Usipios.] Hos *Catthis* vicinos ad Oceanum habitasse volunt, deinde verò à *Suevis* actos, in Galliam se contulisse, propterea sunt, qui hos *Juliacenses* interpretentur aut *Clivenses*. Vocat hos alibi Tacitus *Usipetes*, cum inquit lib. 1. Excivite cædes, *Bructeros*, *Tubantes*, *Usiperes*. Ex quo etiam colligere potes, quibus populis vicini fuerint,

Ac Tencteri.] *Tencteros* olim alteram *Rheni* ripam coluisse, quæ ex adverso est *Ubiarum*, Tacitus auctor est, de *Ubiis* loquens lib. 20. Igitur *Tencteri* *Rhenò* discretæ gens. Hos ferunt in Galliam post transgressos, cum à *Suevis* affligerentur, juxta *Menapios* confedisse.

Juxta Tencteros Bructeri.] *Bructeri*, quos olim *Tencteri* vicinos fuisse, scribit Tacitus, hodie *Pruteni*, & *Prussi* vocantur. Forsan à *Tencteri* pulsî, in *Sarmatiam* concessere. *Sidonius*.

Bructeris ulmosa quem volucer abluat unda.] *Ulmigeri* quoque dicti sunt. Habitasse eos ad *sylvam Hercyniam*, quæ ad *Germanicum* mare porrigitur, *Claudianus* auctor est, dum inquit:

Venit accola sylvæ,

Bructerus Hercynia latiq; paludibus exit. *Cymbri*

Nunc Chamavos.] Hos olim veteris, ut hodie vocant, *Marchia* regionem coluisse ferunt.

Et Angrivarios.] Hos item *Bransvigeneses* aut *Saxones* faciunt.

Atergo Dulgibini & Casuarii.] Hos hodie quidam *Thuringos* interpretantur.

Chaucorum gens.] *Chaucos* majores, *Saxones* esse volunt, minores, *Phrisios*.

Cherusci.] *Cheruscos* olim *Saxonia* partem, & partem veteris *Marchia* tenuisse, verisimile est. Nam ad *Albim* fluvium habitant. Unde *Claudianus* canit:

Et ingentes Albim liquere Cherusci.

De his populis devictis, quos hic recensuit Tacitus, triumphum eodem autore *Germanicus Cæsar* egit, sic enim scribit lib. 2. C. Cælio, L. *Pomponio* Consulibus, *Germanicus Cæsar* ad VII. *Calen. Junias* triumphavit de *Cheruscis*, *Cattisque* & *Angrivariis*, quæque alia nationes usque ad *Albim* colunt.

Proximi Oceano Cimbri.] *Cimbrorum* loca videntur hodie tenere *Saxonum ultimi*, & alii quidam ad mare populi. *Cymbricam Chersonesum Daciæ* appellant, *Græci Cimmerios* vocant, & inter *Sauromatas* ponit eos *Strabo*.

Nunc de Suevis.] *Suevos* cum utramque *Albim* fluvii ripam coluerint, horum, qui hodie *Saxones* appellantur, hæud dubie loca tenuerunt. *Lucanus*,

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos.

Albis.] Hi deinde *Rhetiam* inferiorem invasere, quam adhuc tenent, hodie *Sueviam* à se nominatam. De *Suevorum & Saxonum* bello meminit *Paulus Æmilius* lib. 1.

Suevorum Semnones.] *Semnorum* regionem quibusdam hodie *Lusatii* colere videntur. Horum fines *Albis* præterlabitur, *Vellejo* teste, cujus hæc sunt verba: *A Rhenò usque ad flumen Albim, qui Semnorum, Hermundurorumq; fines præterfuit, Romanus cum signis productus exercitus.*

Contra Longobardis.] *Misnensium* hodie regionem, *Longobardorum* regionem olim fuisse quidam volunt. *Westphaliorum* alii, quod hos non procul à *Rhenò* ponit *Ptolomæus*. De his *Paulum Warnefridum* lege. Hos *Vellejus* ferocissimos fuisse testatur: *Fracti*, inquit, *Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* *Longobardos* *Suevis* attribuit Tacitus, cum inquit lib. 2. Sed e regno etiam *Marobodu* *Suevæ gentes Semnones ac Longobardi defecere ad eum.*

Reugidigni, deinde & Aviones.] Hi populi, quos hic commemorat Tacitus, quandoquidem ipso teste, in secretiora *Germaniæ* porrigitur, eas regiones videntur

identur olim tenuisse, quas hodie vel *Mechelburgenses*, vel *Pemerani* possident. *Varinorum* meminit Plinius. Hodie *Varnos* vocant. *Livonia* populus est. *Angli.*] Ea *Saxonum* gens est, quæ post à Britannis, cum *Scotorum* *Pictorum*que bello vexarentur, pactâ mercede excita, ubi illorum audaciam coercuisset, Britannos, à quibus accersita receptaque fuerat, per causam, quod stipendia cum fide sibi non persolvi diceret, fortunis exiit, postremo indignitate coegit eos, novas in Gallia sedes spectare. Auctor Paulus *Emilius*, cujus verba retulimus. Ab his nominata *Anglia*.

Hermundurorum.] *Hermundures* juxta *Albim* habitasse autorum consensus est. Præter fluit *Hermundurorum* fines *Albis*, inquit *Vellejus*, imò, in *Hermunduris* *Albis* oritur, ut scribit *Tacitus*. At constat ex eo *Hercynii* nemoris saltu, quæ hodie *sylva Bohemica* dicitur, *Albim* oriri. Igitur sub *Bohemica* *sylva*, ad *Albim* fluvium, olim *Hermunduri* habitaverunt. De *Hermundurorum* populis meminit *Aulus Gellius* *Noctium Atticarium* lib. xv cap. 4.

Rhetia provincia Colonia.] Forsan eam civitatem signat, quæ hodie *Augusta Vindelicorum* dicitur. Olim *Rhetia* civitas erat inferioris videlicet, hodie *Suevia* caput.

Narisci.] *Nariscos* *Marcomannos*, & *Quados* haud dubie ea loca tenuisse putamus, ubi nunc agunt *Moravi*, *Merrhenland*. De *Marcomannis* nemo dubitare potest, qui *Vellejum* legerit, sic scribentem. Nihil erat jam in *Germania*, quod vincere posset, præter gentem *Marcomannorum*, quæ *Maroboduus* Duce excita sedibus suis, atque in inferiora refugiens, incinctos *Hercynia* *sylva* campos incolebat. Vides igitur eos ex ea, quæ hodie est *Moravia*, in *Bohemiam*, expulsi *Bojis*, penetrasse. Nam paulò post *Vellejus* aperte testatur, *Bohemiam* eos habitasse, cum inquit, induceret legiones *Bojohemum*, id regioni, quam incolerat *Maroboduus*, nomen est. Præterea *Marcomannorum* Regionem idem autor pulchre describit his verbis: *Eratq; etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad laevam, & in fronte, Pannoniam ad dexteram, à tergo sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur.* Loquitur autem de *Maroboduo*, *Marcomannorum* Rege. *Quados* in *Helvetiis* post confedisisse subinnuit *Eutropius*. Cæterum, ut hic curiosissimus, ab equis nomen adepti videntur *Marcomanni*. Nam equum lingua sua *inarcam* *Celta*, hoc est, *Germani* vocabant, *Pausania* teste, cujus hæc sunt verba, τῶν ὀνόμαζον τὸ σύνταγμα τελευμαρξισίαν τῆ ἀρχαίω φωνῆ, καὶ ἵππων τὸ ὄνομα ἴσωνι μαρκαν ἔντα ὑπὸ τῶν κελτῶν, hoc est, Hujusmodi trium equitum ordinem *Galata* patrio vocabulo *dry* *Marck* appellant. Atque sciendum, equorum esse vocabulum *inarcam* apud *Celtas*. Loquitur autem de *Brenno*, qui *Græciam* vastavit. Quæ verba cum perpendere nuper, in mentem nobis venit, quem equitem auratum *Latinè* vocamus, olim *ein Dritter* dictum, ob duos adjunctos equites, quemadmodum pluribus verbis illic *Pausanias* verustum morem explicat, quem hodieque *Franci* observant, deinde verò *Ritter* littera expuncta. Quod nisi vereremur, ne lectori prolixitas molestiam afferret, *Pausania* verba citaremus in medium, sed quando codex excusus est, qui volet, illic requirat. A *Marca* quòd equum significat, equorum seu stabuli magistrum *Marckstaller* etiamnum appellamus, & equitum Præfectum, ein

Marckgrafen. *Militaris* enim dignitatis & officii nomen est utrunque. Porro hodiernum *Moravia* vocabulum, *Merrhenland* equorum regionem significat, cum equas vulgò *Merrhen* vocemus. Extant adhuc in *Saxonibus* duarum *Marcarum* nomina, *veteris*, & *novæ*; quibus forsitan equestris militia hujus appellationis causa fuit. Videntur enim equis olim *Marcomanni* valuisse, quemadmodum hodie *Franci*. Corripuit penultimam hujus dictionis *Silius*.

Quæ modo *Marcomanos* post horrida bella, ferosque *Sauromatas*.

Nobile Marobodui.] *Vellejus* pulcherrimis laudum elogiis *Maroboduum* immortalitati consecravit, sic scribens: *Maroboduus* genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumuluarium, neque fortuitum, neque nobilem, & ex voluntate parentum constantem, inter suos occupavit Principatum; sed certum imperium, vimque Regiam complexus animo, statuit, avocata procul à Romanis gente sua, progredi, ubi cum potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur (quos præduximus) locis, finitimos omnes aut bello domavit, aut conditionibus juris sui fecit. Corpus suum custodia, tum imperium perpetuis exercitiis penè ad Romanam disciplinam formam redactum, brevi in eminentem & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium, gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nus lacefferet, sed tamen ostenderet, si lacefferetur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi. Legati, quos mittebat ad *Cæsares* interdum, ut supplicem commendabatur, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus, hominibusque à nobis descendentibus erat apud eum per fugium, totumque ex male dissimulato agebat emulum, exercitiisque quem LXX. milium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori quam habebat opera preparabat. Hactenus *Vellejus*. Sed quæ tandem ultima *Marobodui* fortuna fuerit, *Tacitus* his verbis ostendit lib. 2. *Maroboduus* undique deserto, non aliud subsidium quam misericordia *Cæsaris* fuit, transgressus *Danubium*, qua *Noricam* provinciam præfuit, scripsit *Tiberio*, non ut profugus, aut supplex, sed ex memoria prioris fortune: nam multis nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus Romanam amicitiam prætulisse. Responsum à *Cæsare*, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus suis aliud conduceret, abiturum fide, quâ venisset. Cæterum apud *Senatum* disseruit: non *Philippum* *Atheniensibus*, non *Pyrrhum* aut *Antiochum* *Populo Romano* perinde metuendos fuisse. Extat oratio qua magnitudinem viri, violentiam subjeclarum ei gentium, & quam propinquus Italia hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. Et *Maroboduus* quidem *Ravenna* habitus, & si quando insolescerent *Suevi*, quasi rediturus in regnum offerebatur, sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque, multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupiditatem. Hæc *Tacitus*, apud quem alibi, *Maroboduum* fugacem appellat *Arminius*, præriorum expertem, ac *Hercynia* latebris defensum. Porro ut rursus curiosi simus, *Maroboduum* dictum putamus, quòd equi corpus referret, à *Marck* / quòd equum significat, & *boden* / corpus; hoc enim vocabulo quidam populi adhuc utuntur. De *Anglis* factis constat. Hinc enim *Marchardi* quoque nomen deductum arbitramur, quemadmodum *Berenhardi*, *Lewenhardi*, ab equi videlicet, ursi & leonis robore. Sed de hac re fati nugatum supra. *Marobodui* meminit

minit etiam Suetonius Marobodum eum appellans, quæ vox Germanicam originem germanius refert. Ejus hæc verba sunt in Tiberio; *Quosdam per blanditias atque promissa extrahos ad se non remissi; ut Marobodum Germanium, Trasypolim Thracem, Archelatum Cappadocem, cujus etiam regnum in formam provinciam redegit.*

Marsigni, Gothini.] Hi populi quos hic nominat Tacitus, Marcomannis & Quadis vicini fuerunt, horum sedes partim *Slesii*, partim *Poloni* tenere videntur.

Gothinos Gallica lingua coarquit.] Ex hoc loco colligi potest, etiam olim aliam Gallorum fuisse linguam, aliam Germanorum. Sed quæ fuerit Gallorum, non constat. Nam linguam, qua hodie utuntur, certum est, esse novam, à Romanis, qui post Julium Cæsarem in illis provinciis assidue versati sunt, plurimis ubique deductis coloniis, dubio procul acceptam. Unde Gallorum multi, linguam suam etiam hodie Romanam vocant, *bon Romayn*. Itaque videtur interiisse prisca Gallorum lingua. Siquidem Plinius de quibusdam Gallorum vocabulis loquens, ad antiquam Galliarum descriptionem respexisse videtur, quam tamen jam inhabitare Germani ceperant, suam loquentes linguam, aut certe Celtarum vocabulum, quod Græcis & Germanum & Gallum significat, Gallis vertendo tribuit, quod Germanorum erat, qui lapsus multis sanè accidit. Et notum est Iatis, Plinium Græcorum & Latinorum commentarios exscripsisse. Nisi si quis hic per Gallicam linguam, pronunciationis modum intelligere velit, hoc est, ipsum Gallissimum, ut ita dicamus. Sed hoc foret coactius.

Arios, Helviconas, Manimos.] In horum populorum sedes *Pomeranorum* populi immigrasse videntur.

Trans Ligios, Gothones regnant.] Sarmatiarum populi fuerunt, ubi sunt hodie *Prueni*.

Rugii & Lemovii.] Extant etiamnum *Livoni*, quorum Metropolis est hodie *Rugensis* civitas. His imperant *Teutonici*, qui se *Santa Maria fratres* appellant, à quibus sunt ad fidem Christianam conversi.

Suionum.] *Suiones & Sitones* videri possunt, quos hodie *Suedos* appellant.

Elvorum gentes.] Horum sedes hodie tenent *Pomeranorum* ultimi.

Peucinatorum.] *Peucinatorum, Venetorum, & Phenonorum* loca, hodie *Prueni & Litvani* possident, Sarmatiarum populi sunt, *Venetos* hos, alii *Venedicos* appellant, & *Venedicum* suum.

Hellusios.] *Hellusii* videri possunt, quos Plinius *Helluvios* vocat. *Insulares* populi sunt.

HISTORIAE

HAtenus Germaniarum populos utcumque explicuimus una atque altera hora dictantes per lulum, non scribentes. Et animus erat nihil ultra attingere. Sed quando formularius quæstus fuit, non esse sibi satis annotationum, quod pagellas omnes imple-ret, adjecimus velut auctarium de historiis, quantum Cornelius meminuit in hoc libello, pauca quædam.

Sexcentesi. & XL.] De hoc tempore, Tacito Vellejus altipulatur, sic scribens: *Tum Cimbrum, & Teutonum transcurrere Rhenum, multis mox nostris suisq; cladi-bus nobiles.* Causam indicat L. Florus, quod terras Cimbrorum inundasset Oceanus. Unde coacti sunt, novas cum in Gallia, tum in Hispania, sedes querere, sed cum nusquam recipere, Italiam tandem

adiierunt, missis ad Senatum legatis, qui terram peterent quasi stipendium, quam habitarent.

Non Samnis.] Samnitas Romani quinquaginta annis per Fabios & Papirios, patres eorumque liberos ita subegerunt, ac ruinas ipsas urbium diruerunt, *ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur*, inquit L. Florus in Epitome sua, quem lege, si de horum cum Romanis bello plura scire cupis.

Non Pæni.] De bellis Punicis primo, secundo, & tertio, vide Florum. Marcellus Claudius primus devicit Africam, Regulus nono ferme anno primi Punici belli, sed post 204. ann. *P. Scipio Æmilianus* cruta Chartagine, ab hinc annos 181. *Africam in formam redegit provinciam*, ut scribit Vellejus.

Non Hispania.] *In Hispania*, inquit Vellejus, *primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones*, initio secundi belli Punici, ab hinc annos 250. *Inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est.* De rebus in Hispania gestis multa commemorat Florus.

Galliarum.] *Gallias primum à Domitio Fabio nepote Pauli, qui Allobrogicus dictus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpe & affectavimus & amissimus.* Sed *Fulgentissimum C. Cæsaris opus in eis conspicitur: quippe ejus ductu austeriusq; infracta, penè idem quod totius terrarum orbis ignavum conferunt stipendium.* Hæc Vellejus. De bello Gallico lege Florum.

Ne Parthi quidem.] Belli Parthici meminuit Florus, de quo mox plura.

Quis. Reg. Arsacis.] Hic Arsaces vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ, solitus latrocinii, & raptò vivere, cum prædonum manu Parthos ingressus, Præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatoque eo imperium gentis invaluit. Hæc ex Justino. Hunc Arsacem non frigidis laudum elogiis ornat Suidas, addens, eum Perlas Imperio Parthorum subdidisse, ejectis Macædonibus, quos vicerat: unde Persarum Reges Arsacidæ vocentur. Obiit ex ictu lanceæ, quem acceperat in pugna. Porro hunc honorem (referente Justino) Arsacis memoriæ Parthi tribuerunt, ut omnes exinde Reges suos Arsacis nomine nuncuparent, quod ipse Parthis non secus, ac Persis Cyrus, Alexander Macædonibus, Romanis Romulus regnum constituerit.

Q. e. a. n. quam eadem Crassi.] Hic locus videtur non carere mendo: nam hæc duæ dictiones, & ipsæ supervacaneæ sunt, & errore librarii repetitæ. Itaque malim sic legere expunctis illis. *Quid enim aliud nobis, quam eadem Crassi, amisso & ipso, & Pacoro, &c.* Porro Crassum cum undecim legionibus interfecit Parthorum Rex Orodes.

Et Pacoro.] Pacorum Orodis Parthorum Regis filium Ventidius exercitus Romani Imperator, magis fortiter quam prudenter belligerantem, unâ cum universa Parthorum manu fudit. Meminit hujus rei Justinus.

Desectus oriens.] Orientis nomine Parthorum hic intelligit Imperium: nam Parthi velut divisione Orbis cum Romanis facta, Orientis Imperium tenebant.

At Germani.] Quod hic Tacitus narrat, scribit item Vellejus, *Effusa immensis vis, inquit, Germanorum gentium, quibus nomen Cimbrum ac Teutonum erat, cum Cepionem Manliumq; COSS. & ante Carbonem, Sillanumq; fudissens fugassensq; in Gallia, & exiissent exercitum, Scaurumq; Aurelium COSS. & alios celeberrimi nominis viros trucidassent; Populus Roma-*

us non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum Imperatorem quam Marium est ratus. Vide Florum.

Varum iresq; legiones.] Occisi Vari trucidatarumque trium legionum à Cheruscis Arminio duce, meminit Florus. Sed hanc pugnam nemo copiosius candidiusve retulit in literas, quam Vellejus Paterculus, qui ultra tres legiones, totidem alas, & sex cohortes addit. *Ultimari,* inquit, *imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello Caesar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies, funesta ex Germania epistola. Vari trucidatarumq; legionum trium, totidem alarum & sex cohortium auata sunt.* Deinde Varum depingens: *Varus,* inquit, *Quantilius illustri magis quam nobili ortus familia. Vir ingenio mitis, moribus quietus, & corpore & animo immobilior, ocio magis castrorum, quam bellica adsuetus militia, pecunia vero quam non contemptor, Syria cui praesuerat, declaravit, quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. Is, cum exercitui, qui erat in Germania, praesisset, concepit esse homines, qui nihil praeter vocem membrarum haberent hominum, quisque gladius domari non poterant, posse jure mulceri, &c.* Postremo talem deplorationem subjungit. *Exercitus,* inquit *omnium fortissimus, disciplina, manus, experientiaq; bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortuna circumventus, ad internecionem trucidatus est, &c.* Fuit autem, eodem autore, *Duci* hoc est, *Varo plus animi ad moriendum quam ad pugnandum, quippe paterni avitiq; successor exempli se ipse transiit.*

Etiam Casari.] Hoc est, Octavio Augusto, nisi si cui libet Casaris nomine Tiberium intelligere; nam is erat destinatus Octavii Augusti successor. Et *Cesar* absolute nonnunquam dicitur *Augusti haeres*, ut verbi gratia, si Carolus Hispaniarum Rex, vivente etiamnum Maximiliano Augusto fuisset ab Electoribus Romani Imperii Rex Romanorum, ut vocant, electus, *Cesar* dici poterat, aut si Carolo (quod brevi futurum speramus) electo, & Pontificis pedibus coronato, nam Augustum alioqui vulgus non censet, Electores Ferdinandum eligerent Regem Romanorum, posset hoc modo *Cesar* vocari Ferdinandus. Sic Vellejus Tiberio Casaris titulum non tribuit, nisi jam per Augustum adoptato, contentus eum Neronem appellasse, quod gentis nomen erat. Sed simplicius est, Augustum intelligere. Abstulerunt enim quinque Consulares olim exercitus Germani Populo Romano, libero adhuc & suis viventi legibus. Deinde post Imperii constitutionem, imò tyrannidis Casari Varum & tres legiones abstulerunt.

C. Marini in Italia.] Nam hinc citra alpeis in campo, cui nomen erat Raudis, ipse COS. & Proconsul Q. Lutatius cum Cimbris fortunatissimo decertare praelio: *Cæsa* aut *capta* amplius C. hominum millia. Vellejus auctor. Vide Florum.

Drusus Julius in Gal.] Germani primùm in Gallia cum Casare concurrentes, tantum terroris Romanis incusserunt, ut testamenta passim in castris scriberentur. Lege Casarem & L. Florum. Hoc tum factum est cum Ariovistus Germanorum Rex, legatis Julii Casaris dicentibus, ut ad Casarem veniret, magno animo respondit: *Quis est autem Casar? Et, quid ad illum, quid nostra agat Germania? Num ego me interpono Romanis?*

Drusus.] Hunc Drusum Claudium, Tiberii Neronis fratrem intra Augusti penates enixa fuit Livia. Cujus his verbis meminit Vellejus: *Cura deinde atque onus,* inquit, *Germanici belli delegata Druso Claudio fratri Neronis adolescenti, tot tantarumq; virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit, cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est, morum certe dulcedo ac suavitas, & adversus amicos aqua ac par sui aestimatio inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternâ fuit. Sed illum magna ex parte dormitorem Germaniâ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas Consule, magentem animum iracescens rapuit.* Meminit Drusi gettorum in Germania L. quoque Florus.

Ac Nero.] Non intelligas hic Neronis vocabulo Neronem Claudium Casarem, qui post Claudium Romano praesuit Imperio, portentum humani generis, sed Tiberium Neronem Tiberii Neronis F. qui Divo Augusto proximè successit à quo fuerat adoptatus. Quem hujusmodi laudum praconiis vehit Vellejus: *Tiberius,* inquit, *Nero caelestium praeceptorum disciplinis innutritus juvenis, genere, fortuna, celsitudine corporis, optimis studiis maximoq; ingenio instructissimus, qui proinus quantus est, sperari poterat, visusq; praetulerit Principem, quæstor undevicesimum annum agens capessere cepit Republicam, &c.* Hujus idem Vellejus ab adoptione triennem in Germania militiam alibi commemorat. Cæterum apparet hunc ailquanto fuisse meliorem antequam esset summus, ut plerumque non convenit probitati cum immodica potestate: Et verissimum est illud: *Magistratus virum ostendit.*

Et Germanici.] Hic Drusi naturalis, Tiberii Casaris adoptivus fuit filius, cum esset ex fratre nepos, de hujus gettis priores Cornelii libri te multa docebunt.

C. Casaris.] Caligulam intelligit, cujus expeditionem in Germanos stultam, & contra Oceanum magis ridiculam, ne Crassus quidem ille agelattos citra risum legat apud Tranquillum spectatissimæ fidei scriptorem.

GLAREANI COMMENTARIOLI
FINIS.

VOCABULA REGIONUM ET GENTIUM,

Quæ recensentur in hoc libello Tacito,

PHILIPPO MELANCHTONE, Autore.

RHETIA, Longus tractus est ab Alpibus inter Rhenum, Danubium & Lyncum, von Eschland bis gen Dorsingen / ubi hæsit appellatio in extrema ora, quæ vocatur, das Rhiess / Et si autem *Rhetos* Germanicam gentem fuisse non dubium est, tamen Romani discernabant eos à Germania, quia *Rhetia* erat peculiaris provincia Romani Imperii, occupata sub Augusto, cum vicina Germania nunquam perdomita sit.

Pannonia, pars Austriæ inferior, & bona pars *Hungaria*, olim *Paonia* dicta, estque nomen vetustæ Nobilitatis indicium. Nam & apud Homerum sunt *Paones*, orti ab Herculis Socio *Paone*, qui à triumphis nomen habuit. Nam *Paan* significabat triumphale carmen. Hæc natio etiam his recentioribus temporibus virtute merita est decus veteris appellationis, quæ una velut in statione fuit pro reliqua Europa, adversus Turcas, quos sæpe fortissimè represserunt ac profligarunt Hungari.

Daci, *Walachi* & haud dubiè vicini *Transylvani* in *Hungaria*, qui vocantur *Sibenburger* / Germanicâ linguâ utentes. Existimantur enim eò à Carolo deducti coloni, sed ego arbitror, veteres reliquias esse Gothicæ gentis, quæ se in Daciam & Pannonias infuderat.

Danubius in sylva Martiana, quam vocant *Schwartzwald* in Suevia, ut nunc appellatur, exiguo fonte oritur. *Abnobam* vocat locum fontis, quod nomen videtur esse factum ab eo, quod Germani *ein Au* dicunt, hoc est, vallem cultam inter montes aut saltus. *Ab der Au*. In veteribus codicibus scribitur *Arnoba*, quod magis probo, & judico factum à *Barnou*. Nam ille locus saltus vocatur, in *der Baar*. Herodotus ait, Istrum oriri, ex Pyrene urbe: Ejus nominis vestigium, si quis putat esse vocabulum *Baar* / fruatur sanè hac opinione. Reverentia & charitas locorum augeri videtur, cum veterum prædicatione celebrantur. Ideo me quoque delectant hæc conjecturæ, in quibus veterum autoritas, ad ornandam patriam non infusè citatur.

Tuisco, Omitto fabulas, quæ sunt apud Berosum de ortu Tuisconis & aliorum. Illud admodum credibile est, *Gomer* filium *Japhet*, fuisse autorẽ gentis *Cimmerie*, quæ est *Cimbrica*, quæ bonam partem lateris Septentrionalis complevit. Et ab hoc ortos esse Germanos, opinor. Fuit ei filius *Ascanes*, ad hunc referunt Judæi nostram originem, secuti affinitatem nominis. Nam prima syllaba articulum continet, *Tuiscones*, die *Ascanes*. Reliquas etymologias omitto. Cæterum rectè divinat Rhenanus, *Ingvæones* dictos à *Wonen*. Germanos dictos arbitror ab *Herman*, id est, à militibus, quos Romani sic audiebant appellari milites. Nec valdè repugnabo, si quis prorsus latinam vocem esse contendat, quâ Romani nos appellaverint, etiam si nobis ignorum esset hoc vocabulum. Illud

optarim mores nostros cum honestissima appellatione convenire, nosq; verè germanitatem, sinceritatem, & concordiam tueri.

Marci. In Germanicis Historiis haud dubiè hæc appellatio Germanica est, nonnihil inflexa ad latinam terminationem a Romanis. Estq; à *Marca*, quod significat limitem. Et passim populos in limitibus vocabant *Mercer* / seu *Marchiones*, ut hodiè multæ sunt in Germania Marchiæ. Scribitur & in Arminii historia paruisse ei *Marsos*, quos fuisse arbitror vicinos *Ducum Bergensis*.

Gambrii à *Gomer*, iidem qui *Cimbri*, *Dani*, & *Holsatienses*.

Suevi, cognatarum gentium appellatione fuerunt, *Suiones*, *Suevi*, *Suedi*, fortassis ab uno aliquo generis autore sic nominati. Ad fingere autem etymologiam, sine aliqua probabili conjectura, non satis verecundi ingenii est.

Vandalos recensent inter Germanos Plinius & Cornelius, idèdque sunt qui contendunt, *Vandalos* nequam esse *Slavos*, seu, ut vocant, *Wenden*. Et Procopius ait, *Vandalos* esse *Gothicam gentem*. Gothos autem usos esse Linguâ Germanicâ, & oriundos fuisse à Germanicis, plurimis persuasum est. Equidem suum cuique judicium permitto, sed tamen Ptolomæi descriptione moveor, & ipsa appellationis vetustate, ut *Vandalos* gentem *Sarmaticam* esse existimem, quos vocamus *Wenden*. Nec mirum est, etiam antiquissimis temporibus *Sarmatas*, qui sæpe mutare sedes solebant, in viciniam effulos Germanis admixtos esse. Sunt autem variz illius unius gentis appellationes, quarum aliquæ sono non multum discrepant, *Venedi*, *Fenni*, *Vandali* alibi *Slavi* vocantur. Universam hanc gentem ab *Henetis* ortam esse judico, quos Herodotus affirmat ex Asia egressos in Illyrico consedisse. Ab his *Henetis* & ora Italia, *Venetia* dicta est. Egressi autem vel ex Illyrico, vel ex ipsa Asia, compleverunt vicina loca ad septentrionem, ubi nunc sunt *Polani*. Quare adhuc aliquid humanitatis Asiaticæ referunt, & plurimum differunt figura corporum, ingenii, moribus, victu, à vicinis *Scythis*, cum quibus perpetua bella gerunt. Nequaquam igitur illis assentior, qui affirmant seu *Polanos*, seu *Vandalos*, seu *Venedos*, seu *Slavos Scythicam* gentem esse, sed ab *Henetis* propagati regnarunt, & in *Illyrico* & in *Sarmatia*, & Republicas magno Consilio constituerunt. Magna eorum in re militari industria, magna virtus est, nec deest eis scientia domi regendæ Reipubl. in Imperiis Justitia & æquitas, amor religionis & pudicitiz, in pactis fides, ingenia habent sanè græcum quiddam referentia, eò quod in Asia vicini Ionum, in Illyrico Græcarum fuerunt disciplinarum capacia, & in primis arguta. Colunt studia literarum etiam Nobiles, earumq; cognitionem in laude ponunt, & magno sibi usui esse in Repub. ducunt. Quid cogitari dissimilius naturæ Scythicæ, aut Tartaricæ potest, quàm hæc sunt, quæ recensui?

Credamus igitur his argumentis, quæ testantur Venetos ab Hænetis ortos esse. Et admodum probabiles conjecturæ sumuntur à nominibus & linguis, hæc & nomen & lingua congruunt cum illius gentis in Illyrico appellatione & lingua. Quare eadem origo est. Dicuntur autem Hæneti Antenore Duce ex Asiaeducti esse.

Tungri sæpe celebrantur in Historiis, nec dubium est, quin tenuerint tractum in Belgico, in Leodiensi diocesi, ubi hodiè reliquum est oppidum ejus nominis, *Tingern*.

Asciburgium alii intelligunt esse Embricam in Ducatu Clevenfis, in ripa Rheni. Alii, *Dötsburg* in Geldria ab *adversus*, paucis mutatis literis. Nam *ny* altera pars vocis, quæ crebro usurpatur à Germanis, haud dubiè Græcam habet originem, significat enim turrim, sic olim vocabant arces, seu propugnacula.

Noricum, Bavaria inferior, Diocesis Salsburgensis, & pars Austriæ & Stiria.

Harcynia sylva apud Cornelium non discernitur à Martiana, cum post Cornelii tempora discernatur. Et Harcynia vocatur hæc, quæ latus Thuringiæ & Saxoniam claudit, inde usque à Bohemicis porrecta montibus, & alibi vocatur saltus Thuringicus, in Saxonia verò *der Harg*, à Piceis arboribus.

Sed in Suevis Sylva, quæ nunc appellatur *Schwarz Wald*, à Romanis dicta est, Martiana sylva, arbitror, hæc ipsa vocabula etiam à pice ducta esse, sed non nihil depravata peregrina pronunciatione.

De Bojis & Helvetiis breviter & subobscurè loquitur Tacitus, sed illud constat, Helvetios ad Rheni ripas progressos esse, non ad Mœnum. Hinc verò Bojos descendisse ab Alpibus in loca plana & cultiora, vicina Mœni fontibus. Tenuerunt autem Boji Alpes, vicinas Mediolano, usque ad Rhetos, hoc est, usque ad Athesim. Sæpe domiti & repressi à Romanis, tandem à Julio Cæsare pulsati, quæsi fuerunt sedes in Germania, & nomen dederunt Bojemiam, ac, ut est consentaneum, etiam Bavariæ. Extat igitur appellatio Bojemiam apud Tacitum, & apud Paterculum.

Avarisci vicini Hungariæ fuerunt circa *Cremniam*, aut paulò inferius.

Osi in *Moravia* fuerunt.

Treviri, populi, quorum metropolis fuit urbs, quæ hodiè retinet nomen, *Trier*, olim *Augusta Trevirorum* vocabatur, celebrata ab Aufonio Poëta, & multorum aliorum scriptis.

Nervii nunc *Tornacenses* sunt, vicini *Flandria*.

Vangiones, *Wormacienses*, quasi vòm *Oew* / Hæc enim appellatio etiam nunc est ejus viciniam circa *Oppenheim*.

Nemetes, *Spirenses*. Existimo autem nomen recens *Spiræ* Græcum esse. Nam urbs *Spira* à Constantio condita aut ornata est, qui, quia ibi erat cohors prætoriana, ut in Aula seu Regia, nuncupavit urbem à cohorte *castrorum*, honestissima appellatione, quasi eam urbem vellet speculam quandam esse totius viciniam. Quæ nunc quoque sedes est Judicii Imperatorii.

Triboci, hodiè sunt *Strasburgenses* seu *Argentorabii*, *Colonienses*.

Batavi, aliqua pars *Geldria* & *Hollandia*.

Mattiaci, vicini seu *Geldrenses* seu *Clevenfes*. *Sicambri Geldrenses*, sed horum hæc non fit mentio.

Decumates agri, vicini fuerunt limiti *Rhetia* pro-

vinciam, ubi fuerunt populi, à Ptolomæo dicti *Charitini*, hodiè Ducatus *Wurtembergensis* est, cujus duo latera verè ambiunt Danubius & Rhenus.

Catti, *Hessi*, ut & appellatio, & alia multa perspicua testimonia indicant. Nam Tgeminatium solet in Sverri, & aspirationem nostri homines agrestiores pronunciant sono Græcæ literæ *χ*. Fuit igitur vetus appellatio *Hetten*, fortassis ita dicti, quasi patres. Qui limites olim fuerint, nequaquam affirmari potest. Ad occidentem, consentaneum est, linitem fuisse *Catten* (*Urbogen*) id est, *Cattorum Anconem*. Deinde complexa est partem *Francia nostra ac Turingia*. Sonat & nomen *Otten Wald*, quasi *Hatten Wald*. Sed ut finium regundorum judicium fugiamus, Vicinas gentes fuisse dicimus olim *Vspios*, deinde *Cattos*, sub utrisq; *Tencleros*, *Vspii* & *Catti* partim *Franciam* nostram & *Hassiam* tenuerunt. *Tencleri* deinde ripam *Rheni*, dextram usque ad *Coloniam Agrippinam* aut *Tungros*, etsi has duas appellationes confundi video, sicut etiam cognatæ sunt sono. Superiorem partem nostræ *Francia*, quam vocant *Montaniam*, usque ad *Noribergam*, non dubito *Nariscos* esse, de quibus postea diceimus. Fuerunt *Nariscis* vicini *Hermunduri*, id est, *Vostlandi* & *Mysnienses*. Hos inquit Tacitus, cum *Cattis* dimicasse de fontibus *Sallis*. Et credibile est de illis ipsis *Salinis* certatum esse, quæ sunt viciniam *Mysniæ* ad *Salam*, ubi nunc est urbs, quam vocant *Halam Saxoniam*. Porro veterem militiæ & virtutis laudem adhuc *Catti* tuerunt.

Cherusci, populi *Hercyniæ* & aliqua pars *Turingorum*.

Brucleri deinceps sub *Goslaria*, ubi hodiè est *der Brockersberg*, bonam complexi partem ejus regionis, quæ nunc dicitur *Saxonia*, circa *Sildesheim* & *Brunswigam*. *Claudianus*.

— *Veni accola sylva*

— *Bruclerus Harcynia*. —

Longobardi, *Saxones* supra *Brucleros* circa medium *Albis*, ubi nunc sunt *Magdeburgum*, *Halberstæd*.

Lucones in utraque *Albis* ripa, ut inquit Ptolomæus, tractus per *Anhaltsensem* ditionem ad *Cheruscos*, id est, ad *Harcyniam*, seu *Comitatum Stobergensem*.

Angrivarii, *Engern* in *Westphalia*, *Chamarii* pars *Westphalorum*.

Cauci sub *Westphalia* tractus ad *Bremam* & *Frisios*, continens *Ducatum Lunenburgensem*.

Dulgibini, pars *Longobardorum*, ut significat Ptolomæus.

Cattuarii, à *Cattis* dicti, pars *Cattorum*, aditus *Westphaliæ* sub *Caella*.

Frisii, nota est appellatio.

Cimbri, *Holstein*, *Dennemarc*.

Nunc redeamus ad ripam septentrionalem *Albis*, à *Marchia* initium facientes.

Suevi magnam partem *Marchia* & *Pomerania* tenuerunt, & flumen *Suevum* interpretantur *Spream*.

Senones pars *Suevorum*, vicini *Longobardis*. Ergo *Senones* tenuerunt sedes è regione *Magdeburgi* in *Marchia*, supra reliquos *Suevos*, vicinas *Luconibus*, & *Hermunduris*.

Teutonum appellatio etiam hæsit propriè in illo loco, in diocesi *Havelbergensi*.

Burgundi vicini *Teutonum* & *Senonum* fuerunt, circa *Rosochium* & *Sund* non procul à *Rugis*, qui *Heruli* in historiis etiam appellantur.

Deinceps *Pomeraniam* & *Prussiam* tenuerunt populi.

populi, quos hic nominat Tacitus, *Rugi*, *Aviones*, *Angli*, *Varmi*, & reliqui, quorum discerni sedes multo minus possunt, quam ceterorum Germanorum. Nam præcipue hæc gentes ab Albi ad utranque Vistulæ ripas propter assidua bella passim vagantes, subinde mutarunt sedes. Et propemodum *Ayctoæ* gentes, omnes has continuas migrationes propter bellandi studium & consuetudinem, ut ego arbitror, amarunt. Sic & Strabo de Germanis, inter Albim & Vistulam, dicit, *οἱ δὲ ἐστὶν ἀπασί τοῖς πάντι τὸ πλεῖστα μεταστάσεις ἔμαρες, ἀπὸ τῶν λιτότητάς ἐς, καὶ ἀπὸ τῆς μη γὰρ ἔχειν μηδὲ θησαυρίζειν, τροφοῖ ἢ ἀπὸ τῶν θρημμάτων ἢ ἀλλῶν*, id est, commune est omnibus populis in ea regione facile mutare sedes, quia non possident magnas opes, neque exercent agriculturam, neque negotiantur, sed victum habent ex re pecuaria.

Testantur autem historix, bellicosiores nationes citius e finibus suis egressas, esse. *Suevi* tempore Augusti jam magnam partem regionis intra Albim & Rhenum occupatam tenuerunt, postea cum Imperium Romanum sub Valentiniano tertio dilaceraretur a Gothis, Vandalis, Francis, ingens mutatio in universa Germania facta est. *Franci* & *Burgundi* transferunt in Gallias, *Suevi* confederunt in Rhetia, pars etiam *Gothi* adjuncta in Hispaniam profecta est, *Rugi* Duce Odoacro in Italiam venerunt. *Longobardi* cum invasisent *Pannonias*, inde evocati in Italiam contra Gothos, potiti sunt magnâ parte Italix, quæ ab illis hodie nomen retinet. Has tantas mutationes cur n legimus, cumque multas nationes vel deletas, vel pulsas patrio solo audimus, subeat animos nostros cogitatio, de inconstantia rerum humanarum, & præparemus nos, ad excipiendos omnes casus, ac fortunæ injurias, ac meminimus, non certam, non tranquillam sedem ullis usquam esse, nisi piis in illa æterna & immortalis vita, ad quam nos Christus vocat. Ubique terrarum omnibus sæculis, omnes gentes, omnia imperia, imò privatæ familiæ, velut Euripi, subinde novis & calamitosi mutationibus dissipantur.

Hermunduri populi in aditu Bohemix & e regione, quæ nunc *Mysia* & *Voulandia* dicitur. Nam Tacitus clarè affirmat, *Albim oriri in Hermunduris & ad Albim fuisse sedem Hermundurorum*, inquit Strabo, qui vicinos attribuit Longobardos, de quibus supra dixi. Vellejus attribuit vicinos Senones, sed hi in ripa Albi Septentrionali fuerunt. Tacitus scribit, *Cattos cum Hermunduris de Salis fontibus dimicasse*. Credibile est enim Cattos, cum aliquam partem Turingix tenerent, progressos, utilitatis magnitudine invitatos esse, ut armis occupare Salinas nobis vicinas conarentur. Sed sive hoc loco, sive ad aliam Salæ fluminis partem pugnatum est, hæud dubie Hermunduri inter Albim & Salam & Sudetes montes sedem habuerunt. Hunc trigonum hodiè vocamus *Mysiam*, à Bohemicis montibus inter Albim & Salam usque ad eorum confluentem.

Multa sunt hujus Regionis insignia ornamenta, de quibus copiose dicere, non est hujus nostri instituti, & cum sit hæc natio admodum terax bonorum ingeniorum, multos habet doctrinæ & eloquentiæ excellentes viros, qui patriam magna cum laude illustrare possunt. Argenti venas olim celebravit Albertus Magnus. Sed hunc longè vicit Georgius Agricola Medicus, qui recens eas descripsit luculento Opere, in quo plurimum est reconditæ eruditionis. Et ad hanc adjunxit summam orationis venustatem. Ego, quod

mei instituti est, de recenti appellatione *Mysia*, meas conjecturas recensebo. Non dubium est, *bonam partem Mysia occupasse Hænetos*, hoc est, ut vulgò dicimus, *Venedos*. *die Wenden* / effusos ex Vicinia, & Hermunduris admixtos esse. Existimo autem *Mysos*, qui ultimam oram Germanix ad Carpatum attingebant, una cum ceteris Venedis vicinis in hæc loca pervenisse, cum Gothi Pannonias occuparent, & vicina loca Dacix ac Mysia. Erant enim præsertim in illis regionibus Geticis, Sarmaticis & vicinis continuæ & turbulentissimæ migrationes. Inde velut ex equo Trojano exercitus ingentes alibi in Pannonias & Italiam, alibi in Germaniam effundebantur. Nec Germani quiescebant, qui multo ante, Francico bello lacesciti, à Romanis Imperatoribus arma ceperant, & Gallias invaserant. Quare cum populi Rheno propiores, alii in Gallias transfrent, alii Rhetiam invaderent, auxilia eduxerunt ultimarum gentium ad Albim. Ita harum sedes facile ab Hænetis vicinis occupatæ sunt.

Nec in illa fatali migratione incredibile est, etiam aliquos Germanix populos, majorum sede armis expullos esse. Ac fuerunt *Mysi* prope Daciam, vicini *Tyregetæ*, à quibus *Tyringorum* nomen est. Quare simul in hac ora Germanix duas vicinas gentes *Mysos* & *Tyregetas* confedisit arbitror.

Ornat autem Homerus *Mysos* honestissimo elogio, cum vocat *hominum iustissimos*. Hujus tantæ laudis possessionem non amisit posteritas. Videmus enim civitates *Mysorum*, nostratium admodum bene moratas esse. Hermunduris etiam tribuit iustitiæ & humanitatem Tacitus, inquit, *Romanos non gravatim permisisse, ut in media provincia Rhetia sine custodiibus negotiantur*. Itaque laudandi sunt *Mysi* nostri, quod majorum suorum disciplinam imitantur. Limites constitui non satis certo possunt. Sed cum *Longobardi* fuerint vicini, consentaneum est, nostram *Mysiam fuisse Hermundurorum ferè totam*. Sed ripa Albi dextra, ubi sunt *Witteberga*, deinde *Jüterbock* fuit *Senonum*.

Nariscæ à *Voulandia* tractus usque ad *Bambergam*, & *Noribergam* complectens *Agram*, *Neuenmarek*, *Ambergam*, *Coburgam*. Et videtur appellatio reliqua esse à *Nariscis*, das *Nortaw* non procul à *Noriberga*. Fuisse *Nariscos* vicinos *Marcomannis*, id est, *Bohemis*, indicant multa testimonio scriptorum, qui conjungunt has gentes tanquam vicinas, *Ptolomæus* ad montes *Sudetes*, id est, *Bohemicos*, duas vicinas gentes collocat. *Tyrionhemos* & *Variscos*, sic enim ibi pro *Nariscis* scribitur. *Tyrionhemorum* autem appellatio valde affinis est vocabulo *Tyringorum*, sed tunc *Tyrionhemi* erant tantum populi vicini *Salæ*. *Ditio Jrens*, *Gassfeld*, *Jena*, *Naumburg*.

Marcomanni hæud dubie tenebant magnam *Bojemiam* partem, ut hoc loco Tacitus ostendit, & alicubi Vellejus nominat *Bojemum*, & testatur sedem *Marcomannorum* fuisse. Sicut & Strabo inquit, *ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βοίεμον τὸ τῆς μαροβάρδων βασιλείου, ἐπὶ οὗ ἐκείνη τὸ πῶν ἀλλὰς τε μετανήσθη πλεῖστα, καὶ ἦ καὶ τὰς ὁμοειδῆς ἐαυτῶ μαροβάρδων*, id est, *In quibus est & Bojemum, Marobodui Regia, in quam Regionem transtulit & alias gentes, & Marcomannos, apud quos natum erat*. Non igitur una tantum gens *Bojemiam* tenuit, sed reliquæ *Bojorum* aliquam partem incoluerunt, ad occasum in aditu fuerunt

uerunt Heruinduri: Sed Marcomanni sedes habuerunt in ea parte, quæ spectat ortum, versus Moraviam & Austriam. Enituit autem virtus Marcomannorum in multis asperrimis bellis, in quibus patriam adversus Romanos fortissimè defenderunt. Nunc alia natio, videlicet pars Henetorum incolit Bohemiam. Dixi autem supra, *Henetos non esse annumerandos feris & Scythicis gentibus*. Nam origo est Asiatica, ubi inter humaniores gentes nati, cum essent vicini Ionum, referunt eorum humanitatem. Itaque *Heneti, qui nunc tenent Bohemiam, non cedunt virtute veteribus colonis*.

Fit hic mentio Marobodui, de quo scribunt alibi copiosius Tacitus & Vellejus. Est autem & ipse inter exempla recensendus, quæ nos de fragilitate & inconstantia fortunæ admonent. Nam cum læpè Romanos exercitus fudisset, & cum magna gloria patriam defendisset, tandem discordiis domesticis regno expulsus, profugit ad Romanos, & Ravennæ; postquam ibi exul ac velut captivus annos duodeviginti degisset, inglorius extinctus est. Ita fortuna exercet Tyrannidem suam, etiam in summos viros, ut Miltiadis, Themistoclis, Alcibiadis, Pompeji, & aliorum innumerabilium exitus ostendunt. Quare memores tantæ inconstantia rerum humanarum, præparemus animos ad omnes casus excipiendos, nosq; doctrinâ & pietate instruamus, ad ferendas & mitigandas fortunæ vices.

Quadi tenuerunt Moraviam, & aliquam Slesia partem. Nam quod postea occupasse Austriam scribitur, id accidit diu post Taciti ætatem. Sed patria & antiqua sedes Quadorum fuit in Moravia, & aliqua Silesia parte.

Buri extremi Slesiorum versus Vistulam.

Ofi vicini Moravis, aut paulo inferius in ripa Danubii.

Gothini, Gotones, partes sunt Gothicæ gentis, quæ latè complevit littus Balthici maris, & utramq; ripam Vistulæ. Hic enim observent lectores, olim Germaniæ fines longè alios fuisse, quàm qui modo constituentur. Non annumerabantur Germanis Brabantii & Flandri, Belgicum totum ad Galliam pertinebat: Sed ad orientè multò longius erant prolata fines Germaniæ, quàm modò. Complectebatur enim latus Carpathi montis & utramq; Vistulæ ripam. Est autem Carpathus mons, qui nunc Poloniam & Hungariam dirimit. Hunc olim vocabant Suevum montem. Collocat autem multas gentes ad Carpathum & in utraque ripa Vistulæ, videlicet, quandam Suevorum partem, & Lygios. Deinde Gothicas gentes. Harum sedes non satis discerni posse arbitror, propterea, quòd passim vagabantur, illud tantùm meminerint Studiosi, circumfusas fuisse Gothicas gentes Vistula, & incoluisse utramque Vistulæ ripam, quæ nunc habet Polonia nomen. Inde progressæ versus orientem, accesserunt propius Thraciam, ubi Getæ vocantur. Nec enim dubium est, Getas esse Gothos, seu à Gothis oriundos. Audio in Chersoneso Taurica hoc nostrò tempore restare Gothorum reliquias, qui se Gothos appellant, & loquuntur Germanicâ linguâ. Itaque cum Getæ seu Gothi Thracum vicini essent, non mirum est, Græcis notos fuisse. Herodianus & Thucydides testantur, eorum sedes inter Iltrum & Thraciam fuisse. Quare Strabo, Alexandrum etiam venisse in Geticam regionem, scribit. Proximi Getis versus Hungariam fuere Daci, qui nunc Walachi dicuntur. Fuerunt supra Euxinum Pontum vicini Getis & Cimmerici. Ut autem olim in illa ora Septentrionis illæ tres gentes habitarent,

ita existimo, vagatas esse totò Balthico littorè, & earum reliquias etiam nunc esse eas gentes, quæ tenent Cimbricam Chersonesum, videlicet, Cimbro, Danos, Gotthos. Et assentior Conrado Celti, qui *Gedanum*, quod nunc vocant *Daniscum*, inquit à Getis seu Gothis dictum esse, *Codanum finum*, quasi Gotthinum à Gothis. Nam & Græci à Getis, gentile nomen fecerunt γερβολ. Celtis sic ait.

Sed quondam Gedanum, Gotthorum à nomine dictum,

Hincq; Sinus Codanus nomina clarè habet.

Hæc libenter recensui, & quia aliquid lucis afferunt Tacito, & ut gentium illarum Cimbricæ & Gothicæ antiquitas à Studiosis consideretur, præsertim cum *Gothica gens non solum fortitudine excelleret, sed etiam moderatione & civilibus virtutibus*. Est utile est, illas stupendas gentium errationes ac dispersiones diligenter considerare. In his enim vel maxime conspicitur, quàm sint res humanæ instabiles ac fugaces.

Lygi vicini Quadi, non procul à Pannoniis abfuerunt. Nam Tacitus ait, Præfecto Pannoniæ mandatum esse, ut contraheret exercitum, ad accendos Lygios. Sonus appellationis alludit ad *Slesia* nomen, cui hic Tacitus etiam *Elysius* nominat. Sed arbitror cognata vocabula esse, & ab hac gente *Slesios* seu *Lusatios* ortos esse, quorum sedes aliquâ ex parte sunt in veterum Lygiorum Regione. Reliquæ appellationes cum ipsis gentibus extinctæ sunt. Arij, Helvecones, &c. *Noharvali* dicti videntur, quasi *Mortwallen* hoc est, qui migrarint ad Septentrionem.

Lemovii, Pruteni, qui progressi videntur nomen dedisse Livoniæ.

Efflvi, Livoni.

Suiones sunt, quos nunc *Suecos* seu *Suedos* appellamus. Apparet autem ex descriptionibus in hoc Rebelli, & cognatas gentes, & affinia vocabula fuisse Suionum, *Suevorum*, & *Sionum*. Ac mare Suevicum hoc loco vocat vicinum Sueciæ. Et opinor Suevos ex ultimis oris Pomeraniæ deduxisse colonias in Sueciam. Mira enim fuit cupiditas veteribus occupandi Insulas, credo ut quærerent tanquam secessus, loca tranquilliora.

Postremò, Tacitus miscet ultimos Germanos, vicinis Sarmatis, ultra Livoniam & Lituaniam. Nam hæ fuerunt extremæ regiones Germaniæ. Deinde cinxerunt Germaniam Sarmatæ. Annumerant autem Scriptores Henetos Sarmatis, quos tamen discerni oportuit. Nam Henet, gens Asiatica, origine, linguâ, moribus & vitæ institutis longissimè differunt à Sarmatis, id est, à Tartaris. Ergo Germanos *Heneti* proximi cinxerunt, hoc est, *Moscovis & Rutheni*. Ultra hos deinde sunt Tartari. Et quanquâ nunc Heneti utramq; Vistulæ ripam tenent, dederuntq; illi regioni nomen Poloniæ, tamen olim ea loca ad Germaniam pertinebant. Postea pulsus Germanis, Heneti soli illis potiti sunt. Sed passim in ultimis finibus, Germanis fuisse admixtos Henetos, apparet ex appellationibus. Hic nominantur *Venedi*, & *Fenni*, quos arbitror ab eadem gente, scilicet, Heneta ortos fuisse, etiamsi linguam mutarunt, ut hic significat Tacitus. Inde & *Venedicus finis*, dicitur *Mare Livoniense*. Nam hi *Venedi* haud dubiè *Livonienses* sunt, & fortasse, ab his nomen est hodiè regioni *Stinnland*, in Cimbrica Chersoneso, Ptolomæus enim pro *Fenni* dicit *Finnos*.

Peucenorum appellatio indicat, miras fuisse errationes gentium in illa ora septentrionali: Non enim dubium est, *πευκω* esse insulam Istri, paululum supra Byzantium in Trivallis, hoc est, in *Rascia*; unde nunc dicuntur *de Rhesen*. Eamque insulam tenuisse *Getas*, inquit Strabo, & Syrium Regem Getarum ait se eò recepisse, gerentem bellum cum Alexandro. Ubi cum ab insula arceretur Alexander, donis Getarum acceptis, pacem cum eis fecit. Errantes igitur seu Gothi, seu alii, qui ex hac Peuce oriundi fuerunt, nomen Peucenis

etiam alibi dederunt. Tacitus admiscet *Peucenis Bastarnis*. Tenuerunt igitur *Fenni, Peuceni, Bastarnes, Lituaniam*. Est autem consentaneum, insulam *πευκω* à piceis arboribus sic appellatam esse, à vicinis, apud quos passim Græcæ linguæ usus fuit. Hæc breviter collegi adolescentulorum causa, ut eos ad antiquitatis & historiarum studium invitem, quod & moribus utile est, & eruditionem alit. Alias autem quædam hic annotata, distinctius explicabo.

FINIS.

GERMANIÆ EX VARIIS

SCRIPTORIBUS BREVIS EXPLICATIO,

Authore Bilibaldo Pirckeimero Consiliario Cæsareo.

ILLUSTRI AC GENEROSO

DOMINO HERIMANNO NEVENARIO,

Comiti ac Præposito Coloniensi, &c. Bilibaldus Pirckeimerus S. D.

EN tibi, Comes Illustris, Germaniam nostram *πευκω*, in qua nil certius affirmo, quam quod nihil ferè affirmo, attamen ansam fortassis, tibi; quam eruditus reliquis præbuero, ut exactius, quam nos fecimus, Germaniam nostram illustrent. Quid enim absurdius, quam Germanos orbem describere universum, patriam tamen interim propriam nequaquam ex oblivionis vindicare barathro? Proinde quod Germaniam ultra *Vistulam* & ad *Tanaidam* usq; extenderim, ex scriptorum præscorum autoritate feci, ac ideo calumniam parvi pendo; nec Germanis vitio dari poterit, quod tam latas amiserint, seu potius reliquerint provincias, quum pro cælo inclementi, arvisq; sterilibus tam felices adepti sunt regiones, veluti Gallias, Hispanias, imò Italiam ipsam, ut interim de Africa, ac quicquid in Asia à populo illo actum est, sileatur. Hoc planè constat, si Germanis ob res magnis gestas pares evenissent scriptores, quod nullis gentibus factis clarissimis posteriores fuisse legerentur. Cæterum, quid tua parituri Generositati, arvide expectamus, cum illam nil nisi delicias parere sciamus. Tua interim bene valeat Claritudo; & nos (ut facit) amare non desinat. Norenberge, Kalendis Julii. Anno salutis M. D. XXX.

GERMANIÆ EX VARIIS

Scriptoribus brevis quædam explicatio.

ADMODUM difficile est, veteris Germaniæ statum ac conditionem explicare, non solum ob præscorum scriptorum incuriam, sed quia serò tandem sola peragrata ac cognita est: Etenim cum veteres Germani bellis potius quam literis operam impenderint, nil mirum, si res præclare ab eis gestæ interciderint, aut minus fideliter ab exteris relatæ sint scriptoribus. Quid enim Græci præter fabulas de Germania scripserunt? Romani verò, quoniam ubique ferè propriæ studuerunt gloriæ, non tam gesta sua maximis extulerunt laudibus, quam incommoda à Germanis accepta callidè texerunt. Quis enim eorum clades à Carbone, seu L. Cassio, aut Scauro Aurelio, vel Servilio Cæpionè, sive M. Manlio acceptas exactè recenset, quastamen brevissimè Tacitus refert; & Cæsar Cassium Consu-

lem occisum, exercitum verò ejus pulsum esse nequaquam dissimulat. Quin & nulla præterquam Paterculi nuper inventa extat historia, quæ Quintilii Vari cum legionibus internecionem explicat. Unde non absre suspicari licet tam Plinii de bellis Germanicis libros, quam Cornelii ac aliorum scripta ab invidis esse suppressa, ne Germanorum gloria plus æquo excelleret. Accedit, quod Romani & Græci scriptores ut plurimum ob ignorantiam locorum aberarunt, non solum ii, qui nunquam ad Germaniam accesserunt, sed & qui res in illa gesserunt. Cujus rei vel præcipuum documentum esse potest; quod Cæsar flumen Scalde in Mosam, influere scribit, ac Strabo Lupiam & Vilurgim ad Amasium in unum deferri refert. Accedit, quod & nomina gentium, locorum ac civitatum, ubique ferè, ob prononciationis difficultatem, depravata sunt & inversa. Demum verò universalis Germanorum transmigratio omnia confudit ac ita perturbavit, ut in quibusdam potius conjecturam sequi necesse sit, quam quod aliquid certi asseri possit: Nihilominus tamen operam dabimus, ut brevissimè, & si non omnia, at quædam saltem loca tanquam è cæcis eruamus tenebris, nil in hac re doctioribus præjudicantes; sed libenter, ubi melius quam nos senserint, herbam porrigentes. Proinde licet scriptores plerumq; Germaniam à Gallia, per Rhenum fluvium dividi asserant, constat tamen, Romanos eam quoque provinciam, quæ ultra Rhenum est, primam ac secundam appellasse Germaniam: quod profectò minimè fecissent, si Germanis quicquid ultra Rhenum est, auferre voluissent, qui pridem ac ante Romanorum adventum in Galliam transierant, illamque incolebant. Unde & lingua & legibus à Gallis, ut Cæsar refert, differebant. Ab ea igitur Germaniæ parte initium faciemus, quæ ultra Danubium sita, & à Romanis olim subacta est, indeque ad Rhenum ac inferiorem accedemus Germaniam, demumque ad Germaniam transgrediemur magnam. Verum sub initium hoc scire refert, Romanos Rhetiam, Vindeliciam & Noricum ab Augusti tempore usque ad Odoacris irruptionem, hoc est, per annos circiter quingentos possedisse, qui cum Italiam occupasset, omnes ferè Romani nominis incolas in Italiam reduxit, ne irruentibus Germanis cederent in prædam

RHETIA

RHETIA.

Rhetia igitur nomine continebatur olim, quicquid terrarum inter Rheni fontes, nec non montem Adulam & Oenum fluvium juxta alpes continebatur, præterea inter Danubium & Italiam, Veronam usque & Comum, ita ut & alpes, qui nunc Curientes & circa Athesim vocantur, Tridentum, Tyrolenses quoque & Oeni Vallis incole omnes sub Rhetorum nomine comprehenderentur, excepta Vindelicia, quæ proprium est sortita nomen, hanc Rhetiam licet jam multi ac varii inhabitent populi, maximè vero Alpestres ac Suevi, illaque pluribus, & variis ornata sit civitatibus, paucissima tamen Romanæ antiquitatis restant vestigia, licet aliqua supersint, & primum:

Juxta Rhenum & non longè ab illius fontibus:

Curia	Cur. certum.
Bregetium	Breguis. certum.
Sublazio	Brixen.
Abusiacum	Suessen. certum.
Matrejo	Matran. certum.
Campodonum	Rempten. certum.

Juxta Danubium verò,

Targetium	Seulingen.
Bracodurum	Pfulendorff.
Dracunia	Ehingen.
Piana	Weyshorn.
Pheniana	Laubing.

In mediterraneis,

Drusomagus	Meinmingen.
Rostromania	Mündelheim.
Tarodunum.	Riedling.
Ara Flavia	Nordling vel potius Hendenheim.
Rnsiana	Siengen.
Alcimoens	Werd. conject. vel Eysavia, aut Albus Burgus. Et hæc omnia conjectaneè.

VINDELICIA.

Vindelicia adhæret Rhetiz, vel potius illi inclusa est, terminatur autem ab ortu fluminis Oeno, à meridie Alpibus, ab occasu Lico fluvio, à Septentrionibus Danubio, hanc jam potissimum incolunt Bavari, tum inferiores, tum superiores. Juxta Licum verò Suevorum pars. Strabo Licatis, seu Clautenatis & Vennones inter Vindelicos fortissimos esse dicit: Civitates autem antiquæ in illa sunt, Augusta Vindelicorum. Augstburg. certum.

Damasia Diessen. certum juxta lacum Ambra: Ambra Amper / apud lacum & fluvium ejusdem nominis. certum.

Paribanum	Parrentirch. certum.
Inntrium	Mittenwald. certum.
Cambodunum	Remma. certum.
Pontes Scaphonis	Schefflern / nunc monasterium super fluvio. Isara. certum.
Carrodunum	Krenberg. juxta Wasserburg certum.
Vallatum	Teisenbach. certum.
Fruxinum	Frensing. certum.
Isnisca	Isen. juxta Frisingam.
Mocenia	Mozing. certum.

Pisonium Wischelburg. certum, inter Straubingam, & Deffendorff.

Medullum Melding. apud Muldorff. certum.

Arcilia Altenburg certum, non longè à Neuburgo juxta Danubium.

Cæsarea Reschnig. certum, non longè ab Ingolstadio.

Sumuntorio Hohentwarth monasterium, certum.

Abudiacum Danubianum. Abach / certum.

Aurifium Rot. certum.

Abusina. Abensperg. certum.

Epona Epenburg. certum, supra novam civitatem.

Artobriga jam Veltenburg. Monasterium supra Ratisponam, certissimum ex magnis adificiorum ruinis.

Abudiacum Happing. juxta Rosenheim.

Tigurina metropolis Norici, vel Augusta Tiberii, seu

Regino Regenspurg. certum.

Regium Noeking / non longè à Ratispona.

Vetera castra Pfeeteren.

Augusta Acilia Straubing. nempe civitas antiqua. qua & hodie Zelburg vocatur. certum.

Quintiana vel Quintianorum colonia, Kunzing juxta Filsboven / certissimum.

Bocodurum, vel Bolodurum, vel Batavis, Ptolemao

Pœdicum. Passau / certiss. propter confluentiam Oeni in Danubium.

NORICUM.

Noricum incipit ab Oeno fluvio, protenditurque ad ortum Panoniam usque superiorem, à meridie autem terminatur monte Carvatica, & alpinis Noricis, ad Italiam usque, à Septentrionibus autem Danubio: nunc verò inhabitant occasum versus Bavari. Ad ortum autem est provincia, quæ Eng / ex fluvii Anassi nomine vocatur, & Austriz pars, ad meridiem autem Styria. In Alpibus verò habitant Carnici, partimque Croati, gens Slavonica, comprehenditurque Norici nomine, Comitatus Goricensis & Ziliensis regionesq; adjacentes.

CIVITATES IN NORICO.

Pontes Oeni	Dering. certum.
Bidajo	Lauffen. conject.
Bedacum	Durckhausen. conject.
Juvavium	Salzburg. certum.
Teurnia vel Berunum.	Vernau. certum. apud lacum Remsee.

Aredata Eng / conject.

Gamanodurum Braunau. conject.

Ovilabas Lambach. monasterium jam super flumen Eng. certum.

Lauriacum Lorch. monasterium juxta civitatem Eng. certum.

Gessodunum Ips.

Claudinum Melch. certum.

Cetio Besselsmaur.

Auguntum Neuenstat / vel prope: quia nomen repugnat.

Vacorum, vel ut aliqui putant, Sacarbantia. Greg. conject.

Pedicum Bruck. super flumen Mura conject.

Virunnum Judenberg. conject.

Zelia Cilli. certum.

Julium Carnicum Billach. certum.

PANNONIA SUPERIOR.

Pannonia terminatur ab occasu Norico, ab ortu verò, Pannonia inferiori, à meridie parte Istria, ac Illyridis, à Septentrionibus autem Danubio: nunc verò illam inhabitant Austriz populi, ac Styri, nec non Sclavorum gentes, Croati & Carni.

In ea sunt Civitates.

Juliobona vel Vindobona, seu Vindomana, aut Faviana.

Vienna. certum.

Sabaria, colonia divi Claudii. Statin am Anger. cert.

Carnus Preshburg. conject.

Muriola Mureck. conject.

Bregetium

Bregietum Rab. certum, propter confluentiam Ra-
bonis vel Arabonis in Danubium,
Carnunto Peternell. conject.
Petovium sive *Patavium*. Petau. certissimum.
Noviodurum Lanbach. conject.
Et sub *Norico Pannonia*, *Emona*, *Clemona*, certum.

PANNONIA INFERIOR.

Habitatur jam ab Hungaris, Sclavis, Siculis, Ja-
zigibus, Hunis, Cunis, Septem castrensibus Ger-
manis, & plerisque aliis nationibus. Hungari tamen
prædominantur.

Civitates ejus.

Vimundria Agran. conject.
Salinum Ofen. conject.
Tentoburgium Senna Erdot. certum, propter
confluentiam Dari. in Danubium.
Milatis Bisack. certum.
Sarmium Simach. certum.
Taururum Alba Graca. certum, propter confluen-
tiam Danubii, & Savi.

Hermonactus Kilia. conject.
Zeugma Clausenburg. conject.
Zarmis-Gethusa, domus venationis Zarmidis. Regis:
nunc Corona apud Septem castria.
Reliqua propter variarum gentium incursiones conse-
ctore indigent.

Nunc vero transenso Rheno ad Helvetios per-
veniamus, licet Helvetiorum deserta in Cisthenana
ponantur regione.

HELVETII.

Helvetiorum nomine continebatur, quicquid
nunc *Suitenses* & *Confederati* possident, *Rauracos*
usq; & *Basileam*.

Civitates horum.

Lacus Brigantinus, in quem Rhenus influit, nunc
lacus Constantia est, hunc *Ceretos* & *Vindelicos*
Strabo attingere refert.

Arbor felix Arben. certum.
Gammodurum Constantia. conject.
Vitodurum Winterduer. certum.
Turegum, vel pagus *Tigurinus*. Zürich. certum.
Avanticum Wilsisburg. certum.
Solaturum Solothuren. certum.

Vindonissa, vel *Vindonis*, *Windisch* apud monaste-
rium *Röntgsfelden* in quo est sepultura comitum
de Nabsburgi certum.

Et versus *Sequanos* & *Heduos*, nunc *Burgun-
diam* & *Lotharingiam*.

Vitontium Wisang. certum.
Tollium Doll. certum.
Nasum Nann. certum.

Post *Helvetios* habitabant *Rauraci*, quorum
caput *Augusta Rauracorum*; *Augustipagus* nunc su-
pra *Basileam* militare unum. certum.

Basilea, crevit hæc ex ruinis *Augustæ*, *Basel* conj.

Strabo deinde *Mediomatrices* ponit: post quas
Tribochicam tenebant terram, quæ nunc *Alsacia* di-
citur, ad *Sequanos* usque, & *Hunorum* tergum,
Siquidem dum *Hunni* rerum potirentur, quicquid
ad ortum possidebant, *Deisterreich* nominabant,
quicquid autem ad occidentem, *Westreich*: His
Strabo *Triusgros* adjacere refert, apud quos tum
temporis *Romani Imperatores* pontem supra *Rhe-
num* ædificabant.

Mons Brisiacus, vel *Brencomagus*. *Brensach*. certum.
Argentoratium Straßburg. certum.

Taberna *Zabern*.
Non desunt qui *Argentoariam*. *Colmar*,
Elcebum vero *Schleissatt* esse putant, sed falluntur:
nam supra *Rheni* ripam *Argentoaria* & *Elcebus*
erant.

Sequuntur *Vangiones*, nunc *Spirenses*, quamvis
usus obtinuit, ut *Vangiones Wormatienses*, *Nemeti*
verò *Spirenses* dicantur, sed præposterè.

Berbetomagus *Speyer*. conject.
Ptolomæus verò *Argentoratium* *Vangionibus* at-
tribuit.

Hærebant his *Nemeti*, quorum fines ad *Treviros*
usque extendebantur.

Civitates eorum.

Rufiniana Worms.
Neomagus *Dyppenheim* vel *Spira* potius.
Quamvis non desint, qui *Rufinianam* *Speyer*.
Neomagum verò *Worms* esse putant; *Bauconiam*
autem *Dyppenheim*.

His juncti erant *Treviri* occidentem versus, quo-
rum olim fines latissimi erant: nam à *Rheno* ad
Mediomatrices usque extendebantur, pariter & ad
Menapios & *Mosam*: ita ut quicquid hodiè à *Mo-
guntiaco* per *Trevirensis* *Episcopi* ditonem & *Mo-
selle* montes, seu *Obrinci* tractum, ad *Arduennam*,
& ultra, necnon quicquid per provinciam nunc
Westreich & *Lüchelburgium* continetur, id omne
Trevirensis erat ditonis.

Civitates verò juxta *Rhenum* sunt.

Mogontiacum Mann. certum.
Bingium, vel *Vingio*, hîc *Naus* fluvius in *Rhenum*
exit, *Wingen*. certum.

Legio Trajana, *Drechs-hûsen* quasi *Trajani* domus.
Vosavia, alias *Fialia* *Oberwesel*, ibi cæsa & sepulta
est *Mannea* mater *Alexandri Imp.* certum.

Bodobriga *Woparten*. certum.
Confluentes *Coblenz*, ibi *Rigodolum* est oppidum
Ammiano, quamvis etiam non longè à *Treviro-
rum* *Augusta* pagus sit, qui hodiè quoq; *Rigoll*
appellatur.

Et hic erat limes *Germaniæ* superioris, quem
Obrincus fluvius dirimebat, inde *Germania* seque-
batur inferior.

In mediterraneis autem civitates.

Augusta Trevirorum *Trier*. certum.
Novomagum superius. *Rûmagen* (pagus circa
Bercassel.
Pontes Sarni *Sarbruck*. certum.

Et versus *Mediomatrices*.

Durocororum *Arencois* juxta portum *S. Nicolai*.
Matricorum sive *Dinodurum* *Diedenhofen*, in ripa
Mosellæ à *Francis Theodonis* villa vocata, *Regia*
Caroli Magni. certum.

Cæterum non parva est disceptatio, quis sit flu-
vius *Obrincus*, quem *Ptolomæus* supra *Moguntia-
cum* statuit. Quidam enim illum *Naus*, qui juxta
Bingium in *Rhenum* desluit, esse putant. Alii etiam
Rhenum transgressi *Manum* esse censent, sed pro-
culdubio *Mosella* est, licet *Ptolomæus* in ejus situ
(forsitan ex aliorum relatione) deceptus videri
potest. Equidem si *Naus* esset, sequeretur, quòd
Mosella penitus à *Ptolomæo* fuisset omissa, quòd
planè incredibile est, quòd fluvius adeo insignis
fuisset neglectus, & longè minor, *Naus* nempe, re-
censitus, qui & ipse, non supra, sed infra *Moguntia-
cum* labitur. *Manum* verò per *Obrincum* designa-
ri, pla-

ri, planè ineptum videri potest, quòd in descriptione superioris & inferioris Germaniæ, transverso Rheno, Mœnus describi, & quasi humeris ultra Rhenum transportari deberet.

Ripuarii dicti sunt, qui in Treveris, ad Mosellæ habitant ripam, nec non inter Mosellam Rhenum, ac Mosam, à Francis Ripuaria vocata est *Neustria, & Austrasia*.

A Confluentibus verò *Ubiorum* incipiebat ditio, quorum fines ob fidem egregiam, mirum in modum à Romanis fuere aucti, traduxit hos Agrippa ad ripam ulteriorem, sed non invitòs, ut Strabo ait. Horum urbes erant, *Avinaco*, vel *Autiniacum*, *Andernach* certum, ibi conditum est corpus Valentini Imperatoris, sed forsitan potius in Treveris, quam Ubiis est ponendum.

Rigomagus, Reinmagen certum. Hic Arar Rhenum influit.

Bonna, Bon certum, ex cuius opposito *Genosia* est, ubi Drusus, teste Floro Rhenum ponte conjunxit.

Agrippinensis Colonia, Eöln certum. *Ubiorum* caput.

Novesium, Tacitus in Legnis quemadmodum & *Geldubam* esse scribit, *Menß* certum.

In mediterraneis,

Marcodurum, Duren certum.

Duromagus, Dürmegen certum.

Juliacum, Bülich certum.

Coriovalum Nach prope certum, vel ad *Menapios* pertinebat potius quam *Ubios*.

Lugodunum, Sevenburg.

Gelduba nunc diruta, pagus adhuc vocatur *Gelbium*, juxta arcem *Linem Episcopi Coloniaensis*.

Ubiis versis occidentem hærebant *Menapii*, quorum fines olim latissimi erant, ad Castellum enim protendebantur oppidum, eratque sub ditione eorum tractus ille, qui juxta montes sunt, quos nunc *Eysiam* appellamus, ac quicquid inde est, usque *Morinorum terminos*, nec non *Comitatus Namurcia, Ducatus Lymburgensis & Falsenburg* ac trans flumen *Mosam pars Hannonia ad Picardiam* usque & *Eburones*, habitant enim utramque Mosæ ripam, auctore Cæsare & Tacito. *Paludes* verò *Menapiorum*, quorum & Strabo meminit, inter *Eysiam*, & *Limburchensem* sunt *Ducatum*. Regio hodie *Alta palus* vocata, hominibus ferè inaccessa, & vix structis quibusdam semitis permeabilis. Sunt & circa *Geldriæ confinia*, *Menapiorum paludes*, in ea regione quæ hodie vocatur, *die Bogten von Gelderen*. Juxta *Benlo* & *Rempen*. Strabo hos novissimos ad utranque fluminis ripam esse dicit. *Menapiis* adhærebant *Morini* quorum portus *Gessoriacum*, nunc *Caes. Castellum Kessel* juxta *Mosam oppidum dirutum*.

Vaganum oppidum non procul à Castello. Wagenheim.

Zongerem civitas.

Namurcum Namur.

Leodum, Lüttich.

Atuacum, vel Atuaticum, certum.

Samobrina, Cameracum, certum, vel potius S. Quintinus.

Tarvana Terban certum.

Tornacum Tornach certum.

Gessoriacum navale Gent certum.

Lugodunum Borchum vel *mons S. Gertrudis*.

Leius portus, vel Gessoriacum Caes certum.

Deinde *Batavorum* sequebatur Regio. *Obstant* autem *Batavi*, quicquid à sectione Rheni inter *Mosam*, & *Rheni* comprehendebatur ostia. Cæterum hoc prætereundum non est, quòd licet *Ptolomæus* tria Rheni ponat ostia, *Tacitus* tamen non nisi duorum mentionem faciat: unum ubi *Mosæ* commiscetur, & *Vahalis* vocatur, alterum verò qua *Germaniam* prætervehitur, donec *Oceano* misceatur. *Strabo* quoque duo ostia Rheni ab *Asinio* tradi refert, eosque accusandos, qui plura dicunt, idemque *Pomponius Mela* sentire videtur, nostro autem ævo tria Rheni ostia esse scimus, quorum tertium *Insula* vocatur. Utrum igitur tertium illud *Taciti* tempore haud fuerit, sed posteriore eruperit tempore, indagatione nequam indignum videtur. Dux namque jam *insulæ* inter *Rheni* sunt ostia, *Batavorum* & *Canenefatum*, quorum altera *Velania* dicta est. Retinet & tertium ostium *insulæ* nomen, estque regio ea *pars Geldriæ, & diæcesis Trajectensis* nuncque *insulæ superior* appellatur. Comprehenditur & magna pars *Hollandiæ* sub *Batavia*, nec non ea terræ portio, quæ *patrum nostrorum ætate* ab *Oceano* est submersa. *Tacitus* *Batavos viriute inter Germanos fuisse præcipuos* refert, & *Cathorum* olim populum, ob seditionem in eas sedes transgressos. Proinde licet *Batavia* hoc tempore multis ornata sit civitatibus, paucis tamen antiqua remanent nomina, ex quibus sunt: *Trajectum* quod inferius appellatur, nunc *Brechtel* certum.

Portus Manarmanis vel Navalis Campen certum.

Vetera Santen certum.

Tiberiacum, non longè à *Santen/Brigg*, quamvis aliqui putent, *Tiberiacum* inter *Coloniam* & *Juliacum* esse si um, & forsitan esse, *Bergheim*.

Bagaonum, quod retinet nomen antiquum, *Bagenheim*, ibi habitabant *Arenarii*.

Neomagus, Neumegen.

Colonia Trajana Kaiserstovrd.

Calciaci Calear Tacitus.

Tametsi civitates istæ supra *insulam Batavorum* sunt sitæ, & ad *Belgas* pertinebant.

Inde per millia duo distabat *Batovodurum*, nunc penitus excisum, extat tamen arx nomine *Pattenberg*.

Dorderacum præterea, & *Briel* hodie portus admodum famosi sunt.

Post *Batavos*, & ultra *Rhenum* *Buſſactori* parvi, quos quidam *Bructeros* esse volunt, à *Ptolomæo* ponuntur, tenebant ii eam *Germaniæ* terram, quæ juxta *Rhenum* est, & versus *Boream* tendit, hodie *Frisia* pars est.

Horum jam urbes sunt.

Daventria Deventer.

Snollis Schwoll.

Inter *Buſſactores* & *Frisios* *Viadrus* fluit fluvius, ac in mare exit. *Frisium*, hodie nigra appellatur unda, estque navigabilis.

Supra hos juxta *Rhenum* habitabant *Sycambri*, à quibus *Franci* ortum sumpsere, quod quidem multis argumentis ostendi potest, nugen-
tur

ver Gallici Scriptores quicquid velint de Trojana gentis origine, & civitate illa magna *Sycambria* appellata, merismendacis constructa, omnia enim illa fabulosa existunt: Horum pars sub Octaviano Cæsare in citeriorem Rheni translata est. ripam, qui verò remanserunt posteriori tempore Franci sunt dicti, & eam occuparunt terram, quæ hodiè appellatur *Franconia*, seu *Francia orientalis*, unde & per *Francofordiam*, hoc est, Francorum Trajectum, Galliam invaserunt, quàm & hodiè tenent. Horum civitas *Asciburgium*, nunc *Asspuech* locus ruinis relictus, terra verò illa Montensis nunc Ditionis est.

Post hos *Suevi* habitabant *Longobardi*, hodiè pars *Marchia Comitatus*, & *Montensis* Ducatus terra illa fuisse videtur. Per horum & *Sycambro-*rum terram tria labuntur flumina, quæ omnia in Rhenum exonerant. *Lippia* die *Lippi*, quæ apud *Wesaliam* cum Rheno commiscetur, extratque hodiè castellum super illius ripam à Romanis fundatum *Lupia* nomine, ac *Terlipp*, vocatur. Secundus amnis *Rura*, hoc est, die *Roer* appellatur, in Cattorum montibus ortum sumens, ac in Rhenum juxta *Roerhort* influens, *Adraxus* ut conjecturare licet, à Tacito vocatus. Tertius fluvius *Angra*, hoc est, *der Anger*, & apud *Mangerhort* Rheno admiscetur.

Postea *Tengeri* degebant, & *Ingriones*, inter Rhenum & montes, ubi hodiè pars *Hassæ* cum Rheno conjungitur, dicta *Nochruga*, Ditiones *Comitum de Nassau*, *Königstein* &c. *Westeravia*, & *sylva occidentalis*, hoc est, *der Westerwald*, *Francofordiam* usque, per horum fines insignis labitur fluvius, qui magnam *Hassæ* partem interluit, *Lona* nomine, ac juxta oppidum, *Lonsstein* in Rhenum exit, quidam *Luppia* esse voluerunt, sed falluntur, nam *Luppia* hodiè nomen suum retinet, ac longissimo spacio infra *Lonam* in Rhenum labitur, & ideo dubium est, num *Lona* Romanis Scriptoribus cognita fuerit. Tacitus *Tengeris* equestris disciplinæ laudem tribuit, quemadmodum *Carris* pedestris.

Postea erant *Intuerigi*, ubi hodiè est *Difio Palatini*, *Hendelberg* & *Wergstraf*. His juncti erant *Vangiones*, ubi nunc *Franconia*, quæ *Orientalis* vocatur, esse putatur, cum *Diacesi Würzbergensi*.

Sequebantur *Charitini*, nunc *Ducatus Würzbergensis*, cum adjacente sibi *Sueviæ* parte.

Sub his erant *Vespi*, hodiè *Marchionatus est Badensis*, cum *Provincia*, quam *Brigaviam* vocant.

Inde *Helvetiorum* erant *deserta*, nunc *sylva nigra*, cum regionibus sibi annexis.

Juxta Oceanum verò supra *Busactores* *Frisii* colebant tam *Occidentales* quàm *Orientales*, Gens hodiè longissimè protensa, non solum enim usque ad *Amasium* protendiur fluvium, ut *Ptolomæus* refert, sed ad *Albim* usque pertingit in horum finibus *Amasius*, vel *Amasia*, qui die *Emis* in Oceanum exit.

Horum hodiè *Urbes* sunt.

Lewerden.

Gröningen / *Civitas insignis*.

Emlden.

Phabiranum Bremen / *conject. Tecelia*.

Supra hos colebant *Cauchi*, qui appellabantur *parvi*, usque ad flumen *Vifurgim*. Deinde ad *Albim* usque *Cauchi* habitabant *maiores*, nunc *Saxonix* pars ac *Ducatus Lunaburgensis* esse censetur, nec non *Episcopatus Bremensis* & *Hildesheimensis*. Tacitus hos ad *Cattos* usque deducit, ac inter Germanos nobilissimos vocat, & singulari justitia excellere scribit.

Deinde ad collum *Cymbrica Chersonesi* *Saxones*, quemadmodum & nunc habitabant.

Civitates eorum hodiè sunt.

Treva Henmburg / *conject.*

Lirimeris Lübeck / *civitas insignis, vel Mülsheim* / *conject. quia Lübeck noviter est condita.*

Lenphona Möllen / *vel Hanover* / *conject.*

Sequitur *Chersonesus Cymbrica*, quæ hodiè est *Ducatus Holfatia*, & *Schlesvicensis*, habet nunc *Episcopatum Schlesvicensem*, *Ripensem*, *Viborgensem*, & *Archufensem*. Civitates verò quàm plures, veluti *Hadersleben* / *Flensburg* / *Schleswig* &c. *Plinini* *Cymbris* *mediterraneos* quoque adjungit *Cymbros*.

Post *Saxones* à *Chaluso amne*, qui hodiè *Dra-*
venna esse censetur, ad flumen *Suevum*, nunc die *Spre* / habitabant *Pharodini*. Horum civitates erant.

Laciburgium Sund / *conject. sunt qui Rostock putent.*

Alifus / *Dieu Brandenburg* / *conject.*

Wismar.

Möllen.

Rostock / Civitates novæ à *Sorobis* *Sclavis* conditæ, nunc terra illa *Saxonix* & *Ducatus Megaloburgensis* pars est. Hunc totum tractum maritimum, ad *Vistulam* usque cum magna parte provinciarum *mediterranearum*, olim *Sclavini*, *Sorabes*, ac *Vilzi* occuparunt, cum quibus & *Carolus Magnus*, ac *Daniæ* postea *Reges* multa gesserunt bella, ab his major pars civitatum, quæ nunc *florēt*, est condita; supersunt adhuc reliquæ illorum, magna *Gens*, & planè *misera*, ac *contempta*, ab omnibusque oppressa.

Suevus verò fluvius juxta civitatem *Sundensem*, in mare exonerat *Germanicum*, quæ *marionis* altera censetur.

Deinde erant *Sideni* ad *Viadrum* seu *Guttalum* usque fluvium, qui hodiè est *Odera*, amnis insignis, & qui non minorem suscipit fluvium *Neussam* nomine, juxta *Camnum* civitatem *Episcopalem* in mare exit *Germanicum*, hodiè pars est *Ducatus Megaloburgensis* ac *Stetinensis*.

Civitates verò ibi sunt.

Limosalem / *Lebus*.

Lovincum / *Bernaw*.

Virunam / *Angermündel* / *conject.*

Stetin / *civitas*.

Gripwaldia, nunc *civitates insignes*.

Sub his *Rutichii* incolebant, ad *Vistulam* usque, hodiè die *Weiyel*.

Civitates horum sunt.

Rugium Camin / *certum, propter exonerationem Viadri*.

Sturgum / *Grauditz* / *conject.*

Kolberg.

Stolpe.

Lauenburg.

Ultra verò *Viadrum*, hodiè *Ducatus* est *Pomerania*.

merania & Ditio antiquorum Ducum Saxoniae, qui appellantur de Saueburg. Et juxta exonerationem Vistulae in mare, Dantiscum, hodie Emporium celebratum.

Internarum autem gentium maximam esse Suevorum Angilorum Ptolomæus scribit, hi fuere, qui posterioribus temporibus insulam Britanniam, nunc ab illis Angliam dictam, occuparunt, erant hi magis Orientales Suevis Longobardis, qui postea in Italia confederunt, hos Tacitus paucos, sed nobiles & bellicosos esse scribit.

Juxta erant Suevi Semnones, ubi nunc est Marchia, Brandenburgensis dicta, & ad Albim usq; protendebantur, ac ultra illum etiam habitabant, usq; ad Suevum fluvium, hi postea omnes populariter demigrarunt, ita ut nec vestigium ullum Suevorum ibi remanserit.

Post hos gens erat Burgundorum, Plinius Burgundiones vocat, qui & ipsi emigrantes in Gallia confederunt. Unde & ab eorum nomine Burgundia appellatur.

Cæterum inter Cauchos parvos atq; Suevos colebant Busactores majores, & sub his Chema, & deinde Angrivarii, quorum reliquæ hodie quoq; super sunt. Episcopusq; Colonienfis se Ducem Angrivariorum appellat, nunc Ostphali & Westphali ibi degunt, & Monasteriensis, nec non Paderbornensis & Bremenfis est Episcopatus. Ultra Visurgim verò Episcopatus Hildesheimensis, & Comitatus Ravensburgensis, ubi posteriori tempore habitarunt Nortmanni, qui Galliam vehementer afflixerunt, & id ex vestigio Germanico authore disci potest, qui se ex ea gente originem habere gloriatur, quicquid de his somniant Scriptores Gallici, & eos à Dania venisse autument, Angrivarios & Chamannos à tergo Dulgibinis & Casuarii claudi, Tacitus scribit, a fronte autem Phrisis excipi. Per Westphaliam Amisus fluit amnis insignis, ac in mare Phrisium juxta Emdam labitur. In hoc Drusus Brueteros navali vicin prælio, Strabo Hamasiam appellat.

Civitates verò eorum sunt,

Mediolanum, Monasterium, conject.

Tenderium Paderborn, conject.

Situanda Oshenbrück, conject.

Et ultra Visurgim Ducatus Brunsvicensis.

Hildesheimensis civitas.

Tulifurgium, Braunshwetel, conject.

Postea erant Lacobardi, sub quibus Dulingi, ubi nunc est Marchia antiqua, & Episcopatus Magdeburgensis.

Civitates verò sunt.

Mesovium Magdeburg, vel Meldem.

Halberstadiensis Episcopatus.

Inter Saxonos, & Suevos Teutonari & Virunni erant.

Horum civitates nunc.

Treva Havelburg, conject. civitas & Episcopatus.

Welsenach.

Postea Teutonones & Anarpi.

Quorum civitates nunc sunt.

Berlin & Brandenburgensis civitas.

Inter Ruthios autem, & Burgundos habitabant

Elveones

Horum civitates nunc sunt.

Scurgum Graudni, conject.

Ascaricadis Thoren, conject.

Sub Semnonibus habitabant Illinga, nunc pars est Lausnicia.

Sub Burgundis autem Luti Omani, & Luti Didi, ubi nunc est Stargardia, in Pomerania.

Sub Illingis ex utraq; parte Albis degebant Calucones, ubi nunc est Hertzberg, & pars Misnia circa Zerbst.

Cherusci inter Albim fluvium habitabant, & Visurgim, dirimebanturque ab Angrivariis, ut Tacitus scribit, lato aggere, quem illi extulerant, quo à Cheruscis dirimerentur, & quum Drusus Germanicus Cheruscos adgressus fuisset, Arminius cum illis trans Visurgim instructa acie stetit, is enim Romanos, & Cheruscos interfluebat. Unde planè constat, Cheruscos eam inhabitasse terram, quæ hodie Saxonia pars est, cum Turingia universa. Saltum verò Tentoburgensem, in quo Varus cum Romanis legionibus cæsus est, haud procul ab Amilia, teste Tacito, abfuisse constat. Drusi verò Trophea, Ptolomæus quasi ad ortum Visurgis ponere videtur. Id si verum est circa Fuldense fuerunt monasterium, nam & Strabo refert, Drusum, quum inter Salam fluvium, & Rhenum belligeraret, oppetiisse.

Camanni autem eam tenebant terram, quæ nunc est Misnia, usq; ad Melibocum montem.

Versus ortum autem Albis habitabant Benochama, circa Cottowis & Dresen.

Supra hos erant Batini, ubi nunc est Ducatus Sagenfis.

Et adhuc super hos habitabant Corcones sub monte Asciburgio, ubi hodie Górlis est, & Dautzen, cum reliquis civitatibus, usque ad Poloniam.

Luti Buri verò usque ad Vistulam protendebantur, hodie Slesia est, ubi & Cracovienfis civitas, quæ Budorgis censetur, & Polonia pars, usque ad fluvium Vistulam.

Inde Sidones erant, ubi nunc Ducatus Oppolensis, Postea Cogui, ubi hodie Ducatus est Teschenfis.

Demum verò Visburgii supra sylvam Hercyniæ, nunc pars est Moravia, circa civitatem Olmicensem.

Rufus supra Suevos, Ptolomæus Casuarios, Nertereanos, & Danduros ponit, ibi forsitan, ubi hodie Ditio Comitum de Hennenberg est, & Regiones quæ vocantur Puchen & Non, cum civitatibus Smalcaldia, Coberga, Egra & reliquis.

Sub his autem Turones & Martungi colebant forsitan, ubi hodie ea Regio est, quæ vocatur Palatinatus superior circa Ambergam, usq; ad sylvam Bohemorum. Verum hæc nil certi affirmamus.

Iterum sub Camanis Catta, sive (ut Tacitus appellat) Cathi, Cheruscis ad occasum contigui fuere ac propinqui, nam ut Tacitus scribit, quum Drusus ex improvise Catos invasisset, Cheruscis in animo fuisse, ut Catos juvarent, sed & à Cecinna prohibitos esse. Quapropter absque dubio patet, Catos vicinos fuisse Cheruscis, & eam habitasse provinciam, quæ hodie est Hassia, nam ut Cornelius inquit, apud illos colles rarefcere incipiunt, nec terra adeo palustris est, quemadmodum in Germania inferiori, hi succedente tempore Cheruscos subegerunt, indeque cum Hermiduris ob Salis flumen contendentes, penitus cæsi fuerunt, quum victores diversam aciem Marti & Mercurio sacraissent, & forsitan ob illos Salis fontes pugnatum est, qui hodie apud Hallenses in Misnia cernuntur.

Horum

Horum Civitas erat. Stereonium Cassel conje-
cturaliter. *Phengarum*, *Marburg*, *cons.* Tacitus refert
Marium caput genti fuisse, quem & summis laudi-
bus accollit.

Supra Catthos habitabant *Tubanti*, hodie ea re-
gio *Essfeld* censetur, & Sylva *Harr*. In ead *Sude-*
ta montes erant *Theurochemia*; jam *Foylandia* esse
putatur. At sub montibus erant *Narisci*; ubi nunc
civitas est *Babenbergensis*, & montana, quæ *Baben-*
bergensis vocantur, cum oppidis *Hoffeld*, *Kulm-*
bach, *Warrent*, *Hoff*. Cæterum nec hoc præter-
eundum, in hac regione montem esse *Piniferum*
dictam, ex quo quatuor insignia & navigabilia
oriuntur flumina, quæ ad quatuor mundi ten-
dunt plagas. *Egra* enim ad ortum fluit, & in
Bohemia cum Albi miscetur. At *Nabus* versus
Astrum fluens in Danubium tandem exit. *Sala*
autem ad Septentriones labens, & ipsa ab Albi ex-
cipitur. *Mænus* verò versus occasum in Rhenum
exonerat.

Sub *Marungis* erant *Curiones*, inde *Chetuari*
& *Parmæ* campi, ubi hodie Austriæ pars est cis
Danubianæ; juxta *Krems*, *Bnaem*, & *Dictas-*
burg. Inde habitabant *Marcomanni*, hodie re-
gio illa *Moravia* est; quæ se ad *Sudinos* extendē-
bat, & Danubium usque, ubi hodie civitas est *Præ-*
burgium. Gessit hæc gens maxima bella cum Ro-
manis, præcipue Antoninorum tempore, civitates
nunc habet insignes, *Olmicensis*, *Eburum* fortassis
& *Brünensem*.

Sub sylva autem *Hercynia Quadi* erant, ubi nunc
sunt oppida *Kam*, *Kalmün*, *Grafenau*, usque ad
Lunam sylvam, apud quos ut olim, hodie quoque
ferri perdurat minera.

Sub sylva vero *Luna*, seu potius inter sylvam *Lun-*
nam gens magna erat *Bamorum*, qui & *Boihemi*
vocabantur, ac undiq; claudébantur sylvis, eam re-
gionem *Maroboduus* obtinebat romanis olim bellis
clarus, sub quo tum. (ut Tacitus refert) Suevicæ
etiam gentes, *Sennones* & *Longobardi*, nec non
Marcomanni erant, ad quos ab *Arminio* pu-
gna devictus concessit. Sed *Sclavinorum* postea
gens, cum multitudine sua totam ferè inundaret
Europam, eam inyasit terram, ac expulsis veteri-
bus colonis universam occupavit, & licet illi hodie
quoque *Bohemi* vocentur, nequaquam tamen Ger-
manica, sed *Sclavonica* utuntur lingua, quæ & vete-
re illorum redarguit originem, nunc in regni forma
est redacta, ac multis urbibus insignita, dives fru-
menti, pecoris, piscium, ac mineralium admodum,
que populosa, nec non potentissimis Baronibus
magnaque nobilitate decorata.

Hujus Regionis civitates esse censentur *Cori-*
thrigis & *Mediolanium*, forsitan nunc *Praga* &
Pissa. Hi hodie ad Danubium ferè extenduntur,
ac ideo *Teracaria*, & *Racaium* quoque occupa-
runt. Proinde plures alias Germanicas gentes Ta-
citus ponit, inter quas *Marfos* recenset. Scribit
enim, quum *Drusus* Germanicus *Marfos* adorire-
tur, quas & magna clade affecit, quod exciperit
Bructeros, *Tubantes* & *Uspetes*, ut saltus, per quos
exercitui regressus patebat, insiderent. Unde liquet
has gentes omnes vicinas, & haud longè à Rheno
abfuisse, licet *Ptolomæus* *Tubantes* etiam supra
Cattos statuatur. Porro *Marforum* reliquæ adhuc

in Germania permanent, nam *Saxonum* insulæ,
ubi *Albis* in mare exonerat, hodie à *Dietmarfis*,
h. e. populosis *Marfis* habitantur, & à *Marforum*
nomine appellantur.

Bructeri à *Ptolomæo* haud nominantur, nisi
quis *Busactores* parvos, pro *Bructeris*, accipere ve-
lit. Hos *Drusus* pugna navali in fluvio *Amisio* de-
vicit, in horum terram immigrarunt *Chamani* &
Angrivarii pulsus *Bructeris*.

Præterea & *Mattiacos* Tacitus recenset, qui &
ipsa tributis, quemadmodum & *Baravi* exempti
erant, ac solum ad usum reservati bellorum. *Uspis*
& *Tenteros*, *Cattis* proximos esse scribit Tacitus,
Uspiorum verò *Ptolomæus* nec meminit. *Hermun-*
duros non refert *Ptolomæus*, sed Tacitus *Albi*
quoque in *Hermunduris* oriri scribit, id si verum
est, pars erunt *Bohemiæ*.

Juxta *Hermundurios* *Narisci* à Tacito ponun-
tur, à tergo verò *Marcomannorum* & *Quado-*
rum, *Marfigini*, *Gotthini*, sive *Gutones*, qui &
Gotthi.

Ariorum, *Helvetonarum*, ac reliqua prisca
Germanorum nomina nunc penitus exoleve-
runt.

Peucinos autem & *Bastarnos*, *Plinius* *Dacis* con-
terminos esse dicit.

Supersunt & hodie in *Transylvania*, quæ *Siben-*
burgensis appellatur, Germanorum reliquæ: utrum
verò postea illac migrarint, aut semper ibi habita-
rint, nil certi quod affirmem habeo.

Sane *Rugorum* terra & hodie nomen retinet,
pluresque Principes de titulo *Rugorum* contē-
dunt, veluti *Marchiones Brandenburgenses*, *Megel-*
burgenses, & *Pomeraniæ* Duces. Superest & insula
Rugorum, ex opposito fluvii *Suevi*, ubi in mare
exit. Hi posterioribus temporibus magnum nomen
sortiti sunt.

Suionum deinde civitates Tacitus ponit, quos
classe etiam valere scribit, forsitan hodie *Sueti*
sunt & *Dani*, post quos mare est glaciale, id Ta-
citus *pigrum* vocat. Siquidem & *Plinius* refert,
immentas insulas non pridem à Germania com-
pertas, quæ procul dubio *Suetia*, *Dania*, & *Nor-*
vvegia sunt, quæ longissimo terrarum tractu ab
ortu in occasum excurrunt, ita ut ab *Uslandia*,
quæ gradus septem in longitudine habere credi-
tur, usque ad gradus sexaginta tres protenda-
tur. In latitudine verò à gradibus quinquagin-
ta quinque usque ad gradus septuaginta duos sint
cognita, cum insulis adjacentibus, velut *Islandia*,
sive glaciale *Finlandia*, *Vermentardia*, *Gronlan-*
dia, usque ad homines sylvestres, qui ob mores
feroces *Wildsapmann* vocantur.

Ultimus verò limes Christi cruce signatus est,
quem nemo, absque Regis licentia transcendere
potest, & cum comitari magno. Et is limes conti-
ner in latitudine gradus septuaginta circiter. Inde
non longè erecta est arx, quæ vocatur *Wart-*
haus, vel domus præsidii. Veniunt tamen quo-
tidie à Septentrionibus, terraque incognita, ac
à mari glaciale, homines quidam barbari, *Caroli*
vocati, mercimoniorum gratia in *Gronlandiam*
cum magno exercitu, & ut pro comperto habeatur,
ex altera parte poli Septentrionalis, hoc planè con-
stat, *Suetiam* continentem, & non undique mari
circumfluam esse.

Norvegia civitas principalis & emporium hodie est *Bergen* / quæ habet in longitudine gradus 24. 16. in latitudine vero grad. 61. 15. *Suecia* autem civitas præcipua est *Stocholma* / quæ continet in longitudine gradus 24. 38. in latitudine gradus 60. 30. at *Dania* caput regni est *Copenhagia*, longitudine gradus 35. 24. latitudine 56. 30. obtinens.

Inter Insulas vero *Daniæ*, *Gothlandia* hodie quoque nomen retinet, suntque in illa civitates, *Ecclesia Pharensis*, & civitas *Vespu*.

Superest & insula *Schandia* vel *Scania*, quæ hodie quoque *Scholandia* vocatur; cum aliis insulis quamplurimis, ad Regnum *Daniæ* pertinentibus. Deinde *Effliorum* gentes, in dextro *Suevici* maris litore habitare, Tacitus scribit; hos *Prutenos* esse liquet, quia apud illos nunc, ut olim *succinum* colligitur. Inde *Sitonum* sequuntur gentes; & hunc finem *Sueviæ* esse Tacitus refert, forsitan hodie *Eyslandia* est. Pomponius Mela, *Hermiones* ultimos *Germaniæ* esse, dicit. Cæterum Ptolomæus ultra *Vistulam Sarmatiam* auspicatur *Europæam*, quam eò quoque tempore, quemadmodum & nunc, multæ *Germanorum* habitabant gentes, veluti *Gybonnes*, *Alani*, *Rugii*, *Scyri*, *Vandali*, & cunctæ aliæ *Gothorum* nationes, post quorum migrationem, *Sclavini*, ut dictum est, ingressi sunt, & terras illas occuparunt, aut etiam alios expulerunt, gens multitudinè sua numerosissima, & quæ hodie, præter *Poloniæ* totam *Russiam* cum *Moscovia* usque ad mare glaciale, & *Tanaim*, ac ultra illum etiam multa possidet.

Cæterum sinus *Venedicus* cum magna parte *mediterraneæ* regionis, quæ hodie *Prussia* est, nec non *Livonia* universa, quæ olim fuit *Gothia orientalis* usque ad *Narvæ* fluvium, qui in sinum exit *Venedicum*, hodie *militia Teutonica sanctissimæ Virginis Mariæ* parer. Suntque ibi *Ecclesiæ* cathedrales quàm plurimæ, veluti *Sambiensis*, *Rigensis*, *Hapselensis*, & ultimæ *Rivaliensis*. Civitates vero, *Elbing*, *Ermsel castrum Mariæ*, *Borgus*, *Mons Regalis*, *Rigæ civitas*, *Pörnov*, *Hapsel* civitas, & demum civitas *Revalia*, quæ habet in poli altitudine grad. 61. In mare autem exeunt post *Vistulam*, *Chronus* hodie *Passaria*, deinde *Pregora* vel *Cherchtn* postea *Armele* fluvius magnus die *Nemel* vocant & *Niemen* Slavonicè, per *Moscoviam* fluens, ac in mare *Prutenicum* tribus ostiis exonerans, quidam hunc *Chronum* esse putant. Inde *Hillige* fluvius, *Rubonus* fortassis. Post deinde, *Turnutius* forsitan, postea fluvius ingens, qui *Duna* & *Zuina* ac *Binda* vocatur, ex *Moscovia* oriens, apud *Rigam* in mare erumpit, forsitan *Gherfinus* est. Inde juxta *Rivaliam* *Anna* fluvius exit, demum autem *Narvæ* fluvius magnus, & ipse ex *Moscovia* fluens ac in *Oceanum* *Sarmaticum* juxta *Flautenam* exonerat, *Livoniæ* quoque ex *Moscovia* determinat. Ostia fluvii hujus in elevatione polari, gradus habent 64. vel circiter. In *mediterraneis* autè, & haud longè inde, civitas magna est, *Novogardia* dicta, quæ graduum esse fertur 66. non multum à mari glaciale.

Est hoc tempore *Moscovia* cum terra illa universa *Magno Duci Moscoviæ* subiecta: cujus ditio quum versus occidentem à *Mari Balthico* incipiat, per quingenta milliaria *Alemannica*, & magna quidem, orientem versus se extendit, quemadmodum *Moscovitæ* pro certo affirmant, ita ut longè *Ta-*

naim, nec non *Volgam*, hoc est *Rhæ* fluvium superet, & per *Asiaticam Scythiam* excurrat. *Johannes* enim præsentis. *Ducis Basilii Patris* multa suo adjecit Imperio; veluti terram quæ *Permeska* nominatur, nec non *Correlam*, ac ultimam *Jubram*, ex qua olim egressi sunt *Hungari*; qui in *Pannonia* sedes fixerunt: quod non solum ex communi patriæ liquet nomine, sed quod & lingua eadem utuntur, quæ *Hungari*, licet incomptiori.

Sunt verò prædictæ gentes, non solum *Barbaræ*, sed & ferinæ ac beluinæ; pane carent, & solum ex venatione ferarum & piscium vivunt; & quia nihil aliud possident, *tributi nomine*, nil nisi animalium pelles, & piscium dentes magnos *Moscoviæ Duci* solvunt; ex quibus cultellorum fiunt manubriæ præcipueque apud *Turcas* in precio habentur. Sed & *Tartari Kofanenses*, qui juxta *Castrum Kofan*, quod supra flumen *Volga* situm est, habitant, unde & nomen sortiti sunt; *Moscovitæ* subsunt Imperio, ac illius jussu bella capessunt. *Moscoviæ* vero ad ortum, *Tartari* adjacent *Savolhenes*, nec non *Tartari Nohajenses*, *Sabolenses*, qui se cæteris præstare putant; ad mare se extendunt *Caspium*, at *Nohajenses* admodum sunt septentrionales; & quotidie *Moscoviam* suis infestant incurfionibus. A septentrionibus verò *Moscovia* *Oceano terminatur* glaciale, à meridie autè v. stillicis campis, nec non *Lithuania* & *Russia*, à qua nostris temporibus *Johannes Dux*, *Novogardiensem Ducatum* cum civitate ejusdem nominis maxima nec non *Mozaisensem Ducatum* abstulit. Præsens verò *Dux Basilii Plozkoviensem* & *Smolensem Ducatus*; cum pluribus aliis, *Lithuanis* & *Ruthenis* ademit. Usuntur *Moscovitæ* ac *Rutens* lingua *Slavonica*, ritumque observant *Græcum*; reliquis verò gentibus, quibus *Moscovitæ* & *Lithuani* imperant, singulis proprius est sermo; Civitas, in qua *Dux* ipse ut plurimum degit, *Moscovia*, quemadmodum & regio ipsa appellatur, fluitque per eam nominis ejusdem fluvius vastus. Urbs est ingens, sed tota ferè lignea, præter castrum & palatium Ducis, quæ ex lapidibus sunt constructa, distatque à civitate *Smolensi*, quæ in *Russia* est posita centum milliaria *Germanica*; *Smolensis* verò civitas, à *Vilna* civitate ingenti *Ruthenorum*, abest milliaria centum viginti, ac *Vilna* à *Cracovia* Regia civitate *Poloniæ* per milliaria centum, ita ut à *Cracovia* usque ad *Moscoviam* trecenta & viginti sint milliaria *Germanica* magna, à *Nürnberg* autè *Cracoviam*, milliaria sunt centum & aliquid plus. Sunt autem gentes illæ incomptæ, & admodum barbaræ, & extremæ præterea servituti subiectæ, ita ut omnia, quemadmodum inter *Turcas*, dominorum propria esse censeantur. Princeps *Moscoviarum* cunctarum rerum proprietatem habeat, usum fructum verò subditis utendum relinquat, non diutius tamen, quàm sibi placet. *Moscovitarum* terra pars est *Sarmatiæ Europææ*, ubi Ptolomæus *Hyperboreos* & *Basilicos* ponit *Sarmatas*, nec non *Modocas*, à quibus forsitan *Mosci* sunt derivati, præterea *Hypophagi* *Sarmatæ* ibi degebant, nec non *Zacata*, *Suardens* & *Asei*, & juxta *Borealem Tanaidis* inflexionem, *Perierbidi*, gens magna. Juxta *Australem* verò *Taxamata*, ultra *Tanaim* verò, quò se longissime *Moscovia* extendit, *Sarmatiæ* incipit *Asiatica*, & deinde *Scythia* est juxta *Rhæ* fluvium; ubi à Ptolomæo *Phthirophagi* & *Mais-*

Materi, cum aliis quam plurimis ponuntur gentibus. Deinde erat terra incognita, ubi hodie *Permeska*, *Corella*, & *Jubra*, vel *Ungaria* prisca fuit, quæ cuncta Moscovitæ sunt subjecta. In Moscovia oritur fluvius, *Edes*, id est, *Khaj* vel *Volga*, nec non *Tanaïs* ex terra plana ac palustri, cum multis aliis, veluti *Zuina*, *Moska*, *Ocha*, *Mimula*, &c. *Lituania* Moscoviæ versus Boream est conjuncta, ad occasum vero, ubi regio est *Samagithia*, *Livoniæ* & *Prussiæ* adnectitur, ab ortu autem fluvii terminatur *Oskol*, *Jugra*, & *Donyz*, qui omnes in *Tanaim* exonerant, at meridiem versus, *Poloniæ* & *Ruscicæ* adiacet. Hæc Gens superioribus annis admodum obscura, & Ruthenis subdita fuit: verum quum succedenti tempore Duces nacta esset bellicosos, ita prævaluit, ut totam *Russiam* suo subiceret imperio, quin & *Livoniam*, *Rusciam*, & *Poloniam* assiduis infestavit incursionibus, adeo, ut nisi *militus Cruciferi*, cum aliorum Christianorum Principum subsidio, illis obviam ivissent, tam de *Polonia* quam de *Prussia* adum fuisset. Nec tamen ita reprimi potuit, ut non maximas clades Christianis inferret, pariter & acciperet, duravitque bellum infestissimum multis annis, donec tandem deficiente Regia stirpe *Polonica*, *Jagellus Magnus Lithuania Princeps*, fidem Christi una cum Regno *Polonia* & relicta *Ludovici Regis filia Hequide* accepit, ac post susceptum baptismum, *Uladislaus* est vocatus. Contigere hæc sub annum salutis, 1386. Ab eo tempore *Lituania*, *Samagithia*, & *Polonia* in stirpe illa permansit. Subsunt autem Magni Ducis *Lithuanie* imperio Gentes multe, & Principes quam plurimi, tam *Lithuani* quam *Rutheni*. Civitas principalis *Vilna*, est admodum magna, ad fluvium ejusdem nominis condita: Oritur in *Lithuania* fluvius *Boristhenes*, qui deinde per *Russiam* fluens, in mare exit *Ponticum*. *Lingua Genis* quadripartita est, paulatim tamen lingua subintravit *Polonica*, nec non *Germanica*: Sequitur *Lithuania* & *Samagithiarum* Ecclesiæ *Romanæ*. *Ptolomæus Galindos*, *Bodmos*, *Serinos*, *Amoxobios* & *Carinos* ibi posuisse videtur.

Russia siye *Roxolania*, & ipsa in *Sarmatia* posita est *Europea*, ea duplex est, *Alba* & *Rubea*, seu inferior: A solis ortu flumine terminatur *Tanaide* & paludibus *Meotidis*, a Septemtrionibus autem *Moscovia* & *Lithuania* adiacet, a meridie vero *Walachia*, *Moldavia* & *Carpatum monte* determinatur, ad occasum autem *Poloniæ* & *Mosovia* contingit. Eam regionem olim inhabitaverunt *Massageta*, qui & *Alani* & *Hamoxobii*, ac per totum latus *Meotidis*, *Saxiges* & *Roxolani*, nec non *Chuni* ad occasum versus *Pencini* & *Bastarna*, *Amanedoci* & *Navari*, *Tyrangita*, *Sauromata* & *Gythones*, cum aliis nationibus Gothicis: Siquidem ex his regionibus emigrarunt Gothi, *Alani*, *Scyri*, *Gepidæ*, *Heruli*, *Taphali*, *Carpi*, & reliquæ cunctæ gentes Gothicæ, quemadmodum ex certissimis historiis ostendi potest, nam *Alani* & *Roxolani* in vastissimis campis ad *Tanaim* usque habitaverunt: qui hoc tempore *Tartarorum* incursionibus penitus sunt desolati & inculti. Ad fluvium vero *Deneper*, qui est *Boristhenes* & *Deneper*, qui & *Tiras* Gothi residebant, unde digressi, in duos divisi sunt populos; nam qui ad solis ortum sunt progressi, ac *Tauricam Chersonesum*, cum multis aliis occuparunt locis, *Ostrogothi*, hoc est, *orientales Gothi* sunt dicti,

Qui vero occidentem versus perrexerunt, *Wisogothi*, id est, *occidentales Gothi* sunt appellati. In horum locum *Slavini* successerunt, quemadmodum patet ex lingua. Cæterum hoc tempore *Russia*, *Magno Duci Lithuania*, & Principibus, qui sub ipso sunt, est subdita, præterea, quæ *Moscovitæ* abstraxerunt. Sanè etsi Regio illa pecoris, frumenti & mellis sit fertilissima, præcipue ea quæ *Podolia* nuncupatur, per *Tartaros* tamen ac *Turcas* admodum est vastata. *Tartari enim Præcopenses*, qui & *Uldni*, ex *Thaurica Chersoneso* quotidie illam invadunt & spoliant. *Turcæ* vero postquam nostrâ ætate *Biologrod*, siue *Nigrum castrum*, ubi *Tiras*, hoc est, *Deneper* in *Pontum* influit, nec non *Rissian* hoc est, *Album castrum*, non longè a *Danubii* ostiis occuparunt, nunquam ab infestatione *Russicæ* cessarunt. Sed & *Tartari Præcopenses* munitionem citra *Boristhenem* extruxerunt, nomine *Ozarkon*, ex qua *Russiam* invadunt & spoliant. *Rutheni* enim licet olim supra flumen præsidia quædam constituisent, per quæ *Tartari* transgredi prohibebantur, ea tamen propter avaritiam reliquerunt, unde jam *Tartaris* liber pater aditus. Habet & *Russia* civitates quam plures insignes, quæ magna ex parte vastatæ sunt, inter quas erat *Chiovina* urbs amplissima ad *Boristhenis* fluvium sita, forsitan *Olbia* seu *Barisshenis* a *Ptolomæo* & *Strabone* vocata; jam pridem a *Tartaris* everta, in illa residebat *Ruthenorum* Metropolitanus, cui subditi fuere omnes *Russicæ*, *Lithuanicæ*, *Moldavicæ*, & *Walachicæ* Episcopi, hodie *Leopolis* principalis est civitas, deinde *Halitz*, ambæ juxta fluvium *Tiram* sitæ, cum plerisque aliis, nam *Smolensis* nec non *Gimnensis* & *Novigradensis* Ducatus, cum civitatibus suis *Ruthenis*, ut dictum est, per *Moscovitas* sunt adempti. *Rutheni Slavonico loquuntur sermone*, & ut plurimum *Græcorum* fidem sequuntur. Inhabitantes & *Russiam Armeni*, qui magnas exercent mercaturas, nam ad *Aegyptum*, *Persiam*, & *Indiam* usque penetrant, inter *Turcas* enim & *Machumetas* liberè, & ubique sine veltigalibus negotiantur, ita enim lege suâ *Machometes* constituit, quoniam ab *Armenis* educatus, & multis beneficiis affectus fuit.

Cæterum quia *Thaurica Chersonesi* facta est mentio. Sciendum est, quod *Ostrogothi* illam post primam occupationem, usque a dhodiernum diem inhabitent: Nam licet Imperatores *Græci* peninsulam illam aliquando possederint, *Januensesque Cassam*, quæ est *Theodosia*, occuparint, *Tamerlanesq*, decantatus *Tartarus* illam cepit, a quo tempore eam *Tartari Ulani*, qui & *Præcopenses*, seu *Grimuenses*, ex oppidi nomine ita vocati, possederunt ac inhabitaverunt, qui & ipsi postea a *Turcis* fuerunt subacti, & tributum solvendum coacti. *Ostrogothi* tamen semper montana, licet sub tributo possederunt. Loquuntur autem Germanicè, qua lingua omnes Gothi, utpote *Germani*, sunt usi. Superfuere ad aetatem usque nostram Duces *Gothorum* nobilissimi de *Mankup* dicti, qui castrum *Mankup* semper a *Tartarorum* vi defenderunt, donec *Mackumet* *Turcarum* Imperator *Cassam* expugnavit, *Tartarosque* ac peninsulam suo subjecit imperio, tum & castrum *Mankup* cepit, ac duos Duces fratres de *Mankup* gladio percussit, in quibus & tota *Gothorum* illorum nobilitas cessavit. Gothi vero qui adhuc in montibus supersunt, ut plurimum vineas colunt, & inde

& inde vitam sustentant. Proinde & hoc sciendum, quod ex omnibus nationibus Gothicis nulla amplius in Germania superest, exceptis Scyris qui adhuc quoque *Stirii* vel *Stirenses* appellantur, & *Turcilingis*, qui & *Turingi*. Sed nec hoc ignorandum est, eam gentem, quæ hodie Turcarum appellatur nomine, à Tartaris ortum sumisse, quod non solum una & eadem lingua, ritus, victus & vestitus, sed & equitandi ac bellandi usus, nec non fraudes, perfidia, & innara barbaries ostendit & feritas. *Falluntur* igitur, qui *Turcarum* gentem antiquissimam, aut *Turcimanos esse* putant, cum parum plus sint, quam trecenti anni, ex quo primum *Tartarorum* nomen, antea penitus incognitum, sit auditum, post quorum adventum *Ottomannus* se à *Tartaris* sejunxit, ac cum suis *Turcarum* nomen assumpsit. Tartarique hodierna die Turcas clientes suos esse dicunt, ac Deum ob peccata eorum Turcas sic extulisse conqueruntur, quum antea non solum illorum fuerint subditi, sed rustici etiam, idque Tartarum nomine significare asserunt. Proinde gentes Slavonica non solum magnam Europæ, sed & Asiæ partem occupavere, superfuntque hodie in montibus Iberiæ ac Albanæ. Et versus mare Hircanum *Circassi*, gens bellicosissima, quæ longo tempore Ægypto cum Syria sub servorum nomine imperavit. Habitant & ibi *Gazarorum* gentes, quæ hodie *Abgazari* & *Abgazelli* à Græcis vocantur, nec non *Mengrelli*, apud has gentes Tartari Savolenses tela & alia comparant necessaria. Et hi omnes ex *Scavorum* gente originem sumere, linguaque loquuntur Slavonica, ac Christi fidem secundum ritum Græcum sequuntur: quia per totam Turciam præcipue inter milites, Slavonica in usu est lingua, ita ut *Constantinopolis* ipsa, tam non amplius *prisco nomine*, sed *Cæsaris domus* Slavonica vocetur lingua, sed & paulò ante in aula Soldani Ægyptii milites, utpote magna ex parte *Circassi*, Slavonicè loquebantur.

Supra mare Hircanum & meridiem versus *Zagathai* habitabant Tartari, non amplius jam in campis, sed civitatibus lapidibus constructis, ex quibus præcipua est *Samaranda*, quam *Laxartes* maximus Sogdianæ fluvius interluit, qui & in mare Caspium exonerat: hujus conditor Tamerlanus fuisse dicitur, cum quibus dum *Sophi Rex* Perlarum bellum nostra gereret ætate, à *Selyno* Turcarum Imperatore invasus & victus est, qui illi & quicquid in Armenia possidebat, unà cum *Taurisio* caput ademit. Cæterum qui *Vinulos* seu *Vendos*, reliquamve Slavorum gentem, *Vandalorum* nomine honestare contendunt, planè falluntur. Constat enim classicorum Scriptorum autoritate, *Vandalos ex Gothorum ortos esse gente*, quemadmodum & *Scyros Gepidas, Alanos* ac reliquos Gothicæ nationis populos, inter quos nihil præter solam interfuit nomenclaturam, eisdem enim institutis eademque utebantur lingua Germanica: nempe quemadmodum (ut dictum est) ex reliquiis quoque Gothorum, qui montana *Tauricæ Cherfonesi* præsentia adhuc ætate obtinent, discere licet, quum Slavorum, Vendorum & Viltzorum loquela penitus à Germanica sit diversa: quin & diu antequam Slavorum nomen est auditum, *Vandali* populariter cum liberis & uxoribus à patria emigrarant, jamque *Lusitania partem* tenebant, ac in Africam

trajicientes. *Carthaginem cum universa illa provincia suo subjecerant imperio*. Sed & tam *Ostrogothi quam Visigothi Christianam tum susceperant fidem*, quum *Slavi* sub initium omnis religionis fuerint expertes, quorum tanquam novorum hostium nomen, sub *Mauritis* primum auditum est, incursionesque eorum à *Justiniano* non parum sunt repressæ, donec immensa multitudo superantes, magnam Europæ & Germaniæ quoque occuparint partem, quod quidem *Procopii* aliorumque plurimum autorum constat testimonio. Egressi autem sunt ex *Scythia*, quemadmodum multa alia *Barbaræ nationes*, & (ut *Solinus* Græcus scriptor refert) ex profundo *Bersilia*, dominatique sunt omni pervia terræ, usque ad mare *Ponicum*, *Gazari* sub initium à Græcis appellati, quemadmodum & hodie à *Saracenis* vocantur. Nihil igitur *Vandalis* ac *Vendis*, præter nominis tantum consonantiam quandam unquam commune fuit, licet *Parabi, Viltz, Vendi*, ac reliquæ *Slavorum* gentes à *Vandalis* derelictam occupaverint terram, quemadmodum & multas alias regiones suo subjecerunt imperio, prioribus expulsis habitatoribus, siquidem nulla unquam gens ex *Scythia* egressa tā copioso numero, ut *Slavi*, habitabilis terræ partem inundavit. Nam quicquid est, à mari *Sarmatico* & *Balthæo*, ad *Pontum* usque & *Adriaticum* mare, nec non à *Tanaide* fluvio, usque ad umbilicum *Germaniæ*, cum tota *Sarmatia* Europæa ac magna parte *Asiaticæ*, nec non *Boemia*, *Dalmatia*, & *Illyria* sua repleverunt multitudo. Quod si eisdem artibus, quibus regna parantur, etiam conservarentur, procul dubio omnium gentium essent potentissimi. Verum quemadmodum homines, civitates, regna & nationes, sua habent initia ac incrementa, ita etiam cum ad fatalem deveniant periodum, rursus decrescere & pessum ire incipiunt, quoad tandem penitus deficiant ac evanescant. Nihil enim in hac mundana machina firmum, aut perpetuo stabile esse potest.

MONTES ET SYLVÆ IN GERMANIA Ultra-Rhenana.

Ex montibus *Protonæus* primum ponit *Sarmaticos* qui nunc *Hungariam, Poloniam, ac Germaniam* determinant, vocanturque *Cremnitz* & *Semnitz*.

Montes vero qui supra caput *Danubii* sunt, hodie pars existunt *sylvæ nigræ*, juxta oppidum *Biltingen*.

Helvetiorum eremus hodie superior pars est *sylvæ nigræ*, cum *sylvâ Bregentina*, quæ ad *Alpes* usque pertingit.

Abnobi montes varia sortiuntur nomina, multosque extendunt ramos, à *sylvâ* enim *nigrâ*, per ditionem *Marchionis Badensis*, & *Ducis Wurtembergensis*, Nicerique fluminis ripas excurrentes, per *Sueviam* usque ad fluvium *Cocerum*, ac inde ad *Tubarim* progrediuntur, hinc *Franconiam* versus ac *Babenbergam* tendentes, *sylvam saltuosam*, hoc est, *Steygerwald* constituunt, à *Nicero* vero ad *annem Mœnum*, *Ottenswald* ac ultra illum *Westerwald* nominantur. Dehinc ad *Cattos*, hoc est, *Hassiam* pertingunt, a quo etiam *Franconiam* dividunt, ibique *Speßbart* appellantur, & usque ad *Westphaliæ*, nec non *Rheni* ripas *Coloniam* usque se extendunt.

Melibocus verò mons inde initium sumit, & ad ortum tendit, nunc *Hartzwald* & montana sunt *Misnensium*, cum argentifodinis, planeque appendix est *Abnorum* montium.

Deinde silva est *Semana*, hodie *Silva Turingorum*.

Sub montibus autem *Sudeti* *Gabreta* est sylvæ, nunc *Bohemorum* dicta, quoniam *Bohemiam* undique per gyrum circumdat & claudit.

Ascburgii verò montis nomine, montana illa continentur, quæ per *Silesiam* ad *Poloniam* & *Cracoviam* usq; se extendunt.

Sudeti montes esse censentur, qui nunc *montana Babenbergensia* vocantur, & *Ditio Marchionum Brandenburgensium*, ubi civitates sunt *Dossfeld* / *Eulmbach* / *Denyren* / *Hoff* cum *Foylandia*.

Sub his montibus prædicta *Gabreta* est sylvæ, quæ ipsa pars est sylvæ *Bohemicæ*.

Sed & sylvæ *Hercynia* inter hos & *Sarmaticos* ortu sumit montes, quæ in mento prætenditur tractu: nam *Cæsar* scribit; neminem hujus *Germaniæ* esse, qui se audisse aut adisse ad initium hujus sylvæ dicat, etiam quum itinere quadraginta dierum præcesserit; aut quo ex loco oriatur acceperit, latitudine verò novem dierum itinere expedito patere, multarumq; gentium fines propter magnitudinem attingere. Hanc olim, ut ex variis patet *Scriptoribus*, *Germani* inhabitarunt, fuitque ibi *Germania magna*, sed illam postea occuparunt *Poloni* gens *Sclavonica*, eamque hodie cum *Moscovitis*, & *Lithuanis* tenent.

Luna sylvæ, & ipsa pars est sylvæ *Bohemicæ* versus meridiem, usque ad *Danubium* pertingens.

In *Rhetia* & *Vindelicia*.

Adula monte, latus occidentale *Rheticæ* terminatur, hodie *Alpes* sunt juxta *Curiam* & loca circumjecta.

Graja verò sunt *Alpes*, *Athesini*, & *Oeni vallis* dicti, quæ *Italiam* versus extenduntur. *Pœna* autem sunt juxta principium *Lyciamnis*.

Oera mons hodie *Alpes* sunt circa *Juvanum*, hoc est *Salisburgium*.

In *Norico*.

Cæsius mons in *Norico* est, hodie *Scyrorum* sive *Styrensi* montana.

Carvance montis nomine hodie *Carnorum*, *Croatensium* ac *Gorcensium Alpes* continentur.

Cæterum hoc quoque scire refert, *Germania montes ac sylvas*, licet diversis appellentur nominibus, ab *Alpibus* tamen omnes incipere, ac postea semper continuo quasi tractu hinc inde discurrere, rursumq; in seipos reflecti, ac magna ex parte ad montana *Bohemicæ*, & sylvam illam concurrere.

Cæsar *Bacenis sylvam* infinita magnitudine esse scribit, & inter *Suevos* ac *Cheruscis* discurrere: ex quo patet, *Bacenis* esse, quam *Ptolomæus sylvam Semanam*, hoc est, *Duringorum sylvam* vocat. Ise enim eo tempore *Suevos*, *Albs* fluvii accolæ, à *Cheruscis* dirimebat.

Ultra *Rhenum* verò sunt.

Jura vel jurassus mons, cujus nomine *Suitensium* hodie continentur *Alpes*, usque ad *Allobroges*.

Vogesi montana sunt, quæ hodie per *Hunorum* tergum ac *Lothoringiam* extenduntur.

Arduenna olim latissima patebat, hodie *Eyflia* pars illius existit. *Strabo* ait: *Arduennam* *Morinos*, *Atrebatas*, *Eburones*, & *Menapios* attingere.

Riphei autè & *Hyperborei* montes, de quibus præsci tam multa scripsere, nusquam hodie comparent, licet tota *Europea* & *Asiatica Sarmatia* undique à *Germanis*, *Polonis*, & *Moscovitis* sit peragrata ac cognita: sed omnia sunt plana, nisi juxta mare glaciale, ubi colles quidam eminent admodum mediocres: *Amnes* verò maximi, veluti *Rha*, qui est *Volga*, *Tanaïs* & *Duna*, quæ & *Zuina* ex sylvis; terra plana ac palustri & nequaquam ex montibus aliquibus oriuntur.

DE FLUMINIBUS GERMANIÆ.

Flumina verò *Germaniæ* sunt quàm plurima, quæ partim in *Rhenum*, *Danubium*, *Albim* & *Vistulam* exeunt: quædam & sine aliorum incremento in *Oceanum* exonerant. *Germanicum* *Athesis* verò, licet in *Alpibus* & *Germania* oriatur, in sinum tamen influit *Adriaticum*.

In *Rhenum* igitur influunt amnes insigniores, illa non longè à *Feldkirchio*: postea *Ara*, *Lymacia*, & *Rusia*, flumina rapidissima, ac in *Helvetiorum* montibus ortum sumentes.

Deinde *Nicerus* sive *Necarus* fluvius celebris, in quem decurrunt *Cocerus* & *Jagesta*, nec non alia quædam flumina ignobiliora. Postea *Mœnus*, vel (ut quidam appellant) *Moganus* in *Rhenum* ex opposito *Mogunticæ* exit; fluvius magnus & navigabilis. Verum priusquam exonerat, multos alios recipit amnes: & primum *Regnesum*, qui & *Radiantia* & *Tramarictus* vocatur, is postquam *Peguesum* per *Nurtembergam* fluentem suscepit, per *Babenbergensem* labitur urbem, à qua haud longè miscetur *Mœno*, ab hoc flumine *Carolus Imperator*, qui magni nomen est sortitus, fossam in *Almonem*, qui in *Danubium* influit, ducere est aggressus, ac integram æstatem exercitum in opere detinuit, ut hoc pacto à *Rheno* in *Mœnum*, ac ex illo in *Pegnesum*, inde per fossam in *Almonem*, & ex eo in *Danubium*, & ita à mari in mare navigari possit. Verum ob ingruentes (ut fertur) tempestates, ab opere cessare est coactus: manent tamen adhuc manifesta tanti conatus vestigia, inchoataque fossa pluribus in locis cernitur, præcipuè tamen juxta *Burgum* *Albim*, nunc *Weysenburgum*.

Deinde *Rubera* in *Rhenum* cadit, non parvi nominis amnis:

Postea *Nhus*, multis auctus fluminibus, juxta *Bingium* in *Rhenum* incidit.

Exinde *Mosella*, quæ (ut superius est ostensum.) *Obrincus* est, apud *Confluentes* in *Rhenum* exit. Verum prius *Sarum* fluvium magnum supra *Trevirensium* suscepit urbem, qui *Sarus* antea *Blissa* & *Nida* quoque augetur.

Arar quoque ex jugis *Treviricis*, hodie *Eyflia* exortus, multis & ipse auctus torrentibus & fluvii, supra *Rigomagum* in *Rhenum* evolvitur.

At ex alia *Rheni* parte *Lona* amnis insignis per *Hassiam* fluit, & multis auctus fluvii, juxta oppidum *Constein* in *Rhenum* excurrit.

Sequitur deinde fluvii *Angra*, deinde *Rura* vel *Andranus*: & demum *Lupia* apud *Vesaliam* *Rheno* admiscetur.

Novissimè verò *Mosa* *Rheno* conjungitur, *Rhenus* verò dividitur in *Wachalim*, hoc est, *den Wall* & *insulam*, nunc *Dysel* vocatur, nec non in *Lecum*, id est, *den Lech*, & per hæc tria ostia maxima exonerat,

rat, in Oceanum Germanicum, totamque inundat Selandiam, Holandiam, & Frisiam.

Amnes vero, qui in Danubium influunt, insigniores hi sunt.

Ilera die *Iler*.

Bernicus die *Bernis*.

Lycus fluvius ingens & rapidus, ac multis auctus amnibus, juxta *Echsmund*, haud longè ab *Augusta Vindelicorum*, Danubium intrumpit.

Almonius fluvius, quò in tota Germania nullus pisculentior est, juxta *Kelheim* exit.

Nabus verò ex monte pinifero oriens, ac Vilsam assumens, juxta Ratisponam exonerat, pariter & *Regnus* in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes.

At *Isara* fluvius rapidus & ingens, ab alpihus per totam labens Bavariam, cum multis alios, accepit amnes, juxta *Silshofen* Danubium influit.

Oenus verò fluvius maximus, ac rapidissimus, quum per *Oeni* vallem & Bavariam fluit, ac per *Juvarum* vel *Salzam*, & multos alios auctus amnes, tandem juxta *Bodurum*, nunc *Patavium*, cum tali impetu in Danubium ruit, ut per longissimum spacium cursum suum fervet, nec Danubianis admisceatur aquis, quemadmodum perspicue ex undarum colore apparet.

Ilza die *Ils*.

Traura die *Traun*.

Enefus die *Ems*.

Igla die *Igel*.

Leyta die *Leyta*.

Marchia vel *Morava* die *Marck*.

Araben die *Arab*.

Wag fluvius.

Grana fluvius.

Daras vel *Dravus*, die *Trab*, qui *Muram* vel *Murum*, die *Mur* suscipit, fluvius ingens. Inter hunc & Danubium Turcarum Imperator *Ladislau* Hungariæ Regem devicit.

Tybuscus die *Tenß*, vastum flumen.

Sarus die *Sau*, amnis maximus, is juxta *Taururum*, hoc est, *Albam Gracam*, Danubium influit. Sequitur inde:

Moschus.

Rhabosus.

Ciabrus.

Alutas, forsitan *Baralat*, & *Secretius* amnis.

Hierassus nunc *Pruth* fluvius.

In Oceanum exeunt post Rhenum.

Viadrus hodie *Unda nigra*, in Cattorum montibus oriens.

Amasus seu *Amasia*, nunc die *Ems*, in hunc fluvium Strabo *Vifurgium* & *Lupiam* deferri scribit; errore manifesto, cum *Lupias* in Rhenum, *Vifurgis* verò longè supra *Amasum* in Oceanum exeat.

Vifurgis *Weser* fluvius insignis hic *Fuldam*, *Ederam*, *Weram*, & *Nidam*, amnes suscipit, per Saxoniam, & juxta *Mindensem*, *Werdensem*, *Göttingensem*, ac *Bremensem*, labens civitates, tandem in Oceanum exonerat.

Albis die *Elb*, magnus Germaniæ fluvius, in montibus Bohemiæ oriens, suscipit autem *Multam* flumen magnum, quod *Pragensem* præterlabitur civitatem, deinde *Egram*, ex monte pinifero, ut dictum est, fluentem, postea *Salam*, ac *Oriellam*, demum civitatem *Hamburgum* præterlabens, in

Oceanum Germanicum vasto evolvitur ore. Ad hujus exitum Saxonum insulae sunt positæ, quas, ut dictum est, hodie *Dietmars* inhabitant, gens indomita, & in multis victoriis contra Daniæ Reges, *Slesvicenses* Duces, & Nobilitatem clara.

Chalsus fluvius *Eidorus* esse censetur.

Suevus die *Spre*, ortus & hic amnis ex Bohemiæ montibus, ac juxta *Sundensem* civitatem, hoc est, *Laciburgum* in Oceanum exit.

Viadrus, hodie *Odera*, fluvius magnus, in hunc *Mensa*, quæ per *Slesiam* & *Uratislaviensem* labitur civitatem, fluit.

Tandem apud *Caminum* in mare erumpit.

Vistula, quæ & *Istula*, seu *Iustula*, aut *Vandalus*, appellatur, fluvius ingens, & ultra quam *Protopolomæus* Sarmatiam Europæam auspiciatur, oritur in montibus Sarmatiæ, & Cracoviam alluit, inde per Poloniam fluens, *Dravanitz* fluvium, quem quidam *Dravennam* esse volunt, suscipit. Deinde duobus Ostiis, & apud *Dantiscum*, & *Elbingen* in sinum *Codanum* exit.

Post hunc *Chronus*, qui *Passaria* esse censetur, in mare fluit.

Inde *Pregora* fluvius, post quem *Nemula* amnis magnus, qui & *Niemen* vocatur, in Lithuania oriens, in mare erumpit Prutenicum.

Postea *Hilge* fluvius, deinde *Poler* fluvius, sequitur hunc *Duna*, quæ & *Zuina* ac *Binda*, ingens fluvius, qui & ipse in Lithuania oritur, ac juxta *Rigam* civitatem in mare erumpit, fortè apud *Protopolomæum* est *Chersinus*.

Inde *Anne* fluvius, tandem *Narva* supra civitatem *Revaliensem* juxta *Flautennam* in mare exonerat. Limes hic est inter Livoniam, quæ *Cruoigeris* parit, & *Moscoviam*. Ostia fluvii hujus in elevatione polari graduum, 62. esse feruntur.

IN PONTUM AUTEM

Euxinum fluunt.

Tiras, der *Nester*, qui juxta castrum nigrum in mare exit.

Boristhenes, der *Neper*, in Lithuania ortum sumens, & per medium ferè *Russia* labens.

Tanais, *Don*, oritur in *Moscovia*, ex terra plana, & nequaquam ex montibus.

Rha fluvius maximus, oritur in *Moscovia*, quumque sub initum versus Septentriones fluat, mox ad orientem flectit, longèque *Tanaim* ambit, tandem ad meridiem conversus, per Sarmatiam Asiaticam, & campos planissimos *Tartarorum* vagatur, ac per viginti quinque Ostia maxima in mare *Caspium*, quod nunc *mare de Bachan* vocatur, exonerat, juxta civitatem *Derbet*. Oriuntur autem in *Moscovia*, præ cæteris tria maxima flumina, nempe *Zuina*, *Tanais* & *Rha*. Proinde Mercatores Germani, tria maxima flumina eodem vocant nomine, nempe *Danubium*, vel *Istrum*, *Dunam*, quæ & *Zuina*, ac *Tanaim*, & cum se de longinqua peregrinatione jactitant, tres se *Danubios* vidisse asserunt. Proinde in his omnibus nihil certi affirmamus, nisi ubi veritas scriptam manifestè prodit. Quis enim in re tam dubia, & ubi propter variarum Gentium transmigrationem omnia sunt immutata, non aliquando aberraret? Planè enim constat numeris haud confidendum esse, quos *Protopolomæus* in his, oris, nequaquam ex observatione certa, sed ex alio-

rum scriptis aut dictis, vel per instrumentum quodam Mathematicum, seu juxta conjecturam assignavit, quod & ipsemet ingenuè fateatur. Porro in Germania inferiori nequaquam absurdè à fluviorum aliquando situ credibilis sumi potest conjectura: at in Germania superiori, nullus à Scriptoribus recensetur fluvius (præter Danubium, Mœnum & Oenum, licet multi alii sint, & insignes) cujus adminiculo, vel parumper ad veritatem accedi posset: ubique igitur conjectura potius quàm ulla nitimur certitudine, ita tamen, ut nemini legem præscribamus, ne à nostra discedat opinione, nam quicumque ostendere poterit, senobis rectius sentire, huic non solum non repugnabimus, sed etiam gratias habebimus gratissimas, si nos meliùs informare valebit. Ego enim ita in plerisque me dubium esse fateor, ut ignorem etiam, cuiam genti patriam meam *Nürnbergam, quæ Segodunum esse censetur*, ascribere debeam, hoc tamen pro comperto habeo, Noricos quum à Romanis expellerentur, ultra Danubium, & in hanc regionem concessisse, quæ & hodie ab his nomen retinet, & Norica vocatur, quæ continetur quicquid ab exitu fluvii Almonis in Danubium, *Nürnbergam* usque protenditur, ita, ut *Albusburgus*, nunc *Weissenburg* in Noricis esse dicatur, sed & proculdubio *Norimberga* quasi mons Noricus, à Norica regione nomen accepit, Trajectusque amnis *Pegnici* per milliare unum à *Norimberga* distans, Germanicæ *Furti* in Norico agro reputatur, à quo deinde occasum versus ac Septentriones, Francia orientalis, seu *Francia* ortum aspiciatur. *Sita est autem Norimberga*, non solum, in Germanicæ, sed & totius *Europa umbilico*. Tantum enim distat à flumine *Tanaide*, quantum à *Gadibus*: ab Oceano quoque Germanico, quantum & à mari mediterraneo, altitudo ejus polaris graduum esse censetur, 492. vera autem longitudo graduum 27. minut. 22. quæ quidem longe discrepat à descriptione *Ptolomæi*.

Regionum & civitatum quarundam nomina.

Olim Nunc.
Rhetia Suevia trans Danubiana, junctis Alpibus.
Vindelicia Bavaria.
Noricum Land an der *Enns*.
Pannonia superior Austria.
Pannonia inferior Ungaria.
Marcomanni Mähren.
Cimbria Chersonesus Ducatus *Holfaria*, & *Schlesuensis*.
Sicambria *Moltenses* hodie ibi degunt.
Baravi *Geldenses* juxta *Rhenum*, & *Wahalim*, ac etiam *Holandi*.
Arduenna hodie dicitur *Ardenna*. Apud *Namurcum*, ac magna pars est, dioceseos *Leodicensis*, & pars Ducatus *Lucemburgensis*, ac *Juliacensis*; usq. *Coloniam*, vide *Cæsarem*.
Gallia Narbonensis Provincia.
Gallia comata Francia.
Lutetia *Parisum*.
Remi *Reims*.
Sequani *Burgundia Comitatus*.
Hedui *Burgundia Ducatus*.
Allobroges *Sabaudienses*, cis & ultra *Lemanum lacum*.
Aulertii *Aurelianenses*.

Ambia *Amiens*.
Arrebatæ *Avers*, civitas Episcopalis, nomen hodie tenet.
Bibractæ *Beuras*.
Alexia *Alsetum*.
Gergovia *Claymont*.
Genebum *Orliens*.
Gebenna *Genff*, certum ex *Cæsar*.
Arar *Sagona*.
Turones & Veneti *Britannia*.
Lacus Lemanus *Lacus Losanen*, *Cerrum*.
Britannia Insula *Anglia*, *Scotia*.
Hibernia *Hodie dicitur Hibernia insula versus occidentem Britannia*.
Dania *Dännemarkt*.
Norvegia *Norwegen*.
Suecia *Schweden*.
Gotia *Gotlandia insula*.
Scandia *Schonland*.
Lusitania complectitur *Portugalliam*, regnum *Mursia*, ac partem *Grandæ*.
Gallatia *Galitia*.
Tarraconensis *Cathelania & Arragonia*.
Betica *Castilia pars magna*, ac pars etiam *Granate*.
Hispalis *Sybilis*.
Triballi *Bulgars*.
Mytia superior *Bosnia*.
Dalmatia hodie dicitur, *Dalmatia*, & *Sclavonia* pars est *Liburnia & Histria*.
Illyrii *Bosnienses & Dalmata*.
Mytia inferior *Servia & Rascia*.
Getæ *Transylvani*.
Dacia *Walachia*.
Thraciæ pars maxima *Romania*.
Maçedonia *Albania*.
Bœotia cum Phocide *Ducatus*.
Attica & Megarensis ora *Setina*.
Hellas cum Locride *Ulachia*.
Ætolia *Despotatus*.
Ambratia *Larsa*.
Peloponnesus *Morea*.
Isthmus *Heximilium*.
Sparta *Misistrarum*.
Licia *Briqua*.
Ionis *Quiscum*.
Æolia *Folia*.
Pontus *Trapezus*.
Berithum *Barus*.
Epiphania *Alepum*.
Memphis *Cayrum*.
Babylon *Tach*.
Spinica *Barbaria*.
Tunci *Tunisi prope Carthaginem*.
Cumania *Tartaria inter Rha fluvium, & Tanaim*.
Gedrosia *Tarse, Guzerat, & Cambaja*.
Caramania & Aria *Turqueste & Duilinda Regnum*.
Iberia & Albania *Colchis & Comania pars*.
India intra Gangem, nunc *Melibar*, vel *Zulmando*, continet Regnum de *Decam*, *Calequut*, *Cochin*, *Coulam*, nec non *Narsinga*, & *Orisse regnum*.
India extra Gangem, *Mazin*, Regnum *Banguela*, *Eracangui*, *Pego*, *Avia*, *Damasian*, *Ternasurs*, usq. ad *Chersonesum Auream*.
Insulæ Fortunatæ *Cannaria*.
 Insulæ

Insula Hesperidum *Caput Viride.*

INDIA conjecturaliter.

Ptolomans Nunc.

Prassum promontorium *Nonsambic.*

Rapta *Quiloa.*

Tonica *Mombaza.*

Apocopa *Melinda.*

Zingis *Caput de Guarda fū.*

Aromata *Zeilā.*

Mosylum *Cavaquin.*

Dire Babel Mendap. ubi sunt angustiae rubri maris, nunc Strictum de Mechia.

Ab alia vero parte maris rubri.

Arabia felix *Lcaman usque ad Adem.*

Badeo *Gyda.*

Muza *Maha.*

Ozelis *Adem.*

Syagros *Caput fartag.*

Armuza *Ormuz.*

Alambater *Diu.*

Monglossum *Goa.*

Simyla *Calecut, vel Chosin.*

Comaria promontorium *Comaria.*

Cólchi *Ciel.*

Aurea Cherfonelus *Malaqua.*

Sinae *Schin.*

Postea est Regnum de *Cusch, & Zampa,* deinde *Chalo.*

Cæterum quia multi contendunt insulas nuper ab Hispanis inventas, omni ætate fuisse incognitas, libuit hinc adjicere, quid Aristoteles in libro de admirandis in natura auditis, de illis scripserit, quæ talia ferè sunt.

Ajunt etiam Phœnices illos, qui ultima Gaudium incolunt, quum trans Herculis columnas per dies quatuor enavigassent, vento maximo Apeliote tracti, applicuisse tandem ad loca quædam inculta prorsus ac deserta; verum plena multa illuvie, & continuo penè conquassata motu, ea, ubi cessaverit æstus, facile conspici posse; sed redeunte immergi, in quibus invenisse eos affirmant incredibilem quandam thymorum multitudinem, magnitudine quidem, & amplitudine admirabili. Tum vero ab his parari laqueos cœpisse, quibus cum caperentur, captos autem membratim concidere, atque eorum carnes desiccare paulatim consuevisse, ac demum

in vasis reconditos, deferre Carthaginem. Verum à Carthaginensibus non amoveri amplius è civitate, sed potius eos inter se consumere, ob eam, quam ferunt, hujusmodi pisces in conviviis dignitatem & excellentiam de se præstare; Hanc thymorum multitudinem palam jam cernere est in insula Madera, & insulis quæ *Faial* seu *Nova Flandria* appellantur. Proinde in eodem libello Aristoteles ita quoque scriptum reliquit. Trans Herculis columnas in eo mari quod Atlanticum dicitur, inventam quandam insulam à Carthaginensium mercatoribus olim fuisse inquirunt, à nullis ante id temporis habitam, præterquam à feris, & propterea sylvestrem admodum, & multis refertam arboribus, alioquin fluminibus plurimis ad navigandum aptissimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum nascentium ubertate profluentem, sed remotam à continenti, plurimum dierum navigatione: ad quam cum nonnulli Carthaginensium mercatores fortè accessissent, captique ejus loci fertilitate ac aëris clementia, ibi sedem fixissent, commotos ob id Carthaginenses ferunt, statim consilio publico decrevisse, morte indicta, ne quis posthac illuc navigare auderet, & qui jam erant, jussisse statim interfici, ne ipsius insulae fama perveniret ad alias nationes, submitterenturque alicui fortiori imperio, ac fieret quasi oppugnaculum quoddam adversus eorum libertatem.

Proinde compertum est, ex observatione eclipsis, quæ fuit in mense Septembri anno Salutis 1494. Hispaniam insulam, quator ferme horarum interstitio ab Hyspali, quæ Sivilia est, distare, hoc est, gradibus 60. qualium est circulus maximus 360: medium verò insulae continet gradus 20. circiter, in altitudine polari. Navigatur autem spacium illud communiter in diebus 35. altitudo verò continentis oppositi, cui *Hispani sancta Martha nomen indidère,* circiter graduum est 12. *Darieni verò terra,* & *Sinus de Uraca* gradus quasi tenent $7\frac{1}{2}$ in altitudine polari, unde longissimo tractu occidentem versus terra est, quæ vocatur *Mexico,* & *Temistitan,* & qua etiam non longè remota est insula *Jucatan,* cum aliis nuper repertis.

96 (0) 96

¶

HENRICI BEBELII JUSTINGENSIS SUEVI, VIRI SUAE ETATE DOCTISSIMI,

- I. Oratio ad Regem Maximilianum Caesarem, de ejus atq; Germaniae laudibus.
- II. Demonstratio, quod Germani sint Indigenae.
- III. Apologia contra Leonhardum Iustinianum Venetum, Imperatoris nomen extenuantem ejusq; coronationem deridentem.
- IV. Imperator Germanus jure debet dici Christianissimus.
- V. De laude, antiquitate, Imperio, victoriis, rebusq; gestis Veterum Germanorum.
- VI. Epitome laudum Suevorum.

ORATIO HENRICI BEBELII

Justingensis Suevi, ad Augustissimum atque

Sacratissimum

ROMAN. REGEM MAXIMILIANUM,

De ejus atq; Germaniae laudibus.

S Pompejum Magnum, Caesar illustri-
sime, ob hoc laudavit antiquitas, quod
ad eum faciles aditus essent, etiam pri-
vatorum, quantis tu mirissime Imper-
rator praconiis laudari mereris, qui
omnibus etiam humilimis facilimum das accessum,
ut neque te Moses apud Hebraeos, neque Titus Ve-
spasianus apud Romanos, vel facilitate, vel man-
fuerudine vincat. Qui, ut cunctos mundi Principes
dignitate exuperas, ita nulli etiam ex infimis
comitate debes existimari inferior. Mihi igitur te
adeunti, Sacratissime Rex, incessit & laetitia & timor.
Laetitia quidem vel incredibilis, quod ego
adolescens infimae conditionis humilimoque loco
natus, tanti viri affandi copiam sim nactus; Regis
scilicet terrenique Dei, qui que talis & tantus tu sis,
ut omnium judicio non solum praesentes orbis terre
Reges, & in hunc usque diem viventes animi ma-
gnitudine, disciplina militari, singularique pruden-
tia longè excellas; verum etiam in omni genere
laudis, & gloriae, omnes superiores Reges quacun-
que tandem hi aetate floruerint, si non exuperave-
ris, aequasti tamen omnino, adeo ut Clementia
Caesari, Justitia Trajano, Pietate Antonino, Gra-
vitate Alexandro Severo nunquam cedas. Ne-
que inter Reges tantum, verum etiam inter Illustres
Viros (ut de Pyrrho tradit Justinus) nec quen-
quam te uno, aut vitae sanctioris, aut Justitiae pro-
bationis inventum iri, posse contenderim. Cujus
item domi militariaeque, tanta tamque praecleara sunt
facinora, ut ne inimici quidem queri, nisi de Ma-
gnitudine & Prudentia tua audeant, has ego Tuas
Virtutes animo complectens, divinamque Maje-
statem Tuam coram aspiciens, totus contremi-
sco, titubat lingua, tremunt labia, totumque cor-
pus in composito quodam modo vacillat. Nec id
quidem immerito, novisse enim debebam coram

florantissima Majestate Tua, hoc eminentissimum
dicendi genus consequi posse neminem, nisi qui sit
summis eloquentiae viribus, Tullianoque flumine
instructus, qui que memoriae propè Divinae praedi-
tus, in primisque eruditione singulari, atque do-
ctrina insignis, atque exercitatus. Quod in me
nemo desiderare debet, qui in ociois tantum
Philosophorum Rhetorumque scholis versatus,
nunquam in publicum progressus sum, nedum o-
ravi in corona Principum. Sed recreat me ac a-
quiori animo esse jubet, Caesar, quidam dulcissimus
afflatus, de Tuo illo benignissimo procedens vul-
tu, sinitque me paulo erectius loqui, in mediumque
quod institui, effundere. Scio itaque, Imperator
Sacratissime, moris esse eorum, qui apud te oratorio
munere funguntur, ut longa serie maximo verbo-
rum ambitu, gravissimisque & ampullosis senten-
tiis Te cohortentur, ad pacem Germaniae univer-
salsque Ecclesiae Romanae componendam. Qui-
que persuadeant expeditiones, in Turcarum fero-
cissimam gentem, quaque opportunitate, & quibus
adminiculis id fieri possit, Tua Mansuetudine eve-
cti, longius aequo effususque oratione evagantur, a-
quibus in praesentia longè est mihi aliena mens, ne
ego (ut est in proverbio) Minervam docere velle
videar, neve mihi adolescenti accidat, quod evenit
Phormioni jam grandis aetatis Philosopho. Nam
(ut scribit nobis Cicero) cum Hannibal Cartha-
gine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset
exul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud
omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis,
ut Phormionem, eum quem dixi (si velit) audiret,
cumque se non nolle dixisset, locurus esse dicitur
homo copiosius aliquot horas, de Imperatoris offi-
cio, & de omni re militari. Tum, cum ceteri qui
illum audierant, vehementer essent delectati, quaere-
bant ab Hannibale, quidnam ille ipse, de illo Phi-
loso

Iosopho iudicaret? Hic Pœnus non optimè Græcè, tamen libere respondisse fertur, *multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis, quam Phormio deliraret, vidisse neminem*; neque mehercle Injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos, de Imperio cum populo Romano totumque gentium victore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset; nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta dare de militari? Hoc mihi omnes isti facere videntur *Rex Maximiliane*, qui tibi præcepta militaris disciplinae dare cupiens, in quibus a puero usque in hunc diem cum summa laude Tua versatus es, tantaque & tam eminentissima, de Te stratagemata Imperatoria privatiq; militis animosa opera præstisti, ut non solum cum Hannibale, aut Alexandro Magno, sed cum omni antiquitate in omnium bellicarum rerum, & peritia & virtute possis certare quam gloriosissime. Hoc idem mihi facere omnes isti videntur, qui Te longa oratione cohortari instituerunt, ad pacem Christianam, aut armare in funestissimam Turcarum gentem, cum tu cunctis Principibus Germanis dormitantibus, solus & idem diu noctuque vigilantissimus, ea quæ ad statum publicum pertinent, optimè provideas, & solertissimè pensites, qui nihil antiquius ducis, quam consulere communi omnium bono, quam prospicere publicæ Christianorum omnium utilitati, & gloriæ; eaque sequi atque amplecti, quæ Romano Imperio, & ornamento, & splendori futura credas. Nec quicquam credo tam in abdito esse eorum omnium quæ vel profutura sunt Imperio vel obfutura, quod tibi cogitari non sit in promptu, quod est *Rex Maximiliane*, nobis Germanis necessarium in primis; nam dum singuli Principes posthabitis rebus publicis, vel commodo privato student, vel dum eorum quidam simultatibus, & intestinis seditionibus solummodo sunt intenti, reliqui voluptatibus tantum indulgent; *quæ sunt vel prima instrumenta, per quæ multa oppida, nationes validissima, amplissima regna atq; imperia corrueunt*; brevi futurum timeo; nisi Tu *Cesar*, qui labentem jam pridem rempubl. Germanam, ab occasu restituiisti, auspiciatissima Tua solertia & prudentia ad sis, ut totum hoc florentissimum Imperium, quod majores nostri Virtute, multo sanguine & rebus gloriosissime gestis nobis pepererunt, per socordiam & negligentiam amittamus; inque turpissimam servitutem redigamur, quod tamen Te sospite nunquam pertimescimus, dum hoc unum non neglexeris, quod Virgilius monuit: *Parcere subjectis & debellare superbos*. Exacta enim nocte videre videbar in somniis, *vetula mulieris imaginem humanam grandiore, & angustiore, laceris inimicis, & habitu omnino deformi, adeoque macie & squallore confectam, ut nemini non horrorem cum miseratione moveret; ceterum ita conspicuo capite, ut tanto ex fulgore visus hebetaretur, & quantum videre potui, sero laureo cinctum erat*. Ego itaque tanto ex capitis fulgore, cæterorum autem membrorum putredine, & horrore exanimis cecideram, namque calor ossa reliquit (ut cum Virgilio loquar) & vox faucibus hæ sit, nisi illa me apprehendisset; filiumque inclamans consolata esset.

Ego ex his verbis paulatim resumens animum *agnovi matrem esse Germaniam*, qua salutata, & de tam varia membrorum valetudine, atque conditione qua sita, illa singultu diu verba impediante, tandem hæc fatur lachrymans. I celer, *Bebeli*, ad Regem meum & filium charissimum Maximilianum, non enim privatorum dedignatur accessum, narra conditionem meam, narra deformitatem, narra lachrymas & assiduum luctum, in quo tabesco penitus, dic ipsum unicum esse matris refugium & solamen, in quo omnem spem, ab eo tempore, quo ex utero materno produxi, reposuerim; ipsum item omnium filiorum esse caput florentissimum, cætera membra omnia marcescentia, dic bono animo sit, nec desperet meliora lapsus, ut qui sua viriditate, & vigore plura adhuc membra reficere, ac recreare possit; ea vero quæ nimium putrent omnino rescindenda curet, nec aliam salutis spem restare, nisi medicina medullitus adhibeatur, dic displicere mihi in primis conventicula Nobilium, & Procerum, quæ se subtrahant à sancta obedientia. Dic secum reputer, quæ causa Persas, Macedonas, Græcos pariter, & Romanos subverterit, inveniet profecto proprium cujusque studium, commodum privatum, & intestinas seditiones, quibus omnibus maxime nostri laborant, omnium Regnorum fuisse destructionem. In summa dic, Regem meum esse eum, qui confesso omnium sit fortissimus, justissimus, Christianissimus, nemo illum voluptati deditum, nemo libidini, nemo ocio, accusat, nemo a recto justoque deviantem. Sola clementia ejus tanta est, quæ ad commodum & gloriam Germaniam damnari debeat, nam adeo *obstinata sunt omnium aures, ut non clementia, sed tyrannide opus sit*. Hæc locuta protinus evanuit. Ego autem ne (ut præfatus sum) sus Minervam docere videar; paucis dixisse contentus sum, cum mihi de his rebus non sit instituta oratio, sed longè alia prosequar, cumque obiter quædam & eadem pauca sim dicturus, Sacratissime Rex, de incredibilibus iisdemque immortalibus tuis Virtutibus, longè etiam mihi aliena mens est, ac cæteris. Plerique enim omnes in Principum laudibus recensendis, ad longum hærent in enarrandis majorum suorum nobilitate, rebus gestis, divitiis, honoribus, cæterisque id genus, quæ ego etsi unus omnium maxime de Te possem prædicare, qui es ex ea familia, Austria scilicet, natus inclitya, & florentissima, quæ tot Regum atque Imperatorum mater, sæpe etiam Pannoniæ, sæpe Boëniæ, quandoque Poloniæ Reges dedit, omnia tamen missa facio, ne aliena jactare in Te, videar, neve aliorum laudes Tibi usurpare judicet, quem omnium laudum, & amplissimarum quarumque Virtutum, veluti exemplar intuemur, necitem de rebus tuis gloriosissime gestis; in præsentia nobis sermo futurus est: Si enim felicissimos Tuos triumphos, faustissimaque trophæa, quæ summo cum honore tuo de Francis, Eburonibus, Sycambriis, Batavis, Morinis, Friis, Hungaris reportasti, & si liberè per globum cæterarum rerum fortiter à te gestarum peragrarè vellè, non esse parva oratione contentus, sed perpetuo quodam historiæ contextu, tua excellentissima præconia posteris, demandarè. At si me audire vis, *Rex Maximiliane*, multi inveniuntur, qui igne inferant urbibus, qui inexpugnabilia seculis &

per aliquot ætates tuta prosternant, qui æquum arcibus aggerem atollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quasent, multi sunt, qui ante se agant agmina, & tergis hostium graves insistent, & ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant. Sed hi quoque ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt, nemo illis venientibus resistit; sed nec ipsi ambitioni crudelitati quæ resistenterant. Tunc cum agere visi sunt alios, agebantur, agebat in felicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat. Non ergo Te maximè Rex laudo, quia magnos duxeris exercitus, hos enim & Cambyses (scribit Seneca) furiosus, ac furore feliciter usus habuit, sed ob egregiam animi Moderationem, Continentiam, Temperantiam, Munificentiam, Mansuetudinem, Comitatem, Religionem cæterasque Virtutes propè infinitas, & (ut cum Psalmographo loquar) *delixisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus; Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Atque ut animi mei sensum omnino aperiam, idem mihi de Te optimo jure prædicare concessum est, quod Plinio de Trajano Imperatore. *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace, alium toga, sed non & arma honestarunt, reverentiæ ille terrore, alius amorem humanitate captavit, ille quæstam domi gloriæ in publico, hic in publico partem, domi perdidit, postremo adhuc nemo extitit cujus Virtutis nullo virtutum confinio laderentur.* Tu autem hæc omnia conjunxisti omnium iudicio, ut inter se de excellentia certare videantur, & quod cui præferatur, sit iudicatu difficillimum. Sed quid ego adolescens omnium rerum imperitus, Tuas explicare laudes conor? de quibus honestius est tacere, quam pauca dicere, quas & de Te prædicari, solâ conscientia contentus, minimè exigas, & mihi de his non sit instituta oratio, utpote minimè idoneo. *At Gloriosissime Rex,* ut tandem flectatur oratio ad institutum nostrum, omnis nobis sermo apud Sacratissimam Majestatem Tuam habendus est, de laudibus Germaniæ, de quæ inopia Scriptorum apud eosdem. Libet itaque lamentari & deslere iniquam Majorum nostrorum conditionem, quod apud Germanos reperti sint qui egregia facerent plurimi, qui scriberet nullus. Hoc conqueror apud Te Imperator, hoc me in lachrymas prorumpere cogit. Si enim Scriptorum beneficio illustria foris domique gesta Germanorum, ad posteros transmissa essent, essetque in recenti memoria ea fortitudo animi, ea strenuitas, ea in rebus gerendis peritia, quas de se præstiterunt *Caroli, Ludovici, Lotharii, FridERICI, Orbones, Henrici, Conradi, Rodolphi, Alberti* cæterique Germaniæ Imperatores, non semper Græci mendax tuos, *Thesea, Themistoclem, Periclem, Miltiadem, Cononem, Epaminondam, Codrum, Pausaniam, Alcibiadem* cæterosque. Roma verò suos *Curios, Fabios, Cæsares, Flavios, Scipiones, Horatios, Regulos* & alios ad omne virtutis exemplar opponerent, quos nostri non solum æquarunt rerum magnitudine, verum etiam longè superaverunt, ex hoc vel maximè, quod his non æquitas, aut ulla Virtutis ratio quærebatur, sed sola regnandi libido. Nostrorum autem omnes labores, omnia pericula, omnis denique militia suscepta est, pro Deo, pro fide, proque augenda Christiana religio-

ne. Quia si nullus est defunctis (uti non dubitamus) sensus, profectò horum manes ingemiscere credendum est, cum tot labores incassum sibi fuisse susceptos intelligant, & tot nequicquam egregia opera, non solum pro nostra patria, sed etiam pro totius Christianæ religionis conservatione & defensione, sint non solum aggressi, verum etiam summa cum laude confecerint, ut cum suis ipsi sudoribus, & auspiciis Romanæ Ecclesiæ pepererint tale incrementum, quale non Macedo Alexander suis, vel Cæsares, Pompeji, Scipiones & cæteri ambizioso Romano Imperio. Attamen omnes Oratorum, Poëtarum, Historicorum & Philosophorum denique libri referri sunt, Romanis & Græcis ad omnem posteritatis æmulationem. Nemo mentionem facit *Fridericorum, Carolorum & Orbunum* cæterorumque, quibus ad omne neporum exemplar nihil reperitur omnino expressius. Non est alia causa, quam quod res eorum gestæ Scriptorum penuriâ venerunt in oblivionem. At si pro rerum dignitate laudari debet Germania, invenies eam esse regionem, quæ de omni genere laudis ac Virtutis, cum quavis non modò earum, quæ hac tempestate præclara habentur atque celebres, verum cum omni antiquitatis memoria contendere possit. Quicquid enim virtutis peculiare est cujusque regionis, hoc totum nostri sibi vendicant, ut non immeritò dicere possimus: *Sola Germania habet laudum quicquid omnes possedimus.* Germani igitur quales sint, ipsum nomen liquidò ostendit, quoniam nulla est gens ex omnibus terrarum regionibus, quarum habitatores Historiâ cognoscuntur, vel quorum memoria ad nostra usque tempora Scriptorum beneficio pervenerit, quæ tale nomen etiam cum rerum pondere sortita sit, quod (nec abs re) non solum corporis, sed etiam animi bonitatem complectitur. Dicimur enim *Germani* vel à *Germinando*; Germania enim, teste Solino dives virorum, terra frequens populis numerosis & immanibus, quorum corpora & proceras sunt, & candida, & pulchra, sumusque bellicosâ à natura. Et quod sine nostrorum laude nunquam meminisse possum, *Germani* dicimur quasi fratres, nunquam enim tanta laborarunt majores nostri in testina seditione, quin non adventantibus externis hostibus, summa concordia & fraternitate, ut ita loquar, coadunati, fortiter & unanimes hostibus congregederentur, & manum consererent. Nec Strabonem (parcat mihi homo Græcus & qui non vidit) in hoc loco admittam, qui voluit nos dictos quasi fratres *Gallorum*, quod proceritate corporum, formâ & montibus & vivendi ritibus, illis essemus similes, quos semper proceritate & pulchritudine corporum, in omni virtute atque præstantia militari longè superavim. Id quod exteri exhibent. Agrippa enim Rex Judæorum laudans Germanos à fortitudine, Gallos non à fortitudine sed à divitiis commendat. Cæsar autem dicit, Germanos multum à consuetudine Gallorum differre, cum eorum vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistat à parvulis, duriciæ ac labori studentium, Gallos autem molles esse dicit. Nam ut (inquiens) *ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens, ad calamitates perferendas mens eorum est*, quos alibi infirmitatis Idem accusat. Et alio loco. *Galli*

*paulatim assuefacti superari, multisque victi praliis, ne se quidem ipsi cum Germanis Virtute comparant. Confirmat & Cornelius Tacitus, Treviri & Nervii circa affectationem Germana originis ultrò ambiciosi sunt, tanquam per hanc gloriam à similitudine & inertia Gallorum separarentur. Qui Galli, etsi hodierno die sint nostrum genus & à Germanis majori ex parte descenderint: adèd tamen degeneraverunt à nobis, forsan ex mitiori cœlo, ut fratres nobis, nec à bonis corporis, nec animi possint jure cœferi, præter plerosque Belgas, qui in nostrum nomen & jurisdictionem penitus transferunt. Belgarum enim clarissimi Treviri, item Helvetii, Rauraces, Triboces, Nemetes & Vangiones, & plerique Belga ignominia loco acciperent, se Gallos vocari. Nec Cornelio Tacito assentior, qui Germania vocabulum recens esse dicit, tantùmque eos dici Germanos, qui trans Rhenum pulsas Gallis confederint, ita enim inquit: *Ceterum Germania vocabulum recens & nuper auditum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, nunc Germani, vocati sunt, ita nationis nomen evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore obmetum, mox à se ipsis invento nomine, Germani vocarentur.* Primum quod antiquitus Germania vocitata est, quæ nunc Francia dicitur. Ita refert Divus Hieronymus: Inter Saxones quippe & Alemannos gens non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur. Et Julius Cæsar veros Tentones, qui Duce Ariovisto, Rhenum transgressi sunt, nominavit Germanos, Recens etiam nomen nego, quantum enim historiae vel antiquissimæ tradunt, & ab eo tempore quò lingua latina in exteris nationes vagari cœpit, dicta est hæc regio Germania. Antiquitusque Germanos Rhenum tractos Belgarum in finibus confedisse comperimus. Et Titus Livius Germanorum meminit tempore Brenni & Senonum in Italia, unde & ejus derivatio explodi potest, nos verum dedimus Germaniæ interpretamentum. Et ut dicam quod sentio, *Cæsar Augustissime*, quæ est natio alia sub cœlo, ubi tanta tamque sincera Nobilitas Principum sit, uti apud Germanos? ubi tot Generosi Proceres? ubi tot fortissimi equites? totque animosi milites? nec est item ex universo terrarum orbe alia natio, ubi sit tanta populi multitudo, ubi sit tantum roboris atque animi, id quod etiam remotissimis à nobis gentibus est in aperto. Silentibus enim nobis confirmat (teste Josepho) Agrippa Rex Judæorum in concione. *Quis vestrum? inquit non audit, multitudinem Germanorum? virtutem quoque & magnitudines corporum, ut arbitror, sæpe vidistis. Sed illi quidem ita ingentem spaciis regionem incolentes, spiritus autem majores corporibus gerentes & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem vehementiores feris, &c.* Ecce quanta laus ab externis. At quid pluribus moror in re aperta, cum longè majora restent. Quæ est demum gens alia, quæ suos fines adèd longè lateque in omnes mundi angulos protulerit, ut nostra? *Germania enim fines, uti veteres rerum Scriptores prodiderunt, ab oriente Vistula fluvius & Hungaria limes fuerunt, ab occidente Rhenus, à meridie Danubius, à Septentrione Oceanus & mare Balthicum quod & Suevicum appellant.**

Nunc quantum extra hos terminos, non solùm victricem manu vagati simus, quod cum pluribus populis & regibus potest nobis esse commune, verum etiam adhuc possideamus, & ea conditione, ut se aliud esse genus à nobis penitus ignorent, non obscure datur intelligi. Ab oriente sæpè cruento Marte Hungaros percussimus, nostra est ultra Hungariam *Regio Septem Castrorum*, ut vulgò dicitur, cujus gentes *Jazigas Methanastas*, vel cominiori vocabulo *Dacos* appellavit antiquitas.

Quod si meridiem versus procedas, *Rhetos, Vindelicos, Noricos*, hoc est, *Bojarios atque Alpestræ* circumjacentes. *Austriam, Stiriam* quondam, Alpesque possidemus usque in gremium Italiæ progressi, magnaque ex parte *Histros & Liburnos*, quorum regionem (ut multi existimant) hodiè *Carni Croatini & Carinthiani*, obtinent, in ditionem nostram redegitimus. Sæpè item *Ligures & Insubres*, nunc *Longobardos*, quæ est & gens à nobis Suevis originem ducens, juxta Cornelium Tacitum, qui *Longobardos inter Suevos annumerat*. Sæpè *Thuscicos, Siciliam, Græcos, totamq; Italiam* cruentâ manu contudimus.

Nonne majori ex parte Germani fuerunt, de quibus scribit Divus Hieronymus ad Heliodorum. Horret animus, temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti & eò amplius sunt anni, quod inter Constantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. *Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Dardaniam, Achaim, Epiros, Dalmatiam cunctasque Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Vandali, Marcomanni* vastant, trahunt, rapiunt. *Longobardi* item de quibus supra diximus, Germani, quid egerint in Italia & Gallia (cujus adhuc partem possident) neminem latet, & qui ipsi Pannoniam olim occupasse prædicantur, expulsis prius Hunnorum populis fortissimis.

Ab occidente nemo est, qui nesciat quàm late nostrum nomen protulimus, nostri sunt, ejectis Gallis quondam *Helvetii*, nostri *Rauraces*, nostri *Triboces, Nemetes, Vangiones, Treviri, Nervii, Condrui, seu Menapii, Mediomatrics, Ubii, Eburones, Batavi, Morini, Leopontii, Aduatici, Frisii, Ambivarii, Maguntiaci, Allobroges, Bethasii, Leuci, Sedusii, Segni, Suesii, Nantuanes, Tuligni*, nostra est *Britannia*, quam Suevi Angli, quorum meminit Cornelius Tacitus, possidentes, Angliam nominaverunt. Et Ptolomæus inter Suevos Anglos ponit. Dicunt alii esse Saxones, uti major pars recentiorum, sed quibus refragatur venerabilis Presbyter Beda, & ipse Anglicus in historia Anglorum, referens: *Anglos habitasse inter provincias Visarum & Saxonum*, quorum ager in eorum egressu diu desertus manserit. Hanc historiam si legeris, invenies luculenter, aliud genus esse Anglos à Saxonibus, aliquotque genera Anglorum.

Pilli item & *Scoti Germani sunt* populi, quod si dempseris *Francos & Burgundiones*, qui fuerunt Germani, & Germanis oriundi, nomenque terræ dederunt, totam penè Galliam sustulisti. De cujus calamitatibus ita loquitur noster Hieronymus:

Gens Theutonum ex ultimis Oceani atque Germania profecta littoribus, omnes Gallias inundavit, sepiusque talis Romanis exercitiis, apud aquas Sextias, Mariopugnante, superata est. Idem: Innumerabiles, & ferocissimæ nationes univ. Gallias occuparunt, quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Rheno Oceanoque includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Halani, Hipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ò lugenda Respublica hostes Pannonii vastarunt. Mogontiæ civitas, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est. Vangiones multa obsidione deleri. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoracum translata in Germaniam. Aquitania, novemque populorum Lugdunensis & Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes populata sunt cuncta. Quid dicam de Hispania? quæ Germanorum fortitudinem multis cladibus sensit. Nonne & Suevi nostri sub Arcadio & Honorio, vastatis Galliis Pyrenæoque superato, Hispanias ingrediuntur, omnia vastantes ac dilaniantes, tandem in Galicia confederunt, ibique septem per ordinem Reges habuerunt? Si autem pergās ad septentrionem, nostra est Prussia, cujus habitatores antea Hultigeros, vel Brucleros dictos, ex manibus infidelium detrahentes, nobis & Christianæ Reipublicæ cives fecimus. Sunt præterea Cimbræ, quos nunc Danos vel Dacos vocamus, Sueci, Norvegi & Gothi, in ultimis Orbis regionibus siti, per bellicosam Germaniam Christianitati donati, quos tamen omnes Germaniæ finibus contineri, consultißimis Cosmographis persuasum est. In Baltheo enim mari (quod melius Suevicum à Suevis & Suevo monte, ut post dicam, diceretur), insula sunt multæ, ipsius Germaniæ, & præsertim Scandinavia omnium clarissima, unde Gothos exisse, omnes Eruditi inter recentiores Scriptores affirmant, & Gothia ipsa vel hodie dicitur, vel quod magis credibile est, cum incomperatæ sit magnitudinis, pars Scandinavia esse potest. De insulis igitur Suevici maris, verba Plinii adducemus lib. 4. Nat. histor. dicens: Incipit inde clarior aperiri fama à gente Ingvonum, qua est prima. Inde Germaniæ Suevus, mons ibi immensus, nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia est, incomperatæ magnitudinis, portione tantum ejus, quod sit notum Hiltionum gente, quingentis incolente pagis, qua alterum orbem terrarum eam appellat. Nec minor est opinione Eningia. Quidam hanc habitari ad Vistulam usque fluvium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyrris tradunt, Sinum Clypenum vocari, & in ostio ejus insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum, conterminum Cimbris, promontorium Cimbrorum excurrans in maria longè, peninsulam efficit, qua Hautifus appellatur, 23. mille passuum. Inde insule Romanis armis cognita. Earum nobilissima Burcana, Fabaria à nostris dicta, à frugis similitudine sponte provenientis. Item Glessaria, à succi nomilitia appellata, à barbaris Austerania, præterque Actania. Toto autem hoc mari ad Scaldin usque fluvium Germaniæ incolunt gentes, haud explicabilis mensura. Hæc Plinius. Ego, ut ad insti-

tutum redeam, Livoni majoribus etiam incogniti, in fidem Christi & Teutonum dominium concesserunt. Quod si in universum nostrorum illustria facta recensere libet, pauca sunt gentes in vasto terrarum orbe, quæ non aliqua ex parte Germanicum Martem sunt expertæ, vel saltem nostrum nomen non formidaverint aliquando. Romani verò terrarum domitores, etsi nobis sæpe fuerint superiores, nunquam tamen hos sine cruenta & luctuosa victoria domum remisimus, quos & sæpe vicimus, & memorabili clade affecimus. Testis est nobis Cornelius Tacitus, non Germanus, sed Romanus scriptor. Sexcentessimum & XL. annum (inquit) urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma. Cæcilio Metello, ac Papyrio Carbone Coss. ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, C. C. ferme & XX. anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur, medio tam longi ævi spacio multæ invicem datæ, non Sarmites non Pæni, non Hispania, Gallia, ne Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas, Quid enim aliud nobis quam cadem Crassi, amisso & ipso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit. At Germani Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Capione, M. quoque Manlio suis vel captis quinque Consularibus exercitiis. Pop. Rom. Varum tresq. cum eo legiones etiam Castori abstulerunt, nec impune C. Marius in Italia, Divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Inde ocium donec occasione discordia nostra & civilium armorum expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias affectaverit, ac rursus pulsus, inde proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt. Quare Florus benè dixit: Germaniam quoque utinam vincere tantum non putassent Romani, magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. Nonne & Lollius ab Augusto in Germaniam missus, maxima cum infamia bello victus est? Et Vannius à Druso Cæsare Suevis impositus turpiter trucidatus? Quid sub Galeno & Valeriano Imperatoribus factum est? Germani in omnes Romanorum fines invaduntur. Alpibus Rhætia, totaque Italia penetratis, Ravennam usque perveniunt. Alemanni Gallias pervagantes etiam in Italiam transeunt, Quadi, & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Hæc Paulus Orosius ad Augustinum. Sed quid de Vandalis & Gothis, quæ ambæ gentes fuerunt Germaniæ, habueruntque veram originem à Germanis, quicquid in Gallia, Hispania, Sicilia, Illyride & in Pannonia egerint bellicosa manu, nemo est, qui nesciat. Hi toti Italiæ, Romanæque urbi (quàm læpitiis captam spoliaverunt diripueruntque) jugum imposuerunt, quin potius lacerarunt miserimè. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia, Gothorum inundatione deletur. Pannonia item & Mœsia, & omnis Illyris occupatur. Hunique ab his victi, Vandali autem omnia per utrasque Mauritanias Numidiamque populati sunt, Carthago ab his capta, Immo & tota Africa Egyptum usque & Æthiopiæ ab iisdem latè dominantibus occupata.

Hanni sive mavis Hungari postremum longè lateque

lateque prædicantur nec immeritò, quorum nomen barbarusque exercitus, toto terrarum orbe formidabilissimus fuit. Tædet dicere quas clades, quæque detrimenta Illyriis; Thracibus; Italia, Gallia, Hispania, etiam Germanis; cæterisque nationibus intulerint; sed à quibus quælo non semel & iterum, verum sæpius *visi sunt* quam à Germanis. *Carolus Magnus* suis eos in sedibus; hoc est, in Hungaria (sunt enim ab origine Scythæ ut voluat), percussit atque superavit. *Pipinus* ejus filius, iterum rebellantes in deditionem recepit. *Otho primus* juxta Augustam Vindelicorum ad internationem penè delevisit. *Conradus primus* Dux Suevorum *Sclavos*, quos dicunt & ipsos *Hunnos*, compepsit, cujus anno primo *Hunni* à Suevis & *Bojariis* juxta Rhenum vincuntur. *Henricus* Rex Alemannorum eosdem apud Meispurgum, memorabili strage affecit. *Henricus* Dux Bojatorum capta Aquilegia, Hunnos Italiam invadere conatos, propè Justinopolim, præliò bis commissò, profligavit; atque in Hungariam redire compulit. *Henricus Secundus* Suevus in propriis sedibus vicit, atque his Regem dedit. Nec te lateat; apud me eosdem esse *Hunnos* & *Hungaros*, uti etiam *Blondo* visum est; dum inquit: *In hoc verò feliciores Hunni, quod soli ex omnibus, scilicet populis per terras hinc armata manu vagantibus; Provincia quam obtinuerunt, suam dedere nomen.* Pro Pannonia enim videmus semper postea Hungariam esse dictam, nec hoc incongruum; nam cum dicantur Hunni, facile eorum Regio in Hungariæ nomen concessit, quod nisi ita esset, hæc tantum de Hungaris dixisse volo, quos constat ferocia animi, Scythicaque crudelitate, atque successu rerum, Hunnis nunquam fuisse inferiores, qui & ipsi Scythæ sunt. Et Hunni, sive posteriori & altero exercitu è Scythia profecti, sive paulatim (ut fit sæpè) mutato paulum, ut dixi, vocabulò, sic dicti: Prioris autem Hunni, una cum Gepidis suis, à Longobardis Germanis victi, Pannoniã exterminati sunt, quam illis præcario postea Longobardi inhabitandam concesserunt. Quadi & Turingi primos Hunnos suavis Ostrogothorum superarunt filios Atila duos fratres, qui terrore concussi in Scythiam refugerunt; & patriam suam.

At longum esset, referre omnino, ut redeam, unde digressus, quas intulerint Romanæ Reip. molestias atque clades Germani, qui etsi Romanorum fortunæ & felicitati aliquando cesserunt; postea tamen & ipsi de Romanis, de Gallis, de Hispanis; de Hungaris atque aliis diversis gentibus sæpenumerò triumpharunt. Nec Romani, cum rerum potirentur, res magnas sine Germanis auxiliantibus peregerunt.

Qui enim alii quam Germani vicerunt Pompejum illum Magnum? qui Alexandri Macedonis, Herculis, Liberi Patris acta superasse prædicantur. Citetur *Lucius Florus*, qui de bello Philippico ait. *Nam cum diu equò Marte contenderent Pompejus & Cæsar, jussuq; Pompeji fusus à cornu erupisset equitatus, repente à Cæsare signò datò, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur, hanc stragem fugientis equitatus, levis armatura ruina comitata est.* Et si liceat veritatem dicere; Im-

peratores Romani, candidissimi triumpho loco dixerunt; Germanos Rheno tenus prohibere potuisse, ne, ut sæpissimè factum est, Germani in fines Gallorum Hispaniarumque & ipsius Italiæ prorumperent. Nam trans Rhenum nemo eos impune lacecessit, nec quisquam externis feliciter diu apud eos, quantacunque potentia & multitudine stipatus fuerit, regnavit.

Objicietur, scio, statim mihi, Cæsar, qui res magnas in Germania gessisse prædicatur. At videamus quid gesserit, invenièmus, se ipso referente, solos Sycambros adortum fuisse; qui cum fugissent Cæsarem, paucos dies in eorum sinibus moratum, omnibus vicis ædificisque incendis, frumentis succensis, se in fines Ubiorum recepisse. At quid contra Suevos gesserit; referet ipse idem Cæsar, Ubii auxilium suum pollicitus, si ab Suevis premerentur, hæc ab his cognovit, Suevos, postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo consilio habitò, nuncios in omnes partes dimississe, uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores suæque omnia in sylvas deponerent, atque omnes qui arma ferre possent; unum in locum convenirent, hunc esse delectum, in medium ferè Regionum earum, quas Suevi obtinerent; hic Romanorum adventum expectare; atque ibi decertare constituisse. Quod ubi Cæsar comperit, omnibus his rebus confectis; quarum rerum causa traducere exercitum constituerat, ut Germanis metum injiceret, ut Sycambros ulcisceretur, ut Ubios obsidione liberaret; diebus omnino 18. trans Rhenum consuinptis; satis, & ad laudem; & ad utilitatem perfectum arbitratus, se in Galliam recepit, pontemque rescidit. Accipio igitur Cæsarem in testem & requiro ejus scripta, quid fecerit in Germania laudè dignum? fecit pontem per Rhenum multis diebus, summa difficultate & maximis impensis; ut afflictis Ubii auxiliùm ferret contra Suevos. At bone Cæsar, ubi audivisti, Suevos esse congregatos, Romanorum adventum expectare, atque cum his decertare constituisse; fugis in Galliam, celeriter pontem rescindens, ne te insequi possent. Omiferum auxiliùm! quod fers Ubii; quos in summa omnium rerum difficultate atque anxietate reliquisti. Nunc verum esse experiris, quod prius dixisti, *Suevorum esse gentem longè maximam. & bellicosissimam omnium Germanorum*, nunc crediturus es Tencteris; qui apud te dixerunt, sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint; Reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint. O qualem metum, quam parvum injecisti Germanis cum ista tua exercitus traductione. Quod si Cæsar de se ipso hæc fatetur, quid si quispiam ex Suevis interfuisset, remque ad posteros transmisisset, o quam in multis dissentiret à Julio? *Nemo enim est, qui non magnifice de suis rebus loquatur, multo magis scribat, & ad verlariorum quantum possit, extenuet.*

Quare *Augustissime Rex*, justissimè conqueror, Germanis nunquam animos, sed Scriptores defuisse. At Cæsar conscientia forsan, sed Scriptores defuisse Rhenum parum magnificè gestarum, iterum pontem fabricat atque exercitum traducit, ipse hujus reddit causam esse, quod Germani auxilia contra se Treviris miserant, tandè reperit, à Suevis auxilia missa esse. Postquam

Postquam Suevos audit esse in armis, atque adventum Romanorum expectare, rem frumentariam providet, castris idoneum locum deligit, Ubiis imperat, pecora deducant, sua omnia ex agris in oppida conferant, sperans barbaros atque imperitos homines inopiâ cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse conduci. At ubi desperavit eos insidiis circumveniri posse, reducto exercitu (ut ipse inquit) partem ultimam pontis, quæ ripas Ubiorum contingebat, in longitudinem pedum ducentorum rescidit, atque in extremo ponte turrim tabulatorum quatuor constituit, præsidiumque cohortium duodecim pontis tuedi ponit, magnisque eum locum munitionibus firmat. Ecce Ubiis in summo descimine positus, ipse rescindit pontem ex una parte, & ex alia, ne Suevi subsequi possint, præsidium locat. Unde factum reor, ut successu temporis *Ubi a Suevis oppressi & detriti, in ulteriorem Rheni partem concesserint*, uti nemo dubitat. Quare verissimè dicit Æneas Silvius: *Terrarum ille calcator omnium, & orbis domitor Julius Cæsar, quamvis subactis Gallis sæpe Rhenum transverit, bellicosam tamen & asperam Suevorum gentem dimisit indomitam.* Augustus Octavianus, cui & Parthorum & Indorum Reges mûnera miserunt, qui unus omnium Romanorum fortunatissimus est creditus, ille inquam felicissimus Imperator, nec alibi, teste Suetonio, nisi apud Germanos succubuit, nam *Lollianam & Varianam cladem in Germania perpeffus est*, Lollianam, majoris infamiae quam detrimenti; Varianam, penè exitialem tribus legionibus cum Duce, legatisque & auxiliis omnibus cæsis, unde adeo consternatum ferunt, fuisse Augustum, ut per continuos menses barbâ capilloque summisso caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare, legiones redde, diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem, quod si viginti bellorum libri extarent Plinii Secundi, quæ gesserunt cum Romanis Germani, pro confesso habeo, multa & innumerabilia posse reperiri, quæ ad nostrum decus & ornamentum non mediocriter facerent, quæ omnia intercepti temporum injuria.* Postremo si fidem volumus adhibere, sicuti non immerito possumus, Gothofredo Viterbiensi in suis Chronicis, & quibusdam aliis fide dignis Scriptoribus, *Suevi Senones* quorum meminit Prologus, Strabo, Cornelius, Tacitus, & alii cum Transhenanis Germanis in Belgarum finibus habitantibus, anno ab Urbe condita septuagesimo quarto, (supra tricentesimum, *Duce Brenno*, qui & idem Suevus erat, *Italiam ingressi sunt*, Romam vastaverunt, subjugatis tamen antè Gallis & conditis à suo nomine *Gallis Senonibus* (Scimus enim plerosque Gallos esse ortos à Germanis, Rhenumque traductos antiquitus, & propter loci fertilitatem ibi consedisse) in partem etiam militiæ receptis. Romanis incendit pars atque in Italia consedit, pars eorum Illyricos sinus per strages Barbarorum penetravit & in Pannonia consedit, alii Græciam, alii Macedoniam omnia ferro prostermentes petivêre. Hi sunt *Senones* qui postea *Gallogræci*, postremo *Galatæ* dicti sunt. Eos autem fuisse Germanos, luculentum dat argumentum Divus Hieronymus libro secundo, in *Epistola ad Galatas*, qui dicit: *Galatas, excepto Græcò sermone,*

quò omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem penè habere, quam Treviros. Constat autem, & haud obscurum videri debet, Treviros, longo tempore ante Divi Hieronymi nativitatem, transisse in nomen nationemque Germanicam. Hoc primum videri probare Julius Cæsar, qui scribit: *Plerosque Belgas ortos esse à Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent, expulisse.* Astipulatur & Suetonius qui dicit: *Augustum Suevos & Sycambros sese dedentes traduxisse in Galliam atque in proximis Rheni agris collocasse.* Cornelius item Tacitus. *Treviri & Nervii* (inquit) *circa affectionem Germanica originis ultro ambitiosi sunt.* Et idem: *Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi incolunt, Vangiones, Triboci, Nemetes, & Ubi, quibus omnibus proximi sunt Treviri.* Et Ammianus Marcellinus qui ante Hieronymum sub Juliano floruit: *Coloniam Agrippinam & Treverim, urbes esse Germania prodidit.* Et Cornelius alibi libro 19. tempore Vitellii, Treviros fuisse Germanos luculentissimè ostendit, his verbis: *Et victa legiones, ne manens adhuc civili bello, ambigè agerent, per Illyricum dispersæ, in Britanniam inde, & Hispanias, nuncios famamque: In Galliam, Julium Calenum Tribunum, in Germaniam, Alpinum Montanum Praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus, Heduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere.* Nec ego accedo his qui scribunt, *Suevos Senones.* Senones enim in vetustissimis libris atque etiam in nova impressura reperio. Quod autem Livius & ejus sequaces tantum meminerunt Gallorum, mirum nemini videri debet, quoniam & eo tempore notiores, & proximiores erant Romanis Galli, & Suevi Senones jam pridem ingressi Galliam ibi sedem locavêre. At ego adolescens ne contra ire temere Livio Latinorum Historiographorum facile Principi videar, referam ad scholam Eruditorum, contentus ea dixisse, quæ non aliena videntur à veritate, veluti & plerisque Historicis non ita recentibus visum fuisse scio. Sed ne Historiam facerè velle videar, neve tuas aures longis ambagibus detineam, *Cæsar sacratissime*, de bellis Germanorum plura dicere supersedeo, quæ non unam & eandem parvam orationem, sed grandia volumina expeterent. Et ne quid nobis deesse videatur, video, plerasque urbes & populos origine & vetustate gloriari, in quo genere laudis nostros imprimis excellere liquet, nos enim (ut quidam de Atheniensibus dixit) præter incrementum, etiam origine gloriamur, & honestissimis initiis. Quippe non advênæ, neque passim collecta populi colluvies, originem Germanis dedit, sed in eodem nati solo, quod incolimus, & quæ nobis sedes, eadem origo est, hoc Cornelius Tacitus confirmat; *Ipsorum*, (inquiens) *opinionibus accedo, qui Germaniæ populos, nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam & sinceram & tantum similem sub gentem existisse arbitrantur.* Quod si de vetustata quæris: invenies, Germanos à *Tuiscone*, filio Noæ, quem alienigenæ Janum vocant, ortos & plantatos. Inde Teutones dicti vulgò *Quiscti* à *Tuiscone*, testis est antiquissimus Scriptor Berosus, Sacerdos Babylonicus, qui refert *Noam Janum* dictum, ab exordio Regni Babylonicus, quod

cœperat anno à diluvio, CXXXI. misisse *Tuisconem* in Europam ibique Regem fecisse, addit etiam priinum *Babylonici* Regni *Saturnum* dictum *Nimbrodum*, quem nos *Nimrod* vocamus, regnare cœpisse anno à diluvio, CXXXI. & regnasse annis LVI. cuius Imperii anno XXV. *Tuiscon* *Gygæ* *Sarmatas* maximos populos fundavit, legibusque formavit apud *Rhenium*, anno quarto *Nini*, qui nepos fuit *Nimbrodi*. Regnavit autem *Tuiscon* annis CLXIII. ad cuius temporis medietatem, non pervenerunt *Babylonici* Reges, quia *viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, ut testantur *Sacræ Literæ*. Ex ejusdem igitur verbis non obscure intelligimus *Alemannos*, ab *Hercule Alemanno*, vel à *Manno* filio *Tuisconis* dici, quasi ab *alveo*, hoc est, fluvio *Manni*; *Ale* enim *Scythicè*, & *alve* interpretantur *alveum*, dicit *Talinudiste*, ut dicit *Joannes Annius*. *Alemanni* igitur nuncupantur, tanquam habitantes cis *alveum*, & fluvium *Manni*, & hic est fluvius *Rhenus*. Id quod idem testatur *Berosus*: *Apud Rhœni Sarmatas* (inquit) *regnavit filius Tuisconis Mannus*, *Sarmatiam* autem *Germania* in se comprehendit, eodem dicente. In *Europa* Regem *Sarmatiæ* fecit *Janus Tuisconem* à *Tanai* ad *Rhenum*, nec his accedo, qui volunt, nos dictos *Alemannos*, à *Lemano* fluvio, quoniam hic non in *Germania*, sed in *Gallia Celtica* fluit non longè à *Rhodano*, de quo nihil ad *Germanos*. Ceteri *Alemannos* ex *alva magna*, nonnulli ex vulgari *Alman* derivantes, temerè hallucinati sunt. Nec minùs illi, qui à *Limago* *Helvetiorum* (qui sunt *Galli*) flumine *Alemannos* derivant; nam quæ convenientia *Alemannorum* cum *Limago*? somnare profectò videntur, qui tam imprudenter hæc confingere audent, nisi *Limagum* prius *Lemannum* dictum velint, nulla tamen veterum auctoritate freti. At sunt, *Cæsar*, & debent merito parva existimari, quæ diximus omnia, quoniam pessimis quibusque hæc contingere possunt. Sed laus optima dicenda est, quæ à virtute proficiscitur, in qua nos cunctis gentibus præstare palam est, quæ est enim gens aliâ ferventior æqui omnique justitiæ? quæ constantior, quæ tantæ tamque sinceræ fidei? quo autem nostri amore & veneratione divinum cultum, *Christianamque*, *Religionem* prosecuti sint, testantur non solum *templâ Christi* sumptuosissima, *Cænobia* utriusque sexus castissima, aræ innumerabiles, verum etiam illustria facta majorum nostrorum, & bella domi forisque pro *Christiani nominis* conservatione & incremento suscepta. Quod si quis æquis rerum existimator secum reputet, quoties pro *Romana Ecclesia*, pro *fide catholica*, pro communi denique omnium *Christianorum* salute, nostri Imperatores per totam *Europam* vagati fuerint, quoties *Asiam* ingressi, eam celebribus iisdemque crebris victoriis amplecti fidem cœgernit, gentilitatemque & infideles conculcaverint & depresserint? quæ *Oppida*, *Nationes*, *Regna* & *Imperia* *Christianitati* donaverint? quoties *Hierosolymas* & terram sanctam ex hostium fauce vindicaverint? quoties schisma de medio *Ecclesiæ* sustulerint? quoties *Tyrannos* & summis Pontificibus rebelles domuerint, & jugum ser-

vitutis imposuerint? judicabit profectò, nullam ex omnibus terrarum *Regionibus* gentem, quæ cum nostra, de omni laude & meritis in *Rempublicam Christianam*, ulla ex parte contendere possit. Ne autem verbis tantummodò contendere videamur, pauca nostrorum merita libet in medium asferre, si prius excusaverim quosdam Imperatores, Pontificum fulminanti censura notatos, quod factum esse, tradunt homines non minus fide quam gravitate spectati; non tam Imperatorum culpa, quam Pontificum avaritia atque ambitione. Nam si his Imperatores, quos suo Imperio deturbare studuisse existimantur, Imperium totius *Italiæ* permisissent, nunquam essent sententia excommunicationis fulminati, quod *Blondus*, alioquin multa Pontificibus blanditus, in secundo *Friderico* ostendit, cuius coronationem (ut inquit) *Innocentius III.* ea ratione renuit facere, quod is magno *Vir* animo, sicut *Othonem* prius, hunc quoque pariter quæreret *Italiâ* deturbare.

Carolus igitur qui à rerum à se gestarum magnitudine nomen accepit (teste *Urbano* secundo, rerum experientia, omnibusque fide dignis *Scriptoribus*) natione & Imperio *Germanus* simul, & *Rex Francorum*, *Saxoniam*, magnam *Germaniæ* partem & latam, atque *Frisiam* prius gentilitatis ritu viventes, ad fidem compulsi. Idem multos *Pannonia* populos, sponte, ad se venientes, baptizari fecit: Idem *Hispaniam*, quæ per id temporis perditis scelerati *Mahumeti* scætoribus serviebat, occisis, & deletis *Afris* infidelibus, *Christianitati* donavit: Et *Carolus Marcellus* illius avus *Saracenos* ad trecenta millia, & amplius interemit. *Conradus II.* *Fridericus I.* *Henricus V.* *Suevorum* *Duces*, & Imperatores copiosissimos exercitus pro terra sancta recuperanda, ex *Alemania* confluxerunt, quibus *Gentilium* terras sæpè ferro ignique vastaverunt, ac in deditonem compulerunt. Præ omnibus autem Imperatoribus formidabilissimus fuit hostibus *Christianorum* *Fridericus I.* ejusque interitus toti *Christianæ Ecclesiæ* fuit luctuosissimus, cujus ductu felicissimo (nisi mors immatura intervenisset) impia *Turcarum* & *Saracenorum* perfidia, toto orbe ut sperabatur, constantissimè fuisset vicatim, ne dum regionatim, eliminata. *Secundi* autem *Friderici* Imperatoris, animi magnitudine præstantissimi conatus, ideo fuerunt irriti, quoniam (ut spectatis *Scriptoribus*, & qui istiusmodi ætate vixerunt visum est) *Asianam* expeditionem maximo apparatu, exercituque instructissimo meditantem, saltiosa illa *Italia*, modò hunc, modò illum fovere, subitoque destituere assueta, vel potius ipse Pontifex Imperium *Italicum* agitans, rebusque Imperatoris, & juribus, ut dicitur insidiatus, cœgerit non solum à piissimo proposito absistere, verum etiam *saluti rebusque propriis* summis viribus consulere. Sicut aliis nonnullis contigisse scribitur, quorum vires, & conatus ad majora amplioraque aspirantes, *Italia* rebellans detinuit, variaque hinc inde factionum studia enervavit. Nam ut tantum dicam, de *Friderico* illo, de quo mihi jam sermo est: Hujus nomen adeò celebre fuit, terribilisque omnibus *Gentibus*, ut *Sulianus* ipse *Ægyptiorum*

ptiorum Imperator, dum ille instructo exercitu terram *sanctam*, à manu infidelium asserturus mare trajiceret, nondum viso, tota Judæa excederet, illamque sola formidine ductus Friderico liberè & sine sanguine traderet, eo tamen fœdere appo- sito, ne *Aegyptiorum* fines ulterius progrediendo invaderet. Quare accepto fœdere, *Fridericum Hierosolymis totius Judææ Rex est declaratus*, & coronatus, adeò gloriôsè, ut cum Cæsare non incongruè dicere potuisset, *veni, vidi, vici*. At dum prohi dolor! hæc Hierosolymis agerentur, *Pontifex Imperatorem absentem contemnuens, Siciliam, & Apuliam ejus Imperio subditas subjugare*, inque suam Ditionem redigere annixus est, & ut jure aliquo, & justitia facere videretur, illius cum *Sultano fœdus* (quod tamen saluberrimum Christianæ Reipublicæ fuit) turpe inque suum caput machinatum (quàm verè, DEUS novit) *criminnatus* est. Ea de re Fridericus, cum maxima sua, & totius populi Christiani jactura, & ludibrio, Judæa hostibus relicta coactus est redire domum, propriaque tutari. Nec me quicquam hæc commentum esse existimet; sed coætaneos Cæsaris Viros gravissimos, hæc & majora scripsisse non dubitet, de quibus rebus, & nos aliquando plura edemus, nunc ad reliquos vergemus. Quid præterea prædicem de *Ludovico* Caroli filio, qui præter alia Christianissimi Imperatoris opera *Regem Danorum* unà cum suis, ad fidem induxit. Idem *Regem Bulgarorum* unà cum sua gente, *ad fidem capeffendam induxit*. Nonne & *Henricus I.* de Saxonum genere, *pro fidei Christiana incremento*, plurimas gentes *conculcavit*, præcipuè *Normanos, & Danos*. Et ut in summa dicam, quod *Liburni, Illyrii, Dalmatæ, Moravi, Poloni, Hulgigeri* Christianum cultum susceperunt, & omnem idolorum cultum abjecerunt, non nisi strenuâ Imperatorum Germanorum vigiliâ & operâ effectum est, nec (si omnia prosequi vellem) oratione parvâ, sed densissimis codicibus opus esset, quod non obscure intelliges, si cogitabis: *Imperium Romanum ob solâ in Ecclesiam Christianam merita, ad Germanos esse translatum*, quod ad singulare nostrorum decus & ornamentum accedit. Nam et si Assyrios, Medos, Persas, Græcos & Romanos aliquando sibi usurpasset, constet Imperium, solâ tamen libidine regnandi, & violentiâ sunt adepti, & ut turpiter acquisierunt, ita turpiter amisere, inque vilissimam servitutem sunt postea redacti. Nostri verò Virtute, ac laboribus pro D. E. O. susceptis, digni visi sunt, vel universo Ecclesiæ Romanæ Senatui, qui Imperium Orbis agerent, quique quod virtute acquisierunt, Te Rege, Te auspice, in æternum servabunt. Tantò igitur superioribus nationibus, superiores existimandi sumus & digniores, quanto præstat Virtus, & Religio vitis, & iniquitati. At illorum gloria sunt omnes referti libri, *nostros autem omnes penè, & eorum gesta tenebra occupaverunt*, situsque obduxit, quod si *quædam ab externis, & alienigenis obiter sunt perstricta, Scriptorum tamen affectus, amor, odium, metus, adulatio & id genus alia, quin multa addiderint, multa subtraxerint, nemo asserere dubitavit*, nec longè reperamus exempla, libet referre quod tempora nostra viderunt. Scripsit ante paucos dies qui-

dam Historias Regum Franciæ, nec quicquam in medium protulit, nisi quoddam ornaret illos, nec ullam eorum mentionem fecit, quæ *Tu Rex Augustissime*, vel in tenera ætate contra eosdem felicissimè confecisti. Cur item non repleat omnes annales hoc gloriosissimum facinus, omnibusque seculis memorabile, dum *Tuo ductu & auspicio*, subque tuis signis, *vix quingenti milites*, & hi quidem *nudi*; hoc est, levis armaturæ, quos nunc *Hastarios* vocitant, juxta *Salinas Sequanorum Tuæ Ditionis urbem*, impetum non solum tulerint *quatuor*, vel, ut alii volunt, *sex millium Loricatorum Regis Franciæ*, quos *Cataphractos* nuncupamus, verum etiam *in turpissimam fugam converterint*, multis eorum occisis, partim vulneratis. At nos quasi de industria nostris rebus invidentes, omnia silentiò transimus. Quid quoddam alius nomine *Jacobus Bergomensis Monachus*, parùm probè *descripsit bellum inter Ducem Austriam Sigismundum patruelem Tuum, & inter Venetos*, quos dum plus æquò laudare studet, *lesit omninò veritatem*, & supplantavit. Est enim adhuc recenti in memoria quantum gloriæ, quantumve splendoris amplissimo nomini suo pepererit *Sigismundus* ille Dux inclytus eò bellò, dum *parva manu*, paucisque levis armaturæ militibus, *memorabili strage affecerit Venetos*, ingentissimas eorum copias partim ferrò delens, partim in turpissimam fugam convertens, adeò ut, dum quidam fugâ salutem quærunt, inter quos fuit, & Dux militiæ, quem *Capitaneum* video à nostris vulgò dici, in flumen *Athesim* irruentes perierint. Fuit autem Dux *Robertus Severinus*, virtute, ut dicitur, & rei militaris disciplinâ inter suos spectatissimus: in cujus marmoreo sepulchro *Tridenti* (ubi corpus fuit conditum) legitur.

Ter proceres Veneti bellò petiere Tridentum,

Ter victi & victus, ecce Robertus adest.

Taceo quæ igne vastaverit Dux clarissimus, haud inferior illo *Macchabæorum* *Juda* fortissimò, qui parva manu, & inferioribus longè viribus innumerabiles illius *Antiochi* exercitus toties conculcavit & delevit. Et *Blondus Flavius*, adulanter, ne dicam mendaciter *Fridericorum gesta*, cæterorumque *Imperatorum* qui res magnas in Italia egerunt, vel *extenuavit*, vel transeunter effudit. Taceo de aliis multis.

Deus igitur tandem gloriæ, & rebus nostris singulari quodam beneficio consulens, dedit Te nobis in lucem, *Maximiliane Rex Augustissime*, cujus ductu & auspicio nostræ res speciosissimæ, post longam rubiginem, & squalorem tandem claritudine, & splendore decorabuntur. Nam & vident studia, proferunt se ingenia & ostentant, magnumque proventum Poëtarum Tua munificentia exulcitat, quia Literatos amas, quia Eruditis suffragaris. Nec immeritò, hi enim tibi cumulatissimam gratiam referre queunt, de Te scribentes, & Tua præclara facinora celebrantes. Quod si beatos existimavit Antiquitas, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos verò quibus utrumque, jure Te beatissimum simul & laudatissimum prædico, qui præter tot res fortiter gestas, inter tot curas, negocia, tot domesticas, & externas rerum maximarum

ximarum occupationes, audire vis quotidie quippiam historicum, ac memorabile, immò verò Tu ipse dicèris conscribere historias, & illustrationem Germaniæ summo studio meditaris, non inferior Julio illo Cæsare; quem vel idèd summis laudibus effert Antiquitas, plurisque quàm alios Imperatores, ac Principes fecit, quòd præter publicâ Imperatoriâque negotia, annum etiam scientiarum studiis adhibuerit, quod & Tu egregiè de Te præstitisti. At ut aliquando finem orandi faciam, ne nimium tuas pientissimas aures lædam; *Rex Sacratissime*, Tua cantata longè lateque Humanitas, atque Benevolentia, in omnes Studiosos me invitavit, ut nonnihil à Tua Majestate veniam petiturus, hoc unum scilicet, ut sim Majestati Tuæ commendatus; quod si conlectus fuero, me Cræsi divitias habere existimabo, Et Tibi (tam etli nullam aliam remunerationis vicem exigas) hoc de me polliceri poteris, *Rex Optime*, ut si quid in ea carmina unquam possunt, semper nomen Tuum, laus, & gloria maneant, & nunquam intermoritura. **DIXI.**

AD SACRATISSIMUM Romanorum Regem, Divum

Maximilianum, *Ἰωχαισιμὸρ*, hoc est,
Gratiarum actio

HENRICI BEBELII, Justingensis
Poëta Laureati.

Donasti Lauro, *Rex Augustissime, Vatem,*
Hinc Tibi devinctum meq; perenne facis.
Unde Tuam laudem, si me dignabitur ullo
Nomine posteritas; secula nulla silent.
At quoniam tenui nequeunt Tua facta referri
Carmine, qua poscunt ex Helicone Deas.
Et vix Meonides possit describere cunctas
Virtutesq; Tuas Martigenamq; manum,
Sufficit in præsens meritas Tibi dicere grates,
Versibus inculcis, imparibusq; modis.
Attamen hac merito Tibi nos debere fatemur,
Ut Tibi sit compar nullus in orbe Ducum.
Iustus Aristidem, superas bonitate Metellum,
Pace Numa, in bello Julius alter ades.
De cunctis certare libet Virtutibus uni,
Romulei cedant Argolicisq; Duces.
Vive, vale, gaude, Bacche, fortissime Regum,
Et Tibi Cunctipotens vota secundet, Amen.

IN ASOPHUM PSEUDO-PROPHE- TEN, H. B. CARMEN

Desine falsidicâ vulgum seducere lingua,
O Asophe, occultum non tibi DI referant.
Allatras populum gaudens miranda profari,
Ut sis conspicuus famigerumq; decus.
Et nisi mentita est Scriptura Theologa cuncta,
Judicium extremum dicis adesse brevi.
Declamas publicè mendax & Pseudo-Prophetes.
Ut sis de cælo præcipitatus heri.
Imperium senas intra Germania fortis
Perdet olympiadas, fronte severus ais.

Quod si non intra hoc tempus deperdet, habebit
Mille annos ultra, vel ruere ipse nego.
Unde superstitio hæc, aut spiritus iste profanus
O Asophe! inflatur, dæmonicusq; furor?
Namq; suis Christus momenta, & tempora scire,
Non, ais, est vestrum, scire nec ullus habet.
Consiliumq; Dei nec perscrutabile cuiquam est,
Ut bene Scriptura te docuisse solent.

Jamq; diu sancti mundo cæsere Propheta,
Queis cum DI soleant mystica verba loqui.
Nunc nisi merdosi nascuntur in orbe Propheta,
His Pluto inspirat, præstigiosa spò Phæ.
De Imperio dicam, meritis Virtuteq; partum est,
Consensuq; pari Catholicisq; Gregis.
Et quod religio peperit, quod deniq; Virtus,
Hoc durare quidem posse perenne reor.
Affyrios, Medos Persus, vel Regna Philippi,
Allegas frustra, cum Cecrope & Eneadas:
Quos non religio traxit, sed vana libido,
Regnandi, & sortis luxuriantis opes.
Imeritum quòd si nobis fortuna minari
Possit, & ignavi seditione Duces.
Hoc tamen incertum est cunctis mortalibus, unquam
Imminet, vel quo possit adesse die.
Vade cacatum igitur false, & merdoso Propheta,
Elleboro & merdis ablue sepe caput,
Insuper immemorem non esse decere memento,
Mendacem, verbis verba quadrare decet.
Stare diu Imperium jam narras posse apud ipsos,
Teutonicosq; Viros Teutonicamq; domum.
Affore qui pridem supremi judicis horam
Dixi, dic possunt qua adificare fidem.

IN DETRACTOREM REGIÆ MAJESTATIS. H. B.

Desine mordaci Regem taxare Camœnâ,
Detraxisse cave, stulte Poëta, precor.
Rex meus est fortis, est servantissimus aqvi,
Virtutum splendor imperiisq; decus.
Quid memoras Consulta Patrum, quid verba Senatus
Qui proprius semper consulere bonis.
Qui si respicerent Regis quoq; commoda regni,
Et si quod debet Cæsar habere, datur.
Tunc aquila invidta ad Seres penetrabit & Andos,
Sic consulta patrum rite juvare queunt.
At sua dum cuncti procurant commoda cuncti &
Velle suum soleant legis habere loco.
Inque sinu foveant prædones atq; latrones,
Legibus excussis Cæsaris atq; jugo.
Dumque aquilam implumem temunt, dum quisq;
laborat,
Extrahere huic pennas, & spoliare macram.
Non tibi sic mirum (namq; efficit omnia non Rex
Solus) si totum concidat Imperium.
Vis priscum revocare decus si sancte Senatus,
Pellere vis hostem finibus ipse tuis.
Redde prius pennas, sed quas foris ales habebat,
Dum stesit Imperium, consulere inde potes.

Ad Doctissimum simul Dissertissimum Virum, Marco Arpinati, Zoile sapienti, Semper, & haud vigilem scripsisse Platona Magistrum, Sentit Aristoteles, Philosophosq; senes. Sic ego vel merear non omni ex parte repulsus. T. cunctonica saltem a posteritate legi. At nostras aliquid nugae si tu esse putabis, Judice te, vel non barbarus auctor, ego. Omibi quam multum tribuam, qua pectore lato, Efferar, & coccyx laudis amore canit. Namq; probari dulce mihi est, sed deq; probato, Si mea iudicio Musa probata tuo est.

PETRUM JACOBI ARLUNENSEM, Ecclesiae Collegiatae Backnau-

gensium Praepositum, Canonicumque

Stutgardianum, Henrici Bebelii

Epistola.

Cum nuper ad nostram orationem Regiam, plurima addidissem, Petre, ut Te parcissime laudem, Germanorum omnium dissertissime, inter caetera adjeci, & Germanos esse indigenas, quodd; cum perlegissem Aeneam Sylvium in sua Europa, & quasdam alias triviales, & plebejas Historiolas, inveni in illis, Francos esse gentem adventitiam, & Saxones, quod nostrae omnino non quardat Historiae: Quare congruum putavi, non nihil ad defensionem meam super hoc commentari, ne a quoquam mendacii & Historiaru ignarus inculari possim. Non licebat autem orationi ad jungere, crederet enim tandem in magnum volumen, nec cohaerent adeo, quae addimus vel etiam ante addidimus, usq; adeo nihil est, quod non adventitia mixtione non corrumpi soleat. Tibi autem praecipue dedicavimus, eo animo, ut examines, & judices, recte necne sentia de istis, quos dicam populis, cum sis multijugis studiorum exercitamentis eruditissimus, & qui jam diu primas omnium suffragio partes in Eloquentia, Historiis, caeterisq; humanis & terrioribus Literis vendicasti, perspicuum hinc argumentum quod ad Hispanias, Britannias, caeterosq; Reges clarissimos, a Caesare nostro Maximiliano, summa cum laude Tua, Orator mitti soles. Oro igitur atq; obsecro, pro Tua insita in Studiosos humanitate, Tuo corrigas iudicio, quae minus bene, & peperam nobis obrepere potuerunt, nescio enim quomodo, ut Ambrosius scribit, propter imprudentiae caliginem, quae nos circumfundit, unumquemque fallunt sua scripta, & aurem praetereunt, atque ut filii etiam deformes (quis enim filius non formosus matri? juxta Quintilianum) delectant: sic Scriptorem indecori sermones sui palpant. Quare tu justo libramento trutinabis has nostras lucubratiunculas, & errores cultissima tua eruditione exterminato. VALE.

AD EUNDEM, EJUSDEM ELEGIDIUM.

Uris & equarum Vir Consultissime, Legum, Petre inter raros connumerande viros, Eloquii Princeps, & quem facundia grandis, Conciliat Ducibus Caesareoq; Viro. Quod si nil nisi limatum, vel Apolline multo Excultum, & si sit posteritatis opus, Jure tuas possit doctas accedere ad aures, Cui nisi Doctorum scripta probata placent. Attamen ad sacras nunc affero Apollinis ades, Primitias, tenuis quas mihi Musa dedit. Quas Helicon, si non ex omni parte polivit, Et desit scriptis lima severa meis: Assistens rogo, si fas est maledicta tueri, Te gere Aristarchum, pessima quaeq; secans. Dicit (nam nostri) Critico incurstante severis Moribus, o caveas oro, quietus abi. Flaccus nonne refert Venusini gloria ruris, Undiq; perfectum vidimus esse nihil.

Germanos esse autochthones, hoc est, indigenas, praeter caeteros affirmat Cornelius Tacitus, qui dicit: *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum Gentium adventibus, & hospitiis mixtos, quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes querebant, & immensus ultra (utque sic dixerim) adversus Oceanus, raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Aethiopia, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu, aspectuque, nisi si patria sit? Hodie tamen, o Corneli, Germania est, non solum non informis terris, & tristis aspectu, verum etiam cultissima, vinetisque, & omni fructuum segetumque genere & conspicua, & foecunda, unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero idem, omnibus truncus, & carulei oculi, rutile comae, magna corpora, &c.* Haec ille. Soli igitur penes sumus ex omnibus terrarum nationibus, qui sine advenarum mixtura regnavimus, & a conditis monumentis, sine jugo servitutis, externorum, late regnavimus, atque vicinis circumquaque imperavimus, quod vix ullis populis a condito aevopertitorum terrarum orbem contigit: nam ut paucos annumerem. Umbri olim a Tyrthenis ejecti, Tyrtheni a Gallis, Galli a Romanis, Romani a Longobardis, & ut Seneca dicit, ad Albinam de consolatione: *Totum Italia latus, quod inferiori mari alluitur, major Gracia fuit. Tuscos Asia sibi vendicat, Tyrii Africam incolunt, in Hispania Poni, Graeci se in Galliam immiserunt, in se Graciam Galli, Pyrenaeus Germanorum transitus non omnino inhibuit, vix denique invenies ullam terram, quam etiam nunc indigena colant.* Haec ille. Assyrii insuper, ut ostendam omnium Gentium, praeter Germanorum Imperia corruisse, licet olim Imperium habuerint, Medii item, Persae, Macedones & Graeci, resque magnas, & egregias gesserint, paulo post tamen in servitutem sunt redacti. Immo & hodie inhumanissimae Turcarum libidini, & dominationi sunt expositi Romani, quondam Domini Dominorum, hodie servi, & servo servorum sunt subiecti. Totaque cum illis Italia, Vandalorum, Gothorum, Longobardorum, & caeterorum, qui Italiam ingressi sunt, quasi posteritas Gallorum non Imperium, & potentia modo, verum etiam nomen deletum est, atque in Francos Germanos translatum. Soli Germani (in quo singulariter gloriari possumus), a nullis nationibus pulsati patria, nullis cedentes, nullius exteri Dominium passi, nullum occupatorem sustinentes, semper regnavimus. Quod si aliquando fortunae cesserimus, nemo tamen

men apud nos diu feliciter regnavit; & nostræ invicem simul felicitati, & Virtuti cesserunt omnes aliæ gentes. Hoc Romani, præsertim Julius & Augustus, Gentium Domitores, terrarumque Domini, cum sua jactura didicerunt, hoc Drusus Germanicus, qui à Germania (ut ipsi dicunt) devicta, nomen accepit, resque omnium præclarissimas atque felicissimas apud Germanos consecisse, famigeratur, morte expertus est. Quare elegantissime simul, & verissime cecinit Claudianus Poëta.

*Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusus,
Mars sed ancipiti, sed multis cladibus emptæ,
Quis meminit victum sola formidine Rhenum.*

Hoc item Hunni, seu Hungari potius, immanissima toto terrarum Orbe Gens, ad internationem, in Germania deleta cognovit; hoc omnes experti sunt, quicumque Germanis bella inferre attentarunt. Quæ cum ita sint, nemo persuadebit mihi, à tempore Cornelii Taciti, aliquam exteram Gentem prioribus incolis deturbatis, Germaniæ incubuisse. Nunc mihi certamen est, cum quibusdam plebejis Francigenarum Historiis, & quibusdam aliis assentatoribus, ut videtur, qui vel Germanorum laudi invidentes, vel vetustæ originis cupidi, ut fert mortalium ambitio, *Francorum ortum à Trojanis auspiciantur, quibus nulla fides, nulla recepta Historia suffragatur*, quoniam Francorum nulla omnium Historicorum mentio fit, nisi in finibus Germanorum. Nullo igitur modo probatur mihi Aeneas Silvius in sua Europa. Primum quod nullam de Suevis, vel paucissimam, facit mentionem, quos Orosius, maximam & ferocissimam dicit esse gentem. Cornelius Tacitus majorem Germaniæ partem obtinere, propriis adhuc Nationibus nominibusque discretos. Julius autem Cæsar, Gentem esse longè maximam, & bellicocissimam Germanorum omnium, & quorundam item aliorum Germaniæ populorum, & quidem præstantium, non meminit. Secundo refragor omnino ejus opinioni, dum longam connectit fabulam de *Francis*; dicens esse *Trojanos ab origine, qui deleti illo Duce Priamo, Priami ex sorore nepote, per Pontum Euxinum, ad Meotidas paludes in Scythiam pervenerint, ibique civitatem ædificaverint, Sycambriam vocitantes, ex qua dicti Sycambri fuerint, demum tempore Valentiniani Cæsaris, Germaniam intrasse, & Francos appellatos, quod Attica lingua sive feroces, sive nobiles sonat. Et alibi: Saxones Græcæ sobolem esse affirmant, ex Macedonia classibus advectam, qua Turingos multis bellis defatigatos paternis agris ejecerit, quod mihi (inquit) non sit verissimile. Est enim vetustissimum in Germanica terra Saxonum nomen, cujus omnes Veteres meminere. Turingos nemo antiquorum nominat, qui Germanicus Gentes enumerant, in adventu primo Francorum, qui tempore Valentiniani Cæsaris, Germaniam intravere. Turingos nominari reperio.* Hæc Silvius. Cui ego non detractionis, aut gloriæ cupiditate, sed amore, cui nihil non debeo, patriæ, ductus, contradicam, & à quo patria Germania me jure meritissimo pro sua defensione dissentire postulabit, cui non nihil laudis detraheretur, si hæc, quæ relata sunt, vera essent. Primum: Nemo scriptorum, quod ego sciam, ullam facit mentionem Sycambrorum, apud Meotidas paludes in Scythia, nec item Fran-

corum, nec Francus, esse existimo. Atticam dictionem, quoniam præter cætera, Attici non habent litteram. At ne Æoles quidem, illius literæ inventores, utuntur. Unde Græcum esse vocabulum non facile inducar. Alii Francos dicunt, quasi feroces, integrè loquendo, quod paulò tolerantius esset. Francia etiam nostræ Orientalis dicitur, hi autem qui in Gallia confederunt, non Franci; sed Francigenæ potius essent nuncupandi, uti eos appellat Roswida Monialis Saxonica, vel Franci occidentales. Quod autem genus Trojanorum sint Franci, ex Scythiaque progressi, commentum anile, sordidamque fabellam existimo, & excogitatum ab his, qui de magnis maxima loquuntur, & in favorem illorum, qui suam originem vetustissimam, atque etiam quondam nobilissimam volunt prædicari. Quod, etsi quidem Manethon, Ægyptius antiquissimus, dicat, vel ut alii existimant, à quibusdam in errorem suum depravatus fingatur, dixisse, Francum Celtis imperasse ex Hectoris filiis, attamen nihil mihi obesse debet. Præter enim hoc quod nec Vincentius Gallus parùm disertus Historicus concordet Aeneæ Sylvio, nec hic cæteris, nec cæteri inter se, illud est nemini obscurum, Francum, etsi regnaverit apud Celtas aliquando, nunquam tamen in Gentem Celtarum nomen suum transfudisse, posteritati que indidisse, quoniam nullus, nec Græcus nec Latinus, aut Cosmographus, aut Historicus (quantum ego legisse potui) Francorum meminit in Gallia, nisi tùm demum illorum, qui à Germania profecti totam Galliam inundarunt circa Valentiniani tempora, adeo ut inter Francum illum, qui Celtis imperasse dicitur, & Francorum in Galliam transitum, anni plus quam mille & quadringenti sint exacti. Dimissis igitur fabulis, Blondo Flavio assentior homini non Germano, sed Italolo, qui dicit (sicut & plerique alii) *Francos, Vandalos, Burgundiones omnes vetustam originem habere ex Germania, de quæ quibusdam Plinium citat in IV. naturalis historiæ, ex traditione Agrippæ dicentis, Germanorum genera esse quinque. Vandalos, quorum pars Burgundiones, ubi nunc perperam Vindelici legitur, & malè meo judicio, quoniam paulò ante idem Plinius. Vindelicos Alpium accolæ extra Germaniam collocat, hisque conterminos Rhetos non meminit inter Germanos; sed Alpestres. Germania enim omnis teste Cornelio Tacito, à Gallis Rhetiisque, & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus separatur. Unde extra Germaniam Vindelicos habitasse, perspicuum est; tametsi jam diu & multis antè seculis in nomen Nationemque transiverint Germanicam, sicut & Rheti. Sunt autem Vindelici (quos hodiè *Algojos* vulgò nominamus vel potius *Algeos* ut alibi dixi) ad quos (ut Strabo dicit) Brigantii pertinent. Quod autem dicit Silvius, esse vetustissimum in Germania Saxonum nomen, cujus omnes veteres meminere, Turingos autem tempore Valentiniani primum nominatos, non me rivalem, & coassertorem habebit, quoniam Saxones non legimus demum tempore Diocletiani, vel sub Vespasiano, ut meminit Egesippus. Turingi autem, teste Cornelio Tacito, in exercitu fuerunt Vitellii Romani Imperatoris, qui Germanicas Legiones habebat in Gallia, à quibus & Imperator salutaris est, antè Saxones nominati. Cum igitur nec adventus ullus Fran-*

corum sciatur, quippe quos constat Eruditorum iudicio esse indigenas Germaniæ, nec de Sycambri Historia Æneæ quadret, quoniam quidem nullos & unquam legimus fuisse in Scythia, & item illud nomen, sicut omnium ferme Germanorum, recens sit, nemo mihi persuadebit, gentem esse adventitiam, sicut nec alios Germaniæ populos, quorum pariter nomen recens est. At quod plus de Francis quoque aliis fabulatur, fecerunt bella eorum plurima, quæ Gentem, maximè recentis famæ, extollere, & nobilitate inprimis tolent, quoniam prius ignota & humilis, in magnam homines admirationem adducit. Merum igitur commentum existimo, & eo libentius etiã, quoniam nullus est fere populus, excutiendo etiam veteres Historias, qui non vetusta, vel à longinqua aliqua Regione (& in primis Francigenæ, qui vel superbissimè existimantur) originem præterdere gaudeat. Præsentia etenim sordent usque, adeo, ut nulla ferè sit nobilitas apud Italos hodiè, quæ non suos majores è Germania oriundos prædicet, e contrario nobilissima quæque familia Germanorum, suum ortum à Romanis auspicatur. Sed quod Germania quondam, nunc, ut existimat Hieronymus Francia vocetur, mirandum non est, cum nulla Natio ex tota Germania (quamvis plurimas enumeret Plinius, Strabo, Prolomæus, Cornelius Tacitus & alii) suum nomen antiquum retineat, præter unos Suevos, & Frisios, quos posteriores Plinius & Tacitus celebrarunt, & nemo, quod ego sciam, verustior. Unde venerunt quæso, quos hodiè vulgò Hegojos, Algojos vel Algeos, Württembergenses, Badenses dicimus? unde Brigaudii, Brisacogeani melius. Sum gaudii? unde Misnenses, Slestæ, Helli, vel Hassones, ut nunc dicimus, unde Wedtelli, Westphali, Pomerani, Lufatii, & alii non pauci? quorum nemo ex Scriptoribus meminit. Unde perspicis, maximam esse in Germania nominum mutationem, quod ferè solet fieri, dum Gens aliqua, etsi primo tenuissima & humilima, postea tamen rapinis, prædationibus, vel justis etiam bellis cantata, accipit vel à castro, oppidove aliquo humili, ubi primum se continuit, vel à Duce ejus nomen, sicut Württembergensis hodiè florentissimus apud Suevos Ducatus, à montana & unica arce nomen accepit, vel potius arx & tandem Regio ipsa, à Regibus nobilissimis tamen cognominata est. Sicut Marchionatus Badensis, ab oppido Baden & Misnensis à Misna, apud majores adeo verustos, in nullo neque nomine neque memoria. Sicut etiã Alpestres illi, quos vulgò Susceros vocamus, sedes, ut volunt, Helvetiorum habitantes, à Schwitz agresti viculo videntur non obscure appellati. Nam quoad Suedos populos suam originem referunt, nihil multifidius existimatur. Antè ducentos etenim annos in nulla existimatione habiti sunt, verum paucos

antè annos, à cæde suorum Dominorum, famam vel potius infamiam auspicati, in magnam gentem & potentiam coaluerunt, post hoc aliis lacessiti bellis egregiè restiterunt. Nec mirum videri debet, maximis enim fluminibus, altissimisque & natura munitissimis montibus septi, expugnari difficillimè possunt, & sicut asperam, inclementem & tristissimam, majori ex parte, habent Regionem, ita Gens est effera, agrestis, pertinax. Saxones autem fuisse Mæcedonas quis credat? quis enim Græcia relicta Germaniam peteret? At non persisto ulterius in multa refutatione, quoniam & ipse Æneas contradixisse videtur, & credibile non est, tantam tantæ amplissimam Saxonum nationem, & tam multa Ditione præditam, linguam tam citò moresque Germanos induisse. Hinc etiam quod Franci, Turingi, Saxones & postremum Boioarii, quos nunc Bavaros vocamus, & alii, sint indigenæ, illud est non omnino leve argumentum, quod nullum penitus monumentum, nulli Annales, nec ullius alterius linguæ, quam Germanicæ, signum vel vestigium appareat, per Germaniam. Nec Bavari mihi ab Avaribus descendisse videntur, sed potius à Bojis nomine, unde & Bojemi, quamvis mutatis cultoribus, ut Tacitus dicit, Boji enim in deserta Noricorum concessisse prædicantur. Et Rosvinda Momalis, quæ tempore Orthonis II. claruit, Bavaros appellavit Bajoarios, & Hungaros hodiè Avaros, sicut & Ortho Suevis, Historicus clarissimus. Nec hoc absolum, facillimè enim Bajoariorum in Bavarorum nomen, causa brevitatis vel corruptione potius, est mutatum. Sunt igitur Saxones, ut à diviticulis redeam, origine Suevi (quos constat citra & ultra Albim fluvium sedes habuisse) qui & ipsi Saxones, paulatim (ut fit) in proprium nomen & potentiam coaluerunt, sicut & nunc Württembergenses. Nec hoc incongruum, aut à veritate alienum videri debet, quoniam credibile non est, tantam innumeratissimamque Suevorum Nationem, uno aliquo nomine fuisse contentam, quæ hodiè multò arctioribus clausa limitibus, multa privata habeat nomina, apud præscos ignota, id quod obscurum est nemini. Volo autem esse Suevos, ex hoc maximè fundamento, cum Saxones sint indigenæ habitatores antiquorum Suevorum, quis dubitat, sicut ex Germanis (teste Hieronymo) Franci cognominati sunt, ita ex Suevis Saxones factos, à Duce vel familia, præsertim propter differentiam hodiernæ Sueviæ. Unde ego plura dicere superfedeo, contentus vera & verissima, non figmenta dixisse. Vale candido lector, Ex Tubinga.

HENRICI BEBELII, A POLOGIA

Contra

LEONHARTUM JUSTINIANUM VENETUM,

Imperatoris nomen extenuantem, Coronationem Regum nostrorum incessentem, atque Germanos barbaricæ ob id insimulantem.

Clarissimo Viro & Iuriconsulto Prudentissimo,

GREGORIO LAMPARTEK, Cancellario

Illustrissimi Principis nostri,

HENRICUS BEBELIUS

Salutem dicit.

SI omnium vel Gentilium suffragio, eos summis celebrat laudibus Antiquitas, certissimumq; illis in cælo locum definitum vult, qui pii in patriam consilio, vel armis Rempublicam sunt iurati, si item non tam testimonio Scriptorum quam ratione, forsiter pugnandum pro patria videtur. si postremo mors omnium speciosissima prædicatur, imò gloriosa & beata (ut Cicero dicit) eorum, qui pro patria mortem obierunt, & Codrus Rex Atheniensium, duoque Decii, innumerabilesq; alii, maximis ided, efferuntur laudibus, quod se patriæ saluti devoverint. Si è contrariò, hi, qui in patriam deliquerint, atque conspiraverint, impii parricidaeque, summa cum ignominia, appellitantur, in eosque durissimis Legum censuris, fœdissimoque cruciatu genere est animadversum, quis iure hoc meum factum improbare potest? quod patriam meam Germaniam injuriis provocatam, defendere conabor. Cum igitur Leonhartus Justinianus Venetus (cujus nec mores, nec vitam, nec Eruditionem, carpere mens est) in Germaniam, Imperatorumque Germanorum amplitudinem, & coronationem, intemperanter invehatur, quis non mihi Germano concesserit? quis convenire non viderit? quis postremo hoc à me patriam meam iure repetere posse, neget? ut ego provirili portione ejus honorem atque Majestatem tuear? nemo ita desipit, ut non credat. Quare cum sim in eam vocatus conditionem, ut Dis immortales potius occasionem, quam mentem armis defendendi patriam negaverint, ut pius, ut gratus in illam non obscure judicet, quicquid & quantulumcunque est in me ingenii & Eruditionis (quod sentio perquam exiguum esse) ad eam, non ab injuria modo vindicandam, sed ornandam etiam, si possum, cunctis viribus conabor. Quod si hic vel alibi contra Venetos vel Francigenas Germaniam incessentes, paulò commotius scripsero, DEUS immortalis sit mihi testis, me id non studio mordacitatis, aut propria laudis, verum solius patriæ amore (cui me omnia debere superius declaravi) fecisse, & esse aggressum. Hoc enim possunt considerare omnes hi, qui noverint, me scripsisse contra Venetos, & Parisianos, quibus me in omni liberali disciplina, omnique genere Eruditionis, non solum non aquandum existimo, sed etiam, non nisi longissimo intervallo eorum vestigia consecu-

turum, spero, non enim tantum mihi arrogo, ut in classes illorum virorum me referri cupiam. Unde stultissime facerem, si me laudis & gloria, aut mordacitatis etiam libidine, illis opponerem, quibus me in prædam, mala fretus causa, objicerem. Nam dum ad gloriam niterer, omnibus essem futurus ludibrio, sed justissime causa meritis & veritatis innixus & fretus, nullam invidiam non subeundam, nullas inimicitias declinandas, dum patriæ consulero, existimo, nec sine exemplo. Nam, ut Cicero eleganter dicit, quis est tam tenui cogitatione præditus? cujus animus tantis invidia angustis continetur? qui non hunc hominem studiosissime laudet, & sapientissimum judicet, qui pro salute patriæ, pro incolumitate Civitatis, pro Republ. fortunis, quamvis magnum atque atrox periculum, studiosissime suscipiat, & libenter subeat? Utinam si quis rescribere velit, me vivo faciat, ubi defendendi tam mei, quam causa, facultas tribueretur. Sed spero constanter, hoc meo exemplo, plures in Germania amulationis studio iri excitatum, qui hoc meum honestissimum propositum, & Germania defensionem & patrocinium sint suscepturi, ut non tam facile passim quilibet absque rerum meritis, in nos Germanos, illorum buccis debactetur. Tibi autem, Cancellarie, non tam juris utriusque, quam omnis Eruditionis, consultissime, hanc nostram apologiam singulariter consecrandam putavi, atque dedicavi, ut non solum Eruditione tua incredibili, quaque præceteris es famigeratus, hoc piissimum propositum defendendi patriæ honoris adjuvares, verum etiam, cum pro tuis in me meritis amplissimis humanitateque singulari, omnia me tibi debere intelligam, volui te his meis chartaceis muneribus honorare, ut intelligas, me pro virili paratum, tibi gratificari, in quibuscunq; rebus mihi possibilibus te delectari existimem, cumq; non mediocriter ames humaniores istas literas, nec sis alienus à Gratiis atq; Musis, ut est in proverbio Veterum, tibi dedicavi hanc apologiam, quam dum nihil agere & feriari volueris à maximis & Ducalibus negotiis (quibus, Dii boni! summa cum integritate, ingenii acrimonia, singulari memoria atq; prudentia præes) legito, & me commendatum habe, Vale. Tubinga, Kalendis Juliiis. M. D. VIII.

HENRICI BEBELII

APOLOGIA

PRO DEFENSIONE IMPERATORUM

Contra

LEONHARDUM JUSTINIANUM.

Imperator nunc est, qui summam habet & absolutam potestatem, & cui Monarchia adscribitur. Nec sum nescius, Imperatorem appellari solitum à Senatu olim Romano, ut Cicero in Philippicis testatur, qui mille, aut duo millia, externorum hostium occidisset. Scio præterea, Duces exercitus & Præfectos copiarum militarium, Imperatores fuisse ab Historicis appellatos: Ita tamen, ut semper Imperator inter suos maximus esset. Sed nunc, sicut Regna & Imperia (sicut omnia in mundo patiuntur vicissitudinem) ita nomina etiam Magistratum mutantur. Et Imperatorem vocamus, cui summa rerum commissa est. At Leonhardus Justinianus Venerus, hanc Imperatoris summam potestatis appellationem improbens, excandescens & acerbissime invehitur in Germanos Imperatores, in epistola ad Cyriacum suum dicens: *Admiratum te dico, in hoc novo Sigismundi Principis adventu, quod qui ante coronationem se Regem scriberet Romanorum, post coronationem vero, quasi majus quiddam & dignius exprimere volens, Imperatorem se nuncupabat, non Regem, quod tu perperam factum arbitraris. Itaque te id reprehendisse, ais, & quæris a me, num idem sentiam, quod tu, an contra putem. Ego vero in his, & in aliis permultis, plurima quotidie mihi videor errata cognoscere. Sed utor Democræti regula, rideo enim illa, non fleo. Quid enim mea refert, quemadmodum barbari loquantur, quos neque corrigere possum, si velim, neque magnopere velim, si possim. De Rege tamen, & Imperatore idem sentio, quod tu, & jam pridem ridens barbariem istam, hoc ipsum notavi atque redargui: Tres enim gradus majorum Dignitatum apud Romanos, de quorum Principe loquimur, fuisse: Rex, Dictator, Imperator. Ex his suprema omnium potestas, Rex est, post Regem vero secundum tenuit dignitatis locum Dictatura, post Dictaturam Imperium. Imperium tertio gradu consequitur. Post multas rationes, quas adducit, tandem concludit: Quare hanc barbariem, quæ cum sua ignorantia valere sinamus, & nos antiquis doctissimorum virorum scriptis, quod unicum est refugium, oblectemur, non curiosi, quid agant isti, aut quemadmodum loquantur. Hæc cille. Eodem in errore versatur Robertus Valturius de re militari, & Antonius Florentinus, Historicus parum disertus, vitæ tamen probatoris, cujus vicem ego non parum doleo, quod non tantum cum superioribus erraret, verum etiam (nescio incuria ne an odio) stomachosus ægre ferat, Italos esse tam ignavos, ut suum sibi Imperium non vindicent, quasi in libertatem derurbatis Germanis, dum scire debebat optimus pater, Germanos non esse inavores Imperii tyrannicæ, sed legitime, maturaque deliberatione atque sano consilio Romanæ Ecclesiæ electos esse, Romanumque Imperium obtinuisse. Sed ut huic solum acerbissimæ invective paucis respondeam, si omnia ad antiquitatem vis redigere, Leonharde, immerito, ut alia præteream, vocas Reges modernos, aut Serenissimos, quoniam*

nec septem Reges, nec apud Julium aut Ciceronem invenisti, aut modernus aut Serenissimus Rex, sed mitto ista.

Secundo, si error est dicendus, Imperatorem esse summæ & Regalis potestatis: non inculpabis Germanos, sed Romanos & Græcos. Post Julium etenim non invenies quenquam Romanum Principem, se Regem, aut Dictatorem nuncupasse, sed Cæsarem, Augustum & Imperatorem. Cur Caligula & Nero, intoleranda superbia atque luxuria notati, si tam humile nomen est, non se Reges potius? aut quod optime fuisset concessum, Dictatores nominavere, qui sibi Divinitatem arrogare non erubuerunt? nam cum Caligula Diadema Regium, teste Suetonio, sumere, seque Regem esse proposuisset: nonne admonitus se Regium fastigium excessisse, Divinam Majestatem ex eo asserere sibi cepit? Sed tu omnia ad præscam denominationem revocare vis, nec Cæsares dici admittis Romanorum Imperatores, quod ante Julium nemo pro summa potestate posuit. Sed ab ipso Julio, omnes Romani Principes sic se appellari voluerunt, cum nihil faciat ad Regiam potestatem Cæsar, & ab uno Augusto, omnes Augusti, cum pariter Augustum, id est, consecratum, non multum conveniat cum Regno. Quare si admiseris, sicut cogis, Scriptorum ferè omnium suffragio, Cæsarem & Augustum appellari eum, cui summa & absoluta sit potestas, cur non Imperatorem? qui elegantissime, significanter & merito jure ab Imperio Romano, uti à doctissimis discitur, Imperator nominari debet? præsertim cum hujus significatio conformis sit, & illorum violenter, per solum populi consensum, ad hoc trahatur. Si dixeris, quia Romulus & alii successores rex, nunquam reperiuntur ita nominati. Cur ergo vocas Neronem, Domitianum, Vespasianum, & alios, vel Cæsarem, vel Augustum? At si Cicero Eloquentiæ fons, si alii eloquentissimi Historici, atque Jurisconsulti dicunt Romanum Imperium, non, vel raro, Regnum Romanum, quasi excellentius sit Imperium, cur non Imperator ab Imperio descendens, supremus in Imperio sit? Sed quod Imperator suprema sit potestas, testis est Plinius in liminari epistola naturalis historiæ, ubi Titum Vespasianum alloquens, *Suavissime Imperator*, dicit, & ne offenderet patrem Vespasianum, excusat se, quod nominaverit Imperatorem, quoniam ita salutat usque in castris à militibus. Nam dum Titus Dux & (ut ita dicam) Capitaneus fuerit in Exercitu Syriæ, frustra fuit salutandus Imperator, si non majus nomen & supremam potestatem designare voluisset. Idem lib. 2. inquit: *Nam ut in duodecim diebus utrumque sidus quæreretur, & nostro ævo accidit Imperatoribus Vespasianus, patre tertium filio iterum Consulibus.* Plin Junior ad Trajanum: Imperator in titulis & imaginibus & signis, ceterum modestia, labore, vigilantia, Dux & Legatus, & miles. Idem: *Ut reversus Imperator qui privatus exierat.* Et

sæpe ad eundem Frontinus lib. 1. *Stratagematum*; Imperator *Cæsar Domitianus Augustus*, Germanicus eo bello, quo victis hostibus, cognomen Germanici meruit, Cornelius Tacitus in XII. literas mittit in hunc modum: *Populi Rom. Imperatoribus, magnarumq; Nationum Regibus, & sæpe aliis, sicut & Suetonius, qui omnes suos Cæsares eo nomine honorat, quiq; Cæsarem scribit ex decreto, prænomine Imperatoris vocitatum esse, dicens: Perpetuam Dictaturam Praefecturamq; morum, insuper prænomine Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, statuat inter Reges, suggestum in orchestra, sed & ampliora, etiam humano fastigio, decerni sibi passus est.* Ita etiam Græci, Plutarchus, Herodianus, Josephus Græce loquens: Julius Firmicus, *Solus Imperator stellarum non subjacet cursib; & solus est, in cujus futo stella decernendi non habent potestatem, cum enim fuerit totius Orbis Imperator & Dominus, fatum ejus Dei summo judicio gubernatur.* Et Lactantius in prologo Institutionum: *Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime.* Et Justinus in prologo epitomatis sui: *Quod ad te Antonine Imperator, non tam cognoscendi quam emendandi causa, transmissi.* Unde etiam Imperatores, teste Vopisco, in edictis suis mandaverunt vocari *αυτοκρατωρ*; i. e. Imperatorem, & eum qui per se ipsum potest. Ita Cyprianus, ita Ambrosius, Tertullianus, Orosius, Augustinus, eloquentissimus Hieronymus, Ruffinus, Eusebius Græcus & alii Ecclesiastici Scriptores, nominant Romanum Principem; habentem & exercentem summam potestatem, non Regem, non Dictatorem aut Consulem. Ita etiam Justinianus ubiq; itemq; J. Cti, multo elegantiores Justiniano. Aureli⁹ J. Cti *l. 1. ff. de offic. Praef. Præ.* *Ad vicem Magistri equitum, Praefectos Prætorio antiquitus institutos esse, à quibusdam Scriptoribus traditū est: Nam cum apud Veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & Magistros equitum sibi eligerent, qui associati Principali cura, militia gratia, secundam post eos potestatem gererent: Regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuo translatis, ad similitudinem Magistrorum equitum, Praefecti Prætorio à Principibus electi sunt; data est eis plenior licentia, ad disciplina publica emendationem.* Hic apertissime discis, summam esse potestatem devolutam ad Imperatores, extinctis Dictatura & aliis Magistratibus. Ita accipiunt, Domitius, Ulpianus, Scævola, Florentinus, Cælius, Pomponius, Medestinus, Paulus & alii Imperatorem; qui legibus moderandis & omnibus rebus præsit, sitq; Dominus mundi. Ita etiam accipit Victruvius, eruditus & eloquens Scriptor, ad Augustum Cæsarem scribens: *Cum Divina mens tua & Numen Imperator Cæsar, imperio potiretur Orbis terrarū, invidiāq; Virtute cunctis hostibus stratis, triumpho victoriāq; tuacives gloriarentur, &c.* Ita Ruffus Festus, ita Vegetius de re militari, ita Plin. ad Trajanū ita Nazarius, Mamertinus, Latinus Pacatus, ita Amnianus Marcellinus, ita Helius Spartianus, Julius Capitolinus, Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus, Eutrop⁹, Paulus Diaconus, Aurelius Victor, qui omnes ad unum, ad Imperatores; & Imperatoribus rerum Potitoribus scribentes, Imperatores scribunt, Cæsares atq; Augustos nunquam Reges Consules vel Dictatores. Et ut paucis dicam, nonne ex vi nominis multo plus est, lautius, atq; magnificentius, imperare, unde Imperator, quam dictare, unde Dictator? quam re-

gere, unde Rex est? (teste Augustino lib. 5. de civitate) quam consulere, unde Consul? Et Consul olim suprema fuit apud Romanos Potestas, hi tamen Consules eo etiam tempore, rebus scilicet florentibus & Consulatu, Imperatores dicti sunt, nisi Sallustius, egregius Autor, Historiarumque pater, mentiatur, qui dicit: *Post, ubi Regium Imperium, quod initio conservandæ libertatis atque causæ augendæ Reipubl. fuerat constitutum, in superbiam dominatione inque se convertit, mutato more, annua imperia, binosque Imperatores sibi fecerunt.* Nisi Augustinus etiam, Christianorum doctissimus, mentiatur, qui hoc idem Sallustii repetendo confirmat. Consulatus igitur, qui tempore Regum nullius erat nominis & prætii, tempore crevit in summum, & postea sub Imperatoribus solum inane nomen remansit, quoniam Imperatores & dabant & adimebant illum, quis non latuere fieri credit, ut Imperator ex vi propria summus dicatur & præsertim cum Consul, captivo quodam sensu, pro eo dicatur, qui Principem se gerit. Nonne Dictator (cujus nomen sub Regibus nunquam auditum erat, atque post Cæsarem omnino obsolevit) olim Magister populi dicebatur, ut dicit Pomponius *l. 2. ff. de origine juris*? Benè igitur dicit Livius: *Consules nunquam fuerant. Regibus ex ætate creati sunt, Dictatoris nec Imperium nec nomen fuerat, apud patres esse cepit, Tribuni plebis, Aediles, Quæstores nullierant, institutum est ut fierent, Decemviros Legibus scribendis intra decem hos annos & creavimus, & à Republica sustulimus.* Hæc ille. Nonne etiam qui olim sub Regibus Tribuni celerum, sub dictatoribus Magistri equitum, tandem sub Cæsaribus Praefecti Prætorio dicti sunt, ut dicit Fenestella? & Aurelius Jurisconsultus, ut supra dixit: *Auctoritas quoque Praefecti Prætorio maxime crevit.* Nam de illo Fenestella ita loquitur: *Post adeo parvis orta principis crevit auctoritas, ut lepore à Praefectis Prætorio provocare liceret, extent quoq; exempla majorum, quo pacto ab his provocassent, lecta postmodum à principis sententia à praefecto Prætorio provocatio sublata est.* Crevit & nunc sub Christianis Summi Pontificis auctoritas, crevit & Episcopi auctoritas & significatio, qui quid significet, & quantum sit infra Sacerdotis Dignitatē, ex impositione nominis novimus. Cur igitur non Latinis (non nobis Germanis, quibus ego quoq; nullā, aut concedo, aut concedendam esse puto latinitatis locupletandæ vel mutandæ auctoritatem) liceret vel mutare, vel augere Imperatoris Majestatem, cui præter populi consensum etiam significatio ad hoc quadret: Cum non in nominibus solum Magistratuum, verum etiam in aliis ferè omnibus, multas passa sit à primordio Lingua Latina mutationes. Hoc Polybius Græcus non obscure probat, in *II. Historiarum*; dicens: *Primum sœdus inter utrumq; populum in initum est, statim post ejectum urbe Regium nomen, quod sœdus, quando diligentius fieri potuit, interpretati sumus. Tanta enim facta est mutatio Romanæ Linguae, ab ea tempestate in hodiernum diem, ut etiam qui antiquitatis peritissimi sunt, pleraque non nisi difficulter intelligant, sed & Cicero testatur, Veterem locutionem sua ætate maxima ex parte eversam fuisse. Nonne, & idem Cicero, Catonis verba non aliter excusat, nisi quod tunc ita loquerentur? Nam & M. Varro, undecunque doctissimus, ut ait Terentianus, dicit: *Consuetudo loquendi est in**

motu. Et in postremo addit: *Verba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter Poetas sua aetate dici re-
Et, & quae prius ratione dicta erant, postea perperam
dici.* Et idem: *Quotusquisq; iam servus habetur pri-
scis nominibus, quae mulier suum instrumentum vestis
atq; auri, veteribus vocabulis appellat.* Et Plautus in
Epidico: *Quid iste scilicet mulieres, quae vestis quot-
annis nomina inveniunt nova.* Et Sextus Caecilius,
teste Gellio dicit: *Nam longa aetas verba atq; mores
oblitavit.* Et Seneca epistola CXIV. *Adjice nunc,
quod oratio certam regulam non habet. Consuetudo
illa Civitatis, quae nunquam diu in eodem stetit, versa.*
Idem praeterea notat eum, quem nos Dictatorem
dicimus, *& in Historiis ita nominari legimus, apud
antiquos Magistrum populi vocatum, deinde transit
ad ea, quae non consuetudo seculi mutavit, &c.* Et
Celsus Jctus l. 7. p. 1. ff. de supp. leg. *Nec mirum est
moribus civitatis. & usus rerum, appellationem ejus mu-
tata esse &c.* Diomedes postremo Grammaticus
ita ait: *Præclare dixit Terentius, nihil dictum, quod
non sit dictum prius, sed injecit postera aetas manum, &
veluti disciplinam pristini seculi, ita & sermonem su-
stidire cepit, & nova velut parturire verba, quae ju-
venum ritu ipsa modo florent & vivent.* Nonne, ut
istam mutationem variis modis probem, appellatio
Domini atque Dominationis, apud veteres tyran-
num atque tyrannidem designabat. Quare Augu-
stus Dominum dici se vetuit, non ob eam causam,
quam Tertullianus assignavit in apologetico, & po-
steriores acceperunt. Nam Domitianus, ut dicit Eu-
sebius, Suetonius, Orosius, Aurelius Victor, se
Deum & Dominum edicto appellari jussit, ad ex-
emplum etiam Caligulae. Unde Martialis assentatur.
Edictum Domini Deiq; nostri. Et idem in VIII.
ad Domitianum: *Omnes quidem libelli mei, Domine,
quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicanti
&c.* Nonne & Eudamones Nicomediensis in
l. g. ff. ad L. Rhod. de jactu. dicit: *Domine Imperator
Antonine, naufragium facientes in Italia dejecti
sumus a publicanis, Cyclades insulas inhabitantibus.
Antoninus dicit Eudemoni; Ego quidem Dominus
mundi.* Item Caligula & Domitianus se Deos appella-
ri jusserunt, & Diocletianus, se ut Deum adorari,
jussit, ut scribit Eusebius, praeter aliorum morem. Si
illi Regem magnificentius quam Imperatorem ex-
stimassent, etiam se Reges appellari mandassent, Im-
peratorisq; nomen sprevisset: Nec populum timere-
runt, quoniam Domini nomen Romanis fuit in-
visum praeter ceteris. Postremo, si nolueris admittere nova
Magistratum vocabula, etiam Latina & Graeca,
non dices Papa: at ita locutus est Hieronymus &
alii Ecclesiastici, non dices Episcopus, non Cardi-
nalis, non Patriarcha, non Acolythus, non Subdia-
conus, Diaconus & cetera prope infinita. Tolles
itaque omnino fidei Christianae Magistratus & Di-
gnitates, atque omnino ad Gentilitatem nos revoca-
bis. Christianus enim populus, sicuti qualibet
alia gens, suos proprios habet ritus, solennitates,
ceremonias, propria Magistratum nomina & officia
nova. Unde si Germanos vocaveris barbaros,
pro eo quod Imperator apud eos non sit supremæ
potestatis in temporalibus, ut dicitur: facies totam
Italiam barbaram, & ipsam denique fidem Chri-
stianam. Aut cur non Venetos tuos rides, & bar-
bariae inculabis? qui suum Magistratum Supremum
& Principem, vocant (sicuti & tu ipse) Du-

cem? cujus quæ fuerit apud majores, nec ita veru-
stos, Dignitas, tu mihi referas, ego enim nondum le-
gi. At Imperator Romanis & satis vetustis, latine &
verè dicitur, qui imperat & summam potestatem tenet.
Unde parum probè niteris redarguere, nisi ve-
terum more, quorum ad consuetudinem, si omnia
confirmare volueris, tolles Christianitatis nomina,
Debebas igitur Livium legisse, qui dicit libro IV.
Dec. 1. *quis enim dubitat, quin in aeternum urbe con-
dita & in immensum crescente, nova Imperia, Sacer-
dotia, jura gentium hominumque instituantur?* Si
enim hæc vera, ut sunt, esse debent, quis dubitat
etiam novis Imperiis & Magistratibus, etiam nova
nomina imponi?

Sed procedendo ad alias rationes, quibus Re-
gem Imperatori præferre conaris, respondebo.
Cum dicit: *Regem omnis sic accipiunt, quasi suprema
quædam & absoluta sit potestas, supra quem in Regno
suo nemo sit, sed ipse præsit omnibus. Ex quo fit, ut Rex
nisi unus duntaxat esse non possit, plures enim Reges si-
mul eidem Regno præsidentes, sese mutuo impedirent,
naturamq; perimerent Regis, quæ non omnibus præes-
set, sed haberet paritatem. Patet hoc in antiquis moder-
nisq; Regibus, neq; enim Numa, neq; Hostilius, neq;
alii deinceps Romani Regis consortem aut socium Regni
habuere. De Romulo & Tatius ferunt; sed alter Sabinorum,
alter Romanorum Rex erat. In modernisq; Re-
gibus hoc idem apparet. Neq; enim Francorum, neq;
Anglorum plures simul Reges Regnum gubernant,
sed unus & solus, cui fratres, cui patris, cui propinqui
omnes genua submittant. Cessit jam quoq; apud hos
filio Pater, ac Regiam potestatem se vivo transferre in
filium voluit, ipse dimisit, quoniam duos simul Regiam
potestatem habere, contra naturam est hujus Dignita-
tis. At Imperatores simul plures sæpissime fuerunt, non
enim suprema potestas Imperium, sed salva Republica
salva auctoritate Senatus & Populi, salva libertate,
Imperator creabatur. Itaq; Imperatore existente, nihil-
ominus Consules, Prætoresq; ac ceteri Magistratus in
Republica manebant, Rege autem existente, manere
non poterant, quod patet ex Dictatura. Illa enim, quod
quandam Regiæ potestatis habere videbatur, simul
atq; inducta fuerat in Republicam ceteri Magistratus
omnes interibant, & abrogari per creationem Di-
ctatoris censebantur, præter Tribunos plebis. At cum
Imperatore cuncti simul Magistratus in Republ.
præstabant, & auctoritas vigeat Senatus, & populi
libertas servabatur. Ex quo apparet, Imperatorem
non esse Dominum, sed legitimam potestatem,
hæc Justinianus, cui responsurus, dicam Imperatores
semper singulos Romanum Imperium gubernasse,
usque ad Aurelium Antonium. Verum, de quo
scribit, Eusebius & alii propinquum suum Lucium
Annum Severum, qui erat gener Antonini pii, nova
benevolentia consortem Imperii fecisse, tumque pri-
mum Romanorum Republicam duobus æquo jure
Imperium administrantibus paruisse, cum usque ad il-
los semper singulos habuisset Augustos. At quod
Imperatores acceperunt consortes Imperii, factum
esse propter multa negocia Romani Imperii, cui
nec Regna Francorum, nec Anglorum ulla ex par-
te comparari possunt. Fuit tamen adhuc nova dif-
ferentia & superior potestas, aliqui enim Cæsares, sed
non Augusti erant, quod majus erat: hoc enim in
Codice Justiniani, apud Panegyristas & recentiores
Historicos videre licet. Constantinus enim Imperator,*

teste Eusebio, *Cesarem apud Gallias constituit*. Ex Spartiano item videre licet, qui ad Diocletianum dicit in vita *Ælii Veri, qui vel Cesarum nomine appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt*, & postea quorum precipue de *Ælio Vero dicendum est, qui primus tantum Cesaris nomen accepit*. Sed quid nobis objicis VII. Regulos Romanos, quorum imperium non erat adeo propagatum, ut multis adiutoribus opus esset. Tamen Komulus conforrem Tatum habuerit in eodem Regno & territorio. Sed non novum est plures esse in uno Regno Reges, duo simul fuerunt Reges Suevorum, qui *Vespasianum contra Vitellii partes adjuvabant*, ut testis est Tacitus. Novimus item plures simul fuisse Reges Francorum, Gotthorum, &c. & Hispania hodie Regna habet IV. vel V. & patrum nostrorum memoria Gallia IV. Regna fuerit, *Francorum, Burgundionum, Longobardorum & Belgica*, quorum postremos rexit Imperator Romanus & Germanus, sicut hodie ad illum spectant; & majores Caroli Magni non fuerunt Francorum Reges, attamen majores domus dicebantur, apud quos summa rerum versabatur, adeo ut Regibus nomen inane & solus titulus relinqueretur, apud illos administratio esset. Sed dicat insuper *Justinianus quicquid velit, libertatem scilicet fuisse & auctoritatem S.P.Q.R. sub Imperatoribus, non habebit suffragatorem me*. Scio enim e contrario multo majorem libertatem Senatus & populi Romani fuisse sub Regibus, quam Imperatoribus, nisi forsitan quibusdam. Nam cuncta Imperatores ex libito administrabant, tollentes non solum libertatem Senatus & populi: Verum etiam e vita sustulerunt, aut in exilium damnaverunt, quos placuit, usque adeo, ut nihil magis contrarium fuerit tunc Senatui quam libertas, qui omnes Magistratus contrulerunt & ademerunt, adeo ut liberos eorum saepe potentiores fecerint Patriciis & Senatoribus, & omnes Magistratus, si qui erant, auctoritate Principis creabantur, qui plus nomen & titulum ostentabant, quam aliquod Imperium. Scio enim fuisse Consules, sed nullam illis potestatem fuisse, nisi consentiente Imperatore compertum habeo, adeo ut Roma nunquam minus libera fuerit, quam sub Romanis Imperatoribus. Addo etiam multos non a Senatu, sed a militibus contra Senatus decretum atque populi consensum Imperatores acclamatos, atque mansisse in Imperio, multosque omne crudelitatis in patres atque plebem genus exercuisse, ut ostendit *Juvenalis in IV. satyra*, dicens.

Sed olim,

Prodigio par est in nobilitate senectus,
Loquens de crudelitate Domitiani Imperatoris. Sed non laboro in re manifesta, cum tyrannidem plusquam imperium, Imperatorum dominationem majori ex parte, dicere & ostendere possem luculentissime. Reddit insuper Justinianus aliam rationem suae opinionis, dicens: *Volo insuper unam vel alteram rationem inducere, quo majoris dignitatis Regium nomen ostendam, imperium enim quibusdam Magistratibus recte tribuimus. Nam omnes qui jurisdictionem exercent, ac punire & coercere possunt Imperium habere dicimus, ac Regnum habere illos nunquam diceremus, quoniam Imperii legitimam potestatem significat, Regnum autem habere supra leges esset.* Ego autem e contrario dicam, Imperium Romanum summam potestatem, & si aliquando

minorem Reges autem dici aliquando divites tantum & Regulos, qui parvam & minimam habeant potestatem, & Rex Scachorum (ut ita dicam) etiam dicitur Rex, ut habetur in cap. venerabilem, Extra. de electione in glossa. At utrumque ut Regnum sine ratione placuit antiquis esse supra leges, ita nunc imperium Romanum, & nobis pariter sine ratione, nam esse Imperatorem, est esse supra leges, & esse legem animatam in terris, ut dicitur in Autem, de consul. in prin. colla. iiii. Quod idem confirmat Ulpianus Jurisconsultus ff. de constitu. prin. dicens, *quodcumque igitur Imperator per epistolam, & subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano inter locutus est, vel edito precepit, legem esse constat, hoc alibi saepe ostenditur.* Ille affert aliam rationem dicens: *praeterea quae Deo tribuimus vocabula, ea praestantissima sunt existimanda. Cum enim Deus ineffabiliter excellat, nec ulla humana reperiri digna possint ejus Majestate, illa Deo tribuimus, quae apud nos sunt maxima, quoniam majora tribuere non habemus, Deum autem Regem nuncupamus, ac Regnum caelorum dicimus, ut sacra litera Poet. eq. testantur Imperatorem vero qui Deum vocaret, vix quicum reperitur, haec ille.* Ego autem facile invenire possum, Deum etiam Imperatorem dictum apud illustres Scriptores, Cicero loquendi regula, de senectute: veratque Pythagoras injussu Imperatoris, id est, Dei praesidio & statione vitae decedere. *Plautus in Amphitryone, ubi Brontia ancilla loquitur. Summus Imperator. Divum atque hominum Jupiter, is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubilibus, cumque filium suum esse, qui illos angues vicerit, alterum esse tuum dixit puerum.* Lactant. Christianus Cic. lib. 5. cap. 20. Nam si is qui in hac terrestri militia Regi suo fidem servat, in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior sit & charior: si perierit, summam consequitur gloriam, quod pro Duce suo mortem occubuerit, quanto magis Imperatori Deo fides servanda est, qui non tantum viventibus, sed & mortuis praemium potest virtutis exolvere. Eusebius, Josephus, Ruffinus de Herode, dicebant ergo hi quibus divinandi peritiam est, *divinitus haec panas ab Imperatore Deo, ob multa ejus impia, & crudeliter gesta, deposci.* Dicimus insuper in sacris literis, de beata virgine, Imperatrix caelorum, Hieronymus super Matthaeum; Jesus Rex Judaeorum, hoc est Imperator credentium & confidentium. Idem in Bibliis transtulit saepe Imperium Domini Dei nostri. Item quod Deus imperavit, *Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4.* nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter, quod non de interiore invisibili, atque in intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum, atque retributionum, in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque Republica. Idem saepe dicit *Deum imperare, ergo est Imperator.* Et Ambrosius, de eo quod scriptum est, *quis major est in Regno, non enim ad Imperium caelorum pervenitur superbia, divitiis, praefectura: sed humilitate, pauperie, lenitate, &c.* Non insuper sequitur, Deum nuncupamus Regem, ergo Rex summam potestatem propterea significat. Nam & patrem vocamus, non tamen idcirco pater summa potestas est, vocamus & agnum, vocamus & pastorem: non tamen illa

illa supremam potestatem designant, vocamus & Dominum, quod vocabulum (ut superius dixi) tyrannidem significabat antiquitus: Atque inter Reges olim & tyrannos, nulla erat differentia, ut multi Auctores prodiderunt. Virgilius in VII. Æneidos,

Pars mihi pacis erat dextram tetigisse tyranni.

Ubi Servius ait, Græce dixit Regis, nam apud illos Regis, & tyranni nulla discretio est. Sic Herodotus Cræsum tyrannum dixit, & Aristophanes in Iemniadibus, Thoantem Hypsiphyles patrem, Et apud Ecclesiasticos Scriptores, Sancti viri vocantur Reges, ut dicit Gregorius libro XXVI. moralium, super illud Job: *Reges in solio collocat in perpetuum.* Sed apud Veteres Latinos pro divite tantum ponebatur Rex. Ita apud Horatium, Juvenalem, Columellam & Martialem invenies. Unde & Plautus *Menachmus*, de se contra servum suum loquens ait: *meus Ulysses, sed qui Regi tantum concinit mali.* Lycus leno apud eundem in *Penulo*: *Rex sum, si ego illum hodie, ad me hominem, allevero: Rex item sacrorum, qui & sacrificulus dicebatur, Roma erat, & Pontifici maximo subiciebatur.* Et Augustinus libro de civitate IV. quia *latrocinia quid sunt nisi parva Regna?* Vides hic Regis & Regni etiam olim parvam fuisse existimationem & cuiuslibet ferè pagi Dominum Regem appellatum. Nonne & in Canonice decretis, 7. q. 1. in apibus dicitur, *Imperatorem esse super omnes Reges, quæ, Latinos, non nos habent auctores?* Unde illam rationem bene omisisset Leonhardus Justinianus: Imperatorem igitur summam complecti potestatem, jam liquido ostendimus, atque supra Reges esse declaravimus, non tam ex significatione, quam ex opinione publicoque omnium mortalium consensu, adeo ut Rex multis non adeo potentibus attribuitur, subque Imperatoribus Romanis multi olim Reges fuerint, atque ab illis sint coronati, ut *Tigranes a Tiberio, Herodes ab Augusto*, & alii ab aliis: Imperator verò, quandam supremam in terris ac maximam ostendat a Deo, ut cum Turcæ suos fines mirum in modum propagaverint, Princeps eorum, propter magham potentiam, dicatur non nisi Imperator, etiam a Christianis.

Videris tamen maxime improbare, quod primo nostri scribant se Romanorum Reges, atque postea Imperatores, quod nulla unquam gens fecerit, nosque in hoc barbariæ non parum incusas. Ad quod ego tibi respondeo, omnium nostrorum consensu Imperatorem majus nobis videri esse (uti probavi) quam Regem; non tamen Regem Romanorum alium existimamus, quoad potestatis exercitium, quam Imperatorem Romanum. Nam postquam aliquis ex nostris in Regem Romanum est electus, mox omnia Imperatoris officia exercet, & (ut loquar more leguleiorum recentium) de facto habet plenariam omnium rerum administrationem, supremamque potestatem; nec aliquid addit creatio in Imperatorem, nisi quandam solennitatem, & quædam ornamenta, quæ Romanus Pontifex non nos excogitavimus. Ut igitur Rex aliquis Romanorum primum dicatur, & postea Imperator coronatione Pontificis, solum est sedis Apostolicæ non Germanorum institutum; ut leges in capite venerabilem; Extra. de electione. Nos vero Germani, dum elegerimus aliquem in Regem Romanorum, mox etiam habetur nobis Imperator, sed

ille tres coronationes non sunt a nobis introductæ, propter majus Imperium, sed propter consuetudines locorum. Primum enim Aquisgrani, pro Regno Teutonicorum & Gallia Belgica coronatur, Mediolani pro consuetudine Longobardorum, qui spectant additionem Rom. Imperatoris. Postremo Romæ, pro Romano Imperio. Majores enim nostri (post Carolum nostratæ & ejus stirpem, qui non nisi post Rom. coronationem tandem se Rom. Imperatores scribebant) uti Henricus I. Othones ante Romanam coronationem scribebant se Reges tantum Gallia Belgica, & Longobardorum, tandem post Pontificis coronationes, scribebant, se Imperatores juxta morem majorum. Sed postquam Othone III. sine liberis decessuro, & una cum Gregorio V. ordinante, electio Rom. Principis translata esset ad VII. Electores: Papa Romanum Principem iussit primum Regem coronari, tanquam minus esset & multis commune, quod sine ejus auctoritate fieret, ut ipse tandem supremam potestatem & Imperatoriam conferret. Nos vero in Rege Imperatorem, & omnem ejus potestatem eligimus, atque tanquam Imperatori obedientiam & fidem juramus: pauca tantum quædam ornamenta addit, nihil conferentia vel addentia Imperatoris Majestati, ut etiam Hostiensis confirmat, in ca. super quibusdam de verbo sig. ubi dicit. *Principes Germania pronunciasse, quod promotio Imperialis non det nisi nomen Imperatoris.*

Postremo, tanquam nefas quoddam & piaculum objicit nobis, cum coronemus nostros Reges & Imperatores, dicens: *Enim vero non ut Imperatores, sed ut Reges Romani coronantur, cur ergo se post coronationem Imperatores scribunt non Reges, deinde hoc totum ignorantia est, cum ne Reges quidem Romanos unquam coronari mos fuit,* Romulus enim & hi qui post Romulum fuerunt Reges, nunquam coronam receperunt, aut gestarunt, aut usi sunt. Idem quoque observatum est a Tuscorum Regibus, ut nunquam coronarentur, sed trabea duntaxat & palmata tunica. Et idem coronari ubinam gentium mos fuit: quis Imperatorem Romanum antiquis illis temporibus coronatum fuisse unquam audivit aut legit: non Augustum, non Tiberium, non Caligulam, non Neronem; cum præsertim hi duo extremi, intolerandæ superbiam, ac luxuriæ forent: nemo inquam coronam imperii unquam suscepit, aut habuit, aut ausus est, nisi forte lauream cum triumphasset, aut rostratam quædam classem hostium cepisset, quæ duæ coronæ non Imperatorum erant magis, quam quorumcunque triumphantium, aut vincenrium. Primum Justiniane, coronatum usus antiquissimus est: non solum sub Romulo, sed Libero patre hunc fuisse, testis est Plinius; in l. 7. naturalis historia. Et Romani Imperatores, olim etiam non lauro tantum, sed & auro etiam coronabantur. Nam ut Aulus Gellius in quinto docet, triumphales coronæ sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem mittuntur, sed illæ aureæ coronæ non fuerunt in tanto precio, ut Rex vel Imperator peculiariter coronaretur, cum & civica preciosior esset, & privati etiam cives illa coronarentur. Dicit enim Plin. lib. 16. cum de civica coronâ dicere addit, *Cedunt his virales vallæ, & aureæ, quanquam precio antecedentes.*

Et idem lib. 33. loquens de Romanis: *idem, quod magis miremur, coronas ex auro dedere civibus. Quis primus donatus sit ea, non inveni, sed quis primus donaverit, à L. Pisone traditur, A. Posthumius dictator apud lacum Regillum, castris Latinorum expugnatis, ei, cujus maxime opera capta esset, hanc coronam ex præda dedit. Item Lucius Lentulus Servilius Cornelio merenda, Samnitum oppido capto, sed quinq; librarum corona. Piso frugi filium ex privata pecunia donavit, eamque coronam testamento Reipublica legavit. Et Titus Livius lib. 3. exercitus liberans, & ejus Consul coronam auream Cincinato Dictatori dedit. Et 7. Item, Samnitibus superatis, Consul Aulus Cornelius Cossus, advocata concione, Publii Decii tribuni militaris laudes peragit, præter militaria dona, aurea corona eum donat. Et lib. 10. Papirius cursor Consul, Papirium filium, quatuor centuriones, manipulumque hastatorum, armillis aureisque coronis donavit. Et lib. 30. Scipio concionem advocari jussit, ubi Masinissam Regem primum appellatum, eximisque ornatum laudibus aurea corona donat. Et Sicinius dentatus, aureis donatus est coronis, ut dicit Gellius lib. 2. cap. 11. & Josephus in 7. de Tito Vespasiano. Confestim ergo eos, quorum partes sunt judicare, quos nam scirent fortiter aliquid in bello fecisse, & nominatim singulos appellatos collaudat, quasi qui domesticis rebus gestis, nimium lætaretur, & coronas eis aureas imponebat. Et sicut apud alias nationes Reges suis insignibus decorati sunt: ita apud Romanos. Nam sicut apud Macedones, Reges Diademate cingi morem esse scribit Herodianus, & Reges Persarum tiaram gestare consueverunt, in cuius summitate gemma erat per magna, & lucens, auro illigata. Ægypti Regibus mos fuit, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre insignia Principatus. Æthiopum vero, Reges sceptrum in aratri formam gerunt. Ita Romanis indumentum purpure, signum erat Regia potestatis, ut dicit Lactantius lib. 4. c. 7. itemq; (ut tu dicis) trabea & palmata unica. Virgilius.*


Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.

Et Cicero pro Scauro: *quem purpura Regalis non commovit eum Sardorum mastruga mutavit.* Nonne & Prætori, ut dicit Fenestella, regia insignia consularisque ferme apparatus fuerunt? Quod si propter coronationem Imperatorum nostrorum, vis nos esse barbaros, & cuncta emendare, vel potius ridere, & redigere ad antiquitatem: facies Romam (quæ est domicilium, & plantatrix linguæ Latinæ) & Romanos ipsos barbaros. Nonne Pontifex Maximus triplici corona, instar turritæ Cybeles, insignitur? quod omnibus temporibus antiquis, atque cunctis nationibus & gentibus est inauditum, sed bone Justiniane, falso Germanos Imperatores accusas quod ipsi primum se coronaverint, cum hoc fecerint ante Romanos, & Græci Imperatores. Nam ut dicit Paulus Diaconus, de Tiberio Constantino: *Hic cum augustalem coronam accepturus esset, eamq; secundum consuetudinem, ad spectaculum cum populis expectaret, fuit ante illius tempus jam consuetudo coronandi Imperatores:* Nonne Justinianus coronatum se dicit (de quadriennii præscrip. I. bene à Zenone) quæ ergo (inquit) pro Augusto honore & cautela, res accipientium nostra statuit æternitas, hæc tam nostra sublimitas, quam ceteri omnes judices nostri observare festinent; ex

eo tempore valitura, quo nutu divino Imperiales suscepimus infulas. Ubi Accursius dicit, *nota Imperatores esse coronandos.* Nonne, ut dicit Aurelius Victor, Eusebius & alii, *Aurelianus Imperator primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisq; aurata, omni veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus visebatur, usus est.* Nonne & Constantinus Magnus coronatus est: nam ut dicit Panegyricus ejus: *merito igitur tibi Constantine, & Imperator, Senatus signum DEI, & paulo ante Italia scutum, & coronam, cuncta aurea dedicarunt.* Et Aurelius Victor: *Constantinus pontem in Danubio construxit, habitum Regium gemmis, & caput exornans perpetuo Diademate, ut latius postea dicam.* Et Mauritius Imperator coronatus est, ut dicit Paulus Diaconus. Nam ut scribunt Otho Frisingensis, & alii illorum temporum scriptores, Heraclitus coronatus est occiso Phoca à Sergio patriarcha, in oratorio sancti Stephani, in palatio suo coronata est, eadem die, sponsa quoque ipsius Eudocia, in Augustam. Et Phocas coronatus est, & Constantinus, filius Constantis regnavit cum fratribus suis, Heraclio & Tiberio, sed cum venirent aliqui orientalium partium, & dicerent, si in Trinitate credimus, tres coronemus: turbatus est Constantius qui solus erat coronatus Tyberius Constantinus coronatus est ab Euticio Patriarcha, qui mittens adduxit uxorem suam Anastasiam, & coronavit eam. Pulcheria Theodosii filia, senis Martiani Imperatoris capiti Diadema imposuit, ut scribit Pomponius, Justinus minor Justiniani nepos, Sophiam uxorem coronavit Augustam, coronatus & ipse ab Eutitio, Leobessica ortus progenie ab Anatholio est coronatus. Leo Junior cum paucis mensibus rexisset Imperium, propria manu, ut dicit Pomponius Lærus in suis Imperatoribus, coronans genitorem suum Zenonem, constituensque Imperatorem, rebus excessit humanis. Ita & de aliis scribunt, omnes ferè illorum temporum scriptores. Itemque *Julianus Apostata, ut scribunt Ammianus Marcellinus, & alii, à militibus Augustus appellatus est: cumque corona deesset Imperialis, torquem unus militum super caput imposuit, & ista coronatio etiam vetustior est, apud Romanos.* Nam Claudius Drusus, statua sibi cum Diademate ad Appii forum posita, Italiam per clientelas occupare tentavit, ut Suetonius auctor est. Et Titus Vespasianus Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim Api bovi, Diadema gestavit. Et idem, ut scribit Josephus, in septimo belli Judaici, cum ad zeuma Euphratem versus iter contenderet, huc missi etiam ab Rege Parthorum Legati, auream ei coronam ferentes, quod Judæos vicisset, eaque suscepta, etiam convivium exhibuit Regis. Et Antoninus Heliogabalus, ut scribit Herodianus Græcus, vestitum usurpavit luxuriosum, purpura intextum, atque auro monilibusque, & armis redimitus, coronas etiam sustinens, ad Tiaram modum, auro lapillisque preciosis insignitas. Vides igitur Justiniane, quam perperam egeris, dum Germanos Imperatores, falso accusaveris ignorantia, & barbaria, in hoc, quod jam diximus. Sed quod addis, nec Tyberium, nec Neronem, nec Caligulam, unquam coronatos, cur non addis, nec unctos, uti nostri modo ungentur: Bone Justiniane, nos Ger-

Germani malum simile esse Christianorum, & Caligulae, Probes tunc illorum, nos Christianorum, nos enim gaudemus, ad imitationem Christi [qui pro redemptione nostra spineam coronam portare non est dedignatus] & Sanctorum Regum David, & aliorum, & Constantini Magni Imperatoris Christiani, coronare nostros Reges, & ungerere. Nam etsi Eusebius, Beda, & alii dicant, Aristobulum qui Hircano successit primum apud Iudaeos, Diadematis sumpsisse insigne: invenio tamen, II. Reg. c. I. Saul Regem Diadema in capite tulisse; & capite XII. David profectus est, adversum Rabba, cumque dimicasset, cepisse eam, & tulisse Diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas preciosissimas, & impositum esse super caput David; Et Paralip. I. cap. XX. Tulit autem David coronam Melchon de capite ejus, & invenit in ea auri pondo talentum, & preciosissimas gemmas, fecitque inde sibi Diadema. Coronamus igitur, & unguimus Reges nostros, ad exemplum Sanctorum, non malorum, non ad superbiam (ut tu existimas) & tyrannidem, sed ad Humilitatem, & Pietatem. Hoc non ego, & Germani, sed sanctus Ambrosius dicit, nolque hunc morem accepisse à Constantino, atque accipere debere, docet de obitu Theodosii, ita loquens de Helena, Constantini matre: *Quaerit Helena clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit, de uno clavo frenos fieri precepit, de altero Diadema intexuit. Unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Visitata est Maria, ut Evam liberaret, visitata est Helena, ut Imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino. Diadema gemmis insignitum, quas preciosior ferro innexos crucis redemptionis Divinae gemma connecteret: Misit & frenum, utroque usus est Constantinus, & fidem transmisit, ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatoris sanctum est, quod super frenum, ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Sapienter Helena egit, qua crucem in capite Regum levavit & locavit, ut crux Christi de Regibus adoretur; non insolentia ista, sed Pietas est, cum defertur sacra redemptioni Bonus itaque clavus Romani Imperatoris, qui totum regit Orbem, ac vestit, Principum frontem, ut sint pradicatores, qui persecutores esse consueverunt. Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi presidium, in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: Habena quoque de cruce, ut potestas regat, sitque justa moderatio, non injusta preceptio. Habeant hoc etiam Principes Christi sibi liberalitate concessum, ut ad imitationem Domini dicatur de Imperatore Romano: posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso, Et idem Ambrosius: Quare sanctum super frenum, nisi ut Imperatorum insolentiam refrenaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equus in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere, qua Caligularum, caterorumque*

probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frenum. Quid ergo aliud egit Helena operatio, ut frenum dirigeret, nisi ut omnibus Imperatoribus sancto dicere spiritu videretur? nolite fieri sicut equus & mulus, sed in freno, & chamo maxillas eorum constringeret; qui se non agnoscerent. Reges ut regeant sibi subditos. Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pendendum vaga sese libidine polluebant. Ignorabant Deum, refrinxit eos crux Domini, & evocavit à lapsu impietatis, levavit oculos eorum, ut Christum in caelo quaerent. Hæc ille. In quibus luculentissime ostenditur, Justinianum injuria debacchatum esse in Germanos, in quo se plane Venetum ostendit, dum postremo etiam addit: Germanos Imperatores vix quatuor jugerum possessores, coronari. Sed profecto illa jugera habent fortes viros, dum unus Imperatoris subditus, & Vasallus: ut dicitur, nostris temporibus Dux Austrius Sigismundus, tuos Venetos, ô Justiniane, terra marique potentissimos, atque maximo exercitu instructos, paucissimis militibus, memorabilique clade profligaverit prope Tridentum, ut prius copiose descripsi. Sum autem Veneti Germanorum antiqui, & genuini hostes, quos nostra patientia, ad maximam injuriam provocat, non enim contenti, prada se Imperii ditatos esse, qui ante ducentos annos in continenti habebant nihil, nunc proditoris, atque calliditatis ope quibus pugnare dicuntur præcipue, & sunt maxime illustres res, & jura Imperii invaserunt, atque Italiam nobis debitam nunc illis, nunc aliis factionibus adjuv. Germanorum, in Italia Imperium debilitaverunt, atque everterunt, nec ut dixi contenti juribus nostris, & nostrorum sanguine olim partis, iniquissime esse potitos, nisi & verbis, & fabulis nos, quibuscumque modis possunt, dilacerarent studiosissime. Sed surge, ô Germanorum invictissima Virtus, & fortitudo genuina, vindica te ab injuria rerum, & verborum, & repete, Viri, vestrum ab his, qui maximas Imperii urbes, & potentissimas variis artibus & machinationibus in suam dominationem subegerunt. Surge tu in primis Christianissime, atque Augustissime Imperator Maximiliane, cognosce homines, qui ut rebus suis consulant, dominandi libidine præcipientes, fidem habent temporariam, nunc illum, nunc alium destituere, vel fovere, vel circumvenire nunquam formidantes. Valet omnes Germani, atque verbis & maxime armis laudem, gloriam, atque honorem nostrum non finite pessundari, nam & ego, non nisi amore patriæ, hæc scribo, nec cum larvis luctari cupio, cum contra Justinianum, illum scribo, sine vituperatione tamen. Sed patria misertus non potui vel saltem aliquid facere, quo profectionibus atque doctioribus me Germanis præberem uberiorem occasionem, defendendi Germaniam, iterum Valere.



QUOD

IMPERATOR ROMANORUM JURE SIT
CHRISTIANISSIMUS DICENDUS

MAXIMILIANVS CHRISTIANISSIMVS,

ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS

HENRICVS BEBEIVS.

QUOD ego in scriptis meis, Regem nostrum Maximilianum appellito Christianissimum, exemplo Divi Ambrosii, & aliorum, qui Imperatores Christianissimos scribunt, exemplo Romanæ Ecclesiæ, quæ in die Parasceves, pro Cæsare orans dicit: pro Christianissimo Imperatore Romano, ita habent libri sacri tam regentes, quam vetusti. Sunt qui minus rectè factum existiment, quod is titulus jure quodam hæreditario peculiariter sit Regibus Francorū tributus, ut citra eorum injuriam nemo alius Rex sibi vindicare possit, quorū sententiæ, neq; suffragabor, neq; accedo, quin imò Imperatori Rom. jure meritissimo tribuendum contendo, siue enim dignitatem, siue merita consideravimus, Germanos Imperatores Christianissimos vocabimus. Primum enim cum Rom. Rex sit super omnes Reges, atque Ecclesiæ Christianæ omnium consensu Advocatus, ut ita loquar, & defensor, ejus partes erunt omnes Ecclesiæ Christi status defendere, eosque in pace, ac tranquillitate conservare, universamque Rempublicam fidei, ut unicus & maximus Christiani exercitus Dux, & Imperator, pro viribus amplificare, propterea enim a Christo gladium accepit: quæ quidem officia, cum in primis ad Christi laudem, & gloriam spectent, non incongruenter, quin potius jure proprio Romanorum Rex titulum sibi Christianissimi assumere, ac vindicare potest. Quemadmodum Pontifex Romanus sanctissimi appellationem ab officio, & dignitate, cui præest etiam si opera ejus essent pessima. Si autem merita inspexerimus, soli Germani Christianissimi appellabuntur. Pipinus enim Germanus, & Francus Orientalis, ut nemo sanus negat, primus meruit istum titulum, ab Urbano II. qui ob egregiam virtutem, & insignem amorem, quo Christi Ecclesiam est profecutus, accepit & hunc titulum, & Regnum Francorum Occidentalium, quos potius Francigenas appellabimus. Carolus postea Magnus illius filius in quo, & successoribus continuatus est is titulus, quod Germanus, & Francus Orientalis fuit, ideo consensu Romanæ plebis, atq; approbatione Sanctæ Rom. Ecclesiæ Imper. in persona ejus, utpote Germani, fuit translatus in Germanos, non Gallos Francigenas, quod si ex hoc Christianissimus fuisset dictus, vel quod Francigena esset, vel Francigenæ tam bene meriti de Republica Christiana fuissent, Imperiū non in Francos Germanos, sed Francigenas esset translatum, quod nemo dicere potest. Carolus insuper dictus est, Christianissimus. In p. non Christianissimus Rex Francigenarū, hoc ejus sepulchrum declarat cum tali inscriptione; CAROLI MAGNI. CHRISTIANISSIMI. IMPERATORIS. ROMANORUM. CORPUS. SUB. HOC. SEPULCHRO. CONDITUM. EST. Quare Francorum Orientalium Reges, qui fuerunt natione, & Imperio Germani, habebantque sub se Regnum

Francigenarum, illi sua Virtute Imperium Germanis meruerunt, tituloque Christianissimi decorati sunt, ob admirandam ipsorum Religionem, Ecclesiæque Christianæ propagationem, quod nemo de Francigenis, & Gallis dicere potest. Post stirpem autem Carolinam, quæ ut dixi, Germana fuit, cum jam Francia Occidentalis, ab Orientali, Imperioque Germanico esset divisa, comparemus gesta Germanorum Principum, atque Imperatorum, cum Gallis cunctisque Europæis Regibus, & nemo non dicet, Germanos esse Christianissimos, nam si parvo aliquo volumine enarrare, possem, qua diligentia, & reverentia nostrates Imperatores sint Divinum cultum profecuti, si fidem Christi dilataram, Regnaque & populos ad fidem per eos revocatos, atque convertos, si donationes, & privilegia Romanæ Ecclesiæ liberaliter collata. Si item enumerare vellem constructiones, & reparationes multorum Monasteriorum, & Sacrarum ædium, donationesque, & privilegia commemorarem, intelligerent omnes homines, nullam esse, sub cælo gentem quæ posset ulla ex parte, cum nostris comparari, sed quia hoc Lupoldus Bebenburgius luculenter tradidit non est in præsentia opus, ut plura dicam. Quis insuper unquam egregiam aliquam expeditionem, contra infideles proferet, in qua Germani copiosissimo non affuerint exercitu, clarissimisque Virtutibus enituerint? Testatur hoc militia Germanorum, sub Henrico V. dum Gotfridus, cum fratribus Germanus, & Francus Orientalis, Comes Bullionis natus, & postea Dux nostratium Lotharingorum, cum Germanis sacrum sepulchrum a manibus infidelium eripuit, Regnumque Hierosolymitanum consecutus est, gloriosissime, non tamen negabo, eo tempore, & alios etiam Francos strenuè pro fide decertasse. Quod si nunc commemorare vellem, quid egerit pro fide Christiana, Conradus II. Fridericus I. Anobarbus, Henricus VI. per fratres, & Duces suos. Itemque alii, ut suo tempore copiosius scribam, nimis longum esset, & superfluum, dum nemo, cui pauca Historiæ sunt cognitæ, ignoret, adeo ut nullo unquam tempore, sicut nec hodie, religione, & meritis in fidem Christi cedere Francigenis jure debeamus. Quare jure tam Dignitatis, quam meritorum Germani Imperatores Christianissimi dici debent. Sed quod ad nos usque singulariter Reges Francorum, ita honestati sunt, credo solam esse illam consuetudinem, quæ in stirpe Carolina inolevit, & quædam incuria Imperatorum quorundam, qui quod suum est, utilitatis in rebus multis, sibi vindicare non studuerunt, ego autem, quod jure fieri debere, & quod Maximilianum Cæsarem, non neglecturum existimo, pronuntiandum putavi.

Dimitto autem illam causam, quam hodiè quidam suis libris complexi sunt, quòd Reges Franciæ recentiores, Carolus Strumosus, de quo antè dixi, & Ludovicus, qui nunc imperat, suis conjugis, non parum Christianissimi nomen obtenebraverint: Nam ut de Carolo taceam, cujus factum nunquam sine dolore meminisse possum, nonne *Ludovicus* ille Aurelianus, contra præceptum illud Christianum; Quos Deus conjunxit, homo non separet, *cujus antè habuit sororem, hac dimissa atq; repudiata, alius mortui duxit uxorem*, quod vix usquam auditum est, apud Christianos. Quæ ego non in detractionem loquor, quoniam manifesta-

ta sunt, & Robertus ipse tetigit, sed dispensatione Apostolica excusavit, quam ego nec vitupero, nec negabo, mallet tamen *sine dispensatione non peccare*. Sed idè dicenda putavi, ut intelligant homines, siue vetera tempora repetemus, siue illa recentia, me jure scripsisse, Maximilianum Christianissimum, tam Dignitate, quam meritis, quòd præter alias virtutes maximas, vitæ innocentia atque Religione, non solum hodiè vix habeat inter Reges secundum, omnium confesso, sed possit etiam cum omni antiquitate, in omni genere Virtutum, & gloriæ conferti.



DE LAUDE, ANTIQUITATE, IMPERIO, victoriis rebusq; gestis Veterum Germanorum.

CAPUT I.

Germani habuerunt alterum Imperium, Romanis florentibus.

PRIMO Germani alterum & secundum à Romanis Imperium habuisse prædicantur ab exteris. Nazarius ad Constantinum de Germania: *jacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa barbara per se ipsa potens Natio, & post Romanam magnitudinem, secunda in terris*. Ex quibus externi & hostis nostri verbis, intelligimus, Germanos aliud à Romanis Imperium habuisse, & post Romanos potentissimos fuisse: Et Egesippus, qui proximè Apostolorum temporibus successit, dicit, Germanos totius Orbis Imperium agitalle, de Vespasiano loquens his verbis lib. 2. *Romanis tamen super nubes viantibus, & ultra columnas Herculis Imperium propagantibus, nihil in visum fuit, tanta facilitate hostis, & qui latebat, repertus, & qui resistebat, victus est, quorum improvise adventu concesso montes Germania credidit, Rhenum exaruisse, qui magnitudine corporum, & contemptu mortis ceteris validiores, qui retinaculum ante suum Rhenum putabant, nunc salutis defensionem. Itaque non scopulis Germanorum repletur, sed Romanorum liburnis, quæ per errantes tot usque ad mare bicornis amnis fluentia, quondam liberæ gentes servitio premunt, ut quæ ante sibi totius orbis Imperium præsumperant, nunc servitutis propriæ mercedem exolvant*. Quòd si quis dixerit, Egesippus, & alter dicunt, Germanos esse victos, adèd, ut contra se faciant, ego accepto, quòd primus dicit: *Germanos alterum Imperium habuisse. Alter: totius Orbis Imperium præsumpsisse, & liberæ fuisse gentes*. Nam non est timendum, quòd mentiantur laudantes Romanos, quæ contra Romanos proferunt, quis enim non crederet Romanam, & Romanos laudantibus, quæ contra se, & suos adducunt? Quòd autem ita dicunt Germanos à Romanis victos, hoc videntur ex favore, & adulatione dicere, præsertim dum ego contrarium probabo Illustribus Scriptoribus, Vespasianum non trans Rhenum, sed in Gallia cum Germanis, sed varia fortuna decertasse, nec Constantinum trans Rhenum, sed in Gallia etiam nomen suum illustra-

se, atque auxilio Regis Suevorum ad Imperium pervenisse. Quis igitur Germanos non admiretur? quos ego Clarissimos, Illustrissimos atque Bellicosissimos ostendam, ex his Auctoribus, qui Romanis blanditi, illosque ex proposito laudantes, Germanos eorumque laudem deprimerè conati sunt, dum nemo sanæ mentis non facile acceptet atque credat, quòd quis contra se atque eos, quos laudare cupit, afferat.

CAPUT II.

Rhenus semper fuit terminus Imperii Romani: Et Romani contenti fuerunt Rheno tenus Germanos prohibere, ne in Galliam transirent.

MULTI Romanorum Imperatorum scripserunt, se à domita Germania Germanicos, sed nemo eorum unquam domuit Germaniam, nisi fortè Germaniam secundam, ut vocat Ammianus Marcellinus, hoc est, Germanos, qui sunt nobis Transrhenani, ut sunt, *Austrasi, Belgarumq; major pars*, sed legenti mihi Romanos Scriptores, compertum est, Romanos parum tentasse, vel profecisse contra Germanos, nisi in ipsa intima Gallia, in qua sæpè Romani & victi sunt à nobis, & vicerunt, adèd ut non minus verè quam luculenter Pacatus Latinus ad Theodosium deploret, Galliam, continuo Barbarorum incursiones sustinentem, dicens: *Unde videtur ordiari nisi à tuis, mea Gallia, malis, quæ ex omnibus terris, quas illa pestis infederat, haud injuria tibi vindicas privilegium miseriarum*. Quòd si dixerim ut verissime possum, Julium Cæsarem nihil egregium trans Rhenum egisse, Germanisque potius arma ostentasse, quam intulisse, non mentiar, dum Pompejus apud Lucanum etiam dicat eum fugisse à Rheno:

Dant animos Rhemi gelidis quod fugit ab undis.

Quòd tamen si hostis erat, tamen & hostes loquuntur veritatem, sed Lucanus ex animi sententia scripsit. Inde non probantur mihi, imò mentiuntur quidam scioli (nescientes, dum suæ Civitatis vetustatem & Nobilitatem mentiri volunt, de honestari Germaniam) dum dicant, multas Civitates in Saxonia, à Julio Cæsare conditas, nam, eo ipso teste, ultra

ultra quindecim dies non mansit in Germania, ne-
dum Saxonia, in quam nunquam venit, & quæ tunc
non fuerat. Quod si etiam hoc nomen habuisset,
nunquam tamen in illam venit, ne dum Civitatem
ullam in tota Germania condidit, trans Rhenum,
quæ omnia ex commentariis ejus hominis, in pri-
mis gloriosi & ambitiosi elicere possumus, adeo ut
aliis non egeamus testibus, nec ullus hoc vetus
Historicus tradit, sed sunt meræ nugæ anilesque
ad carbonem, & juxta focum fabulæ. Dico & Au-
gustum paucis tempore partiunculam Germaniæ
occupasse, tandem amisso exercitu, duabusque cla-
dibus acceptis repulsum. Ostendam igitur recep-
tis Auctoribus, & diversis temporibus, semper fe-
rè Rheno & Histrio terminatum Romanum Im-
perium usque ad annum Domini CCCXXX. tunc
enim Romanum Imperium in Occidente perit.
Romanosque rebus integris & florentibus, con-
tentos fuisse, si intra Rhenum & Histrum Impe-
rium agerent, Germanosque semper fuisse liberos
ab omni imperio, hostesque se Romanorum. Sem-
per egisse: Audiamus Auctores, Domitius Ulpia-
nus in l. 24. ff. de captiv. & postl. reversis. Hostes
sunt, quibus bellum publice Populus Romanus decre-
vit, vel ipsi populo Romano ceteri verò latrunculi, vel
prædones appellantur. Et ideo, qui à latronibus cap-
tus est, servus latronum non est, nec postliminium
illi necessarium, ab hostibus autem captus, putat à Ger-
manis, vel Parthis, & servus est hostium, & postli-
minio statim recuperat pristinum. Servius in 8.
Æneid. Rhenus fluvius bicornis, quia per duos alveos
fluit, per unum, quæ Romanum Imperium est, per
alterum, interfuit barbaros. Ambrosius tempore
Valentiniani: Danubius de occidentalibus partibus
barbarorum atque Romanos interfecans populos, do-
nec Ponto ipso condatur: Rhenus de jugo Alpium,
usque in Oceani profunda cursus suos dirigens, Roma-
ni memorandus adversus feras gentes murus Imperii,
Josephus lib. 2. de bello Judaico, tempore Neronis
loquens de Germanis; Nunc autem limitem Rhe-
num habent, & VIII. legionibus domantur, & ser-
viunt quidem, qui capti sunt, reliqua autem eorum
gens universa salutem in fuga non in armis ponit. Id-
dem; Quid mirum si Euphrates ab Oriente, & Oce-
anus ab Occidente, itemque a Meridiano tractu, Libya
fertillissima Regio, & a Septentrione Rhenus atque
Hister sint Imperii limites. Josephus hæc verba in
persona Agrippæ Regis, ad terrorem Judæorum
dixit, non quod ita esset, infra enim ostendam, tem-
pore illo, Germanos non solum in Galliam crebras
fecisse incursiones, sed in Hispaniam usque penetra-
sse, non tamen nego, Germanos interdum in Gallia
victos. Claudianus de Stilicone, sub Honorio & Ar-
cadio: Ullane posteritas credet, Germania quondam,
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus, tota poterat cum mole teneri,
Jam sese placidam præbet Stiliconis habentis,
Ut nec præsidis nudato limite tentet
Expositum calcare solum, &c.

Eutropius de Juliano; A quo modica copia apud
Argentoracum, Gallia urbem, ingentes Alemanno-
rum copia exincta sunt, submotique, ultra Rhenum Ger-
mani & finibus suis Imperium constitutum, Seneca
V. naturalium: Sub Nerone hinc, qui mediis inter
pacata & hostilia fuit, Danubius ac Rhenus: Alter
Sarmaticos imperii cohibens, & Europam Asiæque, di-

scriminans alter Germanos avidam gentem belli repel-
lens. Panegyricus Constantino: Et quid opus erat,
ipsi Rheno instructis & militibus, & classibus, quem
jam pridem barbaris nationibus, Virtutis tuæ terror
obstruxit, De eodem: Ruperat fidem gens levis &
lubrica barbarorum, & robore, atque audacia lectis e-
ruptionis auctoribus, instituisse Rheno nuntiabantur,
ilico obvius affuisti, & presentia tua, ne auderent tran-
sire, terruisti. Ad eundem: Neque enim jam in Rhe-
ni gurgitibus, sed nominis Tui terrore munimur. Pa-
negyricus Maximiano. Tu Domine Maximiane,
repente Rheno institisti, omnemque illum limitem
non equestribus neque pedestribus copiis: sed præ-
sentia tuæ terrore tutatus es. Idem; Porrectis usque
ad Danubii caput Germania Rhetique limitibus. Ta-
citus sub Domitiano in vita Agricolæ: Nec jam de
limite Imperii & ripa, sed de hibernis legionum, &
possessione dubitatum à Romanis. Claudianus de vi-
ctoria Stiliconis:

Sublimis in Arcton.

Prominet Hercynia confinis Rhetia silva,

Quæ se Danubii jactat Rhenoque parentem,

Ultraque Romuleo prætendenti flumina regno.

Cornelius Tacitus lib. XX. sub Vespasiano: Rhe-
nus incognita illi cælo siccitate vix navium patiens, acti
commatus; disposita per omnem ripam stationes, quæ
Germanos vado arcerent, apud imperitos prodigiis loco
accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos om-
nes quoque, & vetera Imperii munimenta desererent.
Ibidem: Turor ripa Rheni à Vitellio præfectus Ju-
lius Sabinus Mamertinus ad Maximianum: Sancto
Jupiter & Hercules bone, tandem bella civilia ad gen-
tes illas vesania dignas transtulisti, omnemque illam
rabiam extra terminos hujus Imperii in terras ha-
stium distulisti. Etenim à sole ex Oriente, ad us-
que Meotitas paludes, id nunc longius longiusque, pro-
tendere licet, si quis hostilem in mutua clade ves-
niam toto Orbe percenseat, etenim ab ipso solis ortu
non modo, ac citra Maotim, sub extrema septentrionis
plaga, quæ servidum caput Danubii evoluit, qua-
que horridus secat Albis Germaniam, sub etiam ipso
Iucus occasu, quæ Tingetanum litus, Calpetano monti
obvium, latus, in mediterraneos sinus admittit Ocea-
num, ruunt omnes in sanguinem summi populi, quibus
nunquam contigit esse Romanis, obstinataque feris
nunc sponte persolvunt penas. Gotthi Burgundios
penitus excindunt, rursus pro vicis armantur Ale-
manni, itemque torva gens alia Gothorum, adjuncta
manu Thaisalorum, adversum Vandalos. Gepidesque
concurrunt; Burgundiones Alemannorum agros oc-
cupavere, sed sua quoque clade quasitas Alemanni
terras amisere, sed reperunt. Idem ad eundem.
Transeo limitem Rhetia, repentina hostium clade
promodum. Alius Panegyricus ad eundem Ma-
ximianum: Quid autem majus evenire poterit illa
tua in Germaniam transgressione, quæ tu primus om-
nium Imperator probasti Romani Imperii nullum
esse terminum, nisi qui tuorum esset, amborum sci-
licet Diocletiani & Maximiani, atque Rhenum
antea videbatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite
Romana Provincia ab immanitate Barbaria vindi-
carentur. Et quis unquam ante Vos Principes non
gratulatus est, Gallias illorum amne muniri, quan-
do non enim sine metu nostro Rheni alveum mi-
nuit diu serena tempestas, quando non cum secu-
ritate nostra illius, diluvia creverunt. Luca-
nus

Lucanus in 1. Pharsalia:

Albis & indomitum Rheni caput.

Herodianus Græcus lib. 2. de Commod. & Nigro Imperatore: *Hæc dum agerent levi incertâq; spe subnixus, fama jam per Pannonias Illyricosque increbuerat, perq; exercitus omnes, qui pro ripis Danubii Rheniq; excubantes coercendis barbaris Romanum uentur Imperium.* Seneca de mundi gubernatione: *Omnes considera gentes, quibus Romana pax desinit, Germanos dico, & quicquid circa Istrum vagarum Gentium occurrit.* Idem lib. 3. de naturalibus quæstionibus.

O quam ridiculi sunt mortalium termini! Ultra Istrum Dacus non exeat, Isthmus Samothracis includat, Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana distemet: Rhenus Germania modum faciat. Nec obstat quod in Evangelio legitur.

Exiit edictum a Casare Augusto in uniuersum orbem; nam intelligitur in orbem Romanorum; ut etiam Divus Ambrosius exponit; non autem orbem terræ, cuius minor pars Romanorum erat.

Post Theodosium autem Magnum opus est loqui de finibus Romanorum, dum ne domi quidem se potuerint tueri; imò non de finibus; sed de salute tam sua quam patriæ anxii; magnam sunt passî desolationem; & totius Italiæ cum Roma vastationem, innumerabiles enim Germanorum nationes, Suevi, Gotthi, Vandali, Franci, Burgundiones, Rugi, Turcilingi, Heruli & alii, infusi per Italiam diversis temporibus & locis, & Romanorum provincias; totum Imperium pessunderunt: Et Rufinus dicit in Scholasticâ historiâ: *Decium Imperatorem a Gothis visum in præsens & futurum maximo reipublice interitu.*

CAPUT II.

Germani non contenti habere liberum Imperium, intra Rhenum, etiam trans Alpes & fluuios patrios, Rhenum & Danubium, Romanorum provincias occupaverunt & vastarunt,

in uisus Romanis.

Romani igitur usque ad inclinationem Imperii, semper ad ripas Danubii & Rheni, ut vim barbarorum ac insultus prohiberent atque coercerent legiones habebant, gaudentes; ut dicit Panegyricus in alio capite ad Maximianum, *si quando Rhenus inundatione aquarum auctus, barbaros transitu prohiberet: contrario consternati, si penuria aqua transuadabilis esset.*

Nihilominus tamen Germani non potuerunt contineri, quin crebras excursions in ipsorum provincias, non sine crebris Romanis cladibus facerent, ut non minus verè quam eleganter dixerit Claudianus:

Ulla ne posteritas credat Germania quondam,

illa feroc populis, quæ vix instantibus olim

Principibus, tota poterit cum mole teners,

Jam sese placidam præbet Stiliconis habentis,

Ut nec præsidis nudaio limite tentet

Expositum calcare solum,

Stilico autem Germanos non vicit, sed quia & ipse Germanus & Vandalus, in societatem belli accepit. Nam ut fileam (quoniam de antiquitate Germanorum alibi illa dicam) quomodo Priscus Tarquinio Rege Germani Italiam intraverint, & Senones etiam Germani (ut ostendam) in Italiam & alias Provincias, quomodo item Cimbrî totum orbem inundaverint, & Teutones cum his in Galliam & Italiam transiverint, & quomodo plerique Belgarum à Germanis ortum habuerint, quod Germani antiquitus in Galliam propter fertilitatem agri transiverint, ut refert Cæsar in Commentariis: ut etiam omittam vastatam Romam,

Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Europam, & Asiam per Gotthos, Vandalos, Longobardos, Quados, Suevos, Burgundiones, Marcomannos, Saxones, Anglos, Scotos, Turcilingos, Rugos, Erulos, Alanos & innumeros alios *Germanorum populos*, jam enim eo tempore Romanorum Imperium periit, præsertim in Occidente. Solum dicam, rebus Romanorum florentibus, Germanos invictos & indomitos, diversis temporibus Romanorum provincias intrasse, in uisus Romanis, ac pro gloria, dignitate, imperio atque profinibus proferendis, nunquam pro libertate, cum Romanis pugnasse. Aded ut optime dixerit, quicumq; ille fuerit: *Galliam esse veterem Germanorum incurSIONEM, multarum, eadum causam Germanorum & Romanorum.*

Primum enim bellum gladiatorum in Italia, adjuverunt Germani in Italiam profecti, Lucullo & Cassio Consulibus, ut testis est Orosius in 5. & Cæsar in 1. Commentariorum, in quo quid Roma & Italia passa sit, describit Augustinus lib. 5. cap. 22. de civitate Dei, dicens: *Bellum quoque fugitivorum gladiatorum, quamvis multis Romanorum Ducibus, & duobus Consulibus victis, Italiaq; horribiliter contrita, atque vastata, tertio tamen anno, post multa bella, consumptum est.* Nonne Cæsar, felicissimus Imperator Rom. & qui solus & primus domuisse dicitur Germanos, dum in Gallia cum potentissimo exercitu ageret, non deterruit Sicambros, minimam Germaniæ portionem, quin in Galliam prædatum transirent, atque ipsos Romanos, castris eorum penè captis, non parva clade, sed maximo metu afficerent, ut & ipse Cæsar in 6. belli Gallici testatur. Nonne Idem in 7. se ipso ut dixi in Gallia beligerante, dicit: *Treviros a Germanis Rhenum transeuntibus pressos.* Idem dicit in 4. *Germanos facile impellit, ut in Galliam transirent.* Idem in 6. dicit: *Suevos contra se Treviris misisse auxilia.* Nonne eodem tempore (ut dicit Hircius in additione) Germani nullis adversus Romanos auxilia denegabant, qui tamen sua militia Cæsarem sæpè numero victoriosum reddiderunt, ut postea dicam, quod nobis optimum argumentum est; *Germanos parum timuisse Romanos.* Sub Tiberio item, qui Augusto successit, Germani Galliam vastarunt, undè Suetonius de illo: *Armeniam à Parthis occupari, Mesiam à Dacis Sarmatisq;, Gallias à Germanis vastari neglexit, magno dedecore Imperii, nec minoris discrimine.* Idem dicit Eutropius: *Germani in Hispaniam penetraverunt, tempore nescio quo, sed non multo post Tiberium.* Seneca ad Albinam, de consolatione: *Thuscos Asia sibi vendicat, Tyri Africam incolunt in Hispania Pœni, Græci se in Galliam immiserunt, in se Graciam Galli: Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit.* Hoc idem, testatur Josephus lib. 3. de bello Judaico, loquens de Vespasiano, Claudii ut credo Duce: *Et qui (inquit) Populum Romanum jam pridem pacasset, Hesperiam Germanorum tumultu concussam.* De Vespasiano item loquitur Egesippus lib. 3. *Vespasianum solum esse, cui summa militia Orientis in partibus iure committeretur; Virum ab adolescentia militia triumphalis inveteratum stipendii, qui impacatus Gallias Germanorum tumultu & ferocia genuine temeritatis, in bellum relapsas, pace diuturna composuerat.* Lampriidius de Alexandro, *Erat autem gravissimum Reip. atq; ipsi, quod Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur.* Flavius Vopiscus de Probo: *his gestis, cum ingenti exercitu Gallias petiit, quæ omnes occidit Posthumò turbata frærent, interfecto Aureliano Germanis posse.*

Panegyricus de Maximiliano: tamen omnes barbaram nationes, excidium universa Gallia minarentur, neque solum Burgundiones & Alemanni, sed etiam Chaibones, Heruliq; viribus primi, barbarorum locis ultimi, precipiti impetu in has provincias irruissent: quis, Deus! Imperator! tum salutem attulisset, nisi tu affuisses? Latinus Pacatus de Theodosio: *facebat innumerabilibus malis agra, vel potius dixerim exanimata Resp. barbaris nationibus, Germanis scilicet* (ut ipse postea declarat) *Romano nomini, velut quodam diluvio, superfusi.* Sub Arcadio & Honorio, Hispania per Suevos vastata sunt: Mamertinus ad Julianum: *Florentissimas quondam antiquissimasque urbes barbari* (Alemanni erant) *possidebant; Gallorum illa celebrata Nobilitas, aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat, in hoc statu Imperator noster Gallias naclus, nimium habuit aduersus hostem laboris atque discriminis.* Nazarius Constantinus de Francis Germanis: *Franci ipsi praeter ceteros iruces, quorum vis, cum ad bellum efferveret, ultra ipsum Oceanum aestu furoris evecta; Hispaniarum etiam oras armis infestis habebat.* Herodianus de Alexandro: *Quippe significabant, Germanos Rhenum Danubiumque transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse, oppugnareque exercitus ripis insidentes, perque urbes & vicis magnis copiis excurrere, & Illyrici milites suos domi casos a Germanis audiebant.* Orosius: *Sub Gallieno & Valeriano, Germani alpinis, Rhetia totaque Italia penetratis, Ravennam usque perveniunt, Alemanni Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt; Graecia, Macedonia, Pontus, & Asia, Gothorum inundatione delentur, Quadi & Sarmatae Pannonias depopulantur: Germani ultiores, abrasa potiuntur Hispania, Gallia plusquam 20. annis sub Valeriano & Gallieno a Germanis possessa, ab Aureliano recuperata dicitur, post Aurelianum Gallia iterum amissa, sub Probo restituta scribitur.* Idem Orosius: *Constantinus Caesar in Gallia (juxta Lingonas, ut dicit Hieronymus in Eusebio) primo praelio, ab Alemannis profligato exercitu suo, vix ipse surreptus est.* Sub Gratiano, *Burgundiones Germani Galliam invaserunt.* Et Cornelius Tacitus de Germanis dicit: *Occasione discordiae nostrae & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, Gallias affectasse.* De Germanis dicit Hieronymus suo tempore, qui claruit sub Theodosio: *Horret animus temporum nostrorum ruinas prosequi, viginti & eo amplius sunt anni, quod inter Constantinopolim & Alpes Julias, quotidie Romanus sanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Dardaniam, Daciam, Achasiam, Epiros, Dalmatiam, cunctisque Pannomias, Gothias, Sarmata, Quadi, Alanis, Vandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt. Idem: Ad Acherusiam, Gerontiam, & per annos 30 fracto Danubio, in mediis Rom. Imperii Legionibus pugnatur. Idem: Innumerabiles & ferocissima nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenaeum est, quod Rheo Oceanq; includitur, Quadi, Vandali, Sarmata, Alanis, Gepedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (o lugenda res publica) hostes Pannonis vastarunt, sub Valentiniano superiore Quadi, Germani & Sarmata, Illyricum vastaverunt.*

CAPUT IV.

Romani rebus Florentibus, Virtute Germanorum, res magnas gesserunt, & qui populi, quibus in locis usi sunt militia Germanorum.

Germanorum militum praestantia & fortitudine Romanos fuisse usos, ac victoriosos, nec Romanos

quicquam egregium sine illis auxiliatoribus gessisse; unde potius ostendam, quam ex Julio Cesare, qui omnes Romanos felicitate, rebusque gestis longè superavit. Illius, inquam, triumphos & torrentissimum felicitatis progressum, qui adjuverunt atque promoverunt, nisi Germani? Dum enim subacta, etiam Germanorum auxilio, Gallia, Germanostrans Rhenum non irritandos censere: Suevorum fortitudine perterritus, beneficiis eos & muneribus sibi devinxit, quibus etiam praestantissimum Imperatorem in acie Pharsalica superavit, toto Oriente, vel potius totius Orbis militia; si unos dempseris Gallos atque Germanos, stipatum, Pompejum, inquam, qui Plinio referente, res gestas non Alexandri modò Magni, sed & Bacchi & Herculis superasse famigeratur, Germanis vicit. Ita dicit Lucius Florus, de praelio Pharsalico, nam cum diu a quo Marte contenderet, iussuque Pompeji fulus a cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effulos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hinc venire in equis viderentur. Idem Caesar, cum tota Gallia Duce Vercingentorige in se conspirasset, neque ex Italia interclusis itineribus supplementa habere posset, unis Germanis rebellantem repressit. Ita enim ille ipse dicit in 7. de primo praelio in Biturigibus commisso: *Caesar ex castris equitatum educi jubet, praesentem equestre committi; laborantibus jam suis, Germanos equites circiter CCCC. submitit, quos ab insidio secum habere instituerat, eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atque in fugam coniecti, multis amissis sese ad agmen receperunt.* Et ita dicit Auctor innominatus: *Ne privemus sua laude barbariam, CCCC. equitum Germanorum, qui sub Cesare militabant, atque ab ipso principio secum erant, opera sunt egregia, ab Cesare enim immissi, laborantibus aliis in tempore subvenerunt, fregeruntque Gallos repentino impetu.* Dum autem laborantibus aliis, dicitur, intelligi non obscure datur, in periculo rem Caesaris futuram fuisse, nisi Germanica Virtus enituisse. Quod Caesar autem a principio belli secum habuit Germanos, argumentum est: Ariovittum Regem Germanum, Germanis fuisse victum. Possem insuper aliis in locis ostendere ex Tacito, Romanos cum Germanis mercenariis profligari conatos ipsos Germanos. Proh deorum atque hominum fidem, o dolendam & execrandam Germanorum avaritiam, quos esse invictos ab hostibus, res ipsa, atque multorum auctorum testimonia declarant, hos ipsa pecunia vincit! Quis nisi Germani Romanis tot regna & imperia conquieserunt? Quis hodie Regem Francia illustrem facit, nisi Germani? quos nundinari solet pecunia annisque stipendiis. Quis ei Insubriam peperit? Germani. Quis Apuliam bis subegit? Germani. Quibus hodie confisus armis, Francigena tot res novas molitur? Germanorum. Quis Genuam expugnavit? Germani. Quis rursus illum, ter Apulia deturbavit, maximis praeliis fufum, magnaue suorum caede? Germani, deo ut & illum & Regem Hispania Germani fecerint illustres & victoriosos,

Stultis quod alii, non sibi Regna parent.

Quod si essent concordēs, & Helvetii nostri cum Imperio sentirent, & non adversam partem foverent, nihil nobis obstare posset, ne Alpes quidem inaccessas, aut ultra maria. Sed Deorum immortalium fortasse ita contingit, nunquam nobis esse concordēs.

Sed ut ad institutum redeam, dum contra Caesarem tota

totam Galliam conspirasset, neque ipse ullos milites in Galliam interclusis viis introducere posset, ut alibi, ita nunc juxta Sequanos, Gallos Germanis, vicit. Nam cum plures ex Germania equites & pedites evocasset, qui minus idoneos equos habebant, a Romanis sumptos illis distribuit, atque illis victoriam obtinuit. Hæc ejus sunt verba: *Germani dextro latere summum jugum nacti, hostes loco pellunt, fugientes usque ad flumen, ubi Percingentorix cum pedestribus copiis condecorat, persequuntur, compluresq; interficiunt. Quæ re animadversa, reliqui, ne circumvenirentur veriti, se fuga mandant. Omnibus locis sic cades. Tres nobilissimi Hedui capti ad Casarem perducuntur.* Et Auctor innominatus: *Germanorum equitum, quos è trans Rhenanis urbibus Casar acciverat, insignis opera, fisco equitatu, rapitiq; & Casari presentatis aliquot nobilissimis Heduorum, qui hostium in acie contra eum fuerant.* Et postea: *Casar ad Alexiam oppidum, virtute Germanorum vicit Gallos.* Accedat ipse testis, ita enim dicit lib. 7. *Commentariorum: Fuit equestre prælium, laborantibus nostris Casar Germanos submittit, nostris animus augetur, hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine impediunt, atque angustiis portis relictis coacervant. Tum Germani usque ad munitionem sequuntur, sic magna cades. Nonnulli relictis equis, forsam transire, ac maceriem transcendere conantur, multis interfectis, compluribus equis captis, Germani sese receperunt. Nonne in oblatione ejusdem Civitatis Alexiæ, Germani iterum pro Casare vincunt Gallos? Hoc ipse Idem Casar testatur lib. 7. Cum à meridie, inquit, propè ad Solis occasum dubia victoria pugnaretur, Germani una in parte, confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosq; pepulerunt, quibus in fugam coniectis, sagittarum circumventis, interfecti sunt. Orolius autem ad S. Augustinum loquitur: *Percingentorix, quem omnes consensu pari Regem præcipuerant, suadet, ut ex tota Gallia, omnes qui arma ferre possent, huic bello præsto sint, hoc enim esse unum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna servitus, aut mors omnium, consequatur. Itaque absque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo M. peditem CC. L. M. contracta sunt. Dehinc duos colles, sibi invicem obversos, Romani Galli, ceperunt, unde multis sepe eruptionibus & variis proventibus præliantes, tandem Romani, præcipue Germanorum equitum, quos sibi jam dudum amicos, nunc in auxilium acciverant virtute vicerunt. Iterum auspicio Germanorum Casar Bellovacos superat. Hircius ita refert: *Non intermittebantur interim quotidiana prælia, in conspectu utrorumq; castrorum, que ad vada transiuntq; fiebant paludis, qua contentione, Germani, quos præterea Casar iraduxerat Rhenum, ut equitibus interpositi, præliarentur, cum constantius universi paludem transissent, pauciq; in resistendo interfectis, pertinacius reliquam multitudinem essent insecuti, perterriti non solum hi, qui aut cominus opprimebantur, aut eminens vulnerabantur, sed etiam longius subsidiari consueverant, turpiter fugerunt, nec prius finem fuga fecerunt, quam se aut in castra suorum receperunt, aut nonnulli pudore coacti, longius profugerunt. Nonne & Caninius Cælarianus, Gallos supra Vellodunum oppidum, virtute Germanorum vicit. Testis est idem Hircius: *Cum Caninius, inquit, propius hostem accessisset, ab exploratoribus, quos præmisserat, cognoscit castra eorum (ut barbarorum fere consuevit) relictis superioribus, ad ripas esse fluminis demissa. Germanos, equitesq; im-****

prudenter omnibus, de improvviso advolasse, & prælium commississe. Quæ re cognita, legionem armatam instruatq; adducit, ita repente omnibus ex partibus signo dato, ioca superiora capiuntur. Quod ubi accidit, Germani equitesq; signis legionis visis, vehementissime præliantur, confestim cohortes undaque impetum faciunt, omnibus aut interfectis, aut capitis magna præda potiuntur. Casar item auxilio Germanorum, nititur in Hispania contra Afranium Pompejanum, ut ipse refert lib. 1. *de bello civili.* Pompejus item habebat Germanos secum, qui in Ægypto militaverant, quos ibi Aulus Gabinius, præsidii causa, apud Regem Ptolemaum reliquerat, hi Germani postea Casari damnum intulerunt. Nam ut ipse scribit lib. 3. *civiliis belli,* Germani munitiones nostras aggressi, pluribus interfectis, sese ad suos incolones receperunt. Et Casar Alexandrinos in Ægypto, auxilio Germanorum, quorum equitum Ægyptii & Alexandriini impetum ad eum per timuerunt, ut in fuga spem salutis quærent, ut testis est Hircius lib. 4. *de bello Alexandrino.* Item Germani aliqui in Africa cum Casare militantes, à Labieno adversario, fortiter pugnantes atque resistentes circumventi trucidantur, ut Hircius *de bello Africo* tradit. Quibus omnibus luculenter perspicimus, Romanos militia Germanorum in omnibus terris usos, eorumq; egregia opera & audientia sæpe triumphasse, & Casarem Romanorum, qui unquam vixerunt, præstantissimum Imperatorem, se ipso teste, Germanis hostes superasse, ita ut eis non Monarchiam solum, sed vitam etiam, toties adjutus per illos, acceptam referre debeat. Sub Caligula aliisque omnibus ante eum Casaribus militaverunt, ut apud Suetonium & Tacitum invenitur. Germani insuper per legiones militaverunt. In Syria sub Nerone, ut testis est Cornelius in 13. Militaverunt item sub Nerone, ad claustra Caspiarum, pro bello quod in Albanos parabat, ut item Cornelius lib. 17. ostendit. In Ægypto quoque apud Alexandriam, cum eodem Nerone militasse, refert idem in eodem. Nonne cum Galba in Hispania, & cum Junius Vindex, una cum Gallis à Nerone defecissent, Germani soli Duce Virginio, occisis circiter 20. millibus Gallorum, & Vindice ad mortem compulso, soli illam conspirationem dissipaverunt: qui postea à Galba spreto, & non justis stipendiis remunerati, caula fuerunt cædis Galbæ, ut dicit Suetonius. Sub Galba item Germani militaverunt, quos Nero in Alexandria prius habuerat, illi & chari Galbæ fuerunt, & in primis fideles, ut Suetonius & Tacitus tradunt. De Vitellio autem non plura dicam, quoniam à Germanis quos in militia Gallicana habuit, est Imperator appellatus, atque ad Imperium devicto Othone promotus. Idem teste Josepho in 5. cum Vitellio Capitolium expugnantem, quod Domitianus infederat, incenderunt dirueruntque, quod signum mihi visum est futuri ad nos Imperii transferendi, Domitianus tamen elapsus evasit. Sed nec solum Vitellium Germani creaverunt Imperatorem, verum etiam Claudium, Josephus de antiquitate lib. 19. cap. 2. *Gratus Germanus Claudium apprehendens cognovit, seq; sequentibus ait: Ille Germanus est, eum constituamus Imperatorem, &c. qui & per illos factus est Casar, & idem ad timentem Claudium, nobis, inquit, de tua salute pusillanimitas esse, cum te magis oporteat magnanimitate de Imperio cogitare, quod Divi auferentes Gajo, mundaq; prospicientes, tua concessere Peris. Constantinus Magnus etiam teste Aurelio, maxime auxilio*

Suevorum Imperium est adeptus Romanum. Progre-
dientes ad Vespasianum, inveniēmus cum delibe-
rasse, an Imperium susciperet, propter Germanicarum
Legionum vim, famam & robur, ut dicit Tacitus. Tan-
dem per Duces suos ille Germanos, non nisi Germanis
vincendos existimans, Sidonem atque Italicum Sue-
vorum Reges in amicitiam ascivit; illisque in prima
acie pugnātibz Germanos vicit; ut idem testatur
Josephus. Idem dicit, Germanos bellum civile Roma-
norum sedasse, *lib. 5. de bello Judaico.* Imperator item
Maximinus auxiliariis Germanis est usus, quorum
potissimum fidei confidebat, ut dicit Herodianus, &
ut idem testatur, Marcus pater Commodi, Germanos
in societatem ascivit. Antoninus item Germanos
in amicitiam conciliavit, sub quo etiam in Oriente
militaverunt. Maximinus Germanos sæpe contra se
in bellis expertus, tandem in amicitiam recepit. Com-
modus item propositis pecuniis, Germanos in socie-
tatem adjunxit. Externi etiam & Longinquiorez usi
sunt militia Germanorum. Herodes enim Rex eos
habuit milites, de cujus sepultura ira dicit Josephus *lib.*
7. de bello Judaico, & Egesippus *in 1.* Circa lectum filii
cū propinquis, præterea satellites agmenq; Thracium,
Germaniq; & Galatæ, velut ad bellum instructi omnes
antecedebant. Atque Mithridates Rex Ponti, in sua
militia Germanos habuit, ut testis est Justinus *lib. 38.*
Sed quid plura? Germani per Hispaniam, Galliam,
Asiam atque Syriam, crebram militiam agitaverunt,
de quibus ita dicit Seneca *lib. 2. de ira: Germanis quid*
est animosus? quid in incursu acrius? quid armorum
cupidius? quibus innascuntur innutriunturque, quo-
rum una illis cura est, alia negligentibus. Quid indura-
tiis ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte
non tegumenta corporum provisā sunt, non suffragia
adversus perpetui cæli rigorem. His tamen Hispani
Galliæ, & Asia Syriæq; molles bello viri, antequam
legio visatur, cedunt, ob nullam rem aliam opportunos,
quàm ob iracundiam. Nec ego commoveor quod di-
cit, eos aliquando vinci & victos esse: nisi enim cre-
bro Victores fuissent, non diceret quid animosus?
quid in incursu acrius, &c. Unde non obscure intelli-
gis, eos invictos, nisi aliquando ob iracundiam, & ho-
diè sunt invicti, nisi temeritate & audacia, sine consi-
lio, aliquando eam prælii conditionem acciperent,
quâ vix possibile est, eos posse victoriam obtinere, ut
dum super vix mille, impetum fecerunt in Venetos,
plusquam 20. millibus virorum instructos, suæ tamen
temeritatis pœnas dederunt, nihilominus nisi ad ini-
quum pugnandi locum fuissent progressi, nec univer-
sus eos Venetorum exercitus illò die profligasset.

C A P U T V.

Contra Philippi Beroaldi opinionem, in Suetonio Ger-
manicus non Germanicianus legen-
dum est.

IN Suetonio legitur sincera, antiqua & vera lectio-
ne, *Germanicum* exercitum, elegisse Vitellium in
Imperatorem, sæpeque eum victorem fecisse, apud
Tacitum: quod non in mediocriter facit ad propositum
meum, & laudem Germanorum. Proinde parcant mi-
hi manes Doctissimi Viri, & meritissimi de lingua
Latina, Philippi Beroaldi, si ego aliter sentio in Suetonio
legendum, quam ipse, ejusque commentaria produ-
cunt. Legit enim bis, & legendum censet, *Germani-*
cianus exercitus, quasi Italici & Romani milites;
qui in Germania militaverint, non Germani. Cui
lectioni (ductus laude & amore patriæ) omninò re-

fragor illustribz Auctoribus adjutus. Primum enim
nisi Germani fuissent milites, qui Vitellium acclama-
verunt Imperatorem, non Germanicianus, sed Galli-
cianus exercitus legendum fuit. In Gallia enim mi-
litabant, ibique Imperator creatus est. Mihi astipu-
latur Egesippus in 4. dicens: *Nec solum Galba inter-*
fecto, sed etiam Othone extincto, Vitellii Ducibus con-
gredientibus, quem Gallicanus exercitus creaverat Im-
peratorem. Et Orosius in 7. *Igitur Otho cum Galba*
& Pisone Roma interfectis, inter tumultus cadesq; in-
vasisset Imperium, ac mox creatum Imperatorem in
Gallia, per Germanicas legiones, Vitellium comperisset,
bellum civile molitus, &c. Secundo, Vitellius habuit
non Romanos, nisi forsitan paucos; sed Germanos,
& 30. millia Germanorum, ut testis est Tacitus *in 17.*
Orosius item, ut jam dixi, Germanicas legiones ha-
buisse, dicit. Testis etiam est Josephus, *in 6. de bello Ju-*
daico: Creatus, inquit, Otho Imperator, cum Vitellio
imperante pugnabat, quem Germanorum tunc manus
elegerat. Testis etiam est Tacitus, ter vel quater *lib. 17.*
Quibus omnibus liquidò ostensum est, Suetonii an-
tiquam lectionem esse veram, Germanicusque non
Germanicianus esse legendum, nihilominus Beroal-
dum habendum (uti ego profectò facio) doctissimum
existimo, hominem tamen, quem etiam contingit in-
terdum falli & decipi.

C A P U T VI.

Germani formidabiles erant imprimis Romanis, & ma-
ximo terrori, atque etiam Regibus aliis
potentissimis.

Germani Romanis Imperatoribus formidabilissimè
erant. Primum enim cum sub Julio Cæsare in
Gallia belligerante, Galli narrarent magnitudinem
animi, atque Virtutem Germanorum, tantus terror
Romanum invasit exercitum, ita totis castris trepida-
tum est, ut vulgò totis castris testamenta obsignaren-
tur, testis Cæsar *in 1.* Cajus Caligula adeò timuit Ger-
manos, ut eorum adventu vel rebellionem tantum au-
dita, Romæ desperaret salutem, sibi que trans mare
fugam pararet, ut dixi ex Suetonio in Epitome lau-
dum Suevorum. Cæsar etiam Julius domitâ Gallia,
non cupivit in Germaniam proficisci, sed Illyri-
cum exploravit, an illic res magnas attentaret. Pau-
cis enim diebus trans Rhenum agens timidus recessit,
pontemque ab se factum rescidit. Vespasianus item,
ut inquit Tacitus, deliberavit de imperio, an accepta-
ret, propter vim Germanorum & robur, genus notum
militari viro. Et ut idem dicit, multæ legiones in Ita-
lia ad famam Germanici exercitus, quia Germanorum
vexilla præmissa erant, concesserunt in partes Vitellii
& Mauri ipsi, teste eodem, Vitellio conciliati sunt, ex
magna per provincias Germanici exercitus fama. Cæ-
teri Imperatores à Vespasiano, aut cum Germanis fœ-
dera percusserunt, aut adversa passi, ut postea dicam,
usque ad Constantinum. Tunc enim non ultra, magna
spe, auctoritate & successu felici de Imperio Occidentis
(exceptâ Germaniâ, quæ nunquam provincia Roma-
na fuit) sed potius de salute propria, & libertate Italiae
cognoyerunt. Licet enim post Constantinum, Julia-
nus maxime & Gratianus, contra Alemannos res ma-
gnas gesserint, hæc tamen postea in Gallia extinctus
est, ille verò Alemannos expertus, fœdus cum iis
percussit, amicitiamque conciliavit. Theodosius
etiam Magnus, feliciter de inimicis triumphavit,
attamen sub ejus filii Imperium Roma-
num ruinam atque inclinationem non modicam
patitur,

patitur, nec post unquam caput allevare potuit, hi fuerunt Honorius & Arcadius. At nec solis Romanis, sed alii etiam potentissimis Regibus Germani formidabiles erant, de qua re ita loquitur Campanus, in Oratione ad Principes Germaniæ: *Cum enim Magnus Alexander domuisset Triballos, Bæotiam, Thraciam, Spartanos, Thessalos, Achajam, Peloponnesum, Ioniam, Lydiam, Liciam, Ciliciam, Cappadociam, Cariam, Paphlagoniam, majorem & minorem Armeniam, Syriam, Aegyptios, Persas, Thauros, Hircanos, Medos, Sacas, Indos, deterritus tamen est aspectu, & summa Germanorum, ad Danubiū, ripam substituit, & qui omnem Orientem feliciter calcaverat, ejus vim una Germania, representis, impetum compescuit, audaciam retardavit.* Et ut Orolius dicit: *Gothos, qui sunt Germani, Alexander vitandos pronuntiavit, Pyrrhus exhorruit, Cesar declinavit, Darius & Cyrus potentissimi Asia Reges, trajecto Danubio, Germanos non ausi sunt attingere. Lysimachus Rex maximus, cum ingenti coactis exercitibus, Danubium irajecisset, a Romechete Rege non modo vitus, sed etiam captus est. Tanta fuit Germanorum vis, tanta eorum clades, qui Germaniam armis petiverunt, ut natum su intir finitimos proverbium: Male qui velis pugnare, cum Germanis pugnet.* Hac ille.

CAPUT VII.

Germani nec Romanorum potentiam, nec aliorum timuerunt.

ET si Romani fuerint terrori penè omnibus gentibus, adeò, ut nulla tam fera gens fuerit, quæ non illos supplici genu adoraverit, nec ullæ tam minora alpes, quas non penetraverint, nec tam horridi montes, quorum juga victor Romanus non calcaverit, nec ulla flumina, vel maria eorum potentia obstiterint, adeò ut Rex Agrippa, teste Josepho lib. II, de bello Judæico, universos qui sub Sole incolunt, Romanorum arma venerantes fuisse, affirmet: Germanos tamen invenio, tametsi interdum victos, nec eos nunquam timuisse. Ita enim primò apud Casarem loquuntur lib. 4. *Ulpetes & Tencteri, Germanos nunquam recusare blasphemant, armis contendere, quod hæc sit eorum consuetudo à majoribus tradita, cuiuscunque qui bellum inferat, resistere.* Quod Romanos florentissimis eorum rebus, non timuerint, argumento est, quòd Hircius in additione belli Gallici, enumerans prius præclarissimas Cesaris in Gallia res gestas dicit: *Germanos nemini auxilia adversus Romanos denegasse.* Argumento itè Tacitus, qui scribit, *Casi Cesaris minas adversus Germanos in ludibrium versas.* Qui in super fieri posset? ut Romanos timuissent, qui ultrò omnibus contra Romanos auxillum præbebant, Mithridati, & quòd periculosius, ipsis gladiatoribus in gremio Italiae, qui, inquam, Germani nunquam quieti, crebris excursionibus Italiae, Galliam, ceterasque Romanas provincias infestabant, etiam tempore Tarquinii Prisci & ante. Sed quas in Galliam Romanorum provinciam, rebus Romanis florentibus, fecerint excursiones, longum esset narrare, quæ & supra narravi. Optime Claudianus, ad Stiliconem Vandalum de Germanis:

Ingentia quondam,

Nomina trimigero flaventes vertice Reges.

Quis nec Principibus, donis, precibusve vocati,

Paruerint, jussi properant, segnia verentur,

Offendisse mora.

Idem Claudianus:

*Ullane posteritas credat? Germania quondam,
Illa ferax, populus qua vix instantibus olim,
Principibus, tota poterit cum mole teneri.
Jam sese placidam præbet Stiliconis habentis.*

Hæc omnia idèd hæc dixisse volo, ut intelligatur, Germanos cum Romanis non pro libertate, sed pro dignitate & Imperio decertasse. Nam quòd Drusus, & is solus, aliquamdiu portiunculam Germaniæ in provinciam redigere est annixus, propterea juxta Biugium, ut cantunt nostræ historiae, tandem belligerans occubuit, & subactam partem, brevi Quintilius Varus, exercitu ad internecionem caelo, amisit.

CAPUT VIII.

Romani sapiunt Germanis pacem & amicitiam pecunia mercati sunt, & Germani contra illos sapiunt gloriosissimè triumpharunt.

Abit Germanis, quòd Romanos rerum potitos Aumuerint, dum e contrario Romani pacem ab eis, & amicitiam multâ pecuniâ emerint. Claudianus de Germanis:

Illi terribiles, quibus omnia vendere semper,

Mos erat, & sæcûla requiem mercede pacisci.

Et alibi dicit:

Qui nec Principibus, donis, precibusque vocati,

Paruerant

Nunc sub Stilicone, scilicet, ut mens est Claudianus, sponte sua veniunt. Verum est Claudiane, sed Stilico non vis, sed maximis pollicitationibus suam nationem, quia & ipse Vandalus & Germanus fuit, Germanos in suas partes traxit. Quòd si dixerit Romanus, Claudianum in adulationem Stiliconis hæc falso dixisse, bene est: Si mentiuntur Poëtæ, & Scriptores Romani, cû in rebus Historicis, & gestis de eorum inimicis egregia dicunt: O quot mendacia instruunt, dum pro Romanis loquuntur? quantum assentantur? quoties supplantant veritatem? adeò ut omnem eorum Historiam pro nugis & fabula habendam, & legendam existimem. At capiamus Historiographos, non Poëtæ, & inveniemus Julium Casarem felicissimum Romanorum in bellis Germanis, quos armis vincere non potuerat, in amicitiam susceptis, Pompejum atque Orientem vicisse. Germani itèd sub Augusto usque ad Varianam cladem, sub Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Vitellio, maximis beneficiis affecti, ad custodiam Cæsarei corporis vigilabant. Ottho etiam Imperator, multis modis studiosissimeque (teste Tacito) Germanicum exercitum lenire studebat, sicuti & Vespasiani Duces. Atque præter ceteros, quorum res gestæ non usquequaque mihi patent, Commodus Imperator, Aelius Pertinax, Severus, Aurelius Antoninus, Marcus Verus, Alexander: omnes hi gratiam & amicitiam Germanorum quaesiverunt, de quibus dicit Tutor ripæ apud Cornelium: *Illos omnia ex libidine agere, non regi, non juberi, solusque pecunia, & donis corrupti.* Adeò ut Herodianus dicat de Alexandro, multa illum à Germanis passum, nec contra illos unquam superiorem evasisse, qui Rhenum Danubiumque transgressi, Romanos in fines hostiliter intraverint, tandem pecunias in magna copia illis dedisse, fœderaque & pacem ab eis mercatum esse. *Sunt enim, (ut dicit) Germani avidi pecunia, atque nunquam non aurò pacem Romanis canponantur.* Idem de Commodò dicit: (qui tamen in hoc solo Commodus fuisse prædicatur à Romanis, quòd feliciter contra Germanos pugnaverit, ego credo non bellò,

bello, sed pecunia eum Germanos non vicisse, sed corrupisse: *magnis praeiis Germanos illum sibi in amicitia adiunxisse, quod quidem, ut ipse refert, haud difficile factu fuit.* Quippe barbari, Germani scilicet, luapte natura pecuniae avidi, periculorum despicientes, aut incurribus populationibusque victum parant, aut proposita mercede, venalem pacem habent. Quod intelligens Commodus, ut pecunia quam maxime securitatem redimeret, nihil, videlicet petentibus, denegabat: Ex quibus ego intelligo, Alexandrum saepe victum, Commodum pecunia se confessum Germanae foetudini imparem. Nec mirum, non enim contra illos tantum, sed contra alios Caesares multo potentiores, victoria potiti sunt. Nam & Julius fortunatissimus bellator, non trans Rhenum, ubi nihil egregium gessit, sed in ipsa Gallia contra Germanos non semel infauste pugnavit. De quo Eutropius ita scribit: *Inter tot successus, ter male peronavit apud Arvennos, semel praesens, & a Germanis absens, nam Legatus ejus Tiberius & Durumculejus per insidias caesi sunt.* Quas clades Augustus acceperit, narravi copiosissime in eo libello, qui inscribitur Epitome laudum Suevorum. Tiberius Augusti successor, armis Vindelicos aggressus, ut scribit Campanus, Germanis insurgentibus, brevi e Germania discedere coactus est, neque quicquam egregium in Germania fecit. Et Tacitus dicit: *ingentes adversus Germaniam Tiberii conatus frustra fuisse.* Caligula Germanos fugit, fugamque transmarinam cogitavit, ut alibi dixi ex Suetonio, & quos secum habuit, pecuniarum muneribus placaverat, ut dicit Josephus. Claudius beneficio Germanorum in Imperatorem proventus, ut Josephus supra testatus est. Nero etiam pluraquam tyrannus, homo truculentissimus, Germanos beneficiis persecutus, eosque custodes corporis elegit. Galba conspiratione Germanorum contemptus, caesus est. Otho a Germanis per Duces victus, mortem sibi ipsi conscivit. Vitellius beneficio eorum Caesar creatus est. Vespasianus non in Germania, sed Gallia, per Ducem suum Cerealem, a Germanis & maxime Batavis sapissime victus est, variaque fortuna pugnatum, tradit Tacitus, tempore cuius exercitus Romanus in Gallia a Germanis caesus, hibernaque Legionum capta, ut dicit Tacitus lib. 20. Nec verum est, quod Campanus dicit: *illum cum Germanis a Claudio missum, bis & tricies confluisse.* Cum Britannis enim non cum Germanis pugnavit. Nam ut Suetonius dicit, Claudius unam omnino suscepit expeditionem, eamque modicam, in Britannia scilicet. Idem Suetonius ita dicit de Vespasiano: *Claudio Principe, Narcissi gratia, Legatus legionis in Germaniam missus est, inde in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflavit.* Hoc significantius Eutropius prodit: *tricies & bis eum hoste in Britannia conflivisse Vespasianum.* Egeippus etiam in 3. *Vespasianus* (inquit): *Britanniam Romano Imperio armis acquisiverat, nullam mentionem faciens de Germanis, sed quo milite quaeo victor Britanniam subegit? Germano praecipue.* Legatur Tacitus in vita Agricola, ubi non obscure invenitur, me verum dixisse, Domitianus item apud Germanos exercitum suum incaute perdidit, de quo dicit Tacitus: *Et ea insecuta sunt Reipubl. tempora, qua sileri Agricola non sinerent, tot exercitus in Mysia Daciaq, & Germania, Pannoniaq, temeritate, aut per ignaviam Ducum amissi, tot militares Viri, tot cohortibus expugnati & capti, nec iam de limine Imperii & ripa, sed de hyber-*

nis legionum & possessione dubitatum. Adde Domitianum in Capitolio obsessum, a Germanis cum Vitellio militantibus, fugam salutem quaesisse, ceteros Romanos, qui cum Domitiano erant, & praesertim magnam partem Nobilitatis, ut dicit Josephus, una cum Capitolio a Germanis exultos & deletos. Sunt & alii Imperatores Romani, contra quos Germani res felicissimas gesserunt: sufficiat tamen florentiores annuerasse, alibi enim dixi; alios Imperatores cum Germanis varia fortuna decertasse. Includo postremo omnes illos Imperatores Romanos, qui Germanos etiam cum victoria, ut loquuntur sui Historici (Julium volo Caesarem, Julianum, Commodum, Maximinum & alios) experti sunt, eorumque fortitudinem viderunt, eos tandem in amicitiam recepisse, sed usque cum eis percussisse, quod nunquam fecissent, nisi se inferiores animis Germanorum judicassent. Nonnulli etiam Imperatores rebus desperatis, animisque & viribus Germanorum inferiores, ad Divinumq; auxilium convolantes, se a Germanis redemerunt. Antoninus enim Verus Divinitus, ut scribunt Germanos superat, pluvia de caelo missa, cum fulmina Germanos persequerentur. Extant literae M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam situm, Christianorum forte precationibus imperato imbrem discussam, contestatur. Gratianus item apud Argentuariam, Christi fretus potentia, ut dicit Orosius, vicit Alemanos. Constantius vicit, & victus est.

C A P U T IX.

Romani Imperatores, rebus florentibus, spreis alijs nominibus, Germanicos se a Germania devocasse, falso nominaverunt: falseq; triumphaverunt.

Nemo inveniet apud Scriptores, Germaniam in provinciam Romanam redactam. Drusus portuiculam ejus in Provinciam redexit; sed non mansit, ad eam ut brevi post Romani, Duce Quintilio Varo, suorum sanguine, & maxima caede, sine ab illa repulsi, vel potius abi extincti. Lego autem plurimos Imperatores se Germanicos inscripsisse, quos, profecto possum non obscure conjecturare, Germaniam nunquam vidisse, sed falso titulo gloriosos; vel in Gallia aliisque provinciis, parvam aliquam stragem, milites aliquos Germaniae vel vicisse, vel in amicitiam recepisse, vel domita modica Germaniae portione, in totam Germaniam dominasse, gloriosos. Raro enim invenies, post acceptam cladem Varianam, in Germania Romanos militasse, ad eam ut bene scribat Panegyricus de Maximiano, hoc quod jam falso de antiquis Imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. Inde superius probavi; Rhenum semper fuisse limitem Imperii, usque ad inclinationem Romanarum rerum. Nulli tamen dubium est, semper Germanos excursions fecisse in Galliam, Romanosque, illam suam esse Provinciam, contentes, cum eis varia fortuna decertasse; aliquos tantum noto, Probum, Claudium, Julianum, paucosque alios. Multi enim Imperatores, vel negligentes, ut Tiberius, vel terrore Germanorum, vel in visceribus Italiae, salutem Imperii tueri coacti, Galliam neglexerunt, usque ad tempora Hieronymi, tunc enim non ulterius de Imperio, sed de propria salute, amissa etiam Italia atque Roma, cogitaverunt. Quam rem ita deflet Divus Hieronymus, in Epistola ad Geroniam: *Quis hoc credis* (inquit): *quod digno sermone comprehenderent, Romam in gremio suo non pro gloria,*

sed.

sed pro salute pugnare; immo, ne pugnare quidem, sed auro & cuncta suppellectile vitam redimere? quod non visio Principum, qui vel religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidi proditoris, qui nostris, contra nos, opibus armavit inimicos. Idem recens factum est, & quod ipsa audisti, cum ad stridula buccina sonum, Gothorum clamorem, lugubri oppressa metu, Domina Orbis Roma contremuit. Vbi tunc Nobilitatis ordo? ubi certi, & distincti illius Nobilitatis gradus? permixta omnia & timore perfusa, omni domui plandus, & aequalis fuit per cunctos pavor. Id. in ad Eandem. Et per annos triginta fracto Danubio, in medus Romani Imperii Regionibus pugnatur. Et quoniam res gestae Caesarum post Domitianum, propter Scriptorum penuriam, non sunt tam clarae, & notae, si ut antecessorum, possum jure existimare, illos se Germanicos appellasse a devicta tota Germania, cum aliquam, vel minimam in Germanis (cum mul. & innumeræ fuerint testibus Romanis Scriptoribus) nationem, vel in Gallis, raro in propriis sedibus clade affecerunt, praesertim cum Tiberius, Claudius, Caligula, Domitianus, rebus multo florentioribus, Germanici dici voluerint falso, cæteris titulis, quos Senatus detulerat, repudiatis, falsoq; de Germanis triumpharint, ut hoc titulo dignarentur, qui erat inaximus apud Romanos, Germanos devictis, qui tamen semper invicti fuerunt. Unde Martialis de Domitiano:

*Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen.
Scipio quod Victor, quodq; Metellus habet,
Nobilis tribus domito Germania Rheno.*

Hunc igitur maximum Germanici titulum, Tiberius falso suscepit, nam ut supra dixi, non solum frustra Germaniam petiit, sed & Galliam ab illis invalam afferere neglexit. Caligula non modo falso titulo usus, sed & falso de Germanis triumphavit, quos fugit & timuit, ut supra dixi. Unde Suetonius: *Conversus hinc (inquit) ad curiam triumphi, prater captivos ac transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, ac nonnullos ex Principibus legit, ac seposuit ad pompam, coegitq; non tantum rursulare, & submittere somnam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Quem Persius falso triumphantem deridet, ultima satyra:*

*O bone, num ignoras, missa est a Casare laurus,
Insignem ob cladem Germana pubis, & aru
Frigidus excutitur cinis.*

Domitianus item de Germanis falso triumphavit, seq; Germanicum atque mentem Septembrem immerito nominavit, de quo Silius:

*At tu transcendens Germanice facta tuorum,
Jam puer auricomis performidate Batavo.*

Et Frontinus in primo stratagematum: *Imperator Caesar Domitianus Augustus, Germanicus, eo bello, quo victus hostibus cognomen Germanici meruit. Quod falso triumphavit testatur Cornelius Tacitus, in vita Agricolæ: Inerat conscientia derisus nuper fuisse, falsum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in capivorum speciem formarentur: Inde quod de Dacis, Germanis populis, dicitur a Domitiano victis, falsè, ex prædictis, dictum deprehenditur. Idem cum suis in Capitolio victus a Germanis, atque Capitolium exultum est, nihilominus laudatur propter Capitolii res gestas, & quidem supra æthera: Martialis 5.*

Ad Capitolini caestria carmina belli

Grande cothurnati pone Maronis opus.

Non igitur triumphis Romanis credendum est, ad minus enim semper aliquid mentiuntur, quod Strabo in 3. ostendit his verbis: *Polybius, CCC. urbes Celtiberorum, a Tiberio Graccho subversas esse, memoria prodidit, quod ritu comico Tiberii Gracchi, gratia dictum est, ab eo qui turres, urbes appellat, ut in triumphalibus pompis fieri mos est. Quod abs te nequaquam dictum esse crediderim: Nam Imperatores, & rerum gestarum Scriptores, ut ornatiore efficiant negotia, ad hoc, mentiendi genus efferunt. Hinc optime dicit Cornelius Tacitus, Romanus non Germanus: Germanos magis triumphatos, quam victos esse, hoc est, de illis triumphos, & quidem falsos esse actos, nunquam verè victos, quod ad singularem Germanorum laudem. Caesarum verò infamiam non parum facit, Claudius etiam dici *Germanicus* voluit, qui nihil egregium in Germania egit, sed benè a Germanis in Imperatorem suffectus, sicut & *Vuellius*, qui & ipse *Germanicus* dici voluit, & filium ita nominavit. Nec *Nerva* laudem, est a Germania consecutus, nam ante Trajanum, ut Plinius in *Panegyrico* ostendit, eis Rhenum & Danubium adversa passi sunt Romani, & Caesar ipse, licet magnificè scribat de rebus a se gestis, in Britannia tamen parum fecit, de quibus Cicero in Epistola ad Quintum fratrem: *De Britannico (inquit) rebus cognovi ex tuis literis, nihil esse quod metumamus, nec quod gaudeamus. Et Cornelius in vita Agricolæ dicit: Primum omnium Rom. d. v. Julius, cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas, ac lustore potius sit, potest videri, ostendisse possentis, non tradidisse. Et Panegyricus ad Maximianum dicit: Casarem hoc uno gloriari in expeditione Britannica debuisse, quod navigasset Oceanum. Inde dicit Pompejus apud Lucanum in 2. Casarem fugisse Britannos, dum inquit:**

Territa questus ostendit regna Britannis.

Quibus ex rebus credo, res Caesaris contra Germanos, tenuiores, quam ipse prædicaverit, praesertim, cum, & Asinio Pollioni, & Cicroni, de veritate suspectus, fuerit Caesar coetaneis. Multo minus igitur credo, titulis, & triumphis recentiorum Caesarum, qui post Trajanum, & maxime post Constantinum, sibi Germanici nomen arrogaverunt, um rebus florentibus, Romani pari damno cum Germanis belligè arint, de quibus rebus opto 20. libros bellorum Plinii, quæ Germani cum Romanis gesserunt. Accedat tamen Cornelius testis, qui etsi Romanus, tamen paucis verbis Germanorum fortitudinem, invictamque animi magnitudinem, non obscure prodidit: *Sextagesimum & XL annum urbs nostra agebat (inquit) cum primum Cymbrorum audita sunt arma, Caelio Metello, ac Papyrio Carbone COSS. Ex quo, si ad alterum Imperatoris Trajani compertemus, CC. ferme & X. anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur, medio tam longi avi spacio, multa invicem damna; Non Samnites, non Pæni, non Hispania, Galliave, ne Parthi quidem sepius admonere, quippe Regno, Arfacis acior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam eadem Crassi, amissio & ipso Pacore, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, Servilio Capione, M. quoq; Manlio, fuis, vel captis, quinque simul Consularibus exercitibus, Populo Romano, Varum, treq; cum eo legiones, etiam Casari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, Divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero, & Germanicus in suis eos sedibus percellerunt. inde.*

ocium, donec occasione discordia nostræ, & civilium armorum; expugnata legionum hibernis, etiam Gallia affecta videretur, ac rursus pulsus inde, proximis temporibus triumphati magis quam viliti sunt. Inde optime alludit Claudianus:

*Cedant Druse tui, cedant Trajane labores,
Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Sicilio.*

Et Baptista Mantuanus ad Robertum Severinatem:
*Sed neq; imbelles Indi, mollesve Sabai,
Pigmasve breves rapiunt, verum Accola-Rheni,
Gens durata gelu, genus insuperabile ferro,
Quod toties Romanis, cum ditione premebat
Europa Libyæq; urbes, Asiamaq; minorem,
Terruit, hi superant Parthos Thracumq; furores,
Quos Marcem genuisse ferunt, hi spicula torquent,
Penthesilea non inferiora securi.*

CAPUT X.

Propter scriptorum penuriam, Germanorum res præclarissime gesta, venerunt in oblivionem, Romanorum autem creverunt, propter adulationes, & mendacia scriptorum.

CUM igitur nullum scriptorem vernaculum habeamus nos Germani, qui res nostras immortalitati commendaret, quas tantum colligere cogimur ex illis Historicis, qui nunquam nos ex proposito laudant, dum semper partem adversam fecerint, cui dubium, res nostras feliciter & fortiter gestas, fuisse illustrissimas, & amplissimas, si tempore rerum gestarum nostri illas in commentarios saltem redegerint: Præsertim cum obiter hinc inde ex scriptoribus alienigenis non pauca inveniamus, unde Germani sint laudatissimi. Proinde si Atheniensium, ut dicit Sallustius, res gestæ satis amplè magnificæque fuerunt, verum aliquantò minores quam famâ feruntur, sed quia, quod provenerint ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur, quod eorum, qui ea fecerunt, Virtus tanta habeatur, quantum ea urbis potuere extollere præclara ingenia, optime intelligitur, res Græcorum & Romanorum haberi ampliores scriptorum copia, quam sint, nostras verò multò minores, dum nemo illas, non dico extollere, & magnificare; sed ne pro meritis quidem narrare studuerit. Qua in re consoletur me, qui idem conqueritur contra Appionem Grammaticum Alexandrinum, Josephus. Græcos verò & Romanos (inquit) qui militiam secuti non sunt, figmentis, & adulationibus captos, res gestas nescire, atque Historias ausos eas conscribere, quæ præter hoc, quod nihil sanum referunt, etiam de proposito decidisse videntur. Nam dum Romanos volunt magnos ostendere, Judæorum (& ego addo, pariter aliorum) res extenuant, & in humilitatem deiciunt. Qui verò præstiti fuerint, aut Romanorum obsequio, aut odio Judæorum atq; exterriorum, contra fidem rerum falsa confirmasse, scriptis aut eorum parvam accusationem, partim laudationem contineri, nusquam verò ex ætate fidei reperiri historia. Alios item, non quòd rebus interfuerint; sed vana & incongrua narrantium sermones auribus colligentes, Oratorum more per scripsisse. Ex quibus omnibus, relinquo iudicio Eruditorum, quanta injuria rebus nostris fuerit facta, per eos qui adulationibus studentes, mendaciter facta nostra extenuaverunt. Et ut dicam quod sentio; tanta impudentia fabulosisque figmentis effunduntur passim omnes ferè Historici, tam veteres quam recentiores, ut nullo certo auctore (ut

utur verbis Catonis) aut ratione, sed per solam insensam fabulentur, adeo, ut nuper quidam doctus Vir mihi dixerit, omnes historias tam Græcorum, quam Romanorum, sibi videri, nec aliter habendas, nisi fabulas. De Græcis eorumque fabulosis Historicis adeo convenit inter Latinos, ut & Poeta Juvenalis dixerit fabulas, quicquid Græcia mendax audet in historia. De Latinorum quis dubitet fabulis? cum Titus Livius, & Cæsar, præcipui inter Historicos, gravissimis viris videantur, multa parum integra veritate, in suis libris per scripsisse. Philostratum Eusebius fabulosissimum, Cornelium Tacitum Tertullianus mendacissimum vocat. Ille ipse Cornelius, & Orosius, & Strabo, & Josephus multorum Latinorum mendacia redarguunt. Vopiscus dicit, neminem Historicum non aliquid mentisum esse. De recentioribus ego plus quam uno in loco locutus sum, Itali omnes ferè recentiores, & præsertim Veneti, de Germanorum populis, & gestis scribentes fabulantur. Et ipse Sabellicus, homo doctus, & quem ego alioquin admiro & colo, in rebus Germanicis, sive favore, sive (quod magis credo) aliorum temerarie jaçantia, futilibusq; prædicationibus indulgens, sæpè multum errat à re gesta, præsertim in bello Ducis Sigismundi Aultriaci contra Venetos, in quo Veneti omnibus in locis, atque congressionibus cæsi, atque profligati prædicantur, ab illo rerum prospere gellarum, de quibus rebus alibi plura scribam.

CAPUT XI.

Bonis animi, & corporis Germani cunctis Nationibus excellunt, & primum fide.

SI igitur scriptores rerum, ex adulatione aut odio maxime scripserunt, ut ostendi ex Josepho, qua laude celebrandi veniunt Germani, si ex illis ipsis eorumque testimonio, non vernaculorum, bonis animi, & corporibus cunctis gentibus præstitisse prædicabuntur, quis non laudandos existimet? quis non cunctis mundi nationibus anteponet? Loquantur igitur externi, & primum, quæ Germanorum fides fuerit, explicent, si prius dixerint, illis magnam fidem haberi, qui custodes soli, & præ cæteris Cæsares corporis habentur. Hos enim habuit Augustus ad cladem usque Variannam, hos cæteri, Suetonius de Galba. Item Germanorum (inquit) cohortem a Cæsarebus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam. Idem de Claudio: Germanorum Legatis in Orchestra sedere permisi, simplicitate eorum & fiducia motus. Dicebant enim Legati, ut est apud Cornelium Tacitum, nullos mortalium armis, aut fide, ante Germanos esse, quod comiter à visentibus exceptum. Hic autem dicit, non de Claudio sed Nerone, quod rem nihil lædit: Caji (aligula (ut dicit Suetonius & Josephus libro 19. antiquitatum) corporis custodes Germani, nonnullos ex percussoribus illius, quosdam etiam Senatores innocuos interemerunt, Agrippina mater Neronis, custodes corporis Germanos habuit, ut dicit Cornelius & Aurelius Antoninus (ut dicit Herodianus) & ut idem dicit, Maximinus potissimum fidei Germanorum confidebat, quos solos, propter summam fidelitatem, percussores illius vindices timebant. Cum etiam omnes milites & nationes recederent à Vitellio, soli Germani ad finem usque vite fideles manserunt. Ita etiam cum Galba egerunt, quem cum per tumultum jugulandum audirent, soli ex omnibus militibus, ut dicit Suetonius, in auxilium advolaverunt, sed ferius, iunere devio per ignorantiam

nam locorum retrolati. Ultimi recesserant etiam a Nerone, ut dicit Tacitus. Caracalla etiam Imperator, a quodam Martiale occisus, per Germanos suos equites vindicatus est, percussorem enim fugam molientem multis vulneribus, confecerunt. Illis usi sunt & alii. Unde non obcurum est, fide Germanos ante omnes, invidiosos fuisse, sicut & hodie sunt Romæ apud Cardinales, quibus plus confidunt quam vernaculis.

CAPUT XII.

Germani animi magnitudine, & fortitudine cunctis gentibus excellunt, auctoritate Illustrum Scriptorum.

Seneca libro I. de ira: Germanis quid est animosus? quid in incursu acrimus? quid armorum cupidus? quibus innascuntur iniuriunturque, quorum una illis cura est, alia negligentibus. Quid induratus ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non regumenta corporum provisum sunt, non suffragia adversus perpetui cœli rigorem. Idem de brevitate dicit: Germanos ferocissimas gentes, & libro VI. naturalium, avidam gentem belli. Cornelius libro XX: Germani lato bello gens. Cicero in oratione de Provinciis Consularibus contra Pisonem dicit: acerrimas Germanorum nationes. Vopiscus, Germanos omnium gentium ferocissimos vocat. Titus Livius bellicosos Teutonem, Lucanus dicit:

Albis & indomitum Rheni caput.

Hieronymus ad Suniam & Fratellam, bellicosa Germanorum pectora vocat: Orolius, Germanos fortissimas nationes, libro VI. Et Galli apud Cæsarem libro I. ita loquuntur de Germanis: qui ingenti magnitudine corporum, Germanos incredibili virtute, atque exercitatione in armis esse prædicabant, sæpe numero sese cum his congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. Et in eodem lib. Ariovistus Rex dicit: Cæsarem intellecturum, quid in victi Germani, exercitissimi in armis, virtute possint. Agrippa ad Judæos, ut scribit Josephus. Quis vestrum (inquit) non audit multitudinem Germanorum, virtutem, quoque & magnitudines corporum, ut arbitror, sæpe vidistis, sed illi quidem ita ingentem spaciis Regionem incolentes, spiritus autem majores corporibus gerentes, & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem vehementiores feris, &c. Josephus libro XIX. antiquit. dicit: Germanos impetu primo quibuscumque congressos hostibus prævalentes. Josephus libro II. de bello Judæico. Vos ne ditiores Gallis? fortiores Germanis? Cornelius libro XIX. Duces Vespasiani Germanicarum Legionum vim extollebant, & famam, in eodem simul virtus Germanici exercitus extollebatur.

CAPUT XIII.

Germani apud Romanos semper in prima acie constituebantur.

Singulare argumentum est fortitudinis Germanorum, quod Romani semper illos in prima acie contra hostes locaverunt, ut puta invictos, & qui, præ cæteris, fortissimè inimicorum impetum sustentarent atque infringerent. Ita fecit Cæsar, in Hispania contra Afranium, primò trans flumen Sicorim, Germanos contra hostes mittit. Tertius est liber ejus I. de bello civili, & Hirtius in additione Gallici belli. Cæsar Germanos equites summa velocitatis homines ad castra hostium præmittit. Maximinus etiam Imperator. (ut ait Herodianus lib. 8.) Germanos auxiliares asciverat, quosque etiam præcipue hostibus opponere consueverat,

ut primos scilicet impetum exciperent feroces, audaces, in initio pugna viri. Ecce cum quibus prius dura prælia & ancipitia gesserat, nunc expertus, in amicitiam recepit, atque in primam aciem constituit, quoniam audentissimos esse novit. Et Cornelius lib. 19. Sido aut. Iulicus Sævi Reges cum delectis popularium primi in acie versantur, dum contra Vitellianos Vespasiani Duces pugnabant.

CAPUT XIV.

Germani robore, proceritate atq. pulchritudine corporum cunctis gentibus antecellunt.

Columella lib. 3. agricul. loquens de natura Germaniam inquit decoravit altissimorum hominum exercitiis, sed & alias gentes non in totum defraudavit, præcipue statura viris, & nuper ipsi videre potuimus Judæa Gentis proceriorem, celsissimo Germano. Manilius lib. 4. Astronomicor:

Flava per ingentes surgit Germani apertum.

Egesippus libro de Germanis, qui magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris validiores. Cornelius in 20. Germanos fluminibus suctos, levitas armorum & proceritas corporum atollit. Et Cæsar in I. ingenti magnitudine corporum dicit esse Germanos. Et Titus ad Judæos, teste Josepho libro VII. de bello: Sed viribus corporum frētī, atque scitis nobis servire Germanos, Josephus lib. XIX. antiquit. dicit: Germanos robusti corporis gentem. Hieronymus in vita Hilarionis de quodam Franco Germano, namque Candidatus Constantii Imperatoris rutilus comæ, & candore indicans provinciam. Idem ad Suniam & Fratellam: Germanos Getarum rutilus & flavus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria. Herodianus dicit: Nuda Germanorum in bello capita & prægrandia corpora. Egesippus dicit: Germanos magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris validiores. Julius Firmicus: Germani candidi, Pomponius Mela de Germania: Qui habitant, immanes sunt animis atq. corporibus. Solinus de eadem terra: Frequens populis numerosis & immanibus. Hircius in additione Gallici belli: Germanos equites, summa felocitatis homines, ad castra hostium præmittit Cæsar. Immaniissimas Germanorum gentes dicit Cicero contra Pisonem.

CAPUT XV.

Germani fuerunt liberi, sicut hodie sunt.

DE libertate Germanorum non est opus multa dicere, propterea quod ex superioribus constat, Rhenum semper fuisse limitem Romani Imperii, si optimè cum Romanis agebatur, Germanique quieti intra suos fines remanserint, quod rarò, sub paucissimisque Imperatoribus contigerat, & quod tam formidabiles Romanis fuerant, illosque Imperatores Romani tam delicate foverant, nihilominus & Scriptores libertatem majorum produnt, & præsertim Tacitus, qui ait: Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Et Tencteri Germani apud eundem ad Ubios in hunc modum loquuntur: Redisse vos in corpus nomenq. Germania communibus Diis, sed præcipue Deorum Marti gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Idem testatur, Batavos, quamvis nobis Transrhenanos tributorum expertes. Quibus rebus possumus non obscure intelligere, Germanos Transrhenanos à Romanis in amicitiam non servitutem receptos, & Egesippus dicit: Fluenta Rheni usque ad mare liberas gentes inhabitasse.

CAPUT XVI.

Germani Nobilissimi.

DE Nobilitate non plura dicam, propterea quod Campanus, eam rem pulcherrime sit executus, dicam tamen omnes ferè totius Europæ non modo Nobiliores, verum etiam Regum familias è Germania ortum auspicari. Nec possum satis ridere, quorundam *Germanorum*, nescio *vanam arrogantiam*, an imperitiam dicam, qui dum se Nobiles ostendere volunt (consiliis cuidam non dico Historiæ sed fabulæ, quæ Suevorum Nobilium originem menciunt à Curio Imperatore, qui nullus unquam fuit) ad Romanos suam originem referunt. Nam nulla familia est in tota Germania, quæ (ut multos dicam) octingentos annos suam familiam durasse probare possit (Scriptorum atque monumentorum inopia) Intra quos annos & ultra etiam, non solum nulla Nobilitas Romæ fuit, verum etiam colluvies ex diversis nationibus, sine dignitate, auctoritate & nobilitate, & plus servi quam liberi dicendi, uno servo servorum subiecti. Atque hi, qui ex Romanis ad nos ducti sunt, captivi fuerunt, nulloq; honore dignati, eò quod propter aliquod facinus pravum, fuerint relegati. Quare *Italorum Illustrissima*, etiam hodiè & parum nostrorum memoria, familia, Nobilitatem Germanorum scientes, omnes ferè Nobilitatem suam trahere volunt ex Germanis: Aut si ad antiquissimos Romanos ascenderis, invenes auctores Romanorum latrones & prædones: Si ulterius ad Aeneam & Troianos, invenes eos, qui incolunes à Trojano incendio superferunt, fuisse proditores. Sivi igitur Germane tuos majores esse nobilissimos, non eos ad Romanos referas, apud quos non tam natalium claritudo, quam virtus hominum humiliorum, locum habuit. Sed ad veteres Germanos, apud quos solos sincera est Nobilitas, & fuit etiam antiquissimis temporibus, à quibus si te propagatum esse declaraveris, nobilissimum judicabo. Ante enim natiuitatem Christi, tantus fuit respectus sinceræ natiuitatis, veterisque propaginis, nataliumque clarorum, qualis hodiè: quod aliis gentibus non contingit, quæ mores nobilitate forsitan melius & feliciter inspicere consueverunt.

CAPUT XVII.

Germania culta & fertilis.

Cornelius Tacitus, Seneca; aliique nonnulli Scriptores, *Germaniam barbaram terram, sterilem infecundamq;* omnino scribunt; *tristem, & incultam*, quam si hodiè viderent, nihil illà cultius dicerent. Cujus si primum homines viderent, cultosq; Mores, Religionemque conjunctam cum Humanitate & Eruditione, dicerent commutato ordine, Græciam in Germaniam commigrasse; sed non est præsentis loci, multa de his rebus loqui, cum alibi fecerim. Si urbes, arces & ædificia: nihil illis pulchrius, magnificentius atque munitius jurarent. Agri autem Germanici & segetum omnigenarum tanta fecunditas, ut nihil ad Cereris & vini usum desit omnino. Terra sine noxiis serpentibus, bestisque venenatis, herba copiosissima campi; maxime pascui. Unde initium pecorum inultitudo innumerabilis educitur, sylvæ etiam omnis generis arborum, non parum opportunitatis ad omnia opera & ædificia conferunt, adeo ut culta omnia atque inculta, vel sint fructibus plena, vel gregibus opportuna, ut nulla pars terræ neque inuia sit, neque ab ulu homi-

num remota, sed operosa sint omnia & utilia: Habetq; Regio ipsa, non uno in loco latices calidarum aquarum, sanandis morbis opportunos, omnis item generis metallorum sæcunda. Et ut in summa dicam, nihil in eavel asperum, vel tristic, vel inuium, sed omnia culta, aperta, florentia, atque idè cæteris Regionibus felicior, quod neque sit Austrinis obnoxia feruoribus, neque Arctois nimium subiecta frigoribus, ut neque noxio atque pestifero calore in æstate conficiatur, neque asperiori hyemis gelu tabescat, sed media quadam temperie, atque clementia aëris, justam præbeat & salubrem hominibus habitationem. Et licet Arctoo plus exponatur, trigus tamen tolerabile est, & hinc multò salubrior, inde corporibus hominum & propagandis gentibus aptior, quam meridionalis Regio, quæ quo est vicinior Solis fervori, eò plus morbis redundat, pestiferoq; aère.

CAPUT XVIII.

De antiquitate Germanorum.

Josephus Judæus, responsurus Appioni Grammatico Alexandrino, dicit; *De vetustate Judæorum nihil esse scriptum, quamvis omnium vetustissimi sint, ob eam rem, quod Judæi neq; maritimam Regionem habitent, neque mercimoniis se exercuerint, quorum conuersatio cum Græcis remotior fuerit, nihil offerebatur in antiquis temporibus, quod permixtionem Græcorum illis faceret, sicut Ægyptiis mercimonia, qua ab eis rejiciuntur, & ad eos rursum introducuntur. Atq; hoc idem circa Europam contigisse, quando de Romanorum civitate, tam longo tempore adepta potestate, tantæq; causas belli consciente, neq; Herodotus, neq; Thucydides, neque ullus, qui fuit cum istis, fecit aliquam mentionem, sed sero tandem, & vix ad Græcos potius eorum cognitio pervenire, de Galatis enim & Hiberis sic ignoraverunt. Hi putantur subtilissimi Conscriptores, quorum est Ephorus, ut unam civitatem esse arbitraretur Hyberas, qui tantam partem Hesperia terra noscuntur inhabitare. Quomodo ergo mirari deceat, si neque nostra gens plurimis erat certa, neque ad scribendum de se aliquam de die occasionem: Hæc ille. Cum quo ego pariter dicere possum, si Romani propiores (taceo de Gallis & Hispanis) fuerunt ignorantia Græcis, quanto magis nostros non celebratos à Græcis credendum, propterea quod neq; mercimoniis illos adivimus, neq; in maritimam Regionem habitamus? nisi forsitan Cimbri Germani, quorum propterea res clarissimæ sunt, & vetustissimæ, celebratæ non tam à Strabone & Plutarcho, quam Aristotele, atque ipso etiam Homero, quo: um res geltas vetustas, atque expeditiones in diversas Regiones, Strabo pluribus in locis commemorat, adeo ut Græcos olim, Gallos, Bojos, Illyricum, Romanos & Hispanos vicerint. Hæc gens enim (ut Strabo inquit) *diu secundis rebus olim usa est, &* ut idem dicit, *Cimmerii qui à Græcis ita dicuntur, à nobis Cimbri, olim potentiam in Bosphoro maximam habuere, à quibus & Cimmericus Bosphorus appellatus est, milia sua monumenta relinquente, qui & militiam agitavere usq; ad Maotida paludem, atque trajecto etiam Bosphoro, ad Ioniam usque terram decursarunt, Sardibus & Capris & Magnetum gente à Tretribus, qua etiam gens est Cimbriorum, funditus deleta. Hæc multò ante urbem conditam facta sunt. Tandem Romanis florentibus, ut dicit Livius libro LXXIV. Cimbri gens vaga, populabunda in Illyricum venerunt, ab his Papius Carbo**

Consul

Consul. cum exercitu fusus est. Et lib. LXV. M. Junior Syllanus. Consul, adversum Cimbro feliciter pugnavit, Legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus confisterent, postulantiibus, Senatus negavit. Et libro LXVII. C. Aurelius Scavrus Legatus Con. a Cimbris, fuso exercitu, captus est & occisus ab eisdem. C. Marcius & Q. Servilius Cepas Procons. victi praelio castrorum binis exiit sunt, octingenta milia militum occisa, calonum ac fixarum quadraginta milia. Cimbris item vastatis omnibus, que circa Rhodanum & Pyrenaeum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celiberis fugati sunt, reversique in Galliam, bellicosus quidem se Teutonius conjunxerunt. Cæsar item in 2. libro Commentariorum & 7. dicit: Cimbro totam olim Galliam occupasse. (exceptis Belgis, qui eos suis finibus prohibuerunt, ut dicit Cæsar) Gallos in oppida compulso, tantam inopiam passos, ut eorum corporibus, qui etate ad bellum inutiles videbantur, vitam toleraverint. Iterum Livius libro LXVIII. Cimbris repulso ab alpiibus fugatoque Q. Catulo Procons. qui fauces alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat, posteaque reliquerat, ubi virtute sua explicata fugientem Procons. exercitumque profecit, in Italiam trajecissent, tandem junctis ejusdem Catuli atque Marci exercitibus victi sunt. Romæ etiam Tarquinio Prisco regnante, ut dicit Livius libro V. Decad. I. aliam Germanorum vestigia priorum, eodem saltu, favente Bellovofo, cum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, loca tenuerunt. Brixiamque a Germanis conditam, vult Livius, Polieratusque Bergomum, ubi alii Gallos Senones dicunt, quos Suevos Germanos, dicere debuerant, ut postea probabo. Ex quibus quidem verbis Livii, ego non obscure colligo, Senones, Suevos & Cimbro Germanos, una cum Gallis Romam incendisse atque postea in Græciam transisse. Germani enim illi secuti sunt illos, quos Gallos, Senones dicunt, ante enim nec Germani in Italiam transcenderunt, adeo ut non bene diceret Livius, vestigia priorum, secutos Germanos, in Italiam venisse. Satis igitur & irrefragabilibus persuasionibus ostendam, illos Senones fuisse Suevos, & Germanos, & Cimbro. Nam Cimbris præsertim Mediterranei & Senones, non longe a se invicem sedes habuerunt. Nam ut dimittam alias rationes, quas dixi in oratione ad Maximilianum Cæsarem, si unum Divi Hieronymi testimonium adduxero, qui dixit: Galatas propriam linguam, eandem penè habere, quam Treviros. Si hoc verum, quis nescit fuisse Germanos? dum Ammianus Marcellinus, qui longe ante Hieronymum sub Juliano floruit, Coloniam Agrippinam & Treverim, Germanas urbes Germaniæ prodiderit. Accedat etiam testis Diodorus Siculus Græcus libro VI. Tradunt (inquit) eos, qui prisca temporibus oruam ferme Asiam discurrerent Cimbris dicebantur, ipso esse, qui paulo post, corrupto nomine, Cimbris sunt appellati. Jam prisco more dant atrocibus operam, rapientes aliena, cæteris omnibus contemptis. Hi sunt qui Roma capta, cum Delphici Apollinis templum spoliassent, magnam Europæ partem, non parvam Asia, tributariam fecere, agris eorum, quos subegerant possessis. Qui in Græciam transferunt, Gallogræci sunt nominati, postremo plures magnosque Romanorum exercitus atque verunt. Concordat Diodoro Lucius Florus, inquit: Galli Senones quondam ab ultimis partibus oris, cum cingerentur omnia Oceano, ingenti

agmine profecti. Præsertim cum & alibi dicat: Cimbro atque Teutonibus ab extremis Gallia profugos, cum terras inundasset Oceanus, venisse. Ex quibus verbis hic Cimbro, illic Senones Gallos ex inundatione Oceani, & ex ultimis oris, eandem gentem intelligere possumus, præsertim, cum etiam hic ex finibus Gallia Cimbro & Teutonibus venire dicat. Nec obstat quod dicunt Gallos, & non Germanos. Nam ut dicit Volaterranus, Gallos omnes ac Germanos, uno vocabulo veteres Græci Celiæ, Romani Gallos, vocavere. Nam & Germaniam, Comatam Galliam dicebant. Insuper cum Græcis tempore Senonum transitus in eorum Provinciam, nec Germania, nec Gallia fuerit cognita, ut supra etiam Josephus innuere visus est, nominaverunt illos Gallos vel Galatas, id est, candidos & albos a colore enim illos nominaverunt, ut omnes Scriptores consentiunt. Qui autem pius quam Germani, Galli, hoc est candidi dici mereantur, noverunt pueri, dum hodie inter Francigenas, olim ex Germania profectos, monstri loco habeatur albus Francigena, & hoc adeo verum est, ut cum sequentibus temporibus Galli priores, vel potius Germani, in Græciam profecti, colore similes essent Germanis, quos Græci jam novisse ceperunt: dixerunt nostros Germanos, quasi fratres Gallorum sive Galatarum, propter colorem & corporum proceritatem. Ob candorem enim Diodorus Siculus Germanos Galatas vocans lib. VI. inquit: Rhenus, quem nostris diebus C. Cæsar pontibus miro modo junxit, pedestribusque copis traductis, Galatas ultra Rhenum habitantes, in possessionem redegit. Sed & Latini, propter propinquitatem Gallorum, etiam Germanos vocitaverunt Gallos. Nam Orosius dicit lib. V. C. Manlius & Q. Cæpio Procons. adversus Cimbro & Teutonibus, Tigurinos & Ambronas, Gallorum gentes missi sunt. Et Florus dicit, ut supra ostendimus: Cimbro & Teutonibus omnium testimonio Germanos, ab extremis Gallia profugos, cum Germanis, si proprie loqui voluisset, dicere debebat. Et Sallustius in Jugurtha, dicit: Per eadem tempus adversum Gallos a Ducibus nostris, P. Cæpione & M. Manlio, male pugnatum est: Quos palam ut victos & fusos a Teutonibus & Cimbris, non Gallis. Inde dicere debuit, cum Germanis Romanos pro salute non pro gloria certare, nisi omnia commiseret, &c. Præterea Strabo argumentum relinquit, Brennum Gallorum sive Ducem sive Regem, non fuisse Gallum, Brennum a quibusdam Praufum appellatum. At enim (ut inquit) neque Praufos ipsos, quas terras prius habitarent, dicere possumus. Nec credo (ut finem faciam) Gothofridum Viterbientem Chronicarium, nulla ratione, vel auctoritate sustulit, tam aperte Brennum & Senones Suevos dixisse. Non autem opus est, memorare res gestas Brenni & Senonum, quas tot Scriptores suis complexi sunt libris: dicam tamen illos in Italiam venisse, Romanos vicisse, Romam incendisse, & una gentis portione in Italia dimissa, Illyrios peragrassæ, Pannonios subjugassæ, Græciam atque Macedoniam devastassæ, spoliato etiam famosissimo Delphico Apollinis templo in Asia tandem aliquos consedisse, seque Gallogræcos nominasse, propter commixtos inter eos Græcos. Senones autem (ut alias dixi) Galli a Senonibus Suevis, sicuti plerique Galli a Germanis, nomen accepisse videntur.

CAPUT XIX.

Franci, Burgundiones, Gothi, Vandali, Gepidae, Rugi, Heruli, Turcilingi, Longobardi, Normanni, Picti, Quadi, Scoti, Angli, Suevi, Saxones, omnes Germani sunt, contra fabulas quorundam.

Germania & tota Plaga Septentrionalis, quanto magis abest à nimio Solis fervore, tanto est salubrior animantibus, & propagandis hominibus aptior, atque laboriosior, pulchritudinique corporum atque proceritati convenientior: sicuti e contrario, Regio Meridionalis, à nimio Solis actu, pestilens, gignendisque hominibus minus idonea. Unde fit, ut dicit Regino Monachus, ut tantæ populorum multitudines, Arctoo sub axe orientur, ut non immerito universa illa Regio, Tanai tenus usque ad occidentum, licet & propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania sæpe nominetur. Multæ quoque pro eo, quod tantus mortalium proventus in ea germinet, quantos vix alere sufficit, frequenter gentes ejus sint in exteras terras progressæ, quæ non minus Asiam & Africam, quam Europam, variis temporibus & locis afflixere. Testantur hoc urbes ubique in Europa dirutæ, per totum Illyricum Galliamque, sed maxime miseræ Italix, quæ penè illarum omnium est gentium experta scitiam, ut idem Monachus testatur. Vixit autem circa annum Domini M. CCCC. & II. qui non obscure ostendit, has omnes gentes: Gothos, Vandalos, Alanos, Gepidas vel Gipedes, Rugos, Herulos, Normannos, Turcilingos, Longobardos, Suevos, Saxones, omnes origine esse Germanos. Et Berosus Hunnum, à quo Hunni veniunt, in arbore Germanorum ponit. Nec obstat, quod plurimi Scriptores Græci & Latini, ex Scythia aliquos progressos narrent. Primum, quia teste Strabone in VII. libro, Romanis etiam rebus florentibus, multo magis Græcis, Germania trans Albim omnino incognita fuit, adeo ut Gothos, Longobardos, & alios ex Scandinavia, Gothia & aliis locis, apud Romanos incognitis, venientes, ex Scythia, id est, ex terra Romanis incognita venisse credant maxime cum in Germaniam, teste Plinio, Scythia usque quaque excurrat, ut in IV. testis est dicens: *Scythiarum nomen usque quaque transi in Sarmatas atque Germanos.* Sed hac potissimum causa decipiuntur Scriptores recentiores, dum ex Scythia egressos dicant quod Græci Scriptores, teste Strabone in XI. universos septentrionales olim Scythas & Celsoscythas appellabant. Sunt igitur Germanæ quas dixi gentes. De Burgundionibus ac Vandalis nulli est dubium, qui saltem Plinium, & Illustres Historicos legit, de aliis etiam non est apud Eruditos dubium, nisi de Francis, Gothis & Longobardis, de quibus nunc luculentius loquar. Primum ut de Gothis loquar, Tacitus ante omnes in Historia Germania Gotthinos in Germanis ponit, sicut hodie Gothia sive Gotlandia, est insula maris Germanici, & Ablavius Gothus genus suum ex insula Germanici maris prodisse narrat. Atque Jordanus Gothus Historicus, ex Scandinavia Gothos exisse refert, in qua miræ magnitudinis insula, teste Plinio, Gothia & alix insulæ repositæ sunt. Quod si quis dicere veller, Gothos ante Getas dictos, nihilominus Germanos diceret, quod Hieronymus probat ad Suiam & Fretellam, dicens: *Vere in vobis Apostolicus sermo & Propheticus completus est: in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Quia hoc crederet, ut barbara Getarum*

lingua, Hebraicam quæveret veritatem, & dormiantibus, imò contendentibus Græcis, nostra Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur. Longobardos ego alibi dixi ex Suevis descendisse, quod Cornelius Tacitus eos inter Suevos ponat, sicut & Anglos. Alii autem nostrates Scriptores, ex Scandinavia sive Scandinavia venisse volunt, & prius *Wimulos* fuisse dictos, à longis autem barbis, ut hodie Germanus dicit Longobard, longam barbam nomen accepisse. Unde Guntherus Alemannus lib. 2. de gestis Friderici Caesaris, loquens de Longobardis:

Hanc olim bello quam Scandinavia miserat hostis.

Dicitur à longis ea Longobardia barbu.

At Suevi veteres non longè à Scandinavia suos fines habuere. Quod igitur ex Germanis venerint, Tacito nostratibusque Chronocariis prodentibus, nemo hæcenus repugnavit, nisi non quidam Ponticus, atq; Calepinus vocabularius, qui dicit, *mixtam esse gentem ex Lingonibus, Germanis, & Bardis Gallicis*, non à longis barbis, ut solent docti viri ridere, ut dicit Calepinus. Unde hæc somnia, precor? unde hallucinationes? quæ auctoritate suffulti? quis unquam audivit Lingones in Germania fuisse, Gallix Celticæ gentem? aut quis audivit aliquam fecisse expeditionem? vel conjunctos Bardis Gallos: vel quis nescit longè antè auditum nomen Longobardorum in Italis & exteris excursionibus, Bardos fuisse extinctos, nomenque totum obsoletum. Quæ ratio eos adduxit in hunc errorem, anilemque illam & frivolam persuasionem, contra opinionem omnium Scriptorum, nisi nimia arrogantia, ut conjecturare licet? qui profecto ut videantur in indagandis literis subtiles censors, non dubitant somnariæ vel augurari meras fabellas, atq; pro veris astruere. Inde non probatur quorundam Itolorum (quorum nunc magnus est numerus) studium, qui non tam Orationibus & Poëmatibus effingendis, quam Auctorum castigationi, nimia audacia inventionemque plus subtili interdum quam vera intendunt. Nam dum quilibet pro captu atq; arbitrio sui ingenii atq; augurio castigare vult Poetas, diversisque diversa, seu studio æmulationis & contradicendi, seu nimix subtilitatis gloria, castigant: fit ut plerumque sensus Poëtæ penitus obscuratur, atq; quid potissimum sit sequendum, ignoretur. Quorum concertatione diversaque opinione, interdum hallucinatione, ego, nisi velim errare, cogor interdum uti & meo iudicio in exponendis Poëtis, & quid sequendum opinandumve sit, studiosè investigare. De Francis postremo, quanquam alio loco plura dixi, nunc tamen dicam omnia esse falsa, & fabulas merasque nugas, ea, quæ dicuntur de eorum à Trojanis origine, quoniam de solis Ænea & Antenore legitur apud veteres Scriptores, qui ab incendio Trojano superfuerint, in exterasque nationes profecti sint. Ita dicit Livius: Jam primum omnium satis constat, Trojâ captâ, in ceteros scivim esse Trojanos, quibus Ænea Antenoreque, & veltuti jure hospitii, & quia pacis, reddendaque; Helenæ semper Auctores fuerunt, Achivos abstulisse. Quod si (ut possibile est) alii etiam elapsi in diversas Regiones sint profecti; hoc tamen nemo scribit ex veteribus, sed solum quidam recentiores, fabulatores potius quam Historici, dum ea attruunt, quæ nemo scire potest, & dum suos volunt magnos ostendere, ridiculo exponunt. Quorum fabulæ ex eo maxime deprehenduntur, dum sibi non constant, nec ullus cum alio consentiat maximeque discrepantia inter se referant. Præterea nullus unquam Scriptorum veterum, quibus solis in hac re fidem habere possumus, Sicam-

Sicambros circa Mæotida paludem habitare tradit, nec item ullam Romani expeditionem fecerunt ad illam, & Franci diu ante Valentinianum fuerunt in Germania: aded ut omnia falsa fabulosa & mentita luce clarius deprehendantur. Proinde cum Robertus Gaguius, Annalium Francorum compilator, cum multa de eorum origine contraria & absurda repeteret, nihil eorum est ausus affirmare, sciens se falsitatis accusatum iri; sed ne Germanis hoc laudis tribueret, suos ab illis propagatos, rem in dubio relinquit. At Pius II. satis audacter fabulatus est in sua Europa, non tamen ex proprio ingenio, sed fabulis Francigenarum confusus (ne hominem veritatis studiosum carpere videar) quem Sabellicus & multi recentiores sequuntur, *Francos, Trojanos ab origine, delecto Ilio, Duce Priamo, Priami ex sorore nepote, per Pontum Euxinum in Mæotidis paludes in Scythiam pervenisse, ibiq. civitatem edificasse, quam vocaverint Sicambriam, ex qua dicti Sicambri.* Cumque, ut ipse pergit, Scytharum multi Romano Imperio subiecti essent, & ipsi quoq; tributa penderunt, manseruntq; vectigales, usq; ad tempora Valentiniani Cæsaris, quo imperante, *Alani Imperium vexare cœperunt.* Imperator verò proposito edicto, libertatem in decennium eis promisit, qui Alanorum ferocitatem compescerent. Allecti eò præmio Sicambri, arma sumpserunt, Alanosque bello victos deleverunt, ob quam libertate in decennium ab Imperatore donati sunt, & mutato nomine *Franci* appellati, quod *Attica lingua sive feroces sive Nobiles* sonat, Itali *Francos liberos* vocant. Exaëto decennio cum Romani solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrenes facti, parere recularunt. Principes eo tempore *Francis fuere*, Priamus & Antenore, antiqui nominis ac virtutis, quibus copias ductantibus, prælium cum Romanis confertum est, in quo Priamus ipse, cum fortissimis suæ gentis, cecidit. *Qui cladi superferunt, ex Scythia digressi sunt & in Germaniam profecti, in partibus Turingia confederunt, &c.* Hæc illa. Hæc omnia meræ sunt fabulæ, nihil eorum verum, nihil verisimile, quibus nulla recepta Historia, nullus receptus, & certus Auctor suffragatur, quibus deest fides rerum, & temporum. Nec verum est, quod Eusebius in Chronographia hoc dicat, cui de Francis nihil constitit, aut Hieronymus superaddiderit; sed *Palmerius* addidit, superiori tempeltate *propter pravam de Angelis opinionem combustus.* Antoninus non diversa dicit, cui cum cæteris in hac re nihil credo, in notitia enim vetustatis, atque in Historia superiorum temporum, quo pacto possumus credere illi, vel alteri pro suo arbitrio somniant, dum sine auctoritate ea affirmat, quæ multis seculis ejus ætatem, hoc est, multo plus quam duobus millibus annorum, antecesserunt: Divinare hoc esset, sed spiritus non tam ociosus, aut pronus est, ad tam inanem divinationem, ut unde Franci venerint, Historicis prodere curet. At dixerit quis? unde igitur sumpserunt illi viri suas Histórias, vel potius fabulas? ut tu asseris. Tantam dico esse mortalium ambitionem, ut nemo non suam civitatem, atque gentem, nedum familiam, nobilissimam atque vetustissimam haberi velit. Hoc ipse Livius de Roma testatur: *Qua ante conditam (inquit) condendamque urbem Poëticis magis decorata fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea hic nec affirmare, nec repellere in animo*

est. Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo divina humanis, primordia urbium augustiora faciat, multi & alii populi nimium effusi sunt, in prædicandis auctoribus suæ gentis. Unde non dubium, quin *Franci*, qui vel *superbissimi* prædicantur, hoc idem facere conentur, quorum tamen error, usque aded patet, ut nemo non intelligat fabulas esse, ea quæ de Trojanorum origine mentiuntur, præsertim cum *Æneas Silvius* scribat: *Nullam esse gentem, qua Gallorum superet ambitionem.* In hunc autem modum, & aliter scribit *Vincentius Gallus*, *Francam* quendam sive *Franconem*, *ex Hæctoris filii*, à quo Francorum nomen tractum, anno ante Christi adventum, M. C. XVII. una cum *Antenore* aliisque Trojanis, à fratribus propriis fugatum, prius tota Asia pervagata, ad Danubii ripas tandem pervenisse; ibique cum aliquandiu confedisset, mox auctore *Antenore* locum quæsisse, à communi hominum societate se junctum, ad *Tanais* fluentia, & *Mæotidis* paludes secessisse, ubi *Sicambriam urbem condiderit.* Qui cum prædictis hallucinatur, fabulator egregius, quoniam quidem constat, *Homerum* non plures uno *Scamandro* (quem & *Altyanactem* vocant) *Hæctori* liberos assignasse, nec *Anaxicratem*, nec *Euripedem*, quorum alter *Argolicorum* II. Alter in *Andromaha*, nothos *Hæctori* filios editos asserunt ex pellicibus, usquam alicujus *Franconis*, vel *Franci*, meminisse. Alii non *Francum*, sed *Franconem* dicunt, sicut *Antoninus Monachus*, qui scribit, *Torgorum* una cum *Francone* Troja abeuntem, *Thraciam* petiisse, & ab eo *Torgorum gentem* nomen esse sortitam: *A Francone vero Francos*, multum diversa ab aliis referens. Nec est ullius cum altero concordia, & pro eo, quod quilibet pro sua libidine fabulatur, nec ullus cum alio conveniat, possumus non obscure deprehendere, meras esse nugas, quibus (ut dixi) nec ulla Historia recepta, nec series rerum, nec temporum quadrat, aut suffragatur. Et ut omnibus pateat, quam fabulose hæc excogitata sint: Primò ex *Historiis veteribus* nemo unquam colligere potest, antiquitus fuisse, vel *Francos*, vel *Sicambros*, vel juxta *Danubium*, vel paludem *Mæotida*. Quomodo ergo ego possum habere fidem, vel *Ænez Silvio*, vel *Vincitio Gallo*, vel *Antonino*, qui referunt sine vetulto, & idoneo auctore, de rebus quæ eos duobus millibus annorum, & plus antecesserunt: Nec item *Priami* ullus veterum *Scriptorum* meminit, qui filius *Regis Priami* ex incendio *Trojano* in exteras profectus sit *Regiones*, nec item *Franci* mentio fit, qui pervenerit, vel ad *Danubium*, vel *Mæotim*. *Manethon* tamen *Ægyptius Sacerdos*, si res non mentiatur auctorem, & liber ad arbitrium aliquorum non sit corruptus, ut multi credunt, tempore *Ascanii*, *Francum* quendam *Celtis* imperasse scribit, quod omnino contrarium supra dictis, & cui nullus concordat. Sed si verum sit, si non: ille *Francus* nullum nomen in *Gallia*, in qua regnavit, post se reliquit. Tempore enim *Julii Cæsaris*, *Ptolomæi*, *Strabonis*, *Pomponii*, *Plinii*, & omnium *Veterum*, hoc nomen in *Gallia*, inauditum fuit. Quapropter *Annius Viterbiensis*, antiquitatis exquisitissimus explorator dicit: *Quis iste Francus, aut quo pacto Rex à Celtis susceptus fuerit, neminem legi.* Postea dicit: *Vincitium Gallum Historiam esse profectum, ego autem dico fabulas esse, quæ quis profert ex antiquitate, sine Auctore.* Hæc cum omnis homo intelligat, non quadrare

drare; nec esse quicquam solidum, in quo conveniant omnes illi fabulatores, sequitur postremo, ut cætera fabulosa intelligamus, dum luce clarius ostendam, *Francos* non tempore Valentiniani, in Germaniam venisse, sed multo ante nominatos in Germania, nec ulla in Regione nomen habuisse, nisi in Germania, donec ex Germania, in Galliam transierint: Aded ut nemini obscurum sit, indigenas esse Germaniam.

Nec desunt Auctores etiam Græci: ita enim dicit Agathias Græcus Auctor: *Francorum natio proxima est Italia, & terminis juncta. Veteres tamen hos Germanos dixere, nam circa Rhenum habitant, Gallorumque magnam partem occupant, qui quantum, ut reliqui Germani, sunt barbari, Romana tamen Politia, & aliis institutis utuntur, sunt & Christiani, & rectissima opinio.* Ex quo satis constat, ex ea Natione migrasse, quæ trans Rhenum nunc quoque Franconia dicitur. Idem testatur Hieronymus in vita Hilarionis: *Inter Saxones (inquit) quippe & Alemannos gens ejus non tam lata, quam valida, apud Historicos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Non igitur verum est, tempore Valentiniani Francos primùm Germaniam invasisse. Hieronymus hæc scribit, de Constantii Imperatoris quodam Candidato, qui Valentinianum longè antecessit. Claudianus item sub Theodosio longè ante Valentinianum, ostendit, Francos esse Germanos, dicens:

*Pascit Belgæ pecus, mediumq; ingressa per Al-
bim.*

*Gallica Francorum montes armenta pererrant.
Ut procul Herone per vasta silentia sylva
Venari tuto liceat*

Legitur autem Constantius Flavii Constantini filius primus Romanorum Ducum, Francos in patria ipsa Franconia domuisse, quo tempore, non solum in Franconia fuerunt, verum etiam eis, & ultra Rhenum Batavianam, & finitimas Regiones occupaverunt. Præterea constat, nec Constantinum, nec Valentinianum ullam fecisse expeditionem ad Tanaim, vel Mæotidis paludem, nec legi unquam, à Romanis ullam militiam, ad ista loca agitam, cum Strabo dicat, in XI. Tanais ostia scimus, supra ostia verò nihil penè notum est, præter frigora. Unde omnia fabulosa sunt, quæ dicuntur de Valentiniano, & ejus ad Tanaim expeditione. Præterea tempore Juliani Cæsaris, teste Ammiano, fuerunt *Franci cis Rhenum*, qui *Arcuarii* dicebantur. Inde dicit Orosius lib. 7. *Valentinianum superiorem Saxonum gentem, in Oceani littoribus, et paludibus inuisitiam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem, magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus, oppressisse.* Hic non potest aliter intelligi, nisi de Francis cis, & Transrhenanis, propter fines Romanorum quinulli fuerunt ultra Rhenum, nedum juxta Tanaim.

Nec obstat quòd dicitur paludibus inuis, Germaniam enim Romani eis incognitam, plenam esse paludibus, & solitudine fabulantur, unde dicit Cor. lib. XX. *Ea insuper causa Germanis transcendendi in Gallias, ut relictis paludibus, & solitudinibus suis, facundissimum hoc solum possiderent.* Et

Panegyricus Constantini filio Constantii dicitur, pariter Francos Germanos dicit: *Quid loquitur (inquit) rursus intimas Francie nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed a præteritis ab origine suis sedibus, atque ab ultimis barbarie littoribus avulsas, ut in desertis Gallia Regionibus collocata etiam pacem Romani Imperii cultu juvarent, & armato deletu.* Et ut manifestius intelligatur illos ex origine Germanos esse, postea dicit: *Neque enim in Rhens gurgitibus, sed nominis sui terrore munimur.* Et post: *Sciunt posse Francos transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas, sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam, quid ipsos maneat, ex Regum suorum craciatibus metiuntur, ideoque tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut coemptio posse desperent.*

Quibus omnibus liquidò constat, sub Constantino, Francos non solum in Germania indigenas esse, sed & sapius tunc Rhenum transgressos, nam & ante eum sub Diocletiano, & Maximiano, Franci, & Saxones juxta Oceani littora fines Romanos & Gallias infestabant, ut dicit Orosius libro VII. & ut Panegyricus dicit, ad Maximianum: *Nervorum, & Trevirorum arva jacentia lætus postliminio restituit & receptus in leges Francus excoluit.* Sed quid istos commemorò? Ipse etiam Cicero meminit cum Suevis Francorum libro XIV. ad Atticum, unde & facilè posteriores Francos dixerunt: *Fuit etiam, ut in vetustis Germanorum libris invenio Franco nomen proprium, & frequens apud Suevos, & Germanos, ut suspicandum sit, ab aliquo Francone, vel Franco, ex Germania Franciam, & Franconiam factam, omnia enim alia quæ dicuntur, de eorum ex Trojanis origine, nec quadrant, nec ulla auctoritate, vel ratione, atque persuasione verisimilia fieri possunt, præsertim cum tam amplissima gens, quæ tam totam Galliam, quam Alemanniam inundasse dignoscitur, nulla alia lingua inveniatur locuta, nisi Germanica, exceptis Francigenis, qui ex Gallorum, & Romanorum commixtione, tandem Italicam corruerunt.* Cum igitur Franci & Saxones fuerunt gentes amplissimæ, atque potentissimæ, nec usi nisi lingua Germanica, quis dubitat, eos esse indigenas Germaniæ? Cum Sclavi in Bohemia, & qui invaserunt sedes Vandalarum, tenuis natio, Hungari & aliz externæ nationes linguam suam externam retineant, licet undique ferè septi Germanis sint. Legi insuper nuper fabulosas Historias cujusdam *Petermanni Esterlin* Lucernensis vernaculo sermone conscriptas, qui absurda, & futilia merasque nugæ blaterat, de origine trium pagorum apud Helvetios, scilicet *Suisensium, Vriensium, atq; Inferiorum Silvestrium*, quos vulgò Underwaldenses vocant, quos dicit cœpisse inhabitari aliquot, non tamen multos annos, ante Rudolphum Cæsarem, *Suisenses* suam referre originem ad Suevos, alios duos pariter, ad *Gothos & Hunnos*, quibus nihil fabulosius excogitari potest.

Primum de Suevis, quòd nullam unquam expeditionem legantur fecisse, in nostram terram satis constare, alibi probavi: de aliis quis non rideat? quòd ab Hunnis, & Gothis descendant, quos auctor ille rerum, & Historiarum omnium imperitissimus unam gentem

gentem credit, unumque Regem attribuit, quæ fuerunt duæ diversissimæ, atque inter se inimicissimæ, atque multis seculis ante Rudolphum Cæsarem exploræ & ejectæ, non modò ex Germania, verum & aliis etiam Regionibus, præsertim ex Italia, & Gallia, antequam illi pagi, ex illius opinione cœperunt inhabitari. Non credo insuper, nec Gothos, nec Hunnos venisse in istas Alpes, atque tam sylvosos, atque asperos montes, quoniam *Basilienses*, ut referunt Annales nostri, dum *Hunorum vim*, & perfidiam *perferre desperassent*, *deserta urbe sua Basilea*, atque hostibus in prædam relicta, *in montes proximos Helvetiorum fugientes* tute delituerunt, sunt autem illi montes multò magis pervii, & penetrabiles, quàm Alpes trium pagorum, de quibus superius dixi. Unde non obscurè intelligitur, Hunnos atque Gothos, nunquam illos montes invios, atque penuria omnium rerum laborantes, aut aduisse, aut inhabitandos delegisse, aut penetrare potuisse, sed quanta mutatio rerum (si verum dixerit Auctor Sylvestres illos incolas, ab Hunnis descendere) dum Basilea olim magnifica civitas prudentia, atque fortitudine pollens, atque sacratissimo Imperio fidelissima patrum nostrorum memoria, ut perfidiam, & immanitatem Hunnorum vitaret, *deserta urbe in montes perfugerit*, nuac verò mutata mente, *deserto Imperio sine omni vi*, atque necessitate, in summa tranquillitate, & pace in societatem illorum concesserit. Sed ut ad institutum regrediar, quis hostis non faveat illis sylvestribus pagis auctores suæ gentis Gothos, & Hunnos? Impios hæreticos, persecutores Christianorum, raptores & latrones, sed quo animo accipient *Suizenses*, & alpêtres homines *tum fœdam, & turpem originem*, vix æquo, ut ego existimare velim, legi autem has fabulas Petermanni summa cum indignatione, quòd scribat falsa, sibi repugnantia, contra omnem rerum, & temporum seriem, convitia, contumelias & composita mendacia. Detestanda profectò civitas foret in qua editus, & impressus est ille fabulosus, & famosus liber, si sciens consenserit, & admiserit, sed multò plus Chalcographus, qui libidine habendi, fas & nefas juxta æstimans contumeliis, & mendaciis patrociniatus est, utinam dignam recipiat mercedem. Sed prudens & magnificus Senatus Argentinensis optime egit, qui publico edicto hunc famosum librum, in sua urbe vendere prohibuit, cujus auctor Petermannus, cum sit fabulator, & idiota, & apertissime contra veritatem multis in locis garriat, non placuit multa, in ejus nugis scribere; nisi quòd de nuperrimo Helvetiorum bello plus quàm dici potest, mentiatur. Semper enim mille nostrorum a suis interfectos refert, ubi vix CC. sunt desiderati, centesimamque partem suorum interfectorum, non commemorat, adeò ut totus sit adulator, omnia ad gratiam, & favorem eorum, inter quos natus est, & hodiè degit, victumque quaritat, nihil ad rem gestam veritatemque loquatur. Quas nugas, & fabulas adeò adulanter in laudem suorum, hostiumque apertam contumeliam confictas, nemo bonus vir rerum gestarum illius belli expertus sine stomacho legere poterit, quas etiam suis compagenis gentilibusque displicere non ambigo probatoribus volo, dum eos adulationibus celebrare cupit, & falso, quos rebus verè gestis (non nego enim Helvetios in eo bello patrios fines fortiter esse tutatos) possit illustrare. Cui tamen dan-

da venia esset, ut Josephus Nicolao Damasceno voluit, qui adulatus est Herodi viventi, si non historiam, sed laudem, & Panegyricum suorum scripsisset, nisi apertè, & falso alios homines extraneos infamaret. Scripsit autem multa alia nec vera, nec verisimilia, nec temporibus, nec rebus quadrantia, de quibus suo loco latius evagabimur. Cum igitur (ut à diverticulis, & transversis itineribus, ad regiam viam redeamus) multis rationibus, & persuasionibus, Auctoribusque receptis constet prædictas gentes omnes esse Nationis Germanicæ, non opus est enumerare res eorum in bello gestas omnium maximas, & præclarissimas, cum multi id copiosis sint libris complexi, dum etiam nemo nesciat eorum inundatione, totam Europam esse attritam, Asiam atque Africam afflictam, maximosque & copiosissimos, tam Romanorum, quàm aliorum populorum exercitus, ab eis profligatos, atque deletos: Notum est enim Valentem Imperatorem Valentiniani superioris fratrem Gothico bello superatum, & occisum, Valentinianum superiorem, vomitu sanguinis ob Germanorum excursionses Illyriæque, per eos vastationem factam, extinctum esse, Odoacrumque Regem Turcilingorum, & Rugorum invito Zenone Romanam obtinuisse, Orestem & Paulum fratrem imperium usurpantem occidisse, & Augustulum exilio damnasse. Decium Imperatorem à Gothis periisse, Gallum Trebonianum tributa pependisse, Æmilianumque casum, omnes illos Cæsares, atque Imperium usurpantes, hæ gentes conculcarunt. Romanque sæpius expugnaverunt, atque diripuerunt, Imperiumque tam Occidentale, quàm Orientale dissipaverunt, atque contriverunt.

CAPUT XX

Peroratio ad Principes Germaniæ.

A Udistis hætenus, o Principes Germaniæ, fortitudinem invictamque animi magnitudinem, verissimamque laudem, & gloriam Majorum vestrorum, licet brevi epitomate. Quorum res præclarissime gestas æmulamini quæso, estis enim illorum sanguis, illorum effigies certissima, in vobis relucet mirifica illa Majorum vestrorum Nobilitas, atque animi magnitudo. Turpissimum ducite ab illis degenerare, qui rebus fortissime gestis, cunctis ferè gentibus jugum imposuerunt servitutis, pulcherrimisque orbem terrarum victoriis peragraverunt, fueruntque formidabiles, inprimis nolite committere, ut florentissimum hoc Imperium, quod majores, immò patres vestri multo sanguine, & factis gloriosissimis paribusque studiis vobis pepererunt, vos ipsi per socordiam, & negligentiam amittatis, quòd ne contingat, ponite quæso solum intestinas seditiones, contraria inter vos studia & voluntates, pestiferaque *factiones*, unica & maxima evertendorum Regnorum instrumenta, satis exemplorum alienæ vobis clades præbent, hæ enim solæ, *Macedones* mundi conculcatores, *Lacedæmones* bellicosissimos, *Athenienses* Illustrissimos, *Romanos* postremò Dominorum Dominos reddidère servos, atque penitus everterunt, adeò ut verissimum sit illud Livii: *Factiones fuisse esseque pluribus populis majoris exitio, quàm bella, quàm famem, quàm morbos:*

Quæ & vos, ô Principes Germaniæ, ô utinam vanus
 fini aruspex, labefactabunt, in servituteque dejicient,
 nisi illas, atque privatam studium cum fœcordia sepo-
 fueritis. Quæ enim alia res precor possit deesse nobis,
 non modò ad tutandam patriam, verùm etiam, ad
 totius Orbis Imperium nobis asserendum, nisi hæc illæ,
 quas dixi discordiæ, diversa studia. Non deest vobis
 animi magnitudo, Deus præsens, prudentia, militaris
 rei disciplina, atque peritia, & quicquid ad bellicum
 apparatus, atque expeditionem expeti, aut desidera-
 ri ab ullo potest. Quid autem, bone Deus! dicam de
milibus Germanis, quorum invicta manus, atque exi-
 mia rei militaris peritia, *cunctis terra Nationibus est
 formidabilis*, quorumque hodiè auspicio, & virtute,
 omnes fermè Principes Europæi bella gerunt, rebul-
 que arduis, & claris in bello illustrantur; quòd hoc
 potissimum tempore M.D.VIII. ad vos gemens atque
 lamentabiliter exclamo, ô Principes Germani! quò
 hæc scribo, & quò *Veneti* (*fœminis vestris effœmina-
 tores*, & quorum constat animos, nisi primus impe-
 tus, ad votum successerit, plus quàm fœminarum
 emollescere) in ipsam *Athesinam* provinciam, atq; *Gor-
 ritiam* Germaniæ portiunculas *grassantur*, Vos, in-
 quam, Germani Principes appello, qui bonos illos,
 & fidelissimos Germanos (Cæsare contra Sicambros
 pugnante) in summo discrimine, atque periculo sine
 omni auxilio, & ope deseritis, alienissimi ab instituto,
 atque moribus Majorum vestrorum, qui ideò Ger-
 mani, id est, fratres ab idoneis Auctoribus non abs re
 dicti sunt, quòd nunquam tanta laboraverint intestina
 seditione, quin ut fratres, amici & unanimes, in exter-
 num hostem profligandum congregarentur;

Vos e contrario nulla formidine, nullis adversario-
 rum opibus conterriti, verùm unica simultate, atque
 rei privatæ studio, diversaque voluntate, sine cura com-
 munitatis salutis, universi miseros, illos deseritis Athesi-
 nos, & Gorritianos, Venetisque copiosissimo externi
 militis exercitu (hoc est, Hispanorum, & Galli Regis
 auxilio, & copiis) instructissimis, in prædam derelin-
 quitis, quorum divisis, & variis exercitibus nostri sunt
 multò inferiores, alioqui nec deesset eis, hodiè ani-
 mus, nec fortuna, & bis jam felicissimè periculum fe-
 cerunt, fortiter pugnantes, pro libertate, durissimum-
 que ducentes servire imbellibus viris. Vos autem ô
 Principes adhuc succurrite, & omnia damna resarcie-
 mus. Ducite turpissimum vestro tempore, & vobis
 Principibus vestraque sola culpa, dum quilibet alterum
 expectat, nec aliquis opem ferre cupit, ut Veneti
 (qui nisi scirent vos discordes, quemlibetque suis tan-
 tum rebus studentem, ne umbram quidem corporum
 nostrorum intueri auderent) nunc fines Germanicos
 invadant, qui nihil unquam fortiter, nihil strenua

manu, & vera virtute, nihil æquo campo conati, tan-
 tam potentiam solo consilio, insidiis, & prodicione
 sunt consecuti. Concutiat pectora vestra quòd ho-
 mines in laudem suam effusissimi, fabulosis suis Anna-
 libus inferibent, quamvis mendaciter, contra univer-
 sos Germaniæ Principes, clarissimis triumphis, vestro
 tempore bellasse, dum nemo vestrum adest, qui si
 paucis singuli militibus adessetis, nemo ne cogitaret
 quidem resistere, aut vos alicubi expectare. Quòd
 si Sigismundi Ducis Austriæ bello nuperrimo (non
 omnium Principum Germaniæ, ut ipsi mendaciter fa-
 bulati sunt) sexies Veneti profligati, quinque leviori-
 bus conflictibus, una cum maxima Venetorum strage,
 turpissimaque fuga, glorientur, fabulosisque An-
 nalibus inferbant, se res clarissimas confecisse, refe-
 rantque plures nostrorum à se interfectos, quàm fue-
 rint universi milites Germani, qui eos in fugam (oc-
 cisis & submersis plusquam sex millibus Venetis, ade-
 pisque inter spolia plusquam M. CCC. equis, plu-
 ribusque curribus) conjecerunt, maximaque strage
 affecerunt, quo nunc gaudio, quibus triumphis,
 quanto verborum ambitu, ampullosisque, & phalera-
 tis Legationibus, ad omnes mundi partes perferunt,
 se mille & trecentos (quem numerum ipsi tot millibus
 amplificabunt) Cæsaris milites profligasse, licet per
 insidias, & ad iniquum pugnandi locum progressos.
 Se item Romano Imperatori oppida, atque arces li-
 cet per prodicionem, vel ut ipsi volunt, per emptio-
 nem clandestinam expugnasse, atque abstulisse, licet
 per absentiam & negligentiam vestram, consilii etiam
 simulatum, adiuti externo milite, auxilioque & co-
 piis Francicis, solitisque artibus, hoc tentarint. Ac-
 currite igitur vel hodiè, pro communi salute libertate-
 que Gorritiam vestram, quæ prius portiuncula libera
 Germaniæ, nunc durissimam servitute sub Venetis
 cogitur servire, inferte signa militaria in imbelles bel-
 latores, & quos virtus in armis invictos reddidit, non
 vincamini factionibus, aut privato studio, aut futuram
 timeo non modò Imperii Romani amissionem, verùm
 etiam totius Germaniæ ruinam quòd Deus immorta-
 lis per suam misericordiam, & nos per nostram con-
 cordiam genuinamque virtutem avertere, digne-
 mur: Nam ut alias dixi, si ea nobis concordia, tan-
 tumque Reipublicæ studium fuerit, quantum
 Majoribus nostris, non solum non timeo præscam
 Germaniæ libertatem pessum iri, verùm etiam ni-
 hil nobis deesse omninò video, quòd impedire
 possit, quò minus totius Orbis Imperium adipisca-
 mur, victoriciaque signa, per totum solis am-
 bitum circumferamus.

Amen.



EPITOME
 LAVDVM SVEVORVM, ATQVE
 PRINCIPIS NOSTRI UDALRICI, DUCIS

WURTENBERGENSIS, ET TECCENSIS,
 De captivitate, & prodicione Ducis Mediolani: Et demendaciis
 quorundam Historicorum.

ARGUMENTUM HENRICI BEBELII IN TOTUM
 OPUSCULUM, AD CONRADUM THVM.



*Ccipe Nobilium specimen, Conrade, Virorum,
 Quae tibi magnanimo nostra Camæna dicat:
 Inuenies breuibus Suevorum grandia gesta,
 Quae quondam uberius scribere mente sedes.
 Inueniesq; tui, vel sub juvenilibus annis,
 Principis invicti, gesta, trophaea, decus.
 Historicos etiam non omni parte placentes,
 Quos odium traxit, nullit & ipse favor.
 Quod si grata tibi fuerint habitura favorem,
 Plurima post scribam plus placitura, Vale.*

VIRO NOBILI ATQVE MAGNANIMO

CONRADO THVM EX NEVBVRG, PRINCIPIS NOSTRI

Illustrissimi Magistro equitum, hoc est, vulgo Marschalco meritissimo, Henricus
 Bebelius Jultingensis Poëta laureatus S. D.



UM nuper legissem, Conrade Magnanime, apud Jacobum Bergomensem auctorem supplementi Chronicarum, Ludovicum Mediolani Ducem proditorie esse in manus Gallorum traditum, ab Anglis quibusdam (ut ipse ait) & Suevis, factum omnibus Annalibus detestabile, sum profecto plusquam dici potest, stomachatus. Nam si hoc verum esset, nos Suevi maculam, & crimen nulla deinceps ætate, nulla virtute abolendum, contraheremus. Nam si fidei nostræ creditos, non modo desereremus; verum etiam proderemus, essemus profecto liberis, & nepotibus nostris pudori, & verecundia, quod primi Majorum partam gloriam, per summam ignominiam denigraremus. Ne igitur optima Suevorum fama, fides, integritas, animositasque & fortitudo animi, quæ à Majoribus nostris honestissima, atque præclarissima accepimus, ignavia nostra perderentur, neve tam pessimum exemplum nostrorum temporum inultum, aut non excusatum, falsò & mendaciter, ad posteros transmitteretur, credidi mihi, & unicuique Suevo convenire, se suamque patriam (pro cuius salute ipsum spiritum devovendum esse existimo) ab inaudito perjurii, & violatæ fidei crimine vindicare. Ego autem fidei Suevorum splendorem omnibus retro seculis intactum, & in hanc usque diem, intactum ostensurus, ad quem potius scribam, aut ubi conquerar hanc injuriam commodius, & iustius, quam apud te Illustrissimi Sueviæ nostræ Principis hominem primarium, & familiarissimum? Qui cum habeas animum nobilem, excelsum, & magnificentum, corpusque ipsum, & sanguinem pro laude, & salute patriæ exponere nunquam dubitares, apud eumque

Principem sis, cuius invictissimus animus, & maximus, nihil abjectum, & humile, sed magnificentum semper, & egregium cogitat & facit: putavi hanc meam publicam Apologiam, & Suevorum defensionem apud te, & Principem nostrum, imprimis maximum pondus habituram, plausibiliterque, & summo favore excipiendam. Nam ut de Principe primum loquar, cum sit ille nobilissimorum, ab antiquissimisque temporibus laudatissimorum Suevorum Dominus, & Princeps, quo animo accipiar quæso, juxta accusationem præfati Scriptoris, se atque subis ita degenerare à Majoribus suis, tantumque crimen inferre gloriæ Suevorum, ut cum Majores nostri sint, à fide celebratissimi, sui suo tempore per inauditam violatæ fidei impudentiam infamarentur? Hanc igitur falsam, & mendacem accusationem iniquissimo laturum animo nunquam dubitabo. Nam cum illius incessum virilem tacitus intueor, morum Gravitatem consiliorumque supra adolescentiam maturitatem, Fortitudinem, Magnitudinemque animi verissimis assertoribus accipio, quem neque permoveant tubarum fractæ voces, neque horrendus militum clamor, neque arma late perstreptentia, aut bombardarum (ut ita loquar) violentia, atque omnium tormentorum insanus horror: Quæ omnia Princeps adolescens inclusus ferro, loricaque onustus, ex innata virtute negligat, & qui ad omnem tumultum infracto animo inter primos videatur, hoc est, manu strenuus, in subeundis periculis constans, atque in rebus moliendis efficiendisque velox, & qui extra militarem disciplinam non in ociosa vita atque deliciis corrupta, sed in jugi exercitatione armorum, venationibus cæterisque rebus, quæ

homini tolerantiam patientiamque laborum præbent, consilium, maximamque partem vitæ consumat, cuique nihil enerve, nec quod animos virorum, aut molliet, aut frangeret, placeat, videtur mihi profecto Princeps ille meus ad veterum, & Majorum suorum gloriam, ab omni injuria vindicandam, fato quodam progenitus. Et quicquid in Conradino ultimo Suevorum Duce, Rege Hierusalem, atque utriusque Sicilia, pro hominum, atque Deorum fidem! amissum, in hoc uno nos recuperaturos spero constantissime: Et maximum certe jam experimentum de se exhibuit, qui contra hostes hæcenus toti Germaniæ formidabiles, mira felicitate, & iustissimo bello ita enituit, ita suos ab injuria latronum, atque hostium tutatus est, tam amplissime fines suæ Ditionis protulit, ita adolescentiæ annos triumphalibus gloriis imbuat, ita injuriam prius acceptam, atque contemptum prioris seculi matura vindicta ultus est, ut certissima spes sit, eum suos Majores longè supergressurum. Et Antiquitatis venerabilia nomina Fridricorum, Henricorum, Conradorum, gentiliū suorum, eorumque felicissimas res gestas, æmulatorum gloriosissime. Quod si manipulatim ejus laudes, immortalesque virtutes enarrare vellem, non foris solum, sed etiã domi dicere, quanta Principis esset in subditos iustitia, quam iustis Legibus, præclarissimisque Majorum institutis, præcipuaque Humanitate, sibi commissos gubernaret, nec quem ad bona civium diripienda avaritia cæcum impellat, nec libido præcipitem, ad voluptatem inflammet, nec crudelitas, ad civium cædem provocet, sed qui Modestia, Temperantia, atque Clementia Regni perpetui instrumentis suum dominum constituent, sed ad alia maturanti mihi non est institutum, hic aliud agere, quam conqueri apud Principem injuriam nobis factam, quem eo iniquius laturum eam ipsam, existimo. Nam dum ejus ingens animus, nihil nisi egregium cogitet, & illam egregiam cogitationem jam rebus gestis declaraverit, sitque in futurum maxime declaraturus, cur non & ipse timeat, si ita mendacia Scriptorum pro libito cujusque tolerarentur, venturum, qui ejus etiam virtutes, & res optime gestas mendaciis obfuscaret? Ad te autem, Conrade Magnanime, potissimum scripsi. Nam cum tantum valeas auctoritate, consilio & fide apud Principem, quantum alius nullus, nec te quod primo loco sis apud illum, felicitatis pedissequa Superbia arrogantem reddiderit, sed sis facilis & adæuntibus benignus,

credidi ego, me tibi rem facturum gratissimam, si Suevos cum veritate ab inaudito crimine exculem. Dum te pro Republica Suevorum, pro laude & gloria Principis & Patriæ, non opes solum & fortunas bonaque universa, verum sanguinem ipsum effundere nunquam dubitabo. Nam cum superioribus annis Princeps noster victoriosus felicissimo bello & iustissimis belli causis memorabilique exercitu summa cum laude & gloria fines suæ Ditionis, devictis oppidis, castellis atque arcibus, natura loci opereque munificentissimis, non mediocriter protulisset. (ut superius dixi) tu profecto (citra adulationem rem omnibus notam ingero) omnium rerum gerendarum curam suscepisti vigilantissimus, ita ut Imperator esses consilio, miles exemplo & labore. Tu omnia castrensia munera primus, aut cum primis obivisti, & omnia, quæ consueverunt fieri in militia, stare pro signis, excubias forte agere, vallum ferre, locum bello antè capere, caltramentari, omnibus rebus cum primis adesse, quæ oppugnationi arcium & castrorum idonea visa essent, loricas item, hoc est, fossas pro excubiis, ad expugnationem ducere, atque bombardas, quæ dicuntur & tormenta, in hostium atque murorum exitium atque ruinam collocare & disponere, neglexisti nunquam. Et sicut primus semper jussisti, ita primus labore & jussa tua capeffisti. Hæc omnia huc pertinent, ut pro laude & gloria, pro salute denique patriæ, non solum nullum laborem subterfugeris, verum etiam honesta vulnera & mortem ipsam omnino contempseris. Quod si hæc principis gesta immensique tui labores pro patria, falso & mendaciter ad posteros transirent, quo animo ferres? quam ægerimo, facillimè conjecturari potest. Quæ cum ita sint, & ego summa necessitate inauditam ignominiam, Suevis falso impositam, expurgare pro mea portione instituerim, elegite unum, cui hunc laborem meum honestissimum dedicarem. Quem eo accipias animo, præcor, quo scripsi, & me tuo patrocinio & commendatione nunquam dedignabere. Quod si feceris (ut bene spero) videbis nihil, quod in me beneficii contuleris, aut minus rectè positum, aut non ratione collocatum. Vale & commenda me Principi nostro, ad quem ornandum & celebrandum, atque ad patriam pro viribus illustrandam, atque ab injuria asserendam, omnem industriam meam, omnem ingenii, si qua est, vim, hoc est, omne negotium & ocium effundam studiosissime.

Iterum vale, Tubinga.



E P I T O M E
L A V D V M S V E V O R V M , A T Q V E
P R I N C I P I S N O S T R I U D A L R I C I , D U C I S

W U R T E N B E R G E N S I S , E T T E C C E N S I S ,

D e c a p t i v i t a t e , & p r o d i t i o n e D u c i s M e d i o l a n i : E t d e m e n d a c i s
q u o r u n d a m H i s t o r i c o r u m .

Scripturo igitur mihi defensionem Suevorum, libuit obiter & verecunde in eorum laudibus prædicandis immorari: quorum tamen immortalia facta, resque præclarissime gestæ maxima ex parte Scriptorum penuria venerunt in oblivionem. Nam eorum qui fecere Virtutes (ut ait Crispus & Hieronymus) tanta habetur Auctoritas, quanta eam verbis potuere extollere præclara ingenia, uti Alexander Magnus ad Achillis tumulum non obscure demonstravit. Quæ cum ita sint, & Germania nullos unquam habuerit rerum Scriptores, saltem vetustos, ego sæpe aliàs, ut nunc, Germaniæ motus commiseratione, nihil à Diis immortalibus majori voto religiosiusque optavi in rebus profanis, quam nobis ab antiquo fuisse rerum Scriptores, qui circa omnem, vel affectionem, vel adulationem, res Germanas scriptassent. Qui si fuissent, non aliunde exemplum omnium Virtutum petendum esset, quam a Suevis. Quod cum Scriptores defuerint nobis, triplici ex causa res nostræ fortiter gestæ venerunt in oblivionem.

Primum enim vehementissima suspitione carere non possum, quin *Romani* (quibus semper ferè Germani & Suevi hostes fuere) quantum potuerint, *gesta nostrorum*, vel ignoratione, quippe quibus nunquam tota Germania cognita fuit, vel odio, propriæque laudis studio extenuare, vel *obfuscare*, vel sua plus æquodilatare & extollere, non neglexerint, adeo, ut (teste Josepho) aut Romanorum obsequio, aut externorum odio, contra fidem rerum falsa confirmaverint. Ut dum Romanos voluerunt ostendere magnos, externorum res extenuaverint, & in humilitatem dejecerint, ut idem testatur Josephus. Quod etsi Cæsar Julius, Titus Livius, Suetonius, Cornelius Tacitus, & alii nonnulli fide digni habentur Scriptores, sicuti nec ego inficias ire volo: multò tan en laudatioribus & magis celebres contenderim esse Germanos, si & hos ipsos esse Germanos contigisset. Aded nemo nostrum est, quem non patriæ dignitas & amor interdum permoveat, ut longè liberalius & effusius disertiusque in illius laude recensenda, quam exterorum, & præsertim inimicorum rebus gloriose gestis, persistat. Ad quod credendum iustissimis rationibus inducor. Nam Flavius Vopiscus Historicus ait: *Neminem non Historicum, quantum ad historiam pertinet, aliquid esse mentitum.* Addit quoque: *Proderem quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogius manifestis testimoniis convinceretur. Præterea scribere, inquit, ut liber securus, quod velis, dices, habiturus mendaciorum comites, quos Historica Eloquentia miramur auctores.* Et Asinius Pollio dixit: *Parum diligenter, parumq; integra veritate compositos Commentarios Cæsar.* Et Cicero: *Qua enim Cæsar nun-*

quam neque fecit, neque fecisset, ea nunc ex falsis ejus Commentariis proferuntur. Et Pollio contra Livium dicit: *Quod pleriq; per alios gesta temere crediderit.* Nonne ut ad Græcos veniam, omnes inter se Græcorum Scriptores certant de falsitate Historiarum inter se mutuo digladiantes? Testis est Josephus Judæus contra Appionem Grammaticum, & Eusebius *lib. VII. de præparatione Evangelica*, dicens: *Pugnant inter se omnes, & alter alterius falsitatem redarguit, non est opus ut eos moneam, qui melius se sciunt, quod Hellenicus, contra quem Acysilam, de genealogiis ediderit, nec ut enumerem in quot quantisque, Hesiodum reprehendit, nec dicam quomodo Ephorus Elanicum, Timæus Ephorum, Timæum posteriores, Herodotum omnes reprehendunt.* Non est necesse, de singulis atque minoribus discere, cum de Persarum, in Græciam impetu, & de præclaris facinoribus nunc gestis inter se vehementer Scriptores discrepent, cum etiam Thucydidem, qui accuratissime suorum temporum Historiam conscripsisse creditur, quasi mendacem nonnulli accusent. Nonne & Herodianus Græcus dicit: *plerosq; Historiographos plus ostentatione Eloquentia, quam amore Veritatis scripsisse.* Alios vero (sicuti & Polybius asserit) plus favore & assentatione vel odio tyrannorum vel populorum egregia elevasse atque extenuasse, vel humilia, supra veram fidem, dicendi artificio atque elegantius celebrasse, atque in cælum sustulisse. Ex quibus nemo dubitare potest, quin Suevorum, & omnium Germanorum res, & in obscuro manserint, & mendaciter sint posteris traditæ, ob Scriptores externos & hostes Germanorum.

Secunda causa est, cur Suevi non sint pro rerum dignitate & meritis celebrati. *Quia* quicquid apud ceteros a Suevis egregie gestum est, communiter Germanis adscribitur. Nec enim Itali ita noverunt, differentiam inter Suevos & ceteros Germanos, uti nos. Et quoniam Galli illis notiores sunt, sæpe quæ Germanis vel sine, vel cum Gallis fecerunt, ipsi tantum Gallis ascripserunt; sicuti nos jam facimus, & præsertim vulgus. Quicumque enim lingua nostra loqui nescit, vocamus Italum, vernaculè *Weischen*.

Tertia causa obscuritatis Suevorum: *Quia nunc Suevi, nunc Alemanni dicimur.* Inde quicquid Alemanni ubiq; terrarum gesserunt, Suevis ascribendum est. Sed quod Alemanni Suevi sint, testatur Divus Hieronymus in vita Hilarionis. *Inter Saxones* (ait) quippe & Alemannos gens est Francorum, non tam lata, quam valida &c. Hoc item Paulus Diaconus ex Suevorum, id est, Alemannorum gente oriundus, dicit. Et Gualfridus, Abbas Sancti Galli, *Dum duo sunt (inquit) vocabula Suevia atque Alemannia unam gentem significantia, prioris nomine nos appellent circumposita gentes, qua latinum habent sermonem,*

omniq; privilegia Augia Majori & Carolo Magno
 ejusq; successoribus data declarant, Alemannos vocari
 juxta lacum Constantiensem, Monasteriumq; esse in
 Alemannia partibus, ut dicit Carolus tertius. Hoc
 item testatur historia elegantissima cujusdam Abbatis,
 qui de Henrico V. ita dicit: *Mittuntur in Legatione*
Romam à Liphoringia, Bruno Trevirensis: A Saxonia,
Magdeburgensis: A Francia, Otho Babenbergensis:
A Bojaria, Eberhardus Eissenensis; Ab Alemannia
Geberhardus Constantiensis: A Burgundia Curienfis.
 Albertus item Magnus dicit Suevos Alemannos à ma-
 ximo lacu Lemanno, qui ante radices Alpium effun-
 ditur, per cujus medium transit Rhenus, qui modò
 Constantiensis & Brigantinus etiam à Solino dicitur.
 Laurentius Vallensis cum Alberto sentit. Hinc vi-
 dentur à Lemanno lacu, id est, Constantiensi, Ale-
 mannos dictos. Et Gothofredus Viterbiensis: *Rhe-*
nus ab antiquis describitur esse Lemannus. Alii autem
 ab Hercule Alemanno, quia ut dicit Berosus, Hercules
 Alemannus apud Tuiscones regnavit, & Annius Vi-
 terbiensis ibidem credit, aut Manni filium fuisse, vel
 qui Manno in Regno successerit. Qui Hercules Ale-
 mannis religiosè apud Germanos cultus est. Nam
 (ut dicit Tacitus) Germani apud eos Herculem fuisse
 commemorant, primumque omnium fortium Viro-
 rum ituri in prælia canunt. Et hodie in Augia Majori
 Insula Rhenana visitur *Idolum Alemannum æreum.* Et
 in æde sacra in rei memoriam servatur, quod & *Lemanno*
lacus nomen dedisse videtur, & Alemannis & Mo-
nasterio Almansweiler & villa Almanshoffen & aliis
nonnullis pagis. Abeant hinc somniatores qui volunt
 Alemannos dici à Lemanno lacu Gallia Celtica, inter
 quos est Sabellicus, nihil enim nec receptum nec ve-
 risimile dicunt, ut satis supra ostendi. Alii multo ma-
 jori impudentia volunt: Alemannos esse genus adven-
 titium ex varia colluvione gentium, quod multo mi-
 nus quadrat, & quod tanquam commentum omnino
 transeo, contentus dixisse, quæ nemo sanus reprober.
 Quod si volueritis hinc legere, quid Alemanni Suevi
 gesserint per totam Italiam, & alias Regiones, inveni-
 etis eos celebratissimos. Nec ego Helvetios &
 Confœderatos modò dictos, Suevos esse admitto,
 sicuti nec ipsi volunt, (Alemannos tamen non negabo
 qui latius extenduntur) licet Nobiles se de Suevis
 Confœderatis aliquando scripserint. Fuerunt enim
 Ducum Sueviæ & Alemannici Ducatus (ut vocat Lu-
 dovicus Rex Francorum, Ludovici Pii Cæsaris filius)
 clientes & subillorum ditione, subditi quoque non
 Suevi, quos Gallos, antè existentes. Suevi Alemanni,
 Rhenum traducunt, in servitutem redegerunt, &
 linguam mutare coegerunt. Nam tempore Cæsaris
 (teste Orosio) Helvetii modò Suitenses, exierunt
 proprias sedes, ea de causa, quod perpetuo penè cum
 Germanis bello altercabantur, à quibus Rhenus tan-
 tum flumine dirimebantur. Nobiles à Principibus
 præfectos oppidorum atque castrorum impositos,
 etiam ipse Suevos ex origine existimo. Cum igitur istis
 ex causis Suevia non sit pro rerum meritis celebrata,
 & maxime, quia nullos nisi hostiles Scriptores habuit,
 qui non nisi obiter suos Duces extollendo res nostras
 tetigerunt, volo tamen pauca quædam ex Historicis
 colligere & Scriptoribus, quibus quilibet optimè con-
 jecturare potest, gesta Suevorum esse amplissima, si
 Scriptores vernaculos habuissimes. Primum Suevi
 singulariter præ aliis Germanis Nobiles dicuntur, te-
 ris Seneca Hispanus in Medea.

Lucis Suevi Nobiles Hercynesi.

Quod si aliquis à corpore laudandus venit, Suevia
 est terra populosa, cui gens procero corpore, flavo erina
 & pulcherrimo, venusta facie, decora specie, robore
 membrorum & lacertorum validissima, in quos denique
 Dii immortales tanta naturæ & corporis bona atque
 ornamenta fortunæ congesserunt, ut nullis gentibus
 cedere debeamus. Sed alia sunt à quibus plus com-
 mendamur, Cornelius Tacitus à fide nos commendat,
 (quos perfidiz accusare nititur supplementum) di-
 cens: *Gens fidei commissa patientior.* Et nostri ma-
 jores semper latera Imperatorum Romanorum stipa-
 bant, in singularis fidei & integritatis testimonium.
 Et ut postremò integerrimam semper nobis fidem
 esse adhibitam nosque omnium Nationum non so-
 lum Germaniæ fortissimos, & fuisse apud Veteres &
 Recentiores esse ostendam, tale sit vobis argumen-
 tum. Nam cum Vitellius (teste Cornelio Tacito)
 à Germanico exercitu (non Germaniano, ut Beroal-
 dus homo alioquin doctissimus falsè & contra omnes
 Historicos illius rei persuadere voluit) esset Imperator
 acclamatus, solisque Germanis Comitibus Imperium
 esset adeptus, & aliorum Imperatorem Othonem vi-
 ctis sæpe illius exercitibus, ad mortem voluntariam
 compulisset, essetque à Romanis electus Cæsar con-
 tra Vitellium, Vespasianus in remilitari expertissimus
 felicissimusque Imperator diu deliberavit, an Impe-
 rium susciperet, propter Germanicarum Regionum
 vim, famam & robur. Tandem fortissimos Germanos
 non nisi Germanis vincendos existimans, Sidonem
 atque Italicum Suevorum Reges in auxilium & par-
 tes suas traxit, qui cum suis Suevis primò in acie ver-
 sati vicerunt Germanos, Vespasianumque in Imperio
 firmaverunt. Sicuti etiam successu temporis Con-
 stantinum Magnum ad Imperium auxilio suo exexe-
 runt (teste Aurelio) Ecce summam fidei & fortitudi-
 nis opinionem in Suevis apud veteres, & Romanos.
 Quod si ad recentiora tempora descendamus, inveni-
 mus, Suevos universæ Nationi Germanicæ animi
 magnitudine, fide & virtute præpositos. Nam dum
 quidam Abbas Hersfeldensis Saxo describeret, &
 eleganter quidem Henrici IV. Imperatoris gesta con-
 tra Saxones, ita inquit: *Datum est negocium Rodol-*
pho Suevorum Duci, ut ipse cum suis prima acie con-
figeret, peculiari Suevorum privilegio, quibus ab anti-
quis jam diebus lege latum est, ut in omni expeditione
Regis Teutonici ipsi exercitum præcedere & primi com-
mittere prælium debeant. Hoc idem confirmat Go-
 thofredus Viterbiensis, non Suevus neque Germanus,
 sed Italus his carminibus:

Judicio cali dominantur in Orbe Suevi,
Nunc ubicunque geri Respublica prælia quaris,
Ordine primus erit, gladio vuli primus haberi,
Moresq; signiferi primus in hoste feris.

Hoc etiam (ut vetera dimittamus) comprobavit coro-
 natio Friderici III. Cæsaris Augusti, nuper defuncti,
 quem Romam pro Augustali corona intrantem præ-
 bant omnium primi Suevi, vexillum sancti Georgii
 (quod Aquilam præcesserat) gestantes. Quibus ex
 rebus relinquo universi mundi iudicio, qualis anti-
 quitus fuerit, & nunc debeat esse, Suevorum existi-
 matio, quæ non nisi ex rebus præclarissime gestis pro-
 gressa dignoscitur: Quare hanc eximiam majorum
 nostrorum prærogativam, & incomparabilem glo-
 riam Carolo Magno (ut dicitur) usque in hunc diem,
 summa

summa cum laude nostra, nobis delatam, Udalrice Princeps invictæ atque fortissime; non finas unquam sub te, aut tuo tempore aboleri, aut ab alio præripi. Quoniam nullum majus Virtutis testimonium unquam aliqua gens præferre, aut sibi arrogare, mea opinione, potest. Emulemur quæso, te Duce & Principe, majores nostros, qui rebus fortiter gestis, hanc pepererunt laudis, & gloriæ prærogativam. Sumus illorum sanguis, illorum effigies expressissima. In nobis relucet mirifica illa majorum nostrorum Nobilitas, & animi magnitudo. Turpissimum ducamus, precor, ab illis degenerare. Nec committamus, ut clarissimum hoc Virtutis nomen, & candidissima fides, quam majores & patres nostri multo sanguine, & rebus felicissime gestis, jure quodam quasi hæreditario reliquerunt, nos ipsi per socordiam & negligentiam amittamus, & si te Duce, Princeps Illustrissime, Divi benè faveant) nunquam formidare debeam. Et ut latius externorum testimonio, cæteris Germanis nos præstare, probetur, dicit Julius Cæsar lib. IV. *Suevorum est gens longè maxima & bellicosissima.* Item Tencteri & Usipetes Germani à Suevis, sedibus suis pulsi, ita loquuntur apud Cæsarem: *Sese unis Suevis concedere, quibus nec Divi quidem immortales pares esse possunt, reliquum quidem in terris neminem esse, quem non superare possint.* Plutarchus dicit: *Præstantissimos Germanorum Suevos.* Paulus Orosius dicit: *Maximam & ferocissimam esse gentem, alibi fortissimam.* Et Lucius Florus, *validissimam.* Et ut dixi Suevi Tencteros, & Usipetes amplissimas Nationes expulerunt. Et insuper alias Germaniæ Nationes sub se habuerunt, ut idem Cæsar testatur. Publicè autem maximam putabant laudem esse, quam latissimè à suis finibus vacare agros, hac re significari magnum numerum Civitatum suam vim sustinere non posse. Itaque una ex partibus, tempore Cæsaris à Suevis circiter millia passuum sexcenta agri vacabant. Ad alteram partem secesserunt Ubii, hoc est, Colonienfes, quos vectigales fecerunt, & postremo trans Rhenum secedere compulerunt, ubi adhuc habitant. Sed quid majus aut gloriosius dicere possum de Suevis? quam quòd *Romani* gentium Domini & terrarum Reges, quibus maria obediunt, à quibus Oriens & Occidens lustratus est triumphis, & quibus (ut dicit Egeffippus) *supra nubes viantibus, & ultra columnas Herculis imperium propagantibus nihil invium fuit*; nos unicos Suevos nunquam obediens habuerunt, quos & timuerunt & victores viderunt. Et quibus Romanis, non restiterunt non solum terræ, ab illorum Regione sylvarum intervallis atque vastitate, Alpibus montibus, fluminibusque distinctæ, verum etiam quas (ut gloriantur) æternis ardoribus inaccessible aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abjunctas, ab his natura determinat, se trementes submiserunt, adeò, ut cum Indus Oceano, non frigore Mæotis, non Arabs medio sole securus fuerit, his Suevorum sola & invicta Virtus restiterit. Et ecce Julius Cæsar, cujus fortuna humanæ felicitatis modum supergressa est, cujus Virtus nunquam intremuerat, & incitatissimus bellorum & triumphorum successus & cursus, instar annis hybernis nivibus aucti, profluens, hætenus nunquam substiterat, apud solos Suevos elanguit, resedit & consistere coactus est. Nam bis traducto Rheno ulcisci Suevos paravit ob auxilia (quæ nemini ut alius dicit contra Romanos denegabant) Treveris missa, & quod assidue Ubios, qui erant in fide Romanorum, preme-

rent, sed bis, postquam Suevos audivit esse in armis, paucis diebus trans Rhenum moratus, pontem quem fecit, rescindens aufugit. Quod si æqualibus, Asinio Pollioni & Ciceroni Tullio fuit suspectus, quòd in suis laudibus esset nimis, & ultra veritatem profusus, multò celebratiores credo esse Suevos, si Suevus hanc illius trans Rhenum & contra Suevos expeditionem atque rursus fugam scripsisset. Hoc unum dico, Julius immodicus animi nunquam dimisisset Suevos, si non eos timuisset. Qui quomodo precor causari vult vastitatem sylvæ Hercyniæ? quò minus illos sit aggressus, qui Britannos alterius Orbis homines, & hætenus ignotos Romanis, per infestissimum mare quæsit, & cui ante, & post Suevos nulla Regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, nec vastitas, nec noxii serpentes nec fervores Libyæ, nullius tempestatas asperitas obstitit? Quos cum nequiret vincere, tandem amicos sibi fecit cum cæteris Germanis, & eorum auxilio, Galliam subegit & Pompejum cum toto Oriente, atque innumeris Regibus cruentissimo bello vicit, adeò, ut nihil egregium sine illis auxiliatoribus gereret, adeò ut illis vitam & Imperium Monarchiamque accepta referre debeat. Quid dicam de Augusto Cæsare, sub quo totus mundus pacatus esse dicitur, cui se Persæ submiserant, & Indorum Reges muneribus honoraverunt? Nonne Imperatoris illius post natos homines fortunatissimi, apud solos penè Suevos felicitas claudicavit. Nam Quintilium Varum cum tribus legionibus ab illo, ad arcendas barbarorum excursiones, contra Augustam, missum, Suevi ad interneccionem deleverunt, ablatis signis & aquilis duabus.

Unde adeò conternatum scripsit Suetonius Augustum, ut per continuos menses barba capillòque submisso caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare legiones redde*, diemque cladis quotannis mœstum habuerit atque lugubrem. Sed non solum tres legiones, verum Ducem etiam Legatum & auxilia omnia amisit, ut ait Suetonius, quæ missa sunt ab universis sociis, & subditis Romanorum, inter quæ erat Avar Græcus Bogudis Regis filius cum Macedonico exercitu, ut hodie Antiquitates Augustæ urbis declarant. Ubi etiam hi versus sunt reperti:

His nomen terris Bogudis dat Regia proles

Græcus Avar pecudis, de Suevis more litatus.

Fuit autem hoc gravissimum & atrocissimum inter Romanos & Germanos bellum, & post Africanum, maximum. Unde notari potest, dicit Otho Frisingensis, quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in summa auctoritate Romani populi & Imperii tantam stragem Romani militis dedit. Tradunt Augustenses hanc cædem ibi factam, ostenduntque in argumentum collem ex ossibus mortuorum compactum, quem in vulgari *Perleicheo*, quòd legio ibi perierit, usque hodie vocant, vicumque ex nomine Vari appellatum monstrant, hæc Otho. Et tamen hanc ignominiam & memorabilem cladem à Suevis acceptam Augustus nunquam vindicavit, satis expertus Suevos, sed versus ad Deorum auxilia, vovit magnos ludos Jovi, ut Reipublicæ statim reformaret atque in meliorem statum converteret. Tiberius Augusti successor timens (ut videtur) Suevos, Regem eorum Marobolom (ut testatur Eusebius & Sextus Aurelius) blandè & amicè ad se vocavit, callidèque circumvenit, nec unquam ad suos redire permisit. *Drusus* autem *Cæsar Tiberis frater* præclarissimas omnium res in Germa-

Germania gessisse prædicatur sub Augusto, sed multo fuorum sanguine. Claudianus:

*Nobilissimi veteres Germanica fœdera Drusus
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.*

Quis meminit victum sola formidine Rhenum?

De quo ita scribit Orosius, Postea fortissimas nationes & quibus natura vires, consuetudo experientiam virorum dabat, Cheruscos, Suevos, & Sicambros pariter uno bello, sed etiam suis aspero superavit, quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando præventu Romanorum inter plaustra sua concluderentur, deficientibus telis vel qualibet re, qua velut telo uti fieri possit, parvos filios collisos humi in hostium ora jaciebant, in singulis filiorum necibus bis paricide. Inde natum proverbium, *Illorum mulieres ceterarum gentium viris fortiores, & bellicosiores esse.* Sed *Drusus* tandem propè Rhenum belligerans, est à Germanis occisus. Et Germania (teste *Floro*) magis turpiter est amissa, quam gloriose acquisita. Sed quæ pars Germaniæ, parva profectò ab eo acquisita, ut ex *Orosio* probare possum in libr. VI. *Tiberii* successor (*ajus Caligula* (teste *Europio*) bellum contra Germanos movit, ingressusq; Sueviam nihil strenuè egit, imò timidissimè fugit & ad eò consternatus est animo, ut fugam transmarinam cogitaret & pararet. Nam quod *Suetonius* de Germanis refert, non possum ex *Europio* nisi de Suevis intelligere. Ita autem dicit *Suetonius*; Adversus barbaros quoque ininacissimus, cum trans Rhenum inter angustias depressumque agmen iter effedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore consternationem sicunde hostis appareat, equum illicò conscendit ac properè versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam audita rebellionem Germaniæ, fugam & subsidia fugæ classes apparabat, uno solatio acquiescens, trans marinas sibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam urbem, ut Senones quondam occuparent. Unde credo percussoribus ejus postea consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi ipsum sibi manus intulisse, nuncio malæ pugnæ perterritum. Posterioribus verò temporibus non contenti Suevi & Alemanni in patrio solo Romanos non timere, imò verò Romano Imperio gravissimi & formidabiles inprimis, sedibus suis relictis, crebras excursiones in Italiam, Galliam, & Hispaniam fecerunt. Omniaque vastantes atque victoriosis signis suppeditantes, contra *Antonium Verum*, *Maximianum*, *Constantium*, *Aurélianum*, *Julianum* & alios Imperatores varia fortuna in Gallia sæpè pugnauerunt. Tandem sub *Aradio* & *Honorio* vastatis Gallis transmissisque Pyrenæi montibus direptisque Hispaniis, tandem in *Galetia* confederunt, septemque ibi Reges per ordinem habuerunt, vastata sæpè *Tarracoeni*, *Carthagenensiq;* provincia, ut auctores referunt. Et quorum auxilio *Huni* toto Orbi formidabiles sæpius cæsi sunt. Sed quid fecerint *Senones*, *Longobardi*, Angli scriptorum nobilissimorum suffragio Suevi novit *Gallia*, *Roma*, *Pannonia*, *Illyris*, *Græcia*, *Macedonia* & *Asia* testatur. Horum autem geitorum auctores fuisse Suevos ostendi alibi non obscure, & olim multò efficacioribus persuasionibus probabo. Postremo, si vellem pro rerum dignitate laudare Suevorum Duces, qui Imperium Romanum à *Carolo* magnificentissimè & gloriosissimè ad C. & XX. annos administraverunt, opus esset pro-

fectò integro libro. Qui omnes aut ex *Waiblinga* oppido aut castro *Stauffa* hæreditaria terra principis nostri *Udalrici* originem ducentes, cunctis ferè *Europæis* gentibus jugum servitutis imposuerunt. Et feras illas atque indomitas Turcarum gentes sæpè vastatione, præliis, cædibus, ferro & igni domuerunt. Præsertim *Conradus II.* qui per *Asiam* victoriosa signa tulit, atque cum perfidis Sarracenis in terra sancta strenuissimè decertans, Illustrissimè triumphavit. Cujus unum ex multis facinus memorabile quidem, omnibusque Christianis nedum Germanis & præsertim Suevis gloriosum non duxi prætereundum. Ille enim dum apud *Damascum* præclarissimam urbem, atque *Syriæ* caput, maximam Sarracenorum atque Turcarum multitudinem, atque infestissimum exercitum obviam haberet, dimisso equo in prima Christianorum acie consistens dimicavit strenuissimè, & cum ex altera parte quidam Gigas procerissimæ staturæ suis spem maximam præberet viriliter pugnando, nostrumque Imperatorem per collum apprehendisset, is educto gladio gigantem desuper per medium dissecuit, quo factò Sarraceni perterriti atque retrocedentes speciosissimam Christianis victoriam reliquerunt. *Fridericus I.* Armenia & magna *Asiæ* parte in suam Ditionem redacta, *Saladinum* victoriosissimum Regem, atque universam Mahumetis perfidiam exterminasset, nisi cum summo Reipublicæ Christianæ damno in parvo flumine esset submersus. Sub *Henrico V.* (penes quem pacis & belli gerendi auctoritas est atque administratio) *Goffredus Germanus*, comes *Bulionis* & tandem Dux *Lothoringiæ* cum Germanis & aliis Christi fidelibus sepulchrum Christi ab infidelibus eripuit. *Fridericus II.* sola adventus sui fama Sultanum ex *Juda* fugavit. In quam cum exercitu ingrediens in die *Palmarum* est *Hierosolymis* Rex acclamatus atque coronatus. Quod si ad *Europam* revertemur, inveniemus Suevos Imperatores sæpè *Boemis* rebellibus jugum servitutis inposuisse. *Sarmatarum* & *Polonorum* Regnum in Ducatum redegisse atque tributarium fecisse, Regnum item *Burgundionum* in provinciam imperii instituisse, *Hungaros* sæpè in propriis sedibus percussisse, atque prioribus pulsos Reges inposuisse, utramque *Rheni ripam Saxoniam*, *Franciam orientalem* atque *Bavariam*, justam interdum servitutem detrectantes, pulsos vel exilio damnatis eorum Ducibus, maximis sæpè calamitatibus & victoriæ manu, ut respicerent & ad sanitatem mentis obedientiamque reverterentur coegisse comperiemus. Quis quantis cladibus superbas *Gallias*, præsertim *Cisalpinam Romanam*, *Tuscos*, atque totam *Italiam* factiosam, atque rebellem affecerint, quamque triumphalibus, atque fortunatissimis aquilis sub jugum servitutis defecerint, nemo est qui nesciat, cui saltem pauca historia sunt nota. Horum plures Imperatores Romani, Reges *Hiersalem*, *Sicilia*, *Apulia*, *Sardinia* & *Corlyca* Reges Dominique fuerunt. Quorum illustria, atque immortalia facta vivent, & in ore omnium hominum versabuntur in perpetuum, cum aliorum ingeniis præclarissimis, tum etiam meo, si *Dii* immortales mihi vitam, incolumitatem, & scribendi felicitatem sunt concessuri. At vita comite spero me saltem aliis materiam, & occasionem præbiturum, ut eorum ingenio æriori, exquisitorique dicendi genere immortalitati commendentur, quæ fortiter Suevi gesserunt. Quod ideo dico, nam *Itali* propterea quòd Germania nullos habuit scriptores & Literatores, qui eorum mendacia confu-

caissent, libere sum in bonos Imperatores Germanos mendacis debachati, & præsertim in utrumque Fride-ricum, quorum amplitudo, magnificentia, & majestas cunctis nationibus illustris, Italis visa est exitialis atque intoleranda. Et Blondus siue suo ingenio, siue (quod magis credo) quia ita ab aliis acceperit, qui Pontificibus sunt blanditi, quibusque Germanica virtus, & rerum gestarum gloria fuit exosa, quod consideravi, in Suevorum Imperatoribus aliquando ab omni historica veritate aberrant, eorum extenuando gloriam, & acerbius accusando fortitudinem. Merito igitur conquerar de fuisse nobis rerum scriptores. Nam ut ad institutum regrediar, quod majorum nostrorum res fortiter gesta venerint majori ex parte in oblivionem, sintque obscuratae, per externos, & hostes nostros possum lucidissime etiam ex nostris temporibus colligere, dum ea quæ nos, aut vidimus, aut ex viventibus, & rerum gestoribus audivimus, pervertuntur mirum in modum, à chronographis recentioribus. Sumamus exempla nostrorum temporum. Scripsit nuper quidam Supplementum Supplementi Chronico-rum. Qui inter cetera narrat captivitatem Ludovici Ducis Mediolani, ante sex annos factam, & inter alia refert Ludovicum proditorie esse in manus Gallorum traditum, ab Anglis quibusdam (ut ipse dicit) & Suevis quodcum perlegissem, stomachabar partim hominis simplicitatem, partim miserabar, quod ea, quæ sunt recen-tissima, (Cosmographia ignarus, falso narraverit. Qui enim sint Suevi, quique eorum fines minus bene novit, dum alibi dicat Maximilianum Casarem bellum habuisse contra Suevos. Anno M. CD. XCIX. dum Helvetii fuerint. Quoniam Suevi columna, & fundamentum imperii existentes officio, & obsequio in Regem nulli mortalium cedunt, pro cuius vita incolumitate, salute & Imperio propagando, ubique terrarum militant, corpusque, & sanguinem intrepidi exponunt. Sed quid in re manifestissima laboro, cum ille ipse supplementator Suevos excuset, nisi in nomine errasset? Illi enim qui contra Regem pugnaverunt, non Suevi, sed Helvetii dicuntur, quos ipse videtur criminari. Sed illos ego, nec excuso, nec accuso, laborans ad hoc unum, ne Suevorum nomen in tam turpi facinore falso ad posteritatem transeat. Sed cum acres habeat aculeos contumelia, non immerito stomachabar. Quis enim Suevus a quo ferat animo suos proditoris in-simulari, a quo crimine nihil magis alienum est, quam virtus & fides Suevorum? A quo detestando facinore (præter præfati scriptoris exultationem) verissimus ego assertor, Suevos, & omnes (ita enim dicuntur nostri) lancearios sanctissima fide immunes affirmo, obtestorque omnes Longobardos Ducemque adhuc captum, nec non Italos omnes, qui Ducis partes fove-runt, & secuti sunt, pro veritatis testimonio ipsos denique divos, in testes voco Suevos & lancearios nihil tali commisisse, quinimò paratissimos fuisse experiri fortunam cum Gallis, nec certamen unquam detre-tasse, quippe quibus parva salus nisi in armis propo-sita erat, quorum consiliis, dum parere Dux contemp-sit, factum est, ut captivus Gallicanus, atque servi-tium regium habeatur. Et maximum argumentum nostros non consensisse, in illam prodicionem est, quod nostri Primores, qui plurimum in exercitu apud Ducem poterant, sunt majori ex parte, à Gallis Gallicanorum exercitu rebus omnibus exuti. Summus enim Præfe-ctus nostratium copiarum, à Gallis captus, vitam & sa-lutem ultra fortunas suas redemit. Item Nobilis Vir

Marcus de Emps captus, & precio redemptus. Ita multis aliis contigit Centurionibus, Signiferis, & illis, qui acierum instruendarum curam gerebant. Taceo de illis, quibus ea deditio mortem intulit. Hoc nostris ex singulari Helvetiorum, qui paulò ante hostes nostri erant, in se odio, qui utramque partem fovebant mili-tibus, ante formidantes suæque virtuti invictæque ani-mi magnitudini confidentes, non dubitassent, contra universam Galliam, eo die fortunam tentare, memo-res pristinarum victoriarum, quibus sæpe Gallos parva manu longèque inferioribus viribus fugarunt. Sed Dux quos fideles habuerit, vel non, captivus cogitur aliquando meminisse. Ego autem verissime dico:

At nec Germanus natura prodere novit.

Hinc spurius soleat prodere si quis erit.

Ita enim nostri, à Patribus Majoribusque suis di-dicerunt, ut virtute, spectataque fide, atque integritate, non dolo, aut insidiis nedum prodicione contendant, atque belligerent. Suevi autem & lancearii illi sunt, quorum auxilio, & virtute invictoque animo Reges Gallorum, atque Gallicanus Helvetiorumque copio-sissimus exercitus jam toties nostris temporibus Apu-lia sunt deturbati, fugati, & prostrati. Errat & auctor ille Supplementi, in alibi dixi, dum bellum Sigismundus Ducis Austriae adversus Venetos narrat. Errant & alii, siue de industria, & adulatione veritatem supprimunt. Nam & Petrus Marcellus de Venetorum Ducibus scri-bens, ita ait: Conspiraverunt namque omnes fere Ger-maniae Principes adversus Venetos, qui ingenti Barba-rorum exercitu comparato, nullo prius indito bello, Athesi apud Tridentum superato, subito incursum ad Roverense oppidum castra posuerunt. O quanta in-juria veritati, & rebus gestis facta est, dum nemo non sciat bellum fuisse solius Ducis Sigismundi, neque quenquam alterum Principem interfuisse, aut aliquo scedere suum duxisse bellum. Sed quod ipse prior, nullo prius indito bello lacessiverit Venetos, scit totus mundus esse aliter factum. Nam præter hoc quod Princeps fuit iustissimus, & integerrimus, & nihil iniquum tale un-quam cogitaverit, nemo etiam non novit, adeo fuisse pacis amatorem, ut nisi coactus illatum propulsare, nunquam Venetis, vel cuiquam mortalium bellum intul-isset. Econtrario vero Venetos agi præcipites do-minandi libidine, pro qua nec fidem, nec divina hu-manæque jura pensi habere prædicantur, vel maxime ab ipsis Italis. Adde autem alia inter se discrepantia, quæ scribunt Veneti de hoc bello, Subjungit idem Marcellus, ad famam adventus Germanorum tanto fuisse terrore percussos Venetos, ut momento temporis sine ullo majori certamine, in fugam verterentur, contra-ctoque ponte Athesis, plurimi armati in aquas præcipita-ticum equis vi fluminis absorberentur, & Robertum Severinatem, cum suis fere omnibus eodem furore per-cussis, in aquis demersum concidisse. Bergomensis scribit ingentem fuisse Germanorum cadem, cui & verba Mar-celli refragantur, & ipsa veritas, nullum enim detri-mentum intulerunt Veneti. Qui enim fieri potest, ut si qui ne vultum quidem Germanorum, atque aciem fulgorumque oculorum ferre potuerunt, fugientes nondum bene visos, stragem ullam edidisse credantur? Ubi ullis annalibus, hoc lectum est? At nostri fugien-tes, & attonitos, & ad potandum Athesim festinantes Venetos consecuti memorabili illos clade affecerunt. Di-citur & Antonius Sabellicus pariter, cum superioribus consensisse, & variis præliis varia esse fortuna decerta-

um. Sed dicant quicquid velint omnes, *Veneti* defu-
care studeant quibuscunque possint coloribus rem-
gestam, nemo non novit etiam in *Italia* cunctis præ-
liis, siue levibus siue justis nunquam *Venetos* superio-
res, semper victos, captos, trucidatos, vel aquis sub-
mersos esse, *Verissimumque est Epitaphium, in sepulchro*
Roberti Severinatis Tridenti.

Italia victor Severina stirpe Robertus,

Sismundum Australem sensu, in arma Ducem.

Ter Proceres Veneti bello petiere Tridentum,

Ter victi, & victus ecce Robertus adest.

*Baptista autem Mantuanus laudans verè laudan-
dum, & præstantissimum rei militaris Ducem Rober-
tum, ejus in hoc bello fortiter res gestas plus poetice quam
historice scripsisse existimatur.* Et ut pateat, quam
parum probè sint instructi de rei gestæ veritate, no-
tum est, *Antonium Marianum Roberti filium*, hominem
proceritate, & præstantia corporis, atque animi ma-
gnitudine inter suos illustrem provocasse, ad monoma-
chiam singularem, certamen, quemcunque *Germani*
vellent, natalibus tamen, & nobilitate egregium: ex
Germanis verò *Joannem Comitem de Sonnenberg*,
hoc est, de monte solis, conditionem accepisse, atque
pro laude *Suevorum*, & totius *Germaniæ* fortiter pu-
gnantem superiorem victoremque exitisse. *Quod
certamen Sabellicus enarrans dicit, ex Germanis fuisse
Georgium Gombergium.* Qui quis sit, ego nescio.
Sed ut concludam aliquando. Quid splendidius?
quid magnificentius, aut majus, ad gloriam *Germano-
rum* addi potest? quam paucis nostrorum copiis,
& nudis lanceaque tantum instructis militibus, robu-
stis tamen viriumque, & animi plenissimis pullos esse,
prostratos, & cælos copiosissimos *Venetorum* exer-
citus, ingentissimamque eorum cataphractorum ma-
num, quorum equi operimento ferri munitiores no-
strorum corporibus erant, nudorum lanceariorum
aspectum expavisse, ac ne primum quidem impetum,
aut congressum sustinere potuisse? Et profectò post
degustatas jam frameas nostras, postquam se ex fuga
in tuta recepissent, ita trepidatum est totis castris, ita
consternatus fuit maximus exercitus, ut optimum
Ducem Robertum, atque de republica *Veneta* me-
ritissimum post abcessum *Germanorum*, in undis
submersum quærere non auderent. Quem tandem
nostræ pietate moti inventum retulerunt *Tridentum*
ibique honorifice sepelierunt, subversis tamen, &
fractis *Venetorum* signis. *Postremo supplementum
jam sapius nominatum falsissime narrat Maximilia-
num nostrum Casarem Augustissimum ingressum, ante
aliquot annos Hungariam prostratum esse à Rege Ula-*

dislao. Novit enim *Hungaria*, & *Germania*, vel
universus potius orbis præter hunc unum, *Maximi-
lianum* Principem invictissimum, atque *Christianissi-
mum* postquam intraverit *Hungariam* obviam quæque
stravisse munitissimamque totius regionis urbem *Al-
bam* regalem maximis copiis instructam, eo quo ad-
venerat die vel potius hora, sine omni machina, atque
tormentis admotis, sed milite fossas profundas tra-
nante, atque muros integros propugnaculaque
scalis ascendere fortiter oppugnasse, atque cepisse,
neque postea vidisse hostem ullum, quippe nostro-
rum virtute concerriti universi regnicolæ se sponte Re-
gi nostro submisissent, nisi ille militari tumultu suo-
rumque seditione (dum inter se pedites, & equites
parum liberaliter æqualibusve portionibus parta spo-
lia optimasque prædas divisissent) domitionem (ut
verbo utar *Apuleiano*) capere fuisset coactus: Et
cum post abcessum Regis sequenti æstate *Hungari*
coadunatis viribus *Albam* regalem, & alia oppida op-
pugnata, & capta repeterent, nostri qui hinc inde in
subsidiis oppidorum erant collocati, dum Regis alius
impliciti negotiis auxilium desperassent, nec diutius
tantæ multitudini resistere possent, propterea quòd
infida erant omnia circumquaque nec commearus
ulterius suppeditaret, convenientes, & collecti, ta-
meti paucissimi, *Germanica* tamen, & innata virtute
tantam hostium multitudinem adorti, prælium com-
miserunt, victoresque erectis signis manumque po-
tenti Regnum exeuntes *Hungaricum*, in tuta sese re-
ceperunt. Habes igitur, *Conrade Magnanime*, lu-
culentissimum argumentum ex parvo hoc laudum
nostrarum Epitomate gloriosissimas fuisse res *Suevas*
atque *Germanas*, si *Scriptores* habuissent, & contra-
rio maximam suspicionem, magnam rebus nostris ge-
stis antiquitus fuisse illatam injuriam, dum parum in-
tegra veritate *Itali*, genus in suam laudem effulsi-
mum describant, quæ ipsi vidimus, & scimus. In cul-
pa harum rerum sunt *Principes Germaniæ*, qui si co-
luissent *Scriptores*, neque eos esurire passi essent, ro-
perissent plurimos (ut non dubito) qui pro vindi-
canda *Germania*, ab omni oblivione, atque defrauda-
tæ laudis falsæque insimulationis injuria omnem suam
industriam, atque ingenium intendissent. Sed dum
illos *Principes* neglexerunt, neque justis præmiis di-
gnati sunt, factum est, ut memoria eorum unâ cum
exitu vitæ extingueretur. Et si quid egregium gesse-
runt, venerit in oblivionem, aut per externos sit
omnino obfuscatum. Vale & me

commendatum
habe.

EPITOMATIS LAUDUM SUEVORUM
FINIS.



DE ORI-

DE ORIGINE GENTIS FRANCORUM COMPENDIUM JOHANNIS TRITTENHEMII

ABBATIS,

Ex duodecim ultimis Hunibaldi libris, quorum sex primos Wasthaldus conscripsit, ab introitu Sicambrorum, ad partes Rheni in Germaniam.

ANno ante nativitatem Domini, CCCCXXXIX. temporibus Cyri Perfarum Regis, Esdrae quoque, & Nehemize Principum Hebræorum, post excidium Trojanorum anno DCC.L. Egressa gens Gothorum de insula Scandiaz, quæ nunc dicitur Gothia Septentrionalis. Sicambros qui ex Trojanis reliquæ, juxta Danubii ostia sedebant, adorsu bello Regem eorum Anthenorem, cum multis Sicambriis occiderunt, & spoliis captis recesserunt. Reliquit duos filios *Anthenor, Marcomirum & Suimonem.* *Erat autem consuetudo Sicambriis, ut ex omnibus filijs Regis pro tempore, si plures haberet, unum duntaxat eligerent, quem regno crederent utiliorem profuturum. Quod si nullum habuisset, filium de propinquis ejus idoneum magis eligebant.*

Marcomirus igitur Anthenoris filius major natus, patri successit anno ante Domini nativitatē CCCC.XL. & regnavit super Sicambros annis XXVIII.

Anno Regni sui, IV. cum Gothorum, & Sciliarum gentium vicinarum incursione nimium vexarentur Sicambri, sedes mutare statuerunt. Igitur missa legatione, ad Saxones in Germaniam, qui & ipsi ex Trojanis advenerunt, eos, ut fratres orabant, quatenus se in aliquo terræ suæ angulo permitterent habitare, sine detrimento gentis suæ. *Consenserunt Saxones promittentes se eis optimas sedes daturus, sicut & fecerunt.* Anno autem Marcomiri Regis VII. Sicambri venerunt, in Germaniam, in mense Aprili, viri ad bella promptissimi C.LXXV. DC.LVIII. Adducentes secum uxores liberos, & quicquid substantiæ habebant.

Anno ante Christi nativitatem CCCCXXXIII. *Marcomirus* Rex, & *Suimo* frater ejus Dux cum Sicambriis, in Germaniam à Saxonibus, ut fratres amice suscepti sunt, & sedes optatas, inter Rhenum, & Saxoniam fertiles acceperunt. Ab Oriente habentes *Vesaram* fluvium, & Saxones. A Meridie *Moguntiam* & Rhenum. Ab occidente Rhenum similiter recurvatum, & Gallia extrematam. Ab Aquilone verò mare Germanicum, & Scotiam cum *Orchadarum* Insulis.

Anno regni sui XX. *Marcomirus* Rhenum transfessus, cum Gallis Cis Rhenanis bellum habuit, plures occidit, terram occupavit, quam fratri tuendam, ut Dux, vel sub Regulo commendavit. Ab illo tempore per annos DCCCXX. Sicambri qui postea Franci sunt dicti, ab infestatione Galliarum, nunquam cessaverunt, quousque eam postremo totam multo suorum sanguine obtinuerunt. *Nec solam Galliam* tandem, sed & *Alemanniam, Sueviam, Bavariam, Alfaciam, Helvetios, Thuringiam, Saxoniam, Burgundiam, eamque terram, quæ inter Thuringos, & Suevos sita, hodie antiqua Francia sive orientalis dicitur, & vetustum nomen Francorum sola retinet Austriam, Rhenum totum, ab*

ortu usque in mare, *Menappos, Batavos, & Mosellanos, Treviros, Metim, immò totam Germaniam cum universa triplici Gallia, & Hispania suo dominio subjugarunt.*

Certum est, quod primas Sicambri receperunt sedes, ubi nunc sunt *Geldrenses, Westphali, Monasterienses, Clivenfes.* Deinde Rheno transmissis subjugarunt sibi terram *Tungrorum, Leodiorum, Trajectum, Hollandiam, & reliquas.* Multo tempore Sicambriis illis nomen permansit, donec tandem sub Rege Franco, quem hostes appellavere ferocem, nomen paulatim cepit mutari. *Marcomirus* autem Rex, post multa fortiter gesta moritur anno ante nativitatem CCCC.X. Tres filios reliquit, *Anthenorem, Priamum & Nicanorem.*

Ad hunc annum *Wasthaldus* 12. libros suos de origine Sicambrorum, ab excidio Trojano perduxit, atque complevit per annos continuando, DCC.LXVII. Ab hinc *Hunibald*, in VI. libris historiam, de Regibus & gestis Sicambrorum continuat per annos, DCCC. XXX usque ad obitum *Clodovei* Regis Magni.

Anthenor, in Regno Patri succedens, regnavit annis XXX. Hic magno in honore fuit apud Sicambros suos, & Saxonum amicitiam obtinuit fortissimam, quorum auxiliaria ope, multa contra Gallos, & Romanos bella constituit. Adjuvabant enim fratres ejus *Priamus & Nicanor* fideliter, & plures incursiones fortiter peregerunt, in Gallos Rheno transmissis. Sed & *Suimo* patruus ejus, in parte ejus semper auxiliator ei fidelissimus fuit.

Anno Regni sui VII. conquerulantibus Sicambriis, de angustia sedium, & maxime quod pecoribus deficerent pascua, jussit eos paululum exspectare donec tempus esset rei conveniens. *histante hyeme frigidissima, cum omnia flumina essent congelata, contractis Sicambriis armatis octoginta millibus vicinam gentem, quæ fuit inter mare septentrionale, & terram eorum invasit, & masculis omnibus trucidatis, etiam infantibus, mulieribus tantum pepercit.* Regionem suis distribuit, quæ optimis pascuis abundavit. *Hæc terra* postea dicta est *Phrisia* à quodam Principe Sicambro, qui *Phriso* dicebatur.

Anno Anthenoris XII. *Suimo* Patruus ejus obiit, qui reliquit duos filios *Marcomirum & Electorem*, quorum primus in Rheno perit, secundus loco Patris sub Rege Anthenore comitatum administravit trans flumen Rheni. *Priamus* à fratre Anthenore Rege constitutus est Princeps terra Septentrionalis, quam noviter acquisierant, id est, circa mare Germanicum. Ex his multi Principes sunt nati, per successum temporis, quorum *Hunibald* plures commemorat, alii Duces, alii Comites, sed omnes sub nutu permangebant unius Regis. Anthenor autem Rex obiit anno Regni sui XXVIII. completo, qui fuit ante Domini nativitatem CCC.LXXX. unicum relinquens filium nomine *Priamum.*

Priamus *Anthenoris* filius patri in Regno successit, regnavit annis XXIV. cujus tempore Sicambri jam consuetudinem habentes, cum Saxonibus magnam linguam suam vetustam, patriamque ceperunt oblivisci, paulatimque Germanicam usitare, quousque tandem omnes aliam non noverunt linguam, nisi solam Theutonicam. Remanserunt plura apud eos vocabula, quae magis Graecam originem videntur habere, quam Germanicam, sicut bene novit, qui Graecè intelligit simul, & Theutonice; ita manet, & nunc

Anno Priami VI. moritur *Marcomerus Dux* Priami Regis, ex *Suimone* consanguineus, qui reliquit filium nomine *Theocalum*, quem Sicambri summum sacerdotem Jovis constituerunt, & erat eis Antistes, Vates, & Parens Regum. Usque ad illud tempus Sicambri non habuerunt templa Deorum, sed sub quercubus litabant, & consultabant.

Anno Priami VIII. Sicambri inter multas adificationes construxerunt unam civitatem fortissimam, quam Neopagum nuncupaverunt, prope Rhenum, ubi Reges multo tempore confederunt. Feceruntque templum Jovi, quem praeter ceteris coluerunt. Hujus Fani Antistes Theocalus fuit.

Priamus post invasiones contra ultra Rhenanos, & Gallos optime factas moritur, anno regni sui XXIV. Ante nativitatem Christi CCC. LVI.

Helenus filius Priami succedens, regnavit annis XIX. Hic Palladem venerabatur, cuius & sacrarium constituit, pueros captivorum immolavit. Cruentum in regione Tungrorum bellum, cum Gallis habuit, in quo plusquam XVI. eorum occidit, reliquos in fugam convertit. Occupata regione Sicambros, qui colerent eam posuit, & Principes cum multis pugnantibus peragrum, ut populum defenderent, ordinavit. Helenus Rex moritur, anno regni sui XIX. ante nativitatem Domini CCC. XXXVII.

Diocles Heleni Regis primogenitus Patri succedens regnavit annis XXXIX. homo statura procerus, severus & bellicosissimus, qui multa praelia fortiter gessit, non solum cum vicinis Gallis, sed etiam cum aliis gentibus longe constituitis.

Anno regni sui X. egressa est, multitudo gentium, de insulis Scandianis, quae nunc Gothica nuncupatur, & finibus Saxoniae insula omnia diripuit, gladio, & ferro devastans regionem. Contra hanc gentem processerunt ad bellum, Rex Saxonum, Rex Thuringia, & Diocles ipse Rex Sicamber, habentes in exercitu CC. LX. virorum fortium. Bellum atrox committitur, in quo ceciderunt, ex parte Gothorum, plusquam centum millia pugnantium. Ex parte vero Saxonum in primis cecidit *Heriman* Rex Thuringia cum viginti millibus, atque sexcentis. Saxones omnem praedam recuperantes suis spoliatis redierunt. Spolia vero hostium, quae multa erant dividerunt inter auxiliares amicos.

Interea cum audissent Galli, qui morabantur ultra Rhenum usque ad mare Britannicum, Morini, Ambiani, Tungri, & qui erant in illis regionibus eorum amici, quod Diocles de Regno exisset, cum magno suorum exercitu, congregati in multitudine magna Sicambros, qui erant ab illa parte inter Mosam & Rhenum, omnino delere statuerunt. Quod ubi per exploratores didicissent Duces Sicambrorum, exercitum in tres partes dividerunt, duas ordinantes, in singulas acies contra hostes, tertiam vero in insidiis locaverunt. Appropinquantes Galli, cum una tantum acie, ubi duas acies habere Sicambros vidissent, turbati sunt, sed tempus non erat

acies ordinandi aliter, quoniam Sicambri mox primam aciem suam ex adverso direxerunt in Gallos. Secunda vero acies a latere irrupens, in Gallos ordinem eorum confregit. Cumque acriter pugnaretur, & virtus Gallorum ad fugam retrocederet, occurrunt eis de insidiis Sicambri: Concluserunt a Sicambri Galli cruciantur, in pecora, sic quod de LXXXVIII. vix X. remanserunt. Plures enim in flumen dum fugerent submersi sunt.

Hac Sicambri victoria elati Diis suis, Jovi & Veneri non solum pecora, sed infantes etiam Gallorum hostium quotquot abduxerant captivos mactaverunt, Jovi masculos, & Veneri femellas offerentes. Ex eo tempore Sicambri, & spoliis inimicorum divites, & gestis rebus junctis gentibus, per circuitum metuendi facti sunt. Diocles cunctis diebus Regni sui, bellum habuit cum Gallis, & vix fuit annus in quo non semel ad minus, contra eos suum moveret exercitum.

Moritur anno regni sui XXXIX. ante Christi nativitatem CC. XCVIII. Reliquit autem IV. filios, quorum ista fuerunt nomina: Helenus, Priamus, Neicanor, & Basanus, qui & ipsi multos filios post se reliquerunt.

Helenus filius Dioclis natu major post Patrem regnavit annis XIV. homo lascivus, & iners, cujus tempore Gallis, & prius excursionem facta, Sicambri plura intulerunt damna. Contra quos fratres ejus, cum Principibus regni frequenter duxerunt exercitum, & vario Marte pugnarunt, interdum victi, nonnunquam etiam Victores. Rex autem domi residebat otiosus, libidini vacans.

Anno ejus in regno XIV. Congregati apud Neopagum Sicambri Helenum Regem inertem & inutilem communi omnium sententia deposuerunt a Regno, & ad prius suum redire vitam compulerunt. Anno ante Christi Salvatoris hosti nativitatem CC. LXXXIV. in cuius locum elegerunt fratrem ejus minorem.

Basanus Junior Dioclis quondam filius Heleno fratre abrogato, communi Sicambrorum voluntate simul & electione Rex constitutus, regnavit annis, non minus XXXVI. Vir in sua generatione sapiens, magnanimus, bellicosus, & fortuna patri non inferior. Hunc Sicambri, & Regem, & sacrorum Pontificem statuerunt, quem propter sapientiam ejus, & mirificè gesta magnum Basan, vulgariter, der grosse Basan nuncupaverunt. In tanta enim Sicambri habuerunt reverentia, & honore, ut eum non secus venerarentur, quam Deum verum. Ejus Imperio nemini contradicere etiam in minimo debebat sub poena mortis indubitata.

Restem seu funem ubicunque pergebat sibi anteferri iussit, & gladium in signum justitiae, quam adeo tenaciter servabat, ut nec filio, nec fratri, nec Principibus, nec Ducibus, immo nulli parcere, qui vel modicum contra legem commisset. Rapinam, furtum, adulterium, dolum, fraudem, & omnem injuriam, sive contumeliam inter Sicambros fieri sub poena mortis lege notavit, omnesque, vel parum in his contra legales sanctiones peccantes, sub aliqua misericordia punivit.

Filium habuit juvenem nomine Sedanum. Hic juvenili concupiscentia abstractus, cum uxoris ejusdam viri humilis conditionis perpetrasset, quod lege patris novit prohibitum, accusatus a marito foeminae judicatur ad mortem. Et cum Proceres rogarent, pro filio, pater respondit: Noli viri contra justitiam militare, facilius est ventum retinere in aere stantem, quam Basani mentem, a lege quam iustitiam revocare, sive desistere. Haec audientes Sicambri Princi-

Principes tacuerunt. Rex ad filium inquit: Non ego te fili occido, sed lex quam sciens pravariatus es apprehensum, filium propria manu truncavit.

Accurrens Mater truncati adolescentis lachrymans, & furens contra Regem intemperantia muliebri exagitata clamavit: *O crudelis tyranne non Rex, qui crudelitatem sub legis titulo exerces, quomodo parces aliis, qui proprium filium interemisti.* Cui Rex coram omni populo dixit: *Mulier tuum est obedire marito, Regi non exprobrare. Furo tibi per Deum meum Saturnum Jovem, quoniam nisi essem ira commotus, & te hac ipsa interficerem hora, qua mihi semper fuisti chiarissima.* Post dies octo Rex indicio Principum, & procerum Regni Mulierem quamvis pulcherrimam, & sibi supra ceteras singulariter dilectam, repudiavit, & ad Patrem Regem Orchardarum remisit.

Ex illo tempore Sicambri Basanum Regem suum, in tantum timere cœperunt, ut nemo inter eos magni, aut parvi quicquam mali dicere, aut facere presumeret. Unde Sacerdotes, qui Nobilium filios erudiebant, in templis Regem dicebant *Basan*, id est, *Justum Basan*, nominaverunt. Hinc proverbium est ortum, inter Sicambros quoties alter vidit, vel audivit, alterum malefacientem, aut dicentem, *Kennet thr den grossen Basan nicht?* hoc est, *Non novistis vos magnum Basanum?* Quasi diceret: *Non novisti, quam sit justus Basanus Rex, qui sic ista facientem seu dicentem percipit, sine dubio te capite truncabit.*

Anno Regni sui V. Rex Orchardarum habens adiutorem Regem Britannorum, cum multis navibus, & armatis venit contra Sicambros, & indixit eis bellum. Rex verò Basanus occurrit eis, circa littus maris, circa insulam, ubi civitas post fuit constructa, per Francos, cui nomen est *Mesoburgus*. Sed viso ex navibus tanto Sicambrorum exercitu Ori hades, & Britannii de navibus egredi non audebant, sed retro sine effectu abierunt. Causa fuit repudiatio uxoris Basani, quam Patri Orchardarum Regi (ut dixi) remiserat.

Irumpentibus denuo Gallis versus Rhenum, ubi Sicambrorum erant colonie, Basanus venit contra eos in virtute suorum magna, ubi iterum fusi sunt Galli & ultra Mosam fluvium eliminati. Victoriâ consecutus Rex memoratus *Basan*, plura castella, & munitiones fortissimas ab illa parte fluminis Mosæ construxit, versus Rhenum quæ vergit ad Orientem, in quibus presidia militaria posuit, fortissima contra incursiones Gallorum. In superiori Regione inter Agrippinam & Mosam castellum nominis sui construxit in unum, quod *Basan* nuncupavit, in quo multi Reges Sicambrorum & Francorum per annos plures postea Regni palatium, & sedem tenuerunt.

Anno Regni sui XXVI. *Basanus* post multa bella & fortissima prælia, quæ gessit cum diversis gentibus & nationibus, sacra renovavit, Sacerdotes in templo Jovis constituit, viros Græcæ & Germanicæ doctissimos, in vaticinio, in somniis, in iudicio stellarum, in Ethicis, in Phisicis, & in Metaphisicis, qui consilium sanum & rectum Diis inferentibus, dare possent cunctis interrogantibus eos in quacunque necessitate. Rege, qui summus erat Pontifex, absente, penes Sacerdotes summa decretorum erat potestas, persona Regis excepta, in quam non judicabant.

Ad templum autem *Palladis*, *Veneris*, & *Tritonia* Dea solas virgines constituit Sacerdotes, ad quas certis temporibus ingredi viris passim cunctis licebat, uxori- bus non copulatis, & agere in templo *Veneris*, quod ipsum

nomen ejus sonat. Quacumque Sacerdos tali concubina concepisset foetum, *Palladi* offerebat non occidendum, sed perpetuo ad serviendum. Qui ex his talibus *Tritonica* Sacerdotibus consecutus fuisset uxorem, post præteritum sanctus & Diis proximus laudabatur. Post præteritum partum unaquaque templum deserere cogebatur, quia jam *Veneri* suam pudicitiam sacerdos mater obtulit, & cui voluisset nubere potuit. De his plura dicit *Hunibaldus*, quæ non minus pudoris, quam brevitatis causa prætereo.

Rex *Basanus* postremò duxit exercitum versus supra de aquilone ad meridiem, in gentem quæ vocatur *Tegarana*, & est inter *Moguntiacum* & *Saxoniâ* usque ad flumen *Moenum*. Omnem hanc terram à mari septentrionali usque *Moenum* inter *Saxones* & *Rhenum*, hoc est, ab ostiis *Rheni* usque ad *Moguntiam* Rex *Basan* obtinuit, & constructis urbibus fortissimis multisque præsidio munivit non de facili superandam. Congaudebant *Saxones* & *Thuringi* Romanorum hostes, quod jam *Sicambros* ab Occidente simul & Meridie haberent, quasi pro muro contra Romanos & Gallos ferocissimos, imò potentissimos defensores.

Post hanc victoriâ *Basanus* Rex magnus ad diem natalem suam apud *Neopagum* inter *palludes* *Rheni* & *maris*, fratres suos & filios cum proceribus Regni multis vocavit ad solennitatem, per 7 dies Diis gentilitiis sacra peregit, *Jovem* cunctis visibilem supra templum nubilatum ostendit. 8. die filium suum primogenitum *Clodomerum* *Sicambri* de consensu omnium procerum, Regem designavit. Postea miranda genti carmine patrio futura prædixit, filios commendavit, justitiam præcepit, & subito nusquam comparuit. Nescio quid inferam. Divinitatis, ut *Amerodacus* dicit, appetentissimus fuit, justitiam coluit, subditos dilexit, pietissimus bonis, crudelissimus fuit iniquis. Usque in hunc diem nescitur quo pervenerit. Sed *Sicambri* *Francis* inter Deos eum relatum, pluribus annis carminibus celebraverunt sacra.

Evanuit in consilio publico, auctor *Amerodatus* est, Anno Regni sui XXXVI. Anno ante Christi natiuitatem CCXL. quem sui *Basangot* nominaverunt.

Clodomer filius *Basangot* Regis inagni primogenitus, sicut Pater de consensu Principum ordinaverat, succedens in regno, annis XVIII. regnavit. Cujus anno I. Galli mox, ut *Basanum* audiverunt evanuisse, mortuum non dubitabant, & ergo missis ad *Clodomerum* filium ejus nuntiis repeterunt ab eo terram omnem inter *Mosam* & *Rhenum*, quam eorum progenitores contra justitiam violentie *Sicambri* fecerunt subjectam, Quod si facere contemneret, se omnia gladio recuperaturos comminati sunt. Rex autem *Clodomer* nuncios Gallorum, quasi consilium habiturus cum proceribus suis, super instanti negotio, bonis verbis protractos apud se diutius retinuit, & prudenter cavens, ne rumor eorum, quæ ipse mente conceperat, in illorum notitiam deveniret, iussit suis, ut eos in omnibus copiose providerent, & latos cum illis peragerent dies. Interim *Clodomer* missis occultè ad Reges *Thuringiæ*, & *Saxoniarum* nuntiis, eos vocavit in auxilium, & cum suis adunato magno pugnatorum exercitu bellum in Gallos mente concepit. Ordinatis rebus nuntios honorifice dimisit, & ne in via quicquam de præmissis exercitibus ad notitiam eorum venire posset de suis, comites illis quasi pro conductu tuti itinervis usque in *Galliam* cura literis adjunxit.

Tenor literarum hæc continebat: *Clodomer Rex Magnus. Miramur de vobis Galli, quod terram à nobis quaritis recipere, quam progenitores nostri olim à vestris jure belli, sicut ab inimicis suis, à quibus multas acceperant injurias, justa vicissitudine obtinuerunt. Cogitate vires vestras nostris impares, & cessate ab hac temeritate vestra. Quod si contra nos venire vultis, statuisimus vobis non fracti animis occurrere, & defensare gladio, quod gladio majores nostri acquisiverunt.* His Galli recognitis magnum contraxerunt exercitum, ut ponte super Mosæ flumen fabricato exercitum contra Sicambros traduxerunt, custodiam relinquentes circa pontem ne ab adversariis occuparetur.

Dissimulavit hæc omnia Rex *Clodomerus* quasi nesciret, ordinatisque militibus, exercitum in quatuor partes divisit, habens in una qualibet plusquam triginta sex millia pugnatorum. *Duas partes* in totidem acies ordinavit. *Tertiam* locavit in insidiis. *Quartam* dimisit à latere per gyrum, ut pontem occisis custodibus præoccuparent. Venientes igitur Galli habentes & ipsi acies duas, cum Sicambri habuere congressum, non longè à Mosæ flumine propè castellum Delon.

At verò *Sicambri* fugientibus similes paulatim retrocesserunt, donec Gallos longius à flumine proraxerunt usque ad locum insidiarum. Ibi sanè bellum atrox commissum est. Steterunt enim fortiter Sicambri cum Gallis dimicantes. Interim *IV. Clodomeri exercitus circumgyrãdo pontem occupavit, cujus rei accepto signo, hi qui latebant de insidiis prorumpunt, Gallos invadunt atrociter compugnantes.* Postremo Galli fugam ineuntes cum pontem nescirent præoccupatum à Sicambri retrocedere festinarunt. *Cum ecce subito se vident in medio hostium esse conclusos, cæsi sunt pene omnes & miserabiliter trucidati, paucis equorum velocitate ad nemora lapsi.*

Reliqua fortiter à Clodomero Rege facta Hunibald satis diffusè conscripsit. Moritur autem Rex *Clodomer* anno Regni sui XVIII. Ante Christi nativitatem anno CCXXII. filios relinquens III. *Nicanorem, Helsenum & Helenum.*

Nicanor primogenitus Regis *Clodomeri* succedens patri, regnavit annis XXVI. *Ejus tempore iterum Gothi & Sclavi fines Saxonum invaserunt, contra quos rogatus à Rege Saxoniz processit ad bellum, & rediit victor multis ditatus spoliis.* Cum Rege Archadum prælium gessit in favorem Regis Britanniz Soceris sui, cujus filiam habuit uxorem nomine Constantiam, de qua suscepit V. filios, *Marcomerum, Anthenorem, Priamum, Helenum & Clodium.* Primogenitus patri successit in regno. *Secundus* maritima rexit. *Tertius* obiit in Anglia. *Quartus* Ducatum gessit in Germania Cis Rhenana, inter Saxoniam, Rhenum & Moguntiacum. *Quintus* Dux fuit inter Mosam & Rhenum fluvios. *Nicanor* Rex obiit anno regni sui XXVI. Ante Christi nativitatem CXCVI.

Marcomer filius *Nicanoris* major natu patri succedens regnavit annis XXVIII. *Princeps singularis prudentia ac modestia, in subditos pius & in hostes severus.* Hic enim à Sacerdotibus sacrorum Jovis in omni sapientia veterum excellenter edoctus in vaticiniis, & prædictionibus, in somniis, & auguriis, similem apud Germanos non habuit. *Majorum suorum fortia gesta coram se in templo & in palatio frequenter fecit recitari, & in carminibus patriis decantari.* Multa prælia gessit, victor cum Romanis, Gallis, Gothis, & diversis gentibus, quorum seriem Hunibald Historio-

graphus Francorum diligenter conscripsit. Moritur anno regni sui XXVIII. ante Christi nativitatem CLVIII.

Clodius Primogenitus Regis *Marcomeri* filius patri succedens regnavit annis XI. Hujus tempore *Galli* cum auxilio Romanorum excursum facientes ultra Mosam *Sicambros* valdè contriverunt. Anno Regni sui ultimo contracto, tam suorum quam Saxonum exercitu maximo iterum pugnavit cum Gallis, à quibus non satis caurè se habens in agmine fuit occisus. *Sicambri* autem non obstante Regis morte bellum prosequuntur & Gallos vicerunt. Occisus fuit *Clodius* Rex anno ante Christi nativitatem CLVII. regni verò sui XI.

Anthenor filius *Clodii* major natu post patrem regnavit annis XVI. Hic inducias fecit cum Gallis ad X. annos & placuit Romanis. Erat autem *Anthenor* Rex plus amator pacis, quam belli. Patris necem libenter vindicasset, sed illo tempore non potuit. Iste Rex prohibuit filios hostium Diis immolari. Moritur anno ante Christi nativitatem CXXI. Regni verò sui anno XVI.

Clodomer filius *Anthenoris* post patrem regnavit XX. Anno ejus primo Romani *Numantinos* per *Scipionem* subverterunt, & in suam potestatem compulerunt. Anno ejus VI. Galli finitis induciis, quas cum patre ejus Rege *Anthenore* fecerunt ante X. annos, exercitu magno collecto Mosam transeunt, quibus *Clodomero* occurrente, bellum gravissimum commissum est, & multi ab utraque parte ceciderunt. Galli autem qui remanserant retrocesserunt, & quam diu Rex *Clodomer* vixit, amplius Mosam non transierunt. Moritur autem Rex *Clodomerus* anno ante nativitatem Domini CXXI. Regni autem accepti *Sicambrorum* anno XX.

Merodach primogenitus filius *Clodomeri* post patrem regnavit annis XXVIII. Princeps strenuus, audacissimus, & nimium bellicosus, qui multa bella contra Romanos, Gallos, *Moguntinos, Trevirenses, & Colonienses* gessit. Nam auxiliarius Saxonibus atq; Germanis exercitum CCXX. pugnatorum contra Romanos produxit in Italiam, & devastans regionem, cum copiis ad Ravennam usque pervenit, ditatusque spoliis multis, victor ad propria remeavit. Multas tamen in reditu Romanorum colonias graviter afflixit, & magna eis damna intulit. Unde post multas tam victorias quam prælia, Romani tandem conjunctis sibi Gallis contra eum processerunt ad bellum in finibus *Sicambrorum*, inter Mosam & Rhenum. Et ne Saxones more suo *Sicambri* fierent auxilio, Romani prius subduxerunt *Sclavos & Gothos, qui fines Saxoniz & orientalis incursarent.* Rex ergo *Merodachus* *Cimbrorum* Regem aquilonarem cum centum millibus pugnatorum & ex insularis habuit adiutorem. De suis verò ducenta habuit millia.

Anno itaque regni sui XXII. *Marius* Romanorum Princeps, legiones Romanas cum Gallis *Duce Theodomeno* ultra Mosam destinavit contra *Sicambros, & simul acriter pugnaverunt, & multa millia ex utraque parte ceciderunt mortui, & fugerunt Sicambri.* Nam ex eorum parte occisi sunt XX. & plures capti.

Post hæc *Merodachus* instaurato exercitu Gallos iterum & invasi & superavit. Moritur ante Christi nativitatem anno XCIII. Regni sui anno XXVIII.

Cassander patri succedens in Regno annis XXI. regnavit, cujus tempore Galli auxiliario Romano-

sum milite fines Sicambrorum Mosano flumine tractato sæpius infestarunt, quibus fortiter contra pugnavit. Borbista Gothorum Rex cum maximo pugnatorum exercitu Saxonum fines ingressus, prædas & incendia fecit. Contra quem Rex Cassander cum Rege Saxonum venit, bellum atrox committitur. Borbista Rex Gothorum fugit multis suorum amissis. Iterum postea Borbista reversus regionem devastavit, spoliavit Saxones usque ad Vistulam fluvium, & retro fugit. Contra Gallos sæpe pugnavit, sæpe victor nec minus aliquando spretus fortuna. Moritur anno ante nativitatem Christi LXXII. Regni sui anno XXI.

Antharius filius Cassandri Regis primogenitus regnavit annis XXXV. De quo scribit Hunibaldus, *Moguntinos Romanorum colonos miserabili clade attrivit. Cam innumerabili exercitu Galliam intravit, vicos incendit, prædam & spolia infirma reportavit.* Verum cum tenuisset anno regni sui ultimo, irrupentibus iterum in Bataviam Gallis cum exercitu, occurrit & cum viginti millibus suorum occiditur. Galli magnam contra Sicambros irragem fecerunt. Occisus est anno ante Christi nativitatem XXXVIII. Anno regnantis XXXV.

Franck Antharii Regis major natu filius patri succedens regnavit XXVIII. annis, a quo Sicambri deinceps nomen Francorum assecuti usque in præsentem retinent diem. Fuit enim homo ferox, bellicosus, & gentis suæ defensor acerrimus: multa gessit cum exteris nationibus bella, semper victor, & gloriosus triumphator. Cujus anno III. iterum Gothi cum Scandianis populis Saxoniz fines depopulati sunt, & per decem annos ibidem confederunt. Sed cum successivè semper plus & magis irrumperent in Saxoniam, compulsi metu eorum Saxones Francum Regem Sicambrorum cum Thuringis in auxilium vocaverunt, & in multitudine CCXXX. pugnatorum contra Gothos processerunt in bellum, Sicambri autem cæteris audacius dimicantes, & quasi numen quoddam interpellantes frequenter Regis sui inter pugnandum nomen inelamabant vociferantes. *Hic Franci, hic Franci.* Ab eo tempore gens illa nomen mutavit, & paulatim non solum apud se, sed etiam ab aliis nationibus crebrius *Franci* sunt dicti quam *Sicambri*, quousque tandem in toto nomen illud obtinuit, Franci dicentur & non amplius vel raro Sicambri, ut Salagastald testatur.

Nam & gens ipsa nominis novitate usque adeo delectabatur, ut Regem postularent, & Principes quatenus perpetuo sanctent edicto, se non amplius *Sicambros vocari*, sed *Francos*. Placuit hæc postulatio Regi, utpote qui nominis sui cuperet immortalitatem consequi, & suo gentem vocabulo insigniri. *Statuit eos jam deinceps non Sicambros vocari debere, sed Francos, id est, nobiles, liberos, vel bellicosos, & cæteris nationibus metuendos.* Nec tamen subito, sed cum tempore multo & successivè nomen Sicambrum in oblivionem deductum est, sicut apud Scriptores invenitur illorum temporum, quod aliquando Sicambros nominarunt eos, aliquando Francos.

Remigius etiam Episcopus Remorum, quando Clodoveum Regem Francorum, qui I. ex Regibus Francis Christianus est factus, post superatos Alemannos baptizare jam debuit coram multitudine procerum, deponenti ornamenta regalia & humilianti se ad lavandum dixit omnibus nobis audientibus, alta & intelli-

gibili voce: Mis de pone colla Sicamber, adora quod incendisti: incende quod adorasti, hoc est, Christum adora, cujus Ecclesiam incendisti paganus, incende idola, que tunc adorasti.

Rex iste Francus fugatis a finibus Saxonum Gothis, in reditu suo cum exercitu obvium habuit nuntium quod Galli Mosam transissent, & vastata regione cum magna spoliatorum præda retrocessissent. Confestim Rex Francus acceptis in auxilium LXXX. Saxonum millibus, adunavit cum suis exercitum CCC. pugnatorum & Rheno transmissio venit usque ad Mosam. Videns autem desolationem regionis, quam fecerant Galli, commotus animo juravit dicens: *Videte commisiones mei quid fecerunt fœdisfragi Galli isti. Faro per caput Patris mei, Antharii, quod non dabo requiem capiti meo donec me vindicavero de illis.* Et laudaverunt omnes propositum ejus,

Mosa itaque transmissa quadraginta millia posuit ad custodiam pontis, cum reliquo exercitu processit in Galliam & tantam stragem fecit, quantum nullus ante eum Sicambrorum aut potuit aut cogitavit. Nam usque ad flumen Tabul procedens & mare, ab aquilone Tarubanos, Tongros, Legios, & quicquid his interjacet vel adjacet igne & ferro tam crudeliter consumpsit, ut nec infantibus nec mulieribus parceret. Congredientes sibi Gallos tanta ferocitate fudit, ut numen aliquod esse videretur non homo. Unde nimium territæ nationes in circuitu omnes Francos, id est, feroces eos nominarunt. Ceciderunt ex gladio Francorum plus quam ducenta millia Gallorum cum viris, mulieribus, & pueris, infantibusque.

Hinc moti Senatus Populusque Romanus legiones miserunt militum in Germanos Duce Marco Lolio, non enim tuto poterant invadere Francos, nisi Saxones primo superassent. Vicerunt primò Romani, & Germanorum XVIII. peremerunt. Audiens autem Rex Francus irragem, quam fecerunt Romani, misit Chlogionem filium suum Ducem cum magno pugnatorum exercitu contra Romanos, & multis eorum preceptis reliquos fugere compulerunt, anno Franci Regis XXIIV.

Francus Rex Francorum post multa fortiter gesta, moritur anno Regni sui XXVIII. Ante nativitatem vero Christi anno IX. cujus bella, mores, instituta & leges Clodomer Pontifex Summus carmine, & Hunibaldus prosa scripserunt.

Clogio Franci Regis major natu filius patri successit & annis XXX. regnavit, vir astutus, vir, augur, valet, & magus admirabilis, cujus mater Lothildis filia Regis Thuringiorum summa sacerdos templi Palladis extitit, & suis artibus omnes quos voluit inimicos filio & Francis dementavit. Scribit de his Clodomer Francorum Consiliarius grandia in Hunibaldo, quæ opinionem excedunt.

Anno Regni sui X. Clogio Rex filiam suam secundò genitum, nomine Phrisum ad instantiam matris & Principum Ducem constituit illius regionis, quæ postea ex nomine ejus dicta est Phrisia usque in præsentem diem contra Cimbrorum & Orchardum incursionem. Post annos X. permittente Clogione Rege cunctisque Francorum proceribus, Phrisus in Regem fuit sublimatus, ea tamen conditione, ut tributum Francis penderet annis singulis boves CCLX. buryri puri talenta XX. & cascorum regalium tria millia. Et sic Phrisia regnum factum est potentissimum. Anno Clogionis Francorum Regis prædicti X. natus

est Dominus Salvator noster JESUS CHRISTUS Dei Filius in Bethleem tribus Juda civitate apud Judæos in Palestina provincia. Ante hac anno Clogii IV. Romani hostiliter vastarunt Germaniam, aliquando victi, nonnunquam etiam victores. De cæteris Clogionis rebus gestis, bellis, vaticiniis, oraculis, & induciis cum Romanis factis vide Hunibaldum. Moritur anno Domini XX. regni autem sui XXX. multis magnifice gestis.

Herimerus secundò genitus filios Clogionis Regis post patrem regnavit annis XII. vir bellicolus & nimium audax. Anno regni sui III. Galli usque ad Mosam ducentes exercitum inopinata cuncta, quæ Francorum esse videbatur, vel eis consentiēte hostili excursionē vastarunt, & collectis spoliis retrocesserunt. Quod ubi Herimero innotuisset, vocatos ad se Duces ultra Mosanos, deposuit, & multatos juxta Reges Francorum suppellectili, ad vitam privatam redegit. Hæc enim præceperat lex. *In potestate constitutus sub Rege Francorum Princeps, cujus negligentia hostes terram nostram invaserint & laeserint, marsupio Regis communi dimidium pendat bonorum suorum, & amplius ne sit Princeps. Si volens hoc permisi, capite plectatur, & uxores cum liberis & bonis sine Regis.*

Post hæc Mosam & ipse transgressus multa cum Gallis bella commisit, & aliquando victor, aliquando etiam victus retrocessit & fugit. Postremò tamen Romanis auxilia Gallis ferentibus in bello fuit occisus anno regni sui XII. Dominicæ autem natiuitatis XXXII. Christo ipso in Judæa prædicante salutem generi humano.

Marcomerus frater Herimeri succedens in Regno Francorum regnavit annis XIX. cujus anno II. *Jesus Christus Dei Filius in Judæa secundum carnem passus & mortuus, tertiâ die resurgens à morte vivit in æternum.* Anno ejus XIII. Claudius Romanorum Cæsar Britanniam Orcadasque insulas Romanis fecit tributarias. Francos inter Mosam & Rhenum transeundo graviter afflixit & Gallorum auxilio usque ad Rheni insulas eos retrocedere compulit. Moritur autem Rex Marcomerus, Anno Domini L. regni vero sui XVII.

Clodomerus Marcomeri filius in regno patri succedens regnavit annis XII. Hic Rheno transmissio cum exercitu suorum & Saxonum Gallos ultra Mosam retrocedere compulit, & amissa omnia recuperavit. Bellum gessit Germanorum auxilio cum Romanis non longè à Moguntia, & agros Trevirorum vastavit. Moritur anno regni sui XII. Anno autem Christi LXII.

Anthenor filius Clodomeri patri succedens, regnavit annis VI, qui cum Gallis *omni tempore quo regnavit bellum gessit*, cujus & causa miserabiliter interiiit. Nam anno Regni sui ultimo exercitum duxit ponte fabricato ultra Mosam fluvium, & præda multa onustus rediit Gallis non expectatis. Cumque pars exercitus Francorum flumen transisset ac Rex cum aliis in littore ultimus resederet, subito pons equitum multitudine oneratus cecidit contractus, & multi fuerunt extincti. Attonitus Rex & animo consternatus dum consilium tractat cum his, qui secum remanserant de ponte recuperando, nunciatur eis adesse Gallos cum exercitu magno & paratos ad pugnandum. Sed cum pauci essent non videbatur ei securum Gallorum expectare præsentiam, & tamen aliter fugere non potuit

nisi per flumen. Abjectis igitur armis & quicquid gravare potuit retento baltheo super tunica & gladio, equum ascendit, & fluvium transire tentavit. Similiter fecerunt & alii Pedites non habentes quo fugerent, aquis se commiserunt. Ex his aliqui natando pervererunt ad litus, cæteri autem fluctuum impetu fuerunt, inter quos & Rex Anthenor, submersi. Cum quo interierunt 9. Francorum nobilissimi Duces, omnes de Regia stirpe procreati, videlicet: Dux Priamus, Dux Clodius, Dux Richimer, Dux Anthenor, Dux Marcomer, Dux Walther, Dux Clogio, Dux Herimer, & Dux Luthovic, cum LXIII. aliis Nobilibus. Anthenor itaque perit anno regni sui VI. Dominicæ natiuitatis sexagesimo octavo anno.

Ratherius post interitum patris regnavit annis XXI. cujus anno secundo *Nero Cæsar Romanorum primam persecutionem movit in Christianos* anno Imperii sui XIV. & alia commisit horrenda scelera. Rex autem Ratherius cunctis regni sui diebus cum Gallis & Romanis in contentione fuit, & plura cum eis prælia gessit. Moritur anno regni sui XXI. Dominicæ natiuitatis anno LXXXIX.

Richimer patri succedens regnavit annis XXIV. qui cum Gothis bellum gessit & victor evasit. Nam anno Regni sui XII. Gothi fines Saxonum & Germanorum hostili denuo incurfione vastabant. Rex itaque Saxonum Windekind, Rex Francorum Richimerus, & Rex Thuringorum Hermenfrid cum maximo suorum exercitu Gothis congressi XX. eorum occiderunt, & reliquos converterunt in fugam. Est oppidum juxta flumen Oderam nomine Franckenfurt, quod eotempore *Franci habita de Gothis victoria confedisse memorantur*, ubi Richimerus Rex filium suum secundò genitum Ducem constituit, & magnam exercitus cum eo partem dimisit. *Uxores liberos & cunctam eorum suppellectilem reversus in Franciam Cis Rhenanam Rex ad eos delinavit.*

Erat nomen Duci Regis filio Suimo, cui successit in Ducatu filius ejus Clodomer, & illius successor fuit ac filius Suimo II. qui anno Domini CXLVI. civitatem ad Sprevi fluminis exitum non longè à mari Germanico fundavit, quam ex suo nomine Suimonia vocavit. *Manserunt in terra illa multo tempore Fraxum nomen resinantes, donec postremo Marcomeri dicti sunt, à Duce quodam Marcomero, cujus filius Brand civitatem Brandenburg construxit.*

Anno Richimeri Regis V. *Domitianus Cæsar Romanorum Titi frater junior post Neronem secundam persecutionem movit in Christianos, se quoque primus omnium Cæsarum, anno suo VI. Dominum & Deum appellari præcepit.*

Rex autem Richimer anno Regni sui XI. bellum habuit cum Romanis & Gallis, non longè à civitate Basana, quæ nunc ad *Thermas Grani* nuncupatur. Eodem tempore militum legiones Romanorum apud Agrippinam Coloniam post bellum cum Francis non satis feliciter commissum, accepto nuncio de morte Cæsarum Coccei Nervæ, *Ulpium Trajanum Crinitum* natione Hispanum Imperatorem fecerunt, qui *tertiam persecutionem movit in Christianos: Postea informatum præcepit, Christianos non inquiri, sed sponte se ingerentes tantum debere occidi.* Postremò tamen iterum mutatus, *quartam eis persecutionem suscitavit.* Richimerus autem Rex Francorum obiit, Anno Domini CXIII. Regni sui XXIV.

Odemar Richimeri Regis Francorum primo genitus filius post patrem regnavit annis XIII. princeps populo Francorum valde amabilis, qui temperavit à bellis quoad fieri potuit. *Inducias*, id est, tréngas sive confidentias fecit cum Gallis atque Romanis, & se tam utriusque exhibuit amicum, ut omnes mortem ejus deplorarent. Unde pacem habentis cum omnibus, totum suum studium impendit pro decore & ornatu gentis, renovando leges, & constituendo novas civitates & munitiones. *Inter multas autem civitates unam suo nomine fundavit, in terra quæ Tuendia nominabatur, quæ est inter Saxones & Francos*, contemninans juxta alveolum Vechtanum, quam nominari præcepit Odemarsheim, anno Regni sui IV. Dominicæ autem nativitatibus centesimo septimo decimo. *Moritur autem Rex Odemar* anno Regni sui XIV. Domini autem CXXVII.

Marcomer Filius Odemari post patrem regnavit annis XXI. qui uxorem habuit filiam Regio Britannicæ nomine Athildem, de qua genuit VII. filios, quorum ista sunt nomina *Clodomer* qui patri successit in regno, *Marcomer* qui fuit Dux apud Nitriones, & condidit urbem sui nominis *Marcoburgum* appellatam. *Clogio* qui perit in Britannia, *Franc* qui fuit Dux apud Hogios populos à Confluente usque ad Mœnum, versus Orientem inter Moguntiacos & Saxones, qui veterem urbem Helenopolim juxta Mœni littus instaurans, Franckenfurt nominari præcepit. *Merodac* in venatione apro percussus interiit. *Nicanor* qui Dux fuit Insulanus Hollandiæ. Et **Odemarus** quem pater sacrorum constituit Pontificem. Eo tempore claruit *Doracus Francorum consiliarius atque Philosophus, homo in omnibus mundi scientiis eminenter doctus, qui carminibus & annalibus præfuit*. Pacem habuerunt Franci cunctis diebus quibus Marcomer regnavit, & multum sub eo divitiis & potentia creverunt, aucti numero & dignitate. *Doracu* in annalibus scribit, ut refert Hunnibald, quod *Romani Francos & bello & pace semper habuerunt suspectos, quasi futuros Imperii eorum destructores*, quod metuebant ex oraculo Phedri, sicut & postea magna ex parte contigit sub Faramundo, & ejus sequacibus. Obiit autem Rex Marcomer, anno regni sui XXI. Domini CXLVIII.

Clodomerus primogenitus Marcomeri Regis filius regnavit post patrem annis XVII. qui fuit *homo prudens, modestus, & agilis, uxorem habuit filiam Ducis Rugiorum nomine Halildam, de qua genuit tres filios, Farabertum, Nicanorem. Quarum natu major patri successit. Secundus fuit Rex Phrisiæ, Tertius Rorich in flumine submersus est, à quo nomen fluvio mansit Rora* usque in præsentem diem inter Neocum castellum Cirsenanum & civitatem Morandum. Clodomer autem obiit anno regni sui XVII. Domini verò CLXV.

Farabertus filius Clodomeri natu major post patrem annis XX. regnavit. Cujus anno VII. prælium atrox Germanorum cum Romanis factum est, in quo Germani cladem non modicam susceperunt. Anno ejus X. *Germani* memores injuriarum, quas à Romanis acceperant, fortissimum convocantes exercitum, *sinus eorum intraverunt, & omnia præda, igne & ferro vastarunt*. Moritur autem Farabertus Rex anno Regni sui XX. Domini verò anno CLXXXV.

Suimo Faraberti Regis filius post patrem regnavit annis XXVIII. & multa prælia gessit cum Gallis atque

Romanis. Nam ejus tempore *Severus Caesar* Romanorum *Britanniam*, quæ nunc *Anglia* est, denuo Romanis reddidit *subjectam, quod Suimoni & Principibus suis non placuit*. Unde mortuo in Britannia Severo, Suimo Galliam vastavit, anno Regni sui penultimo & victor remeavit. Moritur autem anno regni sui XXVIII. Dominicæ autem nativitatibus CCXXIII. anno.

Hildericus Suimonis major natu filius patri succedens regnavit annis XL. *vir potens in armis, & prudentia magna*. Hic in Insula Rheni fortissimum condidit castellum, non longe à Neoco, quod nomine suo Hildeburgum nuncupavit. Claruit ejus tempore Hildegast Francorum sapientissimus Philosophus, consiliarius & vates, sive Propheta; de semine regio natus, qui Odemaro in summo pontificatu successit. *Hic tantà apud Francos opinionis & reputationis fuit per XLVI. annos, ut ab omnibus tamquam numen aliquod divinum audiretur, imperaretque & Regibus Ducibus, & universo populo Francorum sicut Deus & Dominus*.

Hic die natalis Hilderici Regis stans in templo Jovis apud Neopagum, ante ipsius Dei simulachrum, post preces pro vaticinio fufas furere cepit, ut moris est prophetantibus, agitaturque capite, ac manibus recurvatis, ita vaticinabatur:

Veni ab occiduo Francus victoria Deo,

Dardani veteris quem colere patres.

Quicquid habet Gallus, quicquid Germania tota,
furi cedit omne tuo bellicose Sicamber.

Hunc tibi cum dederis primum de nomine Regem,

Quem statuent Principes & sine Rege Duces,

Illo jam regnante Francus sine fine regnabit.

De Romanis quoque hæc intulit:

Magnus ecce Dem dabit Franco lupanaria castra,

Et franget aquilam leo serpente collisam.

Multa prædixit, & alia Francis futura, quæ nescio si quis intelligere possit, antequam fiant. *Scripta sunt autem per eum, partim Germanica lingua partim verò Græca, & Romana, non observata lege metri, sed pro vi spiritus in eo furens verba exstumarit*. Unde & ego ut sensum non confunderem verba ejus eodem ordine numero latina feci, non mensura carminis, sed tantum imitatione dictionis. Idem etiam Hildegast Francos Nobiles, & filios eorum docuit gesta majorum carminibus lingua decantare materna, id est, *Germanica*, in cytharis & aliis instrumentis multis, ut canerent docuit.

Erant *Franci* eo tempore adhuc moribus rudes & feri, nec habitu culti, nec mansionibus curiosi, aut civiles, utpote qui habitare in campis magis fuerunt assueti, quam in urbibus, aut habitaculis pulchris, vel curiosis. Sæpe namque Regum suorum Imperio sedes, & domicilia mutare coacti fuerunt, & ideo pulchra ædificia non curabant. Sed Hildegast eos, & mores docuit cultiores, & domos ædificare diversis receptaculis distinctas. Quicquid enim prius construxerant nimia simplicitate fuit contemptibile. Unde *Germani* sumentes *proverbium*, cum viderint quippiam antiqua simplicitate fabrefactum, vel depictum, usque in hunc diem dicere solent: *Hoc opus Francorum antiquum*. Das ist ein altsächsisch Werk. Reliqua Hilderici apud Hunnibaldum sunt. Moritur anno regni sui XL. Dominicæ verò nativitatibus CCLIII.

Bertherus filius Hilderici Regis post Patrem regnavit annis XVIII. cujus tempore *Romani*, qui

morabantur per legiones in Gallia Cisterhenana bellum gesserunt, cum Alemanniis Suevi, ducentes exercitum suum ad Augustam civitatem Rethorum, quæ nunc in Suevia est, anno Bertheri Regis Francorum VII. ubi Valerianus à militibus, in exercitu Augustus creatus fuit, & Gallienus Romæ à Senatu Cæsar appellatus, Gallo & Volusiano ab Æmiliano necatis.

Anno Bertheri X. Germani Francorum, & Saxonum auxilio fines Romanorum hostiliter ingressi sunt, & omnia devastantes usque ad Ravennam pervenerunt.

Anno Bertheri XI. Alemanni Rheno transmissi, cum magno exercitu Galliam intraverunt, & usque ad Treverim pervenientes omnia igne, & ferro crudeliter devastarunt. Inde procedentes in Italiam usque pervenerunt, & multa Romanis damna intulerunt. Anno sequente Franci auxilio habentes Germanos, Saxones jussu Bertheri Regis sub Ducibus Antheri filio ejus, & Lutheri filio Regis Saxonum, Galliam cum exercitu magno pervagantes devastaverunt, incipientes à Tungrensium regione per Balvacos usque ad Sequanam, & ulterius usque in Hispaniam omnia vastando pervenerunt, urbem Terraconam subvertunt. Bertherus Rex obiit anno regni sui XVIII. Domini CCLXI.

Clodius Bertheri filius regnavit post patrem annis XXVII. cujus anno VIII. Romani Francos de Hispaniæ interiorisque Galliæ finibus expulerunt, multis ab utraq; parte caesis. Retrocesserunt enim Franci usque ad sedes Mosanas veteres.

Anno de hinc Regni sui XII. Clodius Rex cupiens se vindicare de Romanis, iterum per Duces invasit Galliam, & multa Romanorum millia fuerunt perempta à Francis. Itaque Franci magnam Galliæ interioris partem septennio tenuerunt.

Anno Regis Clodii XIX. venerunt iterum Romani sub Duce Probo, iterumque Francos de Gallia expulerunt non paucis bello ab utraque parte fuis atque peremptis.

Hujus quoque Clodii temporibus Romanum variè gubernabatur Imperium, quod non parvam à Francis, Germanis, Suevis, id est, Alemanniis, Saxonibusque jacturam sustinuit. Anno verò Clodii Regis XI. Claudius Cæsar militiam Romanam duxit contra Suevos, cui non longe à lacu banaco Suevi, cum triginta millibus occurrentes atrociter dimicarunt: Cessit tandem Romanis victoria, & plusquam duodecim millia Suevorum ceciderunt, cæteris fuga salutem querentibus.

Clodius Rex moritur anno regni sui XXVII. Dominicæ autem nativitatæ anno CCLXXXVIII.

Waltherus filius Regis Clodii post patrem regnavit annis VIII. cujus anno I. Diocletianus Roma caput, & imperavit annis ferme vincti, qui tanta arrogantia, & superbia fuit, ut se adorari publice pro Deo mandavit.

Anno Waltheri Regis I. II. III. & IV. magni fuerunt in Britannia, quæ nunc est Anglia, tumultus. Mortuo enim ante aliquot annos Rege Britannorum Lucio qui primus fidem Christianam, ab Eleutherio Papa susceperat tempore Suimonis filii Phara-berci, Regis Francorum anno Christi CLXXXVII. substituerunt ei Romani Severum Senatorem, quem cum duabus legionibus in Britanniam miserunt, quem applicantem, ad litus Britanni bello exceperunt.

Quo tandem apud Eboracum perempto, Cæsar su infimo genere in Britannia natus, Romanorum consensu Rex declaratus multam exercebat tyrannidem. Quo tandem interfecto, Waltheri Regis Franci temporibus, Romani Alexium in ejus locum, cum tribus legionibus militum destinaverunt. Verum Britones Imperium Romanorum diutius ferre non valentes Asclepiadotum, sibi Regem ipsi constituerunt, Alexium verò cum duabus legionibus Romanorum occidunt. Gallum verò præfectum cum tertia legione, apud Londoniam obsident, qui ubi vidit se non posse resistere, accepta licentia abeundi, urbem resignavit. Cæpit autem Asclepiadotus anno Waltheri VIII. & regnavit annis X.

Erant Romani his temporibus potentes, & multis nationibus imperabant. Franci autem extremo Romanorum odio laborabant, quiescebant tamen, vaticinium suorum prophetarum, quod nec dum aderat, tacite præstolantes. Waltherus Rex moritur anno regni sui VIII. Domini CCXCVI.

Dagobertus Regis Waltheri filius post patrem regnavit annis XI. qui fuit mansuetissimus in subditos, quo factum est, ut magni, & parvi eum colerent, ut patrem, magna tamen & singulari reverentia, & honore eum prosequentes.

Anno Dagoberti Regis Francorum IV. Cælus Dux Claudioceltrix insurgens contra Dominum suum Asclepiadotum Regem Britannorum, inductus promissionibus Romanorum bello eum occidit. Quo nuntio lætati Romani miserunt Constantium Senatorem, qui prius Hispaniam eis subjecerat, virum non minus prudentem quam audacem. Quem ut Cælus audivit littori applicuisse, nuncios misit, pacem petiit, Romanis tributum promisit, tantum ut Regnum habeat.

Assensit Constantius. His compactis Cælus intra dies XL. moritur, cujus mox filia in nomine Helenam, cui pulchritudine, scientia liberalium artium Peritia instrumentorum musicalium, puella similis non fuit in Britannia, Constantius duxit uxorem, de qua genuit filium nomine Constantinum, qui patri postea successit in Regno, non solum Britonum, sed etiam contra Maxentium prævaluit ad Imperium Romanorum.

Nam Constantius pater factus Imperator, Constantinum Cæsarem fecit, & ei Galliam commisit. Eo tempore Alemanni Galliam in magna occupaverunt potentia, cum quibus Cæsar Constantinus, anno Dagoberti Regis Francorum prædicti IV. bellum gessit apud Lingonam urbem Galliarum, & eorum sexaginta millia interfecit. Dagobertus Francorum Rex moritur anno regni sui XI. Domini CCCVII.

Clogio Dagoberti filius mortuo patri succedens, regnavit annis duntaxat duobus. Nam secundo Regni sui anno Romani Francorum Regnum circa Mosanum & Rhenum atrociter invaserunt, eo videlicet anno, quo Constantinus Choraci, in Britannia moriens, & Regnum & Imperium Constantino filio cum matre commendavit.

Cum itaque Rex Francorum Clogio incautus dimicaret, a Romanis interceptus, & occisus est, duos relinquens filios, quorum natu major Helenus annu tunc agebat XX. minor verò natu Richimer XVIII. Lege autem Francorum erat interdictum ne quis promoveretur in Regem, nisi XXIV. ætatis annum complecter. Hinc factum est quod neuter filiorum Clogionis ad regnum potuit pervenire, sed Patrius eorum Clogio-mer

mer electione principum fuit in Regem coronatus. Clodio Rex peremptus anno Regni sui. II. Christi autem CCCIX.

Clodomerus frater Clodionis post eum regnavit annis XVIII. cujus anno secundo Alemanni qui & Suevi graviter à Romanis afflicti, Francos Thuringos, & Saxones in auxilium vocaverunt, monentes & orantes, ne tardarent eis citius in adiutorium subvenire, attento, quoniam si Romani, ut animis conceperant superassent, jam Franci, Saxones, & Thuringi ab eis sine dubio peterentur.

Quibus recognitis Rex Clodomer Genebaldum fratrem suum exercitus constituit, cui octoginta virorum millia subiecit. Similiter fecerunt, & ceteri Reges, in auxilium vocati, conjuncti Alemannis subsidiarii milites magnum statuerunt exercitum, congressuque Romanis acriter pugnaverunt, & plusquam quadraginta sex millia eorum peremerunt, ceteri salutem fugaverunt.

Hac Germani victoria potiti cum spolia in caltris consueto more dividerent, orta est inter duos milites, quorum alter Suevus alter verò Thuringus erat, quaedam turbatio, quæ in tantum crevit, quod periculosa seditio fuit subsecuta. Uterque enim de sua gente plures habuit sibi adhærentes. Ducum tamen & Principum auctoritate interveniente cessaverunt illa vice à tumultuatione. Causa turbationis fuit, quod miles ille Suevus nomine Adelbert dixerat: Thuringum nomine Gunther nescio quid furtive de præda communium subtraxisse.

Verum ubi Thuringus furtum negaret, obtulit, se Suevis ad probandum dictum suum duello, quod cum admitterent Principes, monomachia bellum committitur, & Thuringus ab Alemanno, in secundo congressu peremptus est. Cujus cadaver, cum armis & vestimentis fuisset nudatum, etiam furtum de quo fuerat accusatus penes eum inventum est. Qua confusione accepta Thuringi ultra modum animis sevierunt, tamen dissimulantes iram, consilium postea seorsum habuerunt viri centum viginti quomodo Guntherum de Adelberto Suevo vindicarent occisum, omnia secretissime manere jubent.

Nocte igitur insequente super tentorium, in quo suspicabantur esse Adelbertum Suevum irruunt, & clamantes, trade nobis homicidam ut moriatur. Quid plura? Ad arma concurrunt Suevi suum defendere militem innocentem, vel cum eo mori statuunt, irruentesque in illos centum viginti Thuringos omnes pene trucidantur. Quod cum nuntiatum fuisset in castris Thuringorum, mox in furorem concitati, mane diluculo, in Suevos prosiliunt, cum infania vociferantes. D ihr verrätherische Döbwich. At Suevi non legnes arma corripientes fortiter se defendunt.

Arox inter amicos pugna committitur, in qua plusquam duodecim millia Thuringorum à Suevis perempta sunt, ceteri fuga lapsi, ad castra Francorum, qui ad duarum fere leucarum distantiam, ab his aberant, pervenerunt. Nec enim Franci, nec Saxonibus innotuerat res, donec perpetrata fuerat, quia non in eodem loco, sed procul ab invicem castra posuerant.

Post hæc Principes, & Duces Francorum Saxonumque, pro pace, & concordia inter Alemannos, & Thuringos magnis laboravere conatibus, sed cum ambæ partes graviter se lætas quærentur plenam reformare pacem non potuerunt. Inducias tamen impetraverunt

ad tres annos, in quibus à bello partes deberent abstinere, donec medio tempore deservescente commotionis turbatio sedaretur. Ab illo tempore usque ad nostram ætatem perpetua manet inter Suevos, & Thuringos occulta dissensio, cum plures causam ignorent, & se mutuo insequuntur.

Anno Clodomeri Francorum Regis VI. trengis, sive induciis inter præscriptas gentes finitis, Alemanni bellum Thuringis indixerunt. Sed Thuringi rebus suis diffidentes nuncios miserunt nobiles, & insignes ad Clodomerum Regem, & Francorum proceres, magna cum instantia rogantes ut eis in auxilium copias mittere contra Alemannos, ut amici dignarentur. Erant eo tempore magni gentium motus, in Britannia, & in cunctis Insulis circumjacentibus. Rex autem Francorum quia non longè distabant sedes suæ gentis à Britannia in magna sollicitudine fuit, metuens Romanorum insidias ne forte per terram excurrerent, & fines Francorum infestarent, sicut & antea sæpius fecerunt.

Unde cum suis habito consilio Thuringorum Legatis respondit, in concione magnatorum publica dicens: Duce Genebaldo fraire meo charissimo dudum intellexi, quæ fuerit inter vos amici Thuringi, & Alemannos causa dissidii, & earum, quæ hodie sunt in foribus turbationum. Sed vos ipsi optime scitis, quod Romani cum Gallis quotidie nobis imminet, ac diligentissime observant, si qualibet occasione regnum nostrum possent destruere. Unde cautum nobis non judico his periculosis temporibus populum dividere, & neglectis propriis aliena tutari. Quod si possemus sine periculo nostro, sicut ante hæc sæpius fecimus, & nunc amica servitute faceremus. Est enim locorum nimis à nobis distantia pugnare contra Alemannos, cum illi principium Rheni & ortum, nos verò extrema ejus ostia teneamus.

Quibus auditis à Rege Francorum, Legati Regis Thuringiæ responderunt: Domine Rex & vos Franci optimates audite: Est nobis terra lata, fertilis, & amena, unde si vobis placet, promptus est Rex noster cum universa gente Thuringorum dare populo vestro terram optimam, quæ est ad Mœni ripas, & inter Alemannos, ut nobis in murum, & Alemannis suis in exterminium. Ad petitionem Thuringorum Franci dederunt consensum, & oblata susceperunt.

Anno igitur Dominice nativitatis CCCXVI. qui fuit VII. annus Clodomeri Regis Francorum, in mense Aprili 19. die mensis exiverunt viri armati, triginta millia, agricultores, & variarum rerum artifices, duo millia sexcenta octoginta sex, cum uxoribus, liberis, & rebus suis de Francia Cismarina, ubi nunc est, Trajectum, Hollandia, Geldria, Selandia, pars Phrisiæ, & Westphaliæ, simul & Brabantia cum adjacentibus terris multis selecti, & jussi à Rege ascendere in terram, quam promiserant se Thuringi Franci daturus, quam etiam cum magna latitia susceperunt.

Ducem Rex super populum missum, & exercitum omnem constituit fratrem suum Genebaldum, qui annis prioribus cum Alemannis contra Romanos dimicaverat, fuitque vir magnæ prudentiæ, audax & bellicosus, qui terminos sibi & populo suo donatos non solum bene rexit, sed etiam in brevi multum ampliavit. Cumque exiissent patrios lares Franci, Dux Genebaldus cum viginti millibus pugnatorum processit, ad locum sibi à Thuringis destinatum, reliquæ verò decem utilia pro tutela populi subsequenti cum filio suo Marcomero in itinere post se dimisit.

Cum autem percepissent *Alemanni*, quod Franci novas à Thuringis sedes accepissent juxta Mœni littora inter medium eorum, valde timuerunt: & missis ad *Genebaldum Ducem Legatis pacem orant*, & omnem causam litis Thuringorum, in ejus arbitrium committunt. Similiter etiam Thuringi fecerunt. Et sic magnum inter illos dissidium *Genebaldi* prudentia fuit extinctum.

Eodem anno in mense Septembri *Marcomer Dux Genebaldi filius* cum reliquo Francorum populo venit in meridiocalem Thuringiam, & sedes promissas acceperunt circa Mœnum fluvium, ab oriente habentes *Bohemiâ*, à meridie *Alemanniâ*, ab occidente *Rhenum* & *Moguntiam*, ab aquilone, verò *Thuringiam* & *Saxoniam*. In eorum autem introitu omnes Thuringi Regis sui *Heroli* mandato retrocesserunt in Thuringiam, & dispositas sibi mansiones receperunt, alimenta Franci ad integrum annum sufficientia jussu Regis dimittentes. Franci autem novi advenæ, in terra jam sua confederunt, primò in eo loco qui olim dictus est, *Liman* / ubi nunc est urbs Francorum nomine *Würgburg*. Exinde omnem inter se regionem dividerunt, per familias singulas distributionum gradus fortes, mittentes unicuique per ordinem gentis suæ.

Genebaldus verò Dux Francorum in orientali Francia, primus ab illo tempore genti præfuit, sub nutu & Imperio Regum inferioris Franciæ annis XXX. & brevi tempore nomen ejus innotuit multis, ita ut etiam Romanis jam esset formidabile, quibus valde displicuit, quod Franci terram illam inhabitare cœpissent, scientes illos esse feroces, quietis impatientes & ad bella promptissimos. Nec tamen poterant eos prohibere propter multa prælia quibus, eo tempore in aliis mundi provinciis plus consuetudo fuerunt nimium occupati.

Dux Genebaldus consentiente *Clodomero* Rege Francorum, qui regnavit in Francia occidentali circa mare Mosam & Rhenum, sedes inivit cum *Alemannis* & *Thuringis*, quo fortior esset, ad impugnandum Romanos, & Gallos, qui finibus Franciæ, ab alia Rheni parte imminuebant apud *Moguntiam*, & *Argentinas*, contra quos *Rheno* transmissis sæpius dimicavit, & plures eorum occidit.

Genebaldus autem Dux genuit *Dagobertum*, qui præfuit genti annis XXI. *Dagobertus* autem genuit *Clodium*, qui præfuit annis XXIII. *Clodius* autem genuit *Marcomerum*, qui præfuit annis XX. *Marcomer* autem genuit *Faramundum*, qui anno Ducatus sui II. in Regem Francorum fuit electus, ut ordine suo inferius est scriptum. Prædicti IV. Duces Francorum Orientalium per annos XCIV. populo præsidentes, terminos acceptæ possessionis, usque ad Rheni flumen dilatarunt, & magnum Gallis atque Romanis damnum fecerunt. Sed jam nunc quæ restant de Regum Francorum successione continuanda sunt. Rex autem *Clodomer* obiit anno Regni sui XVIII. Domini CCCXXVII.

Richimerus *Clodomeri* filius post Patrem regnavit annis XIII. & cunctis regni sui diebus cum Romanis, & Gallis in contentione fuit, & multa cum eis prælia commisit. Hic etiam tempore patris sui cum *Cesare Constantio* patre *Constantini* dimicaverat, anno videlicet Domini CCCVIII. *Constantius* enim *Britanniam Romanorum* jussu ingressurus, Francorum gentem in finibus Rheni ad Mare & Mosam commorantem hostiliter invasit, & retrocedere compulsi, mul-

tis eorum in bello peremptis. Quo tandem in *Britannia* inortuo *Franci* pristinos confestim terminos receperunt, & Romanorum præsidium fugere compulerunt. Postremo tamen *Constantinus Imperator Constantii*, & *Helenæ* filius *Richimerum* in bello peremit. Anno Regni ejus XIII. Domini autem CCCXL.

Theodomerus filius *Richimeri* post Patrem regnavit annis X. qui & ipse cum Romanis multa prælia gessit. Eo tempore Francorum habitatio Regum fuit in regione *Tungrorum*, non longè à *Mosa* flumine in castrò, quod *Dispartum* nuncupabatur. A termino autem Francorum usque ad *Ligerim* fluvium Galli morabantur, & ultra *Ligerim* Gothi. Eodem tempore Dux Francorum orientaliū *Dagobertus* *Rheno* transmissis *Galliam* vastavit, & *Trevirorum urbem* spoliatam incendio cremavit. Rex autem *Theodomerus* unà cum *Asila* matre à Romanis *Galliam* occupantibus captus est, & gladio peremptus. Anno regni sui X. Domini autem nativitatibus CCCL.

Chlogio *Theodomeri* filius Patri succedens, in Regno Francorum, regnavit annis XVIII. cujus tempore *Constans* filius Magni *Constantini Cæsar* multa cum *Francis* prælia commisit, pluries victus, quam victor. Nam *Chlogio* Rex Magno Francorum adunato exercitu, anno Regni sui I. *Cameracensem urbem* expugnavit, & plures Romanorū in vindictam paternæ necis crudeliter occidit, inde progressus *Galliam* usque ad *Sunnam* fluvium regno Francorum subjecit. Contra quem *Constans*, qui cum *Constantino*, & *Constantio* fratribus imperavit Romanorum Legiones duxit, sæpiusq; atrociter pugnavit, sed *Francos* superare non potuit.

Interim verò dum hæc agerentur in *Gallia*, *Dagobertus Dux* in *Francia orientali* *Rhenum* transiens ponte fabricato, apud vicum *Altripensem* inter *Spiram*, & *Wormatiam*, *Gallos* & *Romanos* hostiliter devastavit. Gothi etiam *Hispaniam* eodem tempore incurstantes lacerabant. Videns ergo *Constans*, quod in medio periculo constitutus omnibus resistere non posset, cum *Francis* pacem fecit. Nec moratus *Constans* in *Hispaniam* ducit exercitum contra *Gothos*, quos retrocedere compulsi, & non multo postea *Chlogionis* anno III. peremptus est, anno ætatis suæ XXX. imperii autem XIII. *Republica Romanorum* in turbatione relicta. *Chlogio* Rex Francorum moritur anno Regni sui XVIII. Domini autem nativitatibus CCCLXVII.

Marcomer filius *Chlogionis* post Patrem regnavit annis IV. Contra quem *Romani* bellum in primo ejus anno moverunt, quod annis IV. duravit. Valde enim moleste ferebant *Francos* inhabitare *Galliam*. *Franci* autem fortiter steterunt. Postremo tamen *Marcomer* Rex anno regni sui IV. à Romanis in bello fuit occisus. Anno Domini autem nativitatibus CCCLXXII.

Franci autem Rege suo perempto considerantes, quod Romanis illa vice non possent resistere, pacem ab eis postularunt, quam illi sub tali conditione dederunt, quod *Franci* deinceps Regem non haberent, sed regno in provinciam redactis Ducibus regerentur, & quotannis tributum Romanis solverent, & fidem servarent. Et licet nimis grave *Francis* dare tributum videretur, qui semper eatenus liberi fuerant, malicia tamen compulsi temporum aliter, quam maluissent fecerunt.

Anno igitur DCCCXI. à primo Francorum adventu in Germaniam gens ipsa eatenus semper invicta, & cunctis nationibus metuenda, Regibus amissis, & Ducibus commissa tributum Romanis pendere compellitur, annis XX.

Dagobertus Dux Primus, frater erat Marcomeri Francorum Regis, & filius Clogionis: permissione Romanorum primus super Francos occidentales Ducatum accepit, quem annis XII. tenuit. Eo tempore apud Francos orientales Ducatum tenuit *Clodius* annis XX. *Vir strenuus, quem Romani nunquam sibi potuerunt subjungere, sed ipsi potius, ab eo victi, saepius fugati sunt: multis eorum occisis.*

Anno ejusdem Ducis Dagoberti V. *Valentinianus* suscepit Imperium, & Imperavit annis XII. quo tempore fuerunt horrendi terra motus per totum mundum, Eodem anno Burgundionum octoginta millia, à meridie versus Aquilonem descenderunt, ad Rhenum, & ibi sedes novas in firmibus Alsatiorum receperunt, ubi & manent.

Anno Ducis Francorum *Dagoberti VIII. Romani* Ducem *Gratiano*, non longe ab Argentoraco bellum cum *Alemannis* committentes, eorum triginta millia peremerunt. Dux autem *Dagobertus* tres filios habuit. *Genebaldum, Marcomerum & Suimonem*, quibus cum adhuc sanus viveret, favente omni populo Principatum divisit.

Anno Ducis *Dagoberti XI.* mortuus est *Clodius* Dux Francorum orientalium, cui *Marcomer* filius ejus succedens, *Francos superiores*, annis XX. gubernavit.

Dagobertus verò Francorum occidentalium præfatus moritur, anno Ducatus sui XII. Anno autem *Dominicæ* nativitatis, CCCLXXXV.

Genebaldus Dux II. primogenitus *Dagoberti* Ducis primi, Principatum à Patre sibi deputatum tenuit, annis XIX. Porro duo fratres ejus *Marcomerus*, & *Suimo* Duces erant in locis sibi à genitore præsignatis, alter videlicet, ab ea parte Rheni, quæ Saxones respicit, alter verò ab alia, quæ Mare & Galliam dividit, & Hollandiam. *Genebaldus* autem *Tungros*, & magnam *Galliæ* partem, cum *Brabantia* tenuit.

Non placuit *Proceribus Francorum* ista Principatus divisio, per quam se quotidie infirmiores, non dubitabant esse futuros, *Romani* tamen satis complacuit. Dominabantur eo tempore *Francis* orientalibus *Marcomerus* *Clodii* filius quartus in ordine Ducum à tempore, quo *Franci* sedes à *Thuringis* in eo acceperant loco, & extendebatur ejus dominium, à finibus *Bavariæ*, & *Bohemiarum*, ab oriente, usque ad *Rhenum*, habens sub se *Hagios, Meneganos, Caraganos*, usque ad terminas *Alsacianas*. Hunc Ducem *Romani* subjicere nunquam potuerunt, licet saepius tentarunt.

Anno *Genebaldi* Ducis II. qui fuit *Dominicæ* nativitatis, CCCLXXXVII. *Maximus* de genere Imperatorum, qui originem ex *Britannia* traxerat, quem *Octavius* tunc Rex de *Roma* vocaverat in *Angliam*, feceratque generum suum, & regni successorem, per seditionem militum Imperator factus est, contra *Gratianum*. Nam postquam in *Britannia* V. annis, in bona pace regnasset, in superbiam elatus, à militibus *Romanis* quos secum adduxerat, Imperatorem se fieri mandavit, & mox navigavit cum omni militia sua, in *Galliam* contra *Gratianum*, ut eam suo Imperio subjugaret.

In primis itaque *Regnum Marmoricum*, quod nunc *Britannia nova seu mistor* dicitur invaluit, & cum *Francis*, qui illud inhabitabant sub jam dicto *Genebald* Duce bellum commisit. Dux belli Francorum à *Genebald* fuerat constitutus *Jubalchus*, qui obviam factus *Maximo* cum toto exercitu Francorum, quem habuit, cum eo pugnavit & victoria *Maximo* contigit. Ceciderunt in eo prælio Francorum quindecim millia, sed & Dux ipse *Jubalchus* interiit. Cæteri fugerunt. Deinde mulieres, cum parvulis cunctas, senes quoque, & juvenes omnes, quotquot per totam *Marmoricam* reperit, crudeliter occidit. Regnum verò illud novæ *Britanniæ* dedit *Junano*, qui nepos fuerat *Octavii* Regis Anglorum, relictas cum eo militia magna, postquam videlicet sibi totam *Galliam* fecit subjectam.

Postquam enim *Maximus* omnem *Galliam* sibi subjugavit, & *Gratianus*, ex *Parisis* fugiens apud *Lugdunum* captus fuerat, & occisus, imperii sedem posuit in civitatem *Trevirorum*, ubi & *Victorem* filium Imperii consortem fecit adhuc puerum, quem deinde profecturus in *Italiam* *Nanneno*, & *Quintino* commendavit.

Interea *Conamus Marmoricorum, Britonum* Rex, volens militibus suis dare conjuges qui non habebant, & qui suas in *Anglia* reliquerant, cum liberis adducere, ut nullam commixtionis causam haberent cum *Gallicanis*, nuncios misit in *Angliam* ad *Dionotum* Regem *Cornubiæ*, qui fratri suo *Coradoco* successerat in Regno, & petiit ab eo filiam ejus *Ursulam* nomine speciosam virginem sibi dari, & transmitti uxorem. Item petiit secundæ, & navibus impositas uxores tum liberis militum, & Nobilium, qui tunc erant in *Marmoricæ*, similiter ad se transmitteret. Tertio petiit, ut pro militibus, qui necdum habebant uxores mitteret virgines.

Rex autem *Dionotus* satisfacere cupiens precibus *Conami*, ex tota insula collegit filias Nobilium, undecim millia, de inferioris autem generis profapia sexaginta millia, hoc est, in summa LXXI. inter quas, & Nobilium, & militum uxores fuerunt similiter cum liberis imputatæ. Naves quoque, ex diversis littoribus jussit adduci, in quibus omnia pro navigantibus necessaria imposuit. Et licet navigatio multis in illo mulierum cœtu placeret, multis tamen displicebat, quæ parentes, & patriam majori affectione intentius amabant. Sed Regis Imperium prævaluit.

Paratis navibus, mulieres cum virginibus ingrediuntur, circa *Tamentem* fluvium, & dum classem versus *Marmoricam* dirigunt, grandis in mari tempestas oritur, & naves ab invicem separantur. Major totius congregata illius multitudinis nubibus in mari perit, & collis navibus descendit in profundum.

Reliquæ autem mulieres & virgines, quæ tantum periculum evadere potuerunt, in *Barbaras* nationes impulsæ, ab ignota gente, vel trucidatæ sunt, vel in servitutem perpetuam mancipatæ. Magna eam pars incidit in exercitum *Gnani* Regis *Hunorum*, & *Melgæ* Regis *Pictorum*, qui mercede conducti partesque *Gratiani* tuentes contra *Maximum*, maritimas regiones ab *Hispania*, usque ad *Angliam* miserabili clade terra marique vastabant. Quorum libidinem recusantes omnes juxta littus, & in navibus occisæ sunt, & usque ad unam deletæ. Fuerunt enim omnes *Christianæ*.

Anno Genebaldi Ducis Francorum VI. *Maximus tyrannus* tertio, ab Aquilegia lapide spoliatus indumentis Regiis à Valentiniانو, & Theodosio Imperatoribus, capite truncato interiit, cujus filius nomine *Victor*, non diu post, ab Arbogallo perimimur.

Eodem anno postquam Francis innotuit *Maximi* interitus, mox adunati fortem insisterunt exercitum, & Genebaldo Marcomero, atque Sunnone Ducibus omnem terram, quam illo sevientie amiserant, sive in Germania, sive in Gallia recuperaverunt, multis Gallorum, Romanorum, ac Britonum millibus hostiliter peremptis. Britones namque post egressum totius Nobilitatis, cum Maximo penitus fuerunt infirmati; & idè Francis, jam non metuendi. Galli atque Romani mutuis collidebantur seditionibus, quæ res Francis summam dedit spem vendicandæ patriæ libertatem.

Anno igitur Dominicæ nativitatæ CCC.XCII. Francis conspirantes, in unum tributis Romanorum subjacere amplius contemserunt. Romanorum eo tempore Imperium tenuit *Valentinianus* junior, quem à Maximo expulsum de Italia Theodosius restituerat, qui nuncios mittens ad Francos, tributum exegit promissum. Francis autem venientes ad se Valentiniани Legatos, pro tributo cum ignominia expulerunt, dicentes se liberos natos, etiam pro defensione libertatis mori esse paratos. Moxque arma corripientes, in Romanos, & Gallos movent, & sicut dictum est, multis crudeliter occisis de adversariis, omnia quæ amiserant recuperaverunt, & anno XX. postquam Romanis tributum persolverant libertatem pristinam armis vendicantes fortiter dimicando receperunt.

Ducibus enim Genebaldo Marcomero, & Sunnone, cum ingenti exercitu, de inferiori Francia, quæ circa Rheni ostia est, & mare procedentes, mox omnia quæ sunt inter Mosam, & Rhenum Gallis habitatoribus, aut occisis, aut fuga pulsus occupant, spoliis ad sedes patrias transmissis. Inde ascendentes fines Colonienfium devastare ceperunt, magnum urbanis metum incutientes qui adhuc erant cum Romanis.

Vi autem Francorum excursus apud Treviros fuit auditus, qui & ipsi cum Victore Maximi filio senserant, & quod Colonienfem devastarent agrum, *Nannenus & Quintinus*, magistri militum, quibus Maximus in Italiam profecturus Victorem filium suum, & Gallie defensionem commiserat, contractis copiis descendunt in auxilium Colonienfibus adversum Francos, si daretur occasio, pugnaturi.

Sed priusquam illi venirent ad Coloniam, Franci jam prada onusti Rheno transmissi in sua redierant. Dimiserant tamen, non paucos, ab alia parte fluminis eo quod redire, & ipsi ad eos animo conceperant, & ulterius in Galliam procedere. Erant autem prima Francorum sedes, ut dictum est, prius intra Rheni ostia trisa, ubi nunc est *Hollandia*; & ab orientali parte Rhens versus Saxoniam Phrisiam, & ubi nunc est *Westphalia* pars interior simul & *Phrisia*. Ad occidentem quoque ultra Rhenum usque ad Mosam similiter habitabant aliquando, ubi nunc *Geldronses & Juliacenses*, aliquando etiam ulterius, ad *Morinos*, & regiones maritimas procedentes.

Nannenus & Quintinus cum exercitu venientes reliquias Francorum, quæ in Gallia remanserant, adiungunt, & pugnam committunt atrocissimam, in qua sepius vixit aliquando etiam victores existerunt. Postremo tamen Franci superantur apud sylvam carbonariam, quorum alii perempti, alii fuga salvati fuerunt.

His peractis *Quintino* visum est utile, ut exercitum omnem tradacerent in Franciam & imperator irruptione præoccuparent. Sed *Nanneno* hujusmodi consilium non placuit, qui Francos in solo proprio non dubitabat esse fortiores.

Nanneno itaque ad Moguntiam reverso, *Quintinus* circa *Musium* castellum Rheno transmissio traducit exercitum, & Francis bellum inferre contendit. At Franci non segnes Gallos viriliter exceperunt, in quo prælio multa Gallorum & Romanorum millia per Francos perempta sunt paucissimis fuga salvatis. Cecidit in eo prælio *Heraclius* Legionis Romanae Tribunus, & cum eo penè omnes, qui militibus præerant, gladio & jaculis Francorum gentis interiierunt. Namque paucis exceptis, quibus nox alta nemorumque latibulum condensa præbuerunt, *Quintini* exercitus fuit extinctus, vel Francorum gladio vel paludibus.

Anno Genebaldi Ducis Francorum XII. *Valentinianus* Imperator apud Viennam urbem Gallie dolo & austeritate Arbogalli Magistri militum laqueo interit, & *Eugenius* machinatione Arbogalli Rex Galliarum declaratus triennio regnavit. Mortè Valentiniани *Cæsaris* Francis audita Rhenum transire Galliamque invadere statuerunt, quod priusquam ad effectum perducerent, consilium eorum Arbogastus prævenit, & apud *Coloniæ* Agrippinam ultra Rhenum traducto exercitu hyeme rigente, *Baleros* Rheno proximos *Chamannos* & alios subiectos Francu devastavit.

Contra quem Genebaldus, *Marcomerus* & *Duces* Francorum procedentes prælium commiserunt, in quo XII. millia Gallorum sunt occisa, & reliqui in fugam conversi. Facta sunt hæc anno Dominicæ nativitatæ CCC.XIV.

Sequenti anno *Eugenius* Rex Gallie qui Romanum ambibat Imperium, cum didicisset Theodosium Imperatorem Orientis de Constantinopoli contra se venturum in Galliam timuit, veniensque ad Rhenum Francorum tam orientalium quam occidentalium simul & *Alemannorum* contra *Cæsarem* auxilium invocavit. Eodem anno fuit occisus à Theodosio, quia Francorum auxilium non metuit. *Arbogastus* Princeps malorum proprio se gladio interemit. Theodosius obiit *Mediolani*, cujus cadaver Constantinopolim relatum sepelitur, & duo filii ejus in Imperio succedunt, *Archadius* in oriente, & *Honorius* apud Romanos in Occidente.

Anno Genebaldi Magni Ducis Francorum occidentalium XVIII. qui fuit Dominicæ nativitatæ CCC.III. obiit *Marcomerus* Dux Francorum orientalium in monte, qui dicitur *Frankenberg* more gentilitio sepultus. Post quem filius ejus, *Faramundus* in Ducatu successit annis II. & in Regem omnium Francorum electus est.

Eodem anno *Marcomerus* & *Sunno* Duces & fratres Genebaldi Francie inferioris mortui sunt sine liberis masculini sexus & apud *Neopagum* sunt sepulti.

Anno sequenti, qui fuit Dominicæ nativitatæ CCC.IV. obiit *Genebaldus* Dux Magnus Francorum occi-

Occidentalium, anno Principatus, sui XIX. duos relinquens filios Sunnonem & Richerum, quorum major natu pedibus erat claudus, minor vero ad Regnum non latis idoneus.

Eo tempore Franci multum dilataverunt terminos suos, & multis Ducibus subiacebant, qui tamen omnes majori uni, ut Regi obtemperabant. Visum est autem eis quod ea Principatus divisio non esset bona pro gente Francorum, sed melius fore judicantes, ut contemptis Romanis Regem sibi proprium instituerent sicuti ante annos XXX. habuerant, consiliati sunt.

Anno igitur Dominicæ nativitatæ CCCC. V. indictione Romanorum tertia, omnes Duces, Proceres & Nobiles Francorum in Menle Martio convenerunt apud Neopagum pro novi Regis electione faciendâ, inter quos isti fuerunt cæteris præstantiores. Dux Faramundus Francorû Orientaliû & duo fratres ejus Marcomer & Sunno cum filiis eorum, Clodio, Dagoberto, Nicanore, Faraberto & Richimero. Dux Anthenor Princeps Francorum apud Hogios & Franckenfurt Mœnipolitas cum fratribus suis: Priamo & Dagoberto: Dux Bertherus Gallicanus. Dux Heribertus Insulanus. Dux Sunno & Richer fratres filiique Ducis Genebaldi. Inter proceres multos fuerunt, Salagast Philippus, à secretis Gassihald / Herhald / Wisogasthald / Rutwid / Adelhardet / Richerus. Hi omnes cum cæteris unò consensu Pharamundum de Regio genere ortum ac Ducem apud Marcopolim Francorum Orientalium unanimiter in Regem elegerunt.

Pharamundus Rex filius Marcomeri Ducis, qui fuit Clodii, qui fuit Dagoberti, qui fuit Genebaldi, qui fuit Dagoberti Francorum Regis, qui ut supra dictum est, obiit, anno Domini CCC. VII. Pharamundus igitur ex Duce in Regem electus, regnavit annis XXVII. vir fortis, magnanimus, & pugnator audacissimus, qui Romanas legiones bellando contrivit.

6. Ducatum verò Francia Orientalis Marcomero fratris suo commendavit, anno Domini supra scripto CCCC. V. & ipse cum Francis Occidentalibus Galliam vastavit. Marcomerus autem postquam annis XVIII. Francis præfuisset moritur anno Dominicæ nativitatæ CCCC. XXIII. in monte Franckenbergo sepultus.

7. Priamus Patri successit in Ducatu Francorum Orientalium annis XII. & moritur anno Dominicæ nativitatæ CCCC. XXXV.

8. Genebaldus Patri successit annis XX. qui Alemannos bello superavit & Rhenum transiit, Moritur autem anno Domini CCCC. LV.

9. Sunno Patri successit annis XXIII. qui castrum in Sunenberg construxit, & aliud quod Suntheim appellavit juxta Mœnum, obiit autem anno Dominicæ nativitatæ CCCC. LXXVIII.

10. Clodius frater Clodovei Regis Francorum successit annis XVI. qui cum Bavaris bellum gessit victor, In venatione apro percussus inivit, anno Domini CCCC. XCIV.

11. Clodomer filius Ducis Sunnonis Ducatus apicem tenuit annis XXI. cujus frater Dietelbus castrum suo nomine Dietelbach construxit, obiit autem anno Domini D. XV.

12. Hugbaldus Patri successit annis XXVI. Hic Moguntiam & Wormatsam Regno Francorum subjecit. Urbem suo nomine ad Mœni flumen haud procul à Franckfurt ædificavit. Moritur anno Domini D. XLI.

13. Helenus Patri successit annis XXX. qui Rhe-no transmissis terras Gallorum, qui relictæ fuerant in Westrasia obtinuit, & Gallos in deditorem accepit. Hic & Pater ejus primi ex Ducibus fuerunt Christiani. Obiit anno Dominicæ nativitatæ D. LXXI.

14. Gothofredus Patri successit annis XXIV. Hic fuit pius Princeps, sed tamen ad fidem Christi non omnes subditos suos convertere potuit. Erant enim dura cervicis eo tempore Franci ad fidem suscipiendam, majorque pars eorum adhuc fuit gentilis in Ducatu. Obiit autem Dux Gothofredus anno Domini D. XCV.

15. Genebaldus Patri successit annis XX. cujus tempore Sanctus Papa Gregorius prædicatores misit in Angliam. Obiit ille Dux anno Dominicæ nativitatæ DC. XV.

16. Clodomirus in Ducatu Francorum Orientalium Patri successit annis XXIII. cujus anno I. Anastasius Persa Monachus martyrizatus est. Obiit anno Domini DC. XXXVIII.

17. Heribertus Clodomiri Nepos in Ducatu successit annis XXX. cujus tempore sanctus Eusebius Abbas in Hibernia claruit. Moritur Dux iste anno Dominicæ nativitatæ DC. LXVIII.

18. Clodoveus Heriberto Patri successit annis XII. cujus tempore Clodoveus Rex erat Francorum in Gallia. Moritur Dux Clodoveus anno Dominicæ nativitatæ DC. LXXX.

19. Gosbertus Patri successit annis XXVI. cujus anno VI. Canon Papa sanctum Kysianum natione Scotum professione Monachum Episcopum ordinavit, & misit eum in Franciam Orientalem ad Evangelizandum fidem Christi. Biennio apud Herbipolim in prædicatione peracto unâ cum Colonato Presbytero & Tothnano Diacono ministris suis jussu Geilana uxoris Ducis martyrizatus est, an. Domini DC. LXXVIII. Dux autem Gosbertus obiit anno Domini DCC. VI.

20. Gosbertus junior Patri successit in Ducatu annis XIV. cujus tempore sanctus Aegidius Abbas in Gallia claruit. Dux iste moritur anno Dominicæ nativitatæ DCC. XX.

21. Hetanus Patri successit in Ducatu annis XX. qui sine filiis moritur. Anno Domini DCCC. XL. unicam relinquens filiam nomine Imminam, qua Monialis erat & sancta conversationis. Itaque Pippinus Major domus postea Rex Francorum Ducatum vacantem ad se recepit, & filio suo Carolo procurandum decennio commisit. Deinde anno Domini DCC. LII. cum jam Rex esset Pippinus Ducatum sancto Burckhardo Episcopo Würtzburgensium I. & ejus successoribus de consensu Caroli filii sui & omnium Procerum totius Regni Francorum donavit in proprium sempiternum.

22. Burckhardus igitur Dux & Episcopus Francorum orientalium institutus à Pippino præfuit annis XL. Moribus integer, conversatione sanctissimus ex Monacho Sancti Benedicti Episcopus ordinatus à Bonifacio Moguntio Archiepiscopo. Burckhardus resignavit Episcopatum cum Ducatu Francorum Ecclesie & successori suo. Anno Principatus sui XL. Domini autem DCC. XCI. & eodem anno idem sanctus Burckhardus moritur.

23. Megengaldus Præsul & Dux Francorum præfuit annis IV. qui & ipse Monachus fuit, quem alii Hollandinorum more, Perrentium in u, Megingandum vocant, vir sanctus. Moritur anno Domini DCC. XCV. Principatus sui quarto incompleto.

24. *Bernwulfus* Praesul & Dux Francorum, praesuit annis VI. & moritur III. Kalendas Octobris anno Domini D. CCC. sub *Carolo Rege Francorum Magno Pippini filio*.
25. *Ludericus* Praesul & Dux Francorum fuit annis III. mensibus V. Et moritur anno Domini D. CC. IV. tertio Kalendas Martii sub *Carolo Imperatore Magno*.
26. *Agilvvardus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis VI. mense I. diebus XXII. & moritur VIII. Kalendas Maij, anno Domini D. CCC. X. sub *Carolo Imperatore*.
27. *Wolffgerus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis XXII. mensibus VI. diebus XXI. & moritur pridie nonarum Novembris, anno Domini D. CCC. XXII. sub *Ludovico*.
28. *Hunibertus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis X. mensibus tribus, diebus VIII. & obiit VII. idus Martii, anno Domini D. CCC. XIII. sub *Lothario Imperatore*.
29. *Gostwaldus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis XIII. mensibus V. diebus XVIII. & obiit XII. Kalendas Octobris. Anno Domini D. CCC. LVI. sub *Ludovico Imperatore II.*
30. *Arno* Praesul & Dux Francorum praesuit annis XXXVI. mensibus VI. diebus XII. Moritur autem mirabilis clarus, III. idus Julii. An. Domini D. CCC. XCII. sub *Arnulpho Rege apud Saxones*, tempore belli inter missarum solennia occisus.
31. *Rodolphus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis XVII. duobusque diebus, & moritur tertio nonarum Augusti, anno Domini D. CCCC. VIII. sub *Ludovico III.*
32. *Dracolfus* Praesul & Dux Francorum, praesuit annis V. mensibus IV. Hic missus a *Conrado Imperatore* primo in Graeciam, obiit in itinere. Anno Domini D. CCCC. XIII.
33. *Theodo* Praesul & Dux Francorum, praesuit annis XIX. mensibus duobus, & diebus XIV. Obiit XVII. Kalendas Decembris. An. Domini D. CCCC. XXXII. sub *Henrico I.*
34. *Burghardus II.* Praesul & Dux Francorum, praesuit annis IX. mensibus tribus, diebus XXIII. & obiit VIII. Kalend. Aprilis. An. Domini D. CCCC. XLI. sub *Ottone Imperatore I.*
35. *Poppo* Francorum Praesul & Dux, praesuit annis XXI. mensibus X. diebus XIV. & moritur XV. Kalendas Martii. Anno Domini D. CCCC. LX. sub *Ottone Imperatore I.*
36. *Poppo II.* Praesul & Dux Francorum praesuit annis XXIII. mensibus IV. diebus XXI. Moritur X. Kalendas Augusti. An. Domini D. CCCC. LXXXIII. sub *Ottone II.*
37. *Hugo* Praesul & Dux, praesuit annis VI. mensibus VIII. qui monachos posuit ad sanctum *Burghardum*. Obiit. III. Kalendas Septembris. Anno Domini D. CCCCLXXXIX. sub *Ottone III.*
38. *Berinvvardus* Praesul & Dux praesuit annis V. mensibus VIII. diebus XIX. & moritur anno Domini D. CCCC. XCIII. sub *Ottone III.* XII. Kalendas Octobris.
39. *Henricus* Praesul & Dux, qui Ecclesiam sancti *Stephani* fundavit, praesuit annis XXII. mensibus V. diebus XXII. Obiit X. Kalendas Decembris. Anno Domini M. XVI. sub *Henrico Rege II.*
40. *Meginhardus* Praesul & Dux, praesuit annis XVII. diebus XXI. & moritur XI. Kalendas Octobris Anno M. XXXIII. sub *Conrado II.*
41. *Meselinus* Praesul & Dux Francorum, praesuit anno uno tantum, & moritur anno Dominicae nati-
vitatatis, M. XXXIV. sub *Conrado Imperatore II.*
42. *Bruno* Praesul & Dux Francorum, praesuit annis XI. mense uno, diebus XIV. qui majorem Ecclesiam construxit. Obiit III. Kalendas Junii M. XLV. sub *Henrico III.*
43. *Adelbero* Praesul & Dux, praesuit annis XI. & in ea dissensione quae fuit inter *Henricum III.* & IV. filium ejus, per seniores Imperatores de sede sua fugata est, anno Domini M. LXXXV. & *Megenhardus* ei substitutus ab ipso *Caesare*. Obiit autem *Adelbero* pulsus in *Bavaria* pridie nonarum Octobris anno exilii sui V. Domini autem M. XC. in monasterio *Lambach* quod Pater ejus construxerat, ibidem sepultus.
44. *Megenhardus II.* Praesul & Dux *Adelberone* vivente praesuit annis tribus, diebus XXV. & obiit XII. Kalendas Julii anno M. LXXXVIII. sub *Henrico IV.*
45. *Emehardus* Praesul & Dux Francorum ordinatus *Adelberone* in exilia, apud *Lambach* *Bavariae* adhuc vivente, praesuit annis XV. mensibus VIII. & tribus diebus. Moritur autem I. V. Kalendas Martii. Anno Domini M. C. III. sub *Henrico IV.*
46. *Erlungus* Praesul & Dux Francorum ab Imperatore institutus praesuit annis II. quem anno Domini M. C. V. filius Imperator *Henricus V.* propterea quod ejus Patri *Henrico IV.* adhaerebat, iterum depositus, & *Rupertum* in ejus loco ordinari fecit. Quem Pater mox subsequens *Erlungum* *Wurtzburgenfibus* restituit, & *Rupertum* fugavit. Verum non diu postea *Erlungus* a filio *Caesaris* deponitur, & *Rupertus* ad Episcopatum restitutus est. Anno Domini M. C. V.
47. *Rupertus* Praesul & Dux Francorum praesuit annis non plene duobus, qui dum ad generale concilium in *Lombardiam* tenderet in mense Septembris, obiit VIII. Kalendas Octobris, An. Domini M. C. VI. sub *Henrico IV. & V.*
48. *Erlungus* iterum Praesul & Dux omnium consensu assumptus, praesuit deinceps annis XVI. diebus XI. Qui annis IV. ante mortem suam continua elephantino morbo vexatus, tandem obiit III. Kalendas Januarii. Anno Domini M. C. XXII. sub *Henrico V.* & schismate vetante, non in urbe, sed in monasterio *Schwarsach* sepelitur.
49. *Gebehardus* pro Episcopo & Duce Francorum contra voluntatem omnium institutus est, per Imperatorem, cum adhuc Laicus esset, & minus idoneus, quia juvenis. Clerus autem & Procures populi *Rugerum* Diaconum sibi Pontificem elegerunt, quem *Gebehardus* de civitate fugavit, Anno Domini M. C. XXII.
50. *Ruger* electus Praesul & Dux Francorum contra intrusionem *Gebehardum* jure prevaluit & in monasterio *Schwarsach* per manus Archiepiscopi *Moguntini* consecratus fuit in praesentia Legatorum sedis Apostolicae, & quorundam Principum. Hic eam partem Episcopatus, quae *Neccaro* fluvio circumiacet in proprios

Proprios usus tenuit, Gebhardus vero civitatem Würzburg & quæ illi contigua fuerant, securè possedit. Rugerus autem præfuit annis 4. mensibus 3. obiitque anno Domini M. C. XXVI.

51. *Heizelinus* Præsul & Dux Francorum præfuit annis XI. mensibus 4. obiitq; Bambergæ sepultus, anno Domini M. C. XXVIII. sub *Lothario II.*

52. *Embricho* Præsul & Dux præfuit annis XII. Hic monasterium sancti Jacobi in suburbanis Herbi-polenibus trans pontem fundavit, *Moritur* autem V. Idus Novembris, anno Dominicæ nativitatis M. C. XLIX. sub *Cæsare III.*

53. *Sigefridus* Præsul & Dux præfuit annis V. mensibus VI. & moritur anno Domini M. C. LIV. sub *Friderico Imperatore I.* indictione 2.

54. *Gebhardus II.* Præsul & Dux præfuit annis VI. mensibus V. diebus XXIV. & obiit anno Domini M. C. LXI. sub *Friderico Imperatore I.*

55. *Henricus II.* Præsul & Dux Francorum præfuit annis VI. mensibus IV. & obiit anno Domini M. C. LXVII. sub *Friderico Imperatore I.*

56. *Heroldus* Præsul & Dux præfuit annis VII. mensibus V. diebus XI. & moritur anno Domini M. C. LXXIV. sub *Friderico Imperatore I.*

57. *Reinhardus* Præsul & Dux Francorum præfuit annis IV. mensibus X. diebus XV. & obiit anno Domini M. C. LXXIX. sub *Friderico Imperatore I.*

58. *Gothofredus de Pistenberg* Præsul & Dux Francorum, præfuit annis V. mensibus VIII. diebus XXIV. qui Hierosolymam profectus in exercitu Christianorum obiit, in Antiochia sepultus, Anno Domini M. C. LXXXVI. sub *Friderico Imperatore I.*

59. *Henricus de Siebelsteth* ejus nominis III. Præsul & Dux Francorum præfuit annis VI. mensibus VIII. diebus totidem. *Moritur* indictione Romanorum X. Anno Domini M. C. LXII. sub *Henrico VI.*

60. *Gothofredus de Hoenlo* Præsul & Dux, amator cleri, præfuit annis VI. mensibus IV. diebus XI. Obiit anno Domini M. C. XCVIII. sub anno *Henrici* Regis ultimo.

61. *Conradus* Præsul & Dux Cancellarius Regis Philippi præfuit annis V. mensibus tribus, diebus XII. & fuit occisus in strata publica Herpiboli per *Bodonerem* & *Heinricum* milites de *Nabenspurg* / *Heroldum*que & *Conradum* servitores eorum, tertio iduum Decembris. Anno Domini M. CC. III. sub *Philippo Imperatore.*

62. *Henricus IV.* doctor Parisiensis dictus de *Tasco*, Præsul & Dux Francorum, præfuit annis IV. mensibus VII. diebus VII. Et moritur anno Dominicæ nativitatis M. CC. X. indictione XIII. sub *Ottone Imperatore IV.*

63. *Otto de Lodenburg* Præsul & Dux præfuit annis XIII. mensibus V. & obiit quinta die mensis Decembris. Anno Domini MCGXXIII. sub *Friderico Imperatore II.*

64. *Theodoricus* Præsul & Dux Francorum præfuit anno uno, mensibus duobus, diebus XIV. & obiit anno Domini M. C. XXIV. sub *Friderico Imperatore II.*

65. *Hermannus de Lodenburg* Præsul & Dux præfuit annis XVI. & mortuus est anno M. CC. XL. sub *Friderico II.* indictione Romanorum XIII.

66. *Eringus de Reinstein* Præsul & Dux præfuit

annis XXXVI. & moritur anno Domini M. CC. LXXVI. sub *Rudolpho Imperatore*, indictione IV.

67. *Bertholdus de Sternberg* Præsul & Dux præfuit an. XII. mortuus est an. Domini M. CC. LXXXVIII. sub *Imperatore Rudolpho*, indictione I.

68. *Manegoldus* Præsul & Dux præfuit annis XV. & obiit anno Dominicæ nativitatis M. CCCIII. sub *Alberto Rege I.* indictione I.

69. *Andreas de Gundelfingen* Præsul & Dux Francorum, præfuit annis XV. & obiit anno Domini M. CCC. XVIII. sub *Ludovico Imperatore IV.*

70. *Gothofredus III.* de *Huenlo* Præsul & Dux præfuit annis IV. & moritur an. Domini M. CCC. XXII. sub *Ludovico IV.* indictione VII.

71. *Wolframus de Grunbach* Præsul & Dux præfuit annis XI. & obiit anno Domini M. CCC. XXXIII. in octava Apostolorum sub *Ludovico IV.*

72. *Otto Wolffstetel* Præsul & Dux Francorum præfuit annis XII. mense 1. & 3. diebus. Contra quem *Hermannus de Sichtenberg* canonicus Spirensis ab Imperatore promotus, Episcopatum primis IV. annis violenter occupavit. *Otto moritur* X. Calendas Septembris, anno Domini M. CCCXLV. sub *Ludovico Imperatore IV.*

73. *Albertus de Nomburg* Præsul & Dux præfuit annis IV. non electus, sed per *Papam Clementem VI.* contra *Albertum de Hoenlo* canonicè electum, institutus. Verum postea informatus *Papa* melius de causa, *Albertum suum ad Ecclesiam Frisingensem*, Anno Domini M. CCC. XLIX. transtulit, & *Albertum de Hoenlo* præpositum canonicè prius electum ad *Ecclesiam suam confirmavit.*

74. *Albertus de Hoenlo* Præsul & Dux præfuit annis XXIII. & moritur Dominica post nativitatem sancti Joannis Baptistæ, Anno Domini M. CCC. LXXII. sub *Carolo Imperatore*, IV. indictione X. post quem unanimiter electus fuit à capitulo *Albertus de Hesberg* canonicus, sed ejus electionem *Gregorius Papa XI.* ad instantiam Imperatoris castavit, & *Gerhardum de Svartzenburg* instituit.

75. *Gerhardus de Svartzpurg* Præsul & Dux præfuit annis XXXI. & moritur in Mense Novembri circa festum sancti Martini, Anno Dominicæ nativitatis M. CCC. III. sub *Ruperto Rege Germanorum*, indictione XI.

76. *Johannes de Egloffstein* Præsul & Dux Francorum præfuit annis IX. & veneno apud *Forcheim* interiit. Anno M. CCC. XII. sub *Sigismundo Rege.*

77. *Johannes de Brunn* Præsul & Dux præfuit annis XXVIII. & moritur anno Domini M. CCCXL. sub *Friderico tunc Rege III.* indictione Romanorum III.

78. *Sigismundus* ex Ducibus Saxonie Præsul & Dux Francorum præfuit annis III. & regnavit, Anno Domini M. CCCXLIII. sub *Friderico III.*

79. *Gothofredus IV.* de *Limpurg* Præsul & Dux præfuit annis XIII. & obiit feria III. post palmas, Anno M. CCCCLV. sub *Friderico Imperatore III.*

80. *Johannes de Grunbach* Præsul & Dux præfuit annis XI. & moritur anno Domini M. CCC. LXVI. sub *Friderico Imperatore III.* indictione XIV.

81. *Rudolphus II.* de *Sherenberg* Præsul & Dux Francorum præfuit annis XXIX. minus uno die ;

qui Ecclesiam suam ære gravatam alieno relevavit. *Moritur* in sua genealogia ultimis, IV. Calendas Maij. Anno Dominiæ nativitatís, M. CCCC. XCV. sub Maximiliano Rege Germania.

81. *Laurentius de Bibera* electus IV. idus Maij, anno prænotato *Præsul & Dux Francorum* pacificus, hodiè principatur in annum XIX. Sed jam nunc post hanc necessariam digressionem ad Regem Francorum supra dictum Pharamundum revertamur, pro continuatione Historiæ, quam incipimus.

Anno *Pharamundi* Regis IV. ultima die mensis Decembris, *Wandali & Alani* sub Duce Modigisco Rhenum transeuntes congelatum, in Galliam duxerunt exercitum cum liberis & uxoribus ulteriores in Hispaniam transferunt.

Anno *Pharamundi VIII.* Gothi sub Alarico Rege Romam capiunt & subvertunt. Eodem anno *Pharamundus* Rex sub Ducatu Clodii filii sui magnam exercitum Francorum misit in Galliam contra Romanos. Franci intransitibus Galliam, Romanorum alii salutem fuga quaesierunt, alii à Francis sunt intercepti. Et sic Franci magnam Galliarum partem obtinuerunt, Romanis omnino extinctis.

Hoc audiens *Godgith Rex Wandalorum* & metuens se aliquando pellendum de Gallia per Francos, bellum contra eos instituit. Unde prælium atrox commissum est, in quo Franci victores plus quam viginti millia Wandalorum peremerunt. Et nisi Rex *Alanorum Respendial*, qui jam tunc regnabat in Hispania se tempestivè interposuisset, omnes Wandali à Francis fuissent occisi.

Sunt autem *Wandali ex Insula Scandia orti* sicut & Gothi, manseruntque post acceptam à Francis cladem in Hispania annis XXII. & post hoc navigaverunt Africam. Franci autem numero & potentia valde creverunt. Et Rex *Pharamundus* obiit anno regni sui XXVI. Domini autem CCCC. XXXI.

Clodius Crinitus Pharamundi filius eodem anno Patri succedens, regnavit annis XX. Cujus anno I. *Ecius* morte Pharamundi Regis audita, exercitum Romanorum duxit in Galliam, & multis Francorum occisis amissa recepit.

His temporibus claruit *Salagastus*, sapiens & Philosophus Francorum, & de antiqua Regum progenie, ducens originem, qui jussu Clodii Regis, cum esset in omni literatura doctissimus, Francorum leges conscripsit, quas suo nomine *Saligas* nuncupavit. *Hæc leges Clodoveus* postea Rex conversus ad fidem ampliaris fecit.

Idem *Salagastus* permissione Clodii Regis, urbem ad littus *Mœni* haud longe à *Strandfurt* novam constituit, quam suo nomine *Salagast* nominavit, quam hodiè corrupto vocabulo ignari auctores *Selgenstat* appellant. In hac ipsa urbe sua *Salagastus* moritur & combustus urnæ imponitur, anno Clodii XVI.

Anno Clodii Regis I. qui fuit Dominiæ nativitatís CCCC. XXXII. *Wandali* navigantes in Africam *Hipponensem civitatem* obsederunt & cepertant. In qua obsidione I. *Augustinus* ejusdem urbis Episcopus V. Calendas Septembris obiit.

Anno Regni sui XI. *Clodius* Rex Francorum cernens Romanam potestatem valde deficere, misit explo-

ratores in Galliam, qui situm terra fortitudinem gentis, & urbium custodiam, secreta ac diligenter explorarent. Eo tempore Burgundi habitaverunt in regione Lugdunensi, & Gothi in Aquitania.

Reversi exploratores nunciaverunt regionem esse optimam, gentem invalidam, & Romanorum parvam esse custodiam. Rex igitur *Clodius* magnum Francorum congregavit exercitum, & movens in Galliam, *Cameracum* obsedit & cepit. Inde movens per *Carbonariam* sylvam ad *Tornacum* festinus iter direxit, quæ urbs Romanorum fuit præsidio munita. *Inductis* ergo milites Romani, Regis Clodii adventum contra eum processerunt ad bellum & omnes ab eo fuerunt occisi, nec unus remansit.

Clodius autem jam secundo magnam Galliarum partem Franci subjecit, quam Romani deinceps recuperare nunquam potuerunt, usque in præsentem diem.

Clodius autem Rex Francorum posteaquam terminos Regni sui magnifice dilatavit omnemque terram Gallorum, quæ est inter Rhenum ab Oriente, & mare ab Occidente, itemque à mari ab Aquilone ad Sequanam versus meridiem, hoc est, *Batavos, Menapos, Tungros, Taravanos, Morinos, Ambianos, Cameracos, Atrabates, Belvacos, Crusosq;* qui nunc sunt *Hollandini, Geldrenses, Brabantini, Selandini, Flandres, Picardi, Lovani, Trajectentes, Leodienses, Namurci, Belvacenses, Noviomenses,* & quicquid his adjacentes Francorum subjecisset Imperio. Moritur anno regni sui XX. Dominiæ autem nativitatís CCCCLI. in ditione Romanorum IV.

Meroveus Clodii filius in regno Francorum patri succedens regnavit annis X. Hic *Helens* Ducis Francorum orientalium adjutus suffragio anno regni sui III. in Mense Junio civitatem *Trevirorum* Romanis adhuc illo tempore subjectam obsedit, cepit, & sua ditioni subjugavit. Ducem Mosellanum nomine *Sabinum* occidit, & omnem regionem cis Mosellanam à *Mediomatrico*, quæ nunc est *Metis*, usque ad Rhenum potenter obtinuit. Et ne populus terræ, in rebellionem consurgere posset, XII. millia Mosellanorum transtulit cum liberis, uxoribus & rebus eorum in Franciam orientalem, sub Duce *Heleno*, in quorum locum XII. millia Francorum orientalium reposuit, ad littora Mosellæ tam in urbes, quam in castella & villas.

Et ex illo tempore vini usus, quod nuncupatur Francorum, apud Mosellanos primum haberi coepit. Franci namque vini cultores, ad Mosellam translatis, id genus vitium secum de orientali Fræcia primi attulerunt.

Anno Regis *Merovei VIII.* Huni devastabant Galliam, contra quorum insolentiam Rex ipse *Meroveus* grandem Francorum duxit exercitum, & commissis in campis *Cathalaunicis* bello, Franci Hunnorum centum octoginta milia peremerunt.

Ejus tempore Franci penè totam Galliam suo regno adjecerunt, Romanorum jam viribus imminutis ac deficientibus, præsertim post *Ecius* mortem, quem *Valentinianus* ex invidia occiderat. Franci ergo Gallias commixti de ipsorum filiabus sibi acceperunt uxores genuerunt filios & filias, qui omnes didicerunt linguam eorum, simul & mores, cum quibus sunt deinceps conversati usque in præsentem diem.

Sic vero qui manserunt in Francia orientali, Mosellani quoque & Cisterhani Würzburgenses, Moguntinenses, Wangiones, Neometes, Argentoraces, Helvetii, Alsatii, Welterasi, Treveri, Agrippinates, Hogii, Batavi, Menapii, Hollandii, & Brabantini, solis idiomatibus differentes, Germanica lingua omnes utuntur.

Rex autem *Meroveus* regno Francorum valde ampliato gentilis moritur. Anno regni sui X. Domini autem CCCC. LXI. indictione XIV.

Hildericus Merovei filius patri succedens regnavit annis VI. Deinde regno pulsus, & fugatus in *Thuringia* exulavit annis VIII. *Egidio* quodam Romano interim Regnum Francorum occupavit. Annis VIII. revolutis *Egidius* a Francis, de regno eicitur, & *Hildericus* revocatur, & regnavit deinceps aliis annis IX. Et facti sunt omnes anni quibus regnavit XV.

Nam anno Regni sui VI. conspirantes contra eum *Principes, & Proceres* Francorum, propterea quod insolenter, & nimis luxuriose vivens, uxores & filias Nobilium plures vitiaisset voluerunt eum occidere, quod cum ei innotuisset, cum paucis occulte fugit in *Thuringiam* ad *Basinum* Regem, & ibi mansit annis VIII. Fugit autem anno Domini CCCC. LXVII. indictione Romanorum V.

Hildericus fugato, & apud *Basinum* *Thuringia* Regem, qui ei sanguine junctus est exulante, *Franci Romanorum* quendam nomine *Egidium*, qui Successionibus dominabatur, sibi constituerunt in Regem, qui regnavit annis VIII. quem *Franci* demum nimis tyrannizantem, & *Proceres* quosque crudeliter occidentem, tolerare diutius non valentes eiecerunt, satius filiarum, & uxorum turpitudinem esse tolerandam, vel dissimulandam judicantes, quam à Tyranno tam crudeliter necari.

Anno igitur *Dominicæ* nativitatæ CCCC. LXXV. indictione Romanorum XIII. *Hildericus* fidelitate, & industria *Wimbaldi*, in *Galliam* ex *Thuringia* revertitur, & *Egidio* fugato, in regnum Francorum consensu omnium restituitur, regnavitque deinceps annis novem pristinosque mores juventutis, in melius commutavit.

Audiens *Basina* uxor *Basini* Regis *Thuringorum* prosperos *Hildericus* successus, relicto viro suo venit, ad eum in *Galliam*, quam ille suscepit uxorem, *Basini* Regis hospitalitatem & oblitus, & mala vicissitudine recompensans.

Prima nuptiarum instante jam nocte *Basina* movet *Hildericum* abstinere à concubitu, forasque observare, & qua tertio videris in atrio ad eam referre. Credidit Rex mulieri, & observatis tertio ædibus ad eam reversus est dicens: Se primo vidisse in atrio *Palatii* renocerontas, id est, unicornes, leonesque, & leopardos. Secundo urfos, ac lupos furentes, & se mutuo commordentes. Tertio exiguos canes, alterius se moribus impetentes, & invicem lacerantes.

Ad hæc mulier vates Regi prædixit, prodituram ex eorum concubitu sobolem variis moribus, cum tempore diversam. Primam, quæ natura foret generosa, renocerontas, ac leones, Nobilitate imitaturam. Alteram, quæ urforum atque luporum consuetudine, rapinis intendat animum. Tertiam verò quæ funello sedente commordens, canes rabidos imitatura sit, & à pristina nobilitate defectura.

Anno post hæc altero *Hildericus* exercitum duxit

in *Alemannos*, qui nunc sunt *Suevi*, eosque suo Regno subjecit, & *Francis* tributarios constituit, in ea videlicet regione, quæ proxima *Italia*, quam prius invaserant *Alemanni* seu *Suevi*.

Anno regni ejus resumpti III. *Odoacar* genere *Rugus* *Turcilingorum*, *Scyrorum* ac *Herulorum* turbis fretus ab extremis *Saxoniz* finibus egressus, in manu valida suorum intravit *Galliam*, & urbem *Andegavensem* occupavit, contra quem *Hildericus* sequenti die adveniens, *Paulum* Comitem peremit, *Odoacarum* fugavit cum *Saxonibus*, & civitatem sibi subjugavit. Inde movens *Odoacar*, fœdere cum *Hildericus* prius acto, exercitum versus *Italiam* duxit, *Orestem* patritium Romanorum, in *Liguria* bello congressum occidit, *Papiam* & omnes in circuitu munitiones Romanorum obtinuit, & brevi, nullo resistente totam *Italiam* suo dominio subjecit. Imposito capiti suo diademate, regnavit in *Italia* annis XIV. nullo eum inquietante.

Hildericus autem Rex Francorum post multa fortiter gesta in paganismis sicuti & patres ejus mortuus est. Anno Domini CCCC. LXXXIV. indictione Romanorum VII.

Clodoveus *Hildericus* filius post Patrem regnavit annis XXX. qui primus ex Regibus Francorum postea factus est Christianus, ut dicemus. Erat autem *Clodoveus* & forma egregius, & animi magnitudine præclarus, qui statim in principio regni sui *Siagrium* *Egidii* quondam Regis filium, quem Pater *Suessionis* Principem reliquerat, fugavit & civitatem obtinuit, ac ulterius procedens, civitatem quoque *Remensem*, & plures alias, sibi subjecit, *Christianorum* Ecclesiam, utpote gentilis, & necdum initiatus Christo, ubique spoliavit.

Uxorem habuit Rex *Clodoveus*, nomine *Crothildem* filiam *Hildericus*, cujus pater fuit *Gundencus* Rex *Burgundiz*, & hæc erat fidelis Christiana, qua maritum sedulo monebat Christi fidem assumere, & idolorum superstitiosum, & vanum cultum, abnegare. Prius verò quam *Crothildis* illi uxor esset, filium de concubina habuit nomine *Theodericum*. Porro *Gundencus* Rex *Burgundionum*, quatuor habuit filios, *Gundebaldum*, *Godegisilum*, *Hildericum* Patrem *Crothildis*, & *Bodemarum*. Igitur *Gundebaldus* *Hildericum* fratrem suum interfecit gladio, uxorem vero ejus matrem *Crothildis* ligato ad collum lapide, præcipitatem in aquam demersit, cujus duas filias *Mucuriam*, & *Crothildam* exilio condemnavit. Sed *Crothildis* petente *Clodoveo*, ab avunculo in *Galliam* mittitur.

Anno regni sui X. Rex *Clodoveus* exercitum movit in *Thuringiam*, Cui venit in auxilium *Clodomerus* Dux Francorum orientalium cum XII. pugnatorum. Causa belli sicut, quod *Basina* quondam uxor *Basini* vadens in *Galliam* ad *Hildericum*, ut paulò prius dictum est. Plura clenodia in auro, argento, & margaritis, secum abstulerat, quæ repetens *Regis* *Basini* filius, cum non impetrasset, bellum *Clodoveo* denunciavit.

At ille non segnis *Thuringum* Regem in suo regno præveniens vicit, & *Francis* tributarium fecit.

Anno *Clodovei* XI. *Theodericus* Rex *Gothorum* orientalium à *Zenone* Imperatore orientis missus in *Italiam*, *Odoacarum* de *Saxonia* Tyrannum interfecit, & ipse Imperium deinceps Romanum per annos XXXI. occupavit.

Clodoveus Rex Francorum Alaricum Regem Gothorum occidentaliū, Arrianum decimo lapide ab urbe Pictavorum, cum multis in bello peremit, civitatem Pictaviensem cum omni terra, & thesauris ejus, in suam potestatem accepit.

Cum Alemannis Rex bellum habuit. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu Franci vehementer cæsi, valde inciperent deficere. Quod ubi Rex Clodoveus animadvertit, elevatis oculis in cælum, cum lachrymis oravit, dicens: Domine Jesu Christe, quem uxor mea predicat esse Filium Dei, si dederis mihi victoriam de his hostibus meis, in te credam, & Baptisma in nomine tuo suscipiam. Cumque hæc orans diceret, Alemanni in fugam, qui ubi Regem suum viderunt occisum à Francis, Clodoveo se subjiciunt, dicentes. Ne amplius persequaris populum oramus, jam tui sumus, & tibi fideliter perpetuo serviemus. At ille prohibito bello Alemannos in deditiōnem accepit, & tributum eidem imposuit.

Reversus in Galliam ad se vocavit sanctum Remigium Episcopum Remensem, à quo plene instructus, de fide Christiana, cum magna se humilitate, ad suscipiendum Baptismatis sacramentum preparavit. Cui ingresso ad Baptismum Sanctus Remigius, inquit, ore facundo. Mittis de pone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti. Baptisati fuerunt illo die Francorum tria millia & sequentibus diebus etiam reliquorum, de populo complures.

Regnabat eo tempore in finibus Galliarum apud Agrippinam Coloniam Sigebertus homo senex & dives. Hic habuit filium unicum nomine Ludovicum, qui regnandi cupiditate seductus Patrem in quodam nemore fecit occidi, propter quod scelus, & ipse paulo post à quodam Franco sub ordinatione Clodovei occulta peremptus est. Quo interfecto Rex Clodoveus, de omnium consensu Colonia, & toto regno Sigeberti potitus est.

Rivacharium quoque apud Cameracum regnantem, Caracum quoque alium Regem, cum fratribus & filiis, qui omnes erant de genere Francorum, aut bello, aut dolo, deceptos fecit occidi, & Regnum Francorum totum sibi subjugavit.

Omnes per Galliam regnantes, sive Franci essent, & de ejus prosapia, sive alienigenæ, habuit suspectos, ne forte ab eis interficeretur. Unde multis Regibus interfectis etiam consanguineis suis, de quibus timuit, ne ei Regnum auferrent, per omnem Galliam triplicem, Celticam, Aquitanicam, & Belgicam, regnum suum dilatavit. Residens die quodam inter aulicos suos dixit. *Va mihi! qui tanquam peregrinus inter extraneos solus remansi, & nemo vivit de parentela mea, qui me juvare possit in necessitate. Hoc non dixit ea intentione, quod vel pœniteret de sua crudelitate, quam commiserat in consanguineos, vel condoleret interfectis, sed in dolo si forte adhuc aliquis de sua lateret prosapia incauta alicujus audientium revelatione traderetur.*

Multa Clodoveus bella commisit, quæ illic breviter causa non scripsimus, quoniam latius in Hunnibaldo continentur libro XVIII. Multas quoque gentes regno Francorum subjecit, regnumque cum injuria plurimorum valde ampliavit. Etatis annorum XV. fuit cum regnare cœpisset, regnavit annis XXX.

hona fecit plura, similiter & mala, nomen matris ejus Basina, uxor legitima Basini Regis Thuringorum, ipse in adulterio natus.

Hildericus enim Rex Francorum, in Thuringiam fugiens, & apud Basinum Regem consanguineum suum hospitatus annis VIII. cum uxore ejus Basina secretos habuit concubitus, quæ ab eo concepit, & peperit filium prædictum Clodoveum, anno fuga ejus II. qui fuit Dominicæ nativitatis CCCC. LXIX. indictione Romanorum VII. Postea verò anno fuga sue VIII. in Galliam reversus est, quem Basina, cum filio secuta, ad eum venit anno Domini CCCC. LXXVI. cum puero jam septenni, supervixit Hildericus Rex annis VIII. & mortuus est.

Successit patri Clodoveus cum esset annorum XV. regnavit annis XXX. obiit autem anno ætatis sue XLV. Regni XXX. Dominicæ verò nativitatis anno D. XIV. indictione Romanorum VII. Parisi sepultus in Ecclesia sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, quam ipse cum Crothilde conjugæ novam construxerat.

Reliquit autem filios IV. Lotharium, Theodericum, Clodomerum & Hildebertum, qui regnum inter se paternum amica portione diviserunt. Et quia plures deinceps ex his processerunt Reges, ne ordinem confundamus, præcipue principalis inceptum: Principalis intentio nostra erit in recta linea permanere, continuando seriem generis ad Hildericum ultimum cum initio.

Huc usque Hunnibaldus continuavit historiam Francorum, ab excidio Trojanorum per annos mille septingentos. Quæ sequuntur de gestis Francorum, et Hodoardo, Richero & Hermansfredo aliisque auctoribus sumpta sunt.

Lotharius Clodovei filius per quem recta continuatur linea, post patrem Suesstionis regnavit annis undecim & quinquaginta. Cujus fratres singuli suis in locis regnaverunt. Theodericus enim Clodovei ex concubina filius regnavit apud Metenses annis XXIII. post quem filius ejus Theodebertus regnavit apud Austrasios, id est, Metim, quæ Campania superioris partem continet, per Alsiam quoque, & Alemannos Rheno conterminos annis XIV. cui Theodebaldus filius succedens regnavit annis IX. quo anno Domini D. LX. sine liberis mortuo Regnum Austrasie Lotharia accepit.

Clodomirus III. Clodovei filius regnavit Australiæ, qui fuit in bello peremptus, à Gundovaldo Rege Burgundiæ, reliquens tres filios, Theodebaldum, Gunniberum & Clodoaldum, quos patre mortuo Crothildis avia penes se habuit educandos.

Nec multo post Hildebertus & Lotharius patris puerorum duos occiderunt propriis manibus, tertium autem Clodoaldum auxilio procerum fuga lapsus evasit, & Clericus factus, bene vixit.

Hildebertus jam dictus IV. Clodovei filius Parisi regnavit annis XLV. Moritur autem anno Domini D. LIX. Parisi in Ecclesia sancti Vincentii sepultus, cujus regnum una cum Thesauris ejus omnibus Lotharius frater ejus accepit. Eodem tempore mortuus est etiam Theodebaldus nepos, qui regnum Austrasie avi sui Theodorici habuerat, quod ad Lotharium devolutum. Et sic Lotharius solus totum regnum Francorum obtinuit.

Anno Lotharii Regis Francorum X. Ermenfridus Thuringorum Rex ad instantiam Amalbergæ uxoris suæ, Bertharum & Baldericum fratres suos, quasi regnum ejus affectarent, dolose occidit, qui erant sicut & ipse, de nobili sanguine Regum Francorum. Quod ubi Theoderico Regi innotuit valde commotus est, & statuit in animo suo necem consanguineorum ulcisci. *Morabatur enim Theodericus apud Austrasios in urbe Metensi, ubi sedem regni posuerat, & dominabatur Austrasios, hoc est, Metensibus, Leodis, Agrippinis, Treveris, Westrasis, Alsatis, Cus Rheni, & Alemannis.*

Aliam belli causam Fortunatus assignat, quam breviter dicemus. *Amalberga Ermenfridi Regis Thuringia uxor, filia fuit Clodovei, & Crothildis, qua nimis egre iulit maritum suum sub tributo constitutum Regis Theoderici, quem regno censebat indignum, propterea, quod concubina Clodovei patris, & non Regina esset filius. Unde causata, quod regnum Austrasie sibi potius jure deberetur, qua esset legitima Regis ac Regina filia, quam Theoderico illegitime nato.* His & multis aliis verbis, mulier continuè molestavit Ermenfridum, & importunitate nimia tandem impulit, quod missis literis, & nunciis ad Theodericum, Austrasiam ab eo regnum tanquam sibi cum uxore debitum, injuriosis & contumeliosis imp. operationibus requisivit.

Hinc motus Rex Theodericus, cum se venturum in Australiam, cum exercitu pugnatorum Ermenfridus minaretur, statuit illum prevenire. *Vocatus igitur in auxilio filio suo Theodeberto, & fratre suo Lothario Regibus cum magno Francorum exercitu intravit Thuringiam, Regem Ermenfridum cum uxore filisque cepit, & occidit omnem regionem Thuringorum sibi subjecit.* Ab illo tempore Thuringi Reges defecerunt usque in præsens.

Cum prædam inter se Reges dividerent, Radegundis virgo speciosissima, quæ filia fuerat Bertharii Regis ab Ermenfrido fratre occisi, Lothario Regi sorte obvenit, quam ille secum in Galliam abduxit captivam, & in uxorem accepit, quæ magna sanctitate claruit, & post obitum Lotharii Regis Monialis facta est.

Lotharius Rex Francorum prælia multa constituit. Cum Saxonibus bis pugnavit, primò victor, secundo victus, multis Francorum occisis. Ipse autem fuga lapsus cum paucis ad Sueffionas regressus est. Causa belli fuit negatio tributi.

Filios habuit septem, quorum unus nomine Granus, à quo thermæ sunt dictæ ad Aquas Grani, Colonienfis diocesis, patri fuit rebellis, quem postremò captum, cum uxore duobusque liberis cremari iussit, multis Francorum peremptis.

Tandem Lotharius obiit, anno Regni sui LI. Dominicæ verò nativitatæ D. LXIV. indictione Romanorum XII. filios relinquens IV. Heribertum, qui natu major apud Parisios regnavit post obitum patris annis paucis, nihil aliud memoratu relinquens, non, a se, dignum, nisi quod libidinis deditus, turpitudinis extitit servus, & brevis sine liberis obiit.

Secundo genitus Lotharii fuit, Guntramus qui Aurelianis, & in Burgundia regnavit annis XXXIII. & obiit anno Domini D. XCVII. duos relinquens filios, Theodoberum & Theodoricum. Uxor ejus fuit nomine Aultrigildis dicta, mulier iniquissima, quæ ad mortem infirma, cum se non posse convalescere aspiceret, medicos duos innocentes iussit interfici.

Theodoberus major natu genuit Sigebertum, Sigebertus autem genuit Odobertum. Odobertus autem

genuit Odobertum, Gunthramum & Adelbertum fratres. Odobertus autem junior genuit Lufnidum & Udalricum Comites, quorum in Habsburg alter, in Hohenburg residebat alter, jam regno in quatuor Comitatus Helvetiorum, Alsatorum & Alemannorum Cus Rheni ortum diviso.

De isto Lufrido genealogia Comitum de Habsburg, usque ad Rudolphum Regem Germanorum, & ulterius in Maximilianum continuatur, à Gunthrano Francorum per annos DCCC. XVII. usque ad viciesimum octavuum annum regni Maximiliani. Sed lineam ejus genealogiæ rectam in præsentem loco non potui continuare.

Sigebertus Lotharii III. genitus filius regnavit in Austrasia, hoc est, Metis, Treveris, Leodis, Colonia, Moguntia, super Thuringos & Saxones annis XIV. quem Hilperius frater persecutus, Anno Domini D. LXXVIII. occidit. Uxorem habuit nomine Brunihildem, quæ peperit ei filium nomine Theodoberum, qui post mortem patris regnavit annis XXI. & moritur anno Domini D. XCIX. Post quem regnavit filius ejus Theodoricus annis XVI. qui sanctum Columbanum instinctu Brunihildis aviæ suæ, de regno expulit, anno Christi DC. XIV. & paulo post mortuus est, relictis filiis tribus spuris, Sigeberto, Corbo & Meroveo. Sigebertus à Lothario filio Hilperici sequentis, in bello fugatus nusquam comparuit. Corbus ab eodem Lothario fuit occisus. Meroneum, quem de sacro fonte levaverat, in vita servavit. Brunihildem verò X. Regum interfecitricem occidit.

Hilpericus junior Lotharii filius, à quo Regum Francorum recte descendentiæ linea continuatur mortuo Patri succedens, apud Sueffionas regnavit annis XXIV. Cæpit autem regnare anno Domini D. LXII. Biennio prius quam pater moreretur. Uxorem habuit nomine Andoveram, quam dolo Fredegundis com matrem sibi factam abjecit, & ipsam Fredegundem decepticem Regina superinduxit. De Andovera prima uxore duos habuit filios, Clodoveum & Meroneum, qui dolo noceræ ambo interierunt. Fredegundis autem peperit Lotharium, qui patri suo successit in regno.

Anno regni sui XVI. qui fuit Dominicæ nativitatæ DLXXVIII. Hilpericus Rex fratrem suum Sigebertum, post multas perlecutiones tandem interfecit, cuius uxorem Brunihildem Meroneus Hilperici filius duxit infaustam uxorem. Porro Sigeberto nequiter perempto, Theodebertus filius successit annis XXI.

Hilpericus autem Rex tandem Fredegundæ uxore sua procurante occiditur, anno Regni sui XXIV. Domini vero DLXXXVI. indictione Romanorum IV.

Lotharius ex Fredegunda Regis Hilperici filius regnavit post patrem annis XLIV. qui plures habuit uxores, & genuit Dagobertum ex Berchirudo, qui ei successit in regno, & Heribertum, qui Tholosa regnavit in Aquitania. Paulo ante hæc tempora, cum Sigebertus Rex frater Hilperici adhuc viveret, anno videlicet Domini DLXXVI. cum Saxones ad præces Winulorum, qui nunc sunt Longobardi, de finibus Scandianis exeuntium, cum eis intrassent Italiam, & post aliquot annos ibidem exactis, viderent se contentos à Longobardis cum liberis ex uxoribus, per Galliam conductu Sigiberti Regis in Saxoniam sunt reversi. Alemanni autem Saxoniam inhabitabant, quam incolis recedentibus mox occupaverant. Venientibus Saxonibus Alemanni tertiam eis partem regionis

gionis dare fuerant parati. Sed recusantibus accipere partem Saxonibus qui totam repetebant, Alemanni mediam obtulerunt. Verum Saxones paternum solum resperentes totum, ubi contradixissent Alemanni, res ferro committitur, & pugnantibus agnoscantur Saxonum vires, qui Alemannorum CCCC.LXXX. in eo prelio peremerunt. De Saxonibus autem non ceciderunt nisi mille ac XX. viri, & sic terram recuperaverunt avitam.

Anno Lotharii Regis V. moritur Gunthramus Francorum Rex Aurelianus, & partis Burgundiz duos relinquit filios Theodobertum & Theodoricum, contra quos Lotharius instinctu Fredegundis uxoris suæ bellum movit.

Verum Sanctus Abbas Columbanus Lotharium monuit, ne senepotum nece pollueret, fore denique futurum quo hæres eorum fiat, & Monarcha totius Regni.

Sed Brunihildis avia nepotes ipsos, in mutuum bellum sine intermissione concitabat. Theodobertum singulari odio persequebatur Avia, & ob id fratrem contra illum sedulo provocabat. Unde postremò Theodoricus exercitum movit adversus Theodobertum fratrem, & commissum est atrox bellum, in quo multa Francorum milia ab utraque parte ceciderunt. Tandem inferior factus Theodobertus fugit, & se intra muros Colonia Agrippina urbis recepit. Quem frater insecutus Colonia obsidione vallavit. Cives autem rogabant pacem à Theodorico, quibus ille respondit: Non habebitis à me pacem, nisi projeceritis ad me de muro caput fratris mei Theodoberti: Cives ergo amputatum caput Theodoberti Domini sui Theodorico fratri sicut iusserat per murum projecerunt.

Factus itaque victor in sanguine fratris Colonia ingressus pacificus, bellator impius, totamq; Austriam, quod frater possederat, sibi subjugavit. Habebat autem Theodobertus tres filios, Sigebertum, Gunthramum & Lotharium, filiam unam speciosissimam. Sigebertus major natu fuga lapsus, usque ad mortem Theodorici secretissime latuit apud avunculum suum Genebaldum Ducem Francorum orientalium, qui post mortem Theodorici procerum interventu regnum accepit Helvetiorum, ut dicitur post hæc inferius, non tamen permittebatur sibi Diadema imponere, vel Regiam habere dignitatem. De hoc Sigeberto natus est, Odobertus, per quem Comites in Habsburg, ut paulo diximus antè, cum multis aliis in superiori Alemannia Helvetiæ provenerunt.

Memorati autem Sigeberti duos fratres, & sororem, qui adhuc parvuli erant Theodoricus Rex patruus secum duxit ad Metim: Cui occurrens Brunihildis statim, ut vidit nepotes parvulos quasi furens leona super eos irruit, & propria manu crudeliter interfecit, & sic Theodoricus Austrasiam obtinuit.

Nec multo post hæc elapso tempore, anno scilicet Domini DC. XVIII. qui Regis fuit Lotharii XXXII. Theodoricus Rex veneno Brunihildis interit, anno regni sui XXI. post cuique interitum Lotharius juxta prophetiam sancti Columbani Abbatis totius Regni Monarcha factus, deinceps regnavit solus super Francos, & Gallos annis XIII. qui Brunihildè X. Regum interfectricem Wormaciz comprehensam judicio procerum mortem subire crudelem iussit.

Lotharius igitur jam IV. regnorum Monarcha factus, commendavit provincias Comitibus. Palatii namque sui Præfectum constituit Garnerium virum

Nobilem, de antiqua prosapia Regum Francorum, unde majores domus sive Comites Palatini sunt dicti, in eodem officio postea succedentes.

Burgundiam vero commisit cuidam Harponi, qui & ipse Comes erat de vetustissima Regum Francorum stirpe procreatus, & multa fortiter gessit.

Radoni autem Nobilissimo Comiti Francorum Austrasiam commendavit, hoc est, Metim, Leodunum, Treverim, & quicquid illis interjacet.

Moguntiam, Wormatiam, Spiram & omnem Austrasiam, unà cum adjacentibus regionibus commendavit Clodomiro, qui Dux erat Francorum orientalem apud Würzburg viro magnanimo, & de Regum prosapia descendenti.

Inferiorem autem Franciam sive Galliam Aquitaniam Pippino commendavit, in qua sunt potiores civitates, Turnanensis, Morinensis, Tornacensis, Avenionensis, Cameracensis, Trajectensis, & quicquid interjacet.

Allatiam Alemanniam CisRhenanam, hoc est, Constantiam, Basileam, Argentinam, & quicquid iuxta erat Francorum inter Burgundos, & Rhenum atque Longobardos, ipsosque Helvetios, commisit Sigeberto filio quondam Theodoberti Regis Austrasiorum, quem Theodoricus frater occidit, sicut est dictum. Ille Sigebertus quamdiu patruus post necem patris fratrum, & sororis, cum Brunihilde supervixit, apud Duces Franciæ orientalis latuit.

A Lothario autem procerum interventu factus Comes in regionibus memoratis, & genuit Odobertum, Gunthramum, & Theodobertum, ex Engeltrude filia Heriberti Ducis Francorum orientalium. Præfuitque provinciæ sibi commissæ annis XXXVIII. Odobertus patre mortuo, Comitatus accepit quatuor in terra Saxonum, Habsburg, Kyburg, & duos alios, quorum mihi nomina jam non occurrunt.

Gunthramus Comes fuit in Homburg, & genuit Udalricum patrem sanctæ Othiliz virginis Christi, & Morinialis. Theodobertus Comes fuit Raratorum. Ex hiis multi Comites descendunt.

Eo tempore quo Lotharius regnare cepit Successores in Gallia. Garibaldus regnavit in Bavaria, cujus filiam nomine Theodolindam Ansbarius Rex Longobardorum habuit uxorem, quæ mulier Christo fuit devotissima, ad quam beatus Papa Gregorius IV. libros dialogorum transmisit, anno Dominicæ nativitatis DC. erant illo tempore Bavariz Reges, sub potestate Regum Francorum, dabantque illis tributum singulis annis.

Anno autem Domini DC. II. indictione Romanorum V, qui fuit annus Lotharii XVI. mortuus est Garibaldus prædictus Rex Bavaria, in cujus locum Rex memoratus Francorum Lotharius Tassilonem constituit Regem.

Gertrudis uxor Lotharii Regis Francorum peperit Dagobertum, quamortua duxit Sigehildem, quæ peperit Heribertum, de quibus suo loco dicitur. Dagobertum pater sancto Arnulfo Metensium Episcopo nutriendum, & instituendum commendaverat, his temporibus magno in pretio fuit. Ille Arnulphus de genere Francorum Comes Namurci fuit, ex quo factus Episcopus Metensis, & ex Episcopo Metensis Eremita, opinione cunctorum sanctissimus, jus genealogiam altius repetere causa me admittit, quod & Regum de sanguine venit, & ex nepotibus plures ad regnum fuerunt assumpti.

Anno enim Domini CCC. XLIII. Clotio Rex Fran-

corum genuit *Marcomerum* Regem, & *Dagobertum* Ducem. *Dagobertus* autem genuit *Genebaldum*, *Genebaldus* autem *Marcomerum*, & *Sunnonem* genuit. *Sunno* autem genuit *Dioclem*, *Diocles* autem genuit *Meroneum*, *Meroneus* autem genuit *Leontium*. *Leontius* autem genuit *Heribertum*. *Heribertus* autem genuit *Priamum*. *Priamus* autem genuit *Sigebertum*. *Sigebertus* autem genuit *Nicanorem*. *Nicanor* autem genuit *Ansegisum*. *Ansegisus* autem genuit *Arnulfum* Comitem Namurci in Aultrasia postea Episcopum Metensem, & eremitam, de quo loquimur.

Arnulfus autem genuit *Ansegisum* Namurci Comitem, & majorem domus Francorum sive Palatinum Comitem. *Ansegisus* autem genuit *Pippinum* majorem domus, & Ducem Brabantiae patrem Sanctae *Gertrudis*, cujus uxor *Ida* monasterium *Nivellense*, ad instantiam sancti *Amandi* construxit in *Brabantia*, sive ut tulus habet in *Brabantia*, qui *Pippinus* obiit anno Domini *DCXLVII*. sub *Dagoberto* Rege Francorum, ut dicam. *Pippinus* autem genuit *Grimaldum*, & *Carolus* cognomento fortem majores domus. *Carolus* genuit *Pippinum*, *Carolomannum* & *Griffonem*. *Pippinus* autem ex Comite Palatino seu majore domus Francorum Rex, post depositionem *Hiliderici* factus, genuit *Carolus* Magnum, de quibus postea dicetur.

Anno Domini *DCXI*. *Dagobertus*, quem *Lotharius* pater jam antea Regem Aultrasiae constituerat, *Bartholdo* Saxonum Duci neganti tributum solvere *Francia*, bellum indixit, contractisque copiis, ac *Rheno* transmissis cum eo pugnavit, & primo victus, graviter vulneratus est. Quod celeri nuntio referente audiens *Lotharius* pater, qui tunc erat in *Ardemia* *lylva* dicecesis *Colonienfis*, in auxilium filio properavit, *Rheno* apud *Novesum* transmissis, rursus bellum committitur, *Berthold*, sive ut voluit alii *Berthulf* Dux Saxonum occiditur, Saxones Duce perempto fugiunt, quos insecutus Rex *Dagobertus* omnes, qui gladii ejus longiitudinem excedebant masculini sexus occidit, gentemque tributum *D. boum* solvere compulit.

Post hac anno Domini *DCXXXI*. indictione Romanorum *IV*. *Lotharius* Rex filius *Ielperici*, & pater *Dagoberti* moritur, anno Regni sui *XLIV*.

Dagobertus cognomento Magnus filius *Lotharii*, post mortem Patris regnavit annis *XXXIV*. nomen Matris ejus *Bertrudis*. Hic duos filios habuit *Sigebertum* & *Clodoveum*, vel ut alii scribunt *Lodovegum*, quem nos *Ludovicum* hodie Germanice potius dicemus.

Cum *Sigebertus* ipse puer infans *XL*. dierum baptizaretur ab Episcopo, & inter orandum *Amen* a circumstantibus esset respondendum, & omnes distractis cogitationibus tacerent, infans ipse *Amen* clara voce respondit.

Hunc *Heribertus* frater *Dagoberti*, qui *Tholosae* regnabat in *Aquitania*, de sacro fonte levavit, qui scilicet *Heribertus*, fratre jam regnante post *Lotharium* abierunt *Hilperico* filio, & *Monarchia* ad *Dagobertum* revertit.

Saxones missis Oratoribus *Dagobertum* rogabant, quatenus eis tributum remittere dignaretur, quingentos videlicet boves, quos annis singulis dare Francis Regibus cogebantur. Consensit Rex, sub ea conditione ad tempus, ut ipsi Saxones *Sclavas* rebellarent, quod & fecerant.

Rex *Dagobertus* filium suum dictum *Sigebertum*

Regem *Austrasiae*, id est, *Metensium*, *Coloniensium* & *Leodiensium* constituit, imposito illi diademate, commendans eum sancto *Chuniberto* *Coloniensium* Archiepiscopo, & *Adelgiso* *Namurci* Palatino Comiti, ut eorum prudentia regeretur.

Clodoveus autem Rex *Nanthildae* Regis *Dagoberti* filius *Neustriae* ac *Burgundiae* Rex a patre declaratus est, quem adhuc parvulum *Pippino* Duci *Brabantiae*, & *Againo* Comiti educandum, & instituendum in moribus commendavit.

Ille *Clodoveus* *Dagoberti* filius, uxorem habuit nomine *Bathildem* *Saxonum* gentis, illustrem foeminam, qua peperit *es* *Lotharium*, *Hilidericum* & *Theodoricum*, de quibus per ordinem, suis in locis breviter dicendum.

Dagobertus Rex Francorum Magnus, obiit anno regni sui *XXIV*. Dominicae vero *Nativitatis* *DCLXV*. indictione Romanorum *VIII*,

Clodoveus filius Magni *Dagoberti*, succedens Patri regnavit annis *XVI*. nomen Matris ejus *Nanthildis*. Major domus sive Comes palatii fuit sub eo, *Ansegisus* sancti *Arnulfi* *Metensis* Episcopi filius, vir strenuus, atque magnificus, qui Comes fuit *Namurcensis*, cujus filius *Pippinus* Dux erat *Brabantiae*.

Regnavit autem *Clodoveus*, ut dictum est, in *Neustria* & *Burgundia*, hoc est, *Parisii*, *Beluaci*, *Ambiani*, *Blesis*, *Remis*, *Lugduni*, *Tholose*, & in omni regno *Galicano*, usque ad mare & *Hispanias*, per *Alemanniam*, *Franciam* orientalem, *Bavariam*, *Alsaiam*, *Thuringiam*, & alias provincias regno Francorum subiectas, Duces erant deputati, & Comites de nobili sanguine antiquorum Regum *Franciae*, qui eas sub Regibus administrabant.

Sigebertus autem frater *Clodovei*, sicut diximus, regnavit in *Austrasia*, qua inferiori *Campania* jungitur apud *Metenses*, *Colonenses*, *Leodimenses*, *Trevirenses*, *Mosellanos*, *Tulenses*, *Moguntinenses*, *Neometenses*, *Vangiones*.

Clodoveus Rex moritur anno regni sui *XVI*. Dominicae vero *nativitatis* *DCLXXXI*. indictione Romanorum *IX*. relinquens tres filios, ut dictum est, ex *Bathilde* uxore, *Lotharium*, *Hilidericum* & *Theodoricum*.

Lotharius *Clodovei* major natus filius patri succedens regnavit annis *IV*. tantum cujus major domus *Eberwinus* fuit, vir impius, qui sancto *Leodegario* Pontifici oculos eruit, & eum *Christi* martyrem fecit. Moritur autem Rex *Lotharius* anno Domini *DCLXXXV*. indictione *XIII*.

Theodoricus frater *Lotharii*, & filius *Clodovei* mortuo fratri succedens regnavit annis ferme *VII*. Bis etenim Rex factus est. Primo namque fratri succedens, otiosus & inertis deditus, omnia negotia Regni, per Comitem Palatii, quem majorem domus nuncupabant, disponere cepit, semel in anno, ad *Kalendas* *Majis* se populo videndum salutandumque ostendens, reliquum tempus omne in otio consumebar. Unde res Francorum publica non parum detrimenti acceperit. Omnia enim majorum domus arbitrio gerebantur. Cujus major domus fuit *Eberwinus*, quem alii *Ebroinum* male scribunt, quia Germanicum est nomen, homo sceleratus & impius, qui multa fecit mala, quibus commoti Procures Francorum *Theodoricum* a Regno dejiciunt, & tam ipsum quam *Eberwinum* separatos, ab invicem ad duos moenia intrudunt.

Hilidericus duorum Regum praecedentium frater medius,

medius, & Clodovei filius, dejecto à Regno Francorum Theodorico fratre juniore, Procerum electione ad Regnum de Austrasia vocatus, regnavit annis paucis, qui cum esset moribus asper & multis Nobilibus Francorum odiosus, in venatione occisus est.

Theodericus, fratre in venatione unà cum Ulcida uxore prægnante occiso, ad Regnum à Francis restituitur, & regnavit deinceps annis III. Et moritur anno Dominicæ Nativitatis DCXCII, relinquens ex Clothilde Regina filios duos. Clodoveum & Hildebertum qui post eum regnaverunt.

Clodoveus major natu Theoderici filius Patri succedens in Regno Francorum, anno Domini prænotato DCXCII, regnavit annis III. cum fratre suo Hildeberto. Major domus Regni Francorum illo tempore fuit Pippinus Ansegisi filius Namurci Comes, & Brabantix Dux inclutus. Ejus Clodoveus Regis anno ultimo Sanctus Wilbrordus, qui & Clemens à Sergio Papa Romæ, in die sancti Clementis ordinatur Episcopus, & in Galliam Belgicam, Austrasiam quoque & Phrisiam, ad prædicandum mittitur.

Clodoveus autem Rex ille Francorum moritur, anno Dominicæ Nativitatis DCXCVI, indictione Romanorum IX, cui frater successit.

Hildebertus mortuo Clodoveo fratri succedens, regnavit post eum annos XIV. cujus anno V. Sanctus Lampertus Episcopus Leodensis occisus est.

Rex autem Hildebertus moritur anno Dominicæ Nativitatis DCX, indictione Romanorum VIII, Dagoberto relicto filio.

Dagobertus junior Patri succedens in Regno Francorum, regnavit annis V. parva auctoritatis, & momenti Reges Francorum hiis fuere temporibus, sed omnia per majores domus fiebant, inter quos etiam variis motus, & seditiones crebrò extiterunt. Eberwino enim sub Theodorico mortuo Franci Garaconem Palatii Comitum faciunt, quem non multo post Gillemarus ejus filius à Magistratu deiecit. Hic post bella adversus Pippinum Brabantix Ducem, quem Franci, de majoritate domus ejecerant, repentina morte interiit, & Garacon Pater dignitatem recepit. Illo etiam brevi mortuo Bertharius major domus constituitur homo inutilis.

Francorum dissidium intelligens Pippinus Brabantix Dux, contractis copiis exercitum contra Theodericum, & Bertharium duxit: Pugnatum est acriter, Theodericus fufo exercitu fugam petit, Bertharius occisus est. Pace tandem firmata, cum Theodorico Rege Pippinus magistratum recepit, & obiit anno Domini DCCXV, indictione Romanorum XIII, filium relinquens nomine Carolum Martellum cognomento fortem, quem Pleutrudis noverca novissima Pippini uxor apud Coloniã in custodiam posuit, & Theobaldum majorem domus Franci constituunt. Non multo post Franci Theobaldum Magistratu dejiciunt bellum committunt, Regis Dagoberti partes infirmantur. Pulso enim magistratu Theobaldo, Franci Proceres Rangafredum majorem domus faciunt. Interea Carolus Martellus Pippini filius de novercæ custodia evasit.

Dagobertus autem Francorum Rex junior tandem obiit. Anno Domini DCCXV, indictione XIII, relicto filio nomine Theodorico.

Post mortem Dagoberti Regis Franci Danielsen quendam Presbyterum majorem domus constituunt, quem postea erigentes in Regem, Helperici nomen ei

imponunt, qui adversus Carolum Martellum sæpe prægnavit.

Verum Carolus de custodia novercæ miraculose plus, summo laborabat studio, ut principatum patriæ recuperare posset. Unde cum esset potens, Lotharium quendam de regio semine contra Danielen constituit Regem Francorum, à quo & ipse major domus factus est. Plura cum Daniele Carolus prælia gessit, aliquando victus, læpius tamen victor.

Conspiraverant cum Daniele contra Lotharium, & Carolus Regenfridus Dux Phrisionum, & Eudomonstionum Princeps, sed omnes sunt victi, & Lotharius auxilio Caroli Regnum potenter obtinuit annis VIII.

Moritur autem Lotharius inter-Rex ille anno Dominicæ Nativitatis DCCXXIII, Regni sui octavo anno, indictione Romanorum VI. Quo mortuo Daniël, qui & Hespericus Presbyter, in Regnum est restitutus, qui non diu supervixit, sed anno sequenti, hoc est DCCXXIV, obiit.

Theodericus Dagoberti Regis novissimi filius major domus, in quodam cœnobio Monachorum, ut ferunt, educatus, post mortem duorum inter-Regum Lotharii & Daniëlis, consilio majoris domus Caroli Martelli, quæ jam potentissimus erat, in Regem à Francis assumitur, & regnavit annis XIII. sed omnis potestas penes majorem domus erat in toto Regno, & Rex solo nomine contentus esse cogebatur.

Carolus ille major domus Francorum, Namurci Comes, & Brabantix Dux, Regnum Francorum, penè delolatum, in integrum restauravit, auxiis & gloriosum fecit. Multa cum gentibus prælia gessit, & semper evasit victor: Inprimis grandem exercitum duxit ultra Rhenum atque Danubium per devictos Suevos, Bavarios, ad Baugarenenses, Rhenios & eas gentes, quas hodie nominamus Australes ultra Danubium Francorum regno potenter subjiciens, cum spoliis multis, in Galliam rediit.

Suevi à fide subjectionis Francorum deficientibus, Carolus bellum indixit, contractisq; copiis militum, cum eis dimicavit. Pugnatum est acriter, & multi ab utraque parte ceciderunt; plures tamen ex Suevis, quàm Francis. Unde novissimè Carolo cessit victoria, & occiso Duce Suevorum Leufredo, gentem illam, cum regione Francis subjugarit.

Anno Theoderici Regis Francorum IX, qui fuit Dominicæ Nativitatis DCCXXXIII, Carolus major domus bellum gessit cum Phrisionibus, se à subjectione Francorum vindicare in libertatem conantibus. Bellum atrox committitur, & Phrisiones Radbodone Ducem eorum perempto superantur.

Anno sequenti Carolus movit exercitum in Wasconiam. Nam Edulo Princeps Wasconum Hispanix Regem Abdiramum, cum infinitam multitudinem pugnantium haberet auxiliantem, in fines Francorum irrupit, posuitq; apud Burdegalam castris, civitatem expugnavit, Ecclesiis omnibus spoliatis, & incensis. Inde progrediens simili clade Pictavienses affecit, & sancti Hilarii templum incendit. Deinde ad urbem Turonicam movit exercitum, quàm pari machinatione expugnare voluit.

Sed Carolus cum suis occurrens hosti, ne quod volum impetraret, obstetit. Bellum committitur, atrocissimum pugnatum, sed Carolo Deus concessit victoriam, qui die illa CCLXXXV, hostium prostravit, cum tamen de Francorum exercitu quingenti duntaxat in eo præ-

ho occidissent. Nec multo post mortuo Edulone, qui & Eudo, Carolus movit in Wasconiam, & eam sua ditioni subiecit, Burgundos nova molientes compefcuit.

Anno Theodorici Regis XI, Wandali relicis sedibus suis, cum finitimos sibi populos, non parum inquietassent, in Franciam tandem crudeli multitudine irrumperentes, usque ad Senones pervenerunt. Sed impetu in eos facto, urbis Antistes Eppo soluta obsidione convertit in fugam.

Gothos à finibus Hispaniarum in Franciam irrumperentes, Carolus bello fortiter exceptos prostravit, & cum ignominia maxima fugere compulit. Populos denique Cis Rhenanos, Mosellanos quoque, Cynonotos, Westrasios, Moguntios, Vangiones & Neometes Gallorum hostes antiquos etiam perdomuit.

Theodorici Rex Francorum moritur anno regni sui XIII, qui fuit Dominicæ Nativitatis DCCXXXVII, indictione V.

Hildericus Theodorici Regis filius genitori mortuo succedens, solo nomine regnavit annis XIV. Nam & opes, & potentia Regni penes Palatii Præfectos, qui majores domus dicebantur, & ad quos summa totius Regni pertinebat tenebantur. Nec aliud quicquam Regi permittebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barbâq; submisso, in solio resideret, ac speciem dominantis effingeret. Legatos undecumq; venientes audiret, eiq; abituris responsa, quæ doctus erat vel jussus, quasi ex sua potestate redderet, tum præter inutile Regis nomen precarium vita stipendium, quod ei præfectus aula pro suo arbitrio adhibebat, nihil aliud possideret. Unam tantum & eam perparvam redditus villam in qua domini, & ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat, fuitque necessario paucis contentus.

Quocumque eundum fuerat carpento ibat, quod junctis bobus, & bubulco, more rustico agente trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum conventum, qui ad Kalendas Maji annuatim celebrabatur ire solebat, & coram tota gente in solio residens, omnes salutabat, refalutatus ab eisdem, sicque domum ut venerat reverfus otiosus domi usque ad sequentem annum residebat. Ad Regni administrationem, & omnia quæ vel domi, vel foris agenda, vel disponenda erant, Præfectus aula, qui & major domus, procurabat.

Anno Hilderici Regis II, qui fuit Dominicæ Nativitatis DCCXXXIX. Wandali cum Saracenis iterum facta irruptione, Galliam vastaverunt, & in primis Aralatensem urbem ceperunt. Carolus autem Martellus, major domus, misit ad Lintprandum, qui venit ad eum cum toto Longobardorum exercitu. Quod audientes Saraceni mox omnes fugerunt.

Anno sequenti Carolus exercitum movit in Saxoniam & gentem illam rebellem, & Franci solitum pendere tributum obnoxientem bello vicit, & ad subjectionem coegit. Ulterius inde progrediens totam penè Germaniam usque ad Sarmata bello superans Francorum dominio subiecit.

Post multa fortiter gesta Carolus Marsellus, id est, mallens, major domus Francorum, Namurci Comes, & Brabantæ Dux fortunatissimus, obiit anno Hilderici Regis Francorum V, Dominicæ verò Nativitatis DCCXLI, indictione Romanorum X, relinquens tres filios, Pippinum, Carlomanum & Grifphonem. Grifpho qui minor natu erat Matrem habebat nomine Schwambildem. Odilonis Baviaræ Ducis neptem,

quem illum suo consilio, ad spem totius Regni concitavit, licet frustra omnia tentavit.

Eodem mox anno post mortem Patris Pippinus & Carlomanus fratres Primatum Francorum accipiunt, quem simul annis quatuor administraverunt. Postea Carlomanus Roma factus est Monachus, & Pippinus deinceps Major Dominus, mansit solus annis VI: quibus evolutis omnium consensu Procerum, Rex Francorum constituitur, ut infra dicemus.

Grifpho autem dolens se contemptum à fratribus, consilio matris, Laudunum civitatem occupat ac bellum fratribus indicit. Qui celeriter exercitu contracto Laudunum obsident urbem, & fratrem capiunt, quem Carlomanus in Novo castello, quod juxta Arvernum situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad Monachatum Carlomanni annis quatuor detentus fuit.

Anno Hilderici Regis Francorum VI. Pippinus & Carlomanus Namurci Comites, ac Brabantæ Duces, post obitum Patris (ut dictum est) Principatus Majoritatis Domus, sive Palatii Comitatus, potit, ad ordinandum Regnum atque Provincias, quæ post mortem Patris, à subjectione Francorum desciverant, recuperandas animos studiosissime intendunt.

In primis ergo ad recuperandam Aquitaniam communi animositate sublatis, contra Himoldum, illius Provincie Ducem, exercitum ducentes, bellum Principi indixerunt. At ille videns se potestati Francorum non posse resistere, gratiam petiit & eorum se voluntati subiecit.

Eodem tempore, cum adhuc essent in Aquitania constituti Pippinus & Carlomanus, in castello, quod dicitur Lucali, priusquam inde discederent, Principatum totius Francorum Regni, cujus administrationem sub miserabili Rege tenebant, inter se dividere statuerunt. Diviserunt ergo, sicuti voluerunt, Regni Provincias omnes, Procerum in provincia, & Regis Hilderici neque consilio, neque consensu, ad id requisito. Erat enim Hildericus, ut diximus, non Rex sed umbra potius Regalis cujusdam imaginis, servus servorum, & sine re nomen gerens inane. Complacuit Regni Proceribus intentio Principum, ut tempus postulabat.

Itaque communi Decreto, Pippinus & Carlomanus dividerunt inter se omnes totius Regni Francorum Provincias, in eo loco, qui nuncupatur vetus Pictavis. In qua divisione Carlomanus Austrasiam, Alemanniam & Thuringiam affectus est forte, quarum Provinciarum per pagos & urbes ista sunt nomina. Treveris cum Mosellanis, Metis cum Austrasiis, Leodium cum Namurcis, Brabantinis Hollandinis inter mare & Rhenum, Colonia cum Tungrensibus, Batavis, Menapiis, Frisiis & Hogiis, qui nunc sunt Westphali. Moguntia cum Cis Rhenanis, Vangionibus, Neometibus, Westrasiiis & Cynonotis, Argentina cum Allatibus, Constantia cum Alemannis, Helvetiis, Rauracis, Curiensibus, & qui hodie nuncupantur Valesii, Würzburg cum Suevis Francisq; Orientalibus, in quibus sunt oppida & urbes Nürnberg/ Babenberg/ Forchheim/ Wirsheim/ Hallsire & multi Comitatus, Schweinfurt/ Eotenburg/ Franckenburg/ Castellâ/ Sebalsstein/ Wichersheim/ Wardheim & alii plures, Bavaria cum urbibus, Ratispona, Vivario, Driopoli & aliis. Thuringia & Saxonia cum tota penè Germania Carlomanno contigerunt, in quibus singulis ferme Provincias, aut Duces, aut Comites, Rempublicam sub potestate

potestate Francorum administrabant, Principum nutu amovibiles.

Pippinus autem in ea divisione affectus est Burgundiam, Westriam, Provinciam, Aquitaniam, Campaniam, Wascaniamq; & quicquid illis interjacet, quarum Provinciarum per pagos & urbes ista sunt nomina. In Burgundia quidem Lugdunum, Vienna, Avinion, Bisantium, Losanna, Valentia, Massilia, & quicquid hodie in Sabandia, & Delfinatu continetur. In Westria, Parisii, Cabilona, Tullum, Turonum, Cathalonia, Tholosa, Cotomagus, & quicquid per totam est Galliam, Remis, Aurelianis, Suessionis, Belvacus, Blesus, Ambianis ab Hispaniis usque ad Scaldem fluvium.

Hac divisione inter se facta, Pippinus & Carlomannus domum sunt reversi. Eodem tempore, mox ut Alemanni in ortem Caroli Martelli audiverunt, a subjectione Francorum recedentes, in rebellionem unanimiter conspirarunt. Quae Suevorum rebellio, mox, ut Carlomanno innotuisset, contractis copiis, exercitum movit in Alemanniam, quam ferro devastavit & igne. Verum cernentes Aleinanni, quod Francorum impares essent viribus, denuo se illis subjiciunt & annuum tributum, ut prius consueverant, solvunt.

Anno Hilderici Regis VII. qui fuit Dominica Nativitatis DCCXLIV. Carlomannus & Pippinus, junctis copiis, contra Odilonem Ducem Bavariae, qui & ipse defecerat a subjectione Francorum, processerunt ad bellum. Imposuerat enim ipse sibi Regium Diadema, seque Regem auctoritate propria jussit appellari, quod Francorum Decreto fuerat illicitum, quia omnia Regna, sua Ditioni subiecta, in Provincias redegerant, unam ex omnibus Monarchiam constituentes, cui Rex unicus Francorum praeset, & solus. Odilo autem Dux venientes ad se Francos bello excepit, sed ab eis superatus & fusus est, & Bavaria denuo in dedicationem Francorum subacta.

Eodem tempore a fide Francorum etiam pars Saxonum, post mortem Caroli Martelli, defecit. Unde Carlomannus a caede Bayarorum reversus cum suis, expeditionem movit in Saxoniam, captoque castello, quod incolae Osinabruick nuncupant, & est hodie Civitas Episcopalis, Theodericum illius pagi Comitem primum in dedicationem accepit, qui fidei non servavit.

Quocirca Carlomannus & Pippinus conjunctis exercitibus, anno sequenti qui fuit Dominica Nativitatis DCCXLV. Saxoniam iterum ingressi sunt, & captum Theodericum toties fidei transgressorem capite truncari fecerunt. Iterumque, Saxones compulsi Franciis subjacere, tributum dare coeperunt.

Anno Hilderici Regis Francorum nominati Otiosi IX. Dominica vero Nativitatis DCCXLVII. Carlomannus Princeps Francorum Nobilissimus, Major domus, Comes Namurcensis & Brabantiz Dux natus, ac Vice Rex Germaniz, Trevirorum quoque, Metensium, Leodiensium, Colonicensium, Moguntinensium, Wormatiensium, Spirensium, Argentinen-sium, Basilensium, Constantiensium, Alemannorum, Suevorum, Bavarorum, Helvetiorum, Bohemorum, Australium, Francorum Orientalium, Thuringorum, Frisonum, & Saxonum, Praefectus & principalis Dominus unicus, solus, potens & metuendus, omnia fratris suo dimisit.

Divino etenim succensus amore, postposito tam latissimo Principatu, qui olim simul & semel duodecim sufficiebat Regibus, contemptisque divitiis mundi & honoribus cunctis, Romam proficiscitur, & Za-

charia Summo Pontifici se obtulit, à quo mox Clericus factus est, mutatoq; habitu indumentis Monachatus se fecit amittere, factusque Monachus in monte Soracina Ecclesiam sancti Silvestri construxit, in qua Dominus servivit.

Verum post annos aliquot, cum ex Francia multi Nobiles Romam ex devotione peregrinantes, cum, ut olim Dominum suum, crebrius visitarent, & quietis otium, quo maxime delectabatur, saepius intertumperent, locum mutare coactus est. Dimisso igitur cum Roma cenobio ad Monasterium Sancti Benedicti, quod est in monte Cassino, secutus Dei Spiritum se contulit, & Monachus inter Monachos usque ad mortem Deo serviens permansit.

Post cujus conversionem Pippinus frater ejus Major domus, omnem Principatum totius Regni Francorum solus administravit consequenter, adhuc annis V. quibus evolvis in Regem est sublimatus & regnavit annis XVI. Et factum est omne tempus sui Principatus post Patrem annorum viginti sex.

Anno Hilderici Regis Francorum XIV. Pippini vero Principis IX. Dominica autem Nativitatis DCCCLI. indictione Romanorum quarta, Sanctus Burchardus natione Anglicus, professione Monachus, Würzburgensis Ecclesiae primus Episcopus factus est, & praesuit in magna sanctitate annis quadraginta.

Eodem anno Proceres totius Regni convenientes in unum, super abrogatione Regis Hilderici inutilis, coeperunt habere consilium. Placuit autem in communi omnibus, ut Regem Hildericum, nullam regnandi vel peritiam, vel potestatem habentem, deponerent, & Pippinum, penes quem totius Regni summa manebat auctoritas, in Regem sublimarent. Sed Pippinus in hanc rem consentire non voluit, nisi prius confidens Romani Pontificis Zachariae inquireretur, causas allegans se moventes.

Communicato igitur consilio, mittuntur Romam Sanctus Burchardus, Würzburgensis Episcopus, & Volradus Abbas ad Zachariam Pontificem, ut consulerent eum, super memorato Regum negotio, quid videlicet illi melius, justius, rectiusque videretur fore: Utrum nomen Regium cum Diademate illi debeat permanere, qui semper otiosus, nihil operetur nomine Regis dignum, an potius alteri sit conferendum, id est Pippino, qui cuncta Regni disponat negotia, solusq; faciat laborem.

Respondit Papa Legatis: Justum sibi videri, ut illi, qui Regni perferi labores, & cuncta disponit negotia, nomen portet Regium & Diadema, potius quam Hildericus, qui semper otiosus, nihil ad Regni facit utilitatem. Scripsit ergo Episcopis & Proceribus Francorum & consuluit, ut Hilderico abrogato & in Monasterium detruso, Pippinum facerent Regem, Sancto etiam Bonifacio Archiepiscopo Moguntino per Apollonica scripta mandavit, quatenus eundem Pippinum in Regem ungeret Francorum.

Pippinus, jussu Zachariae Papae, in Regem Francorum, in civitate Suessionum, unctus & coronatus est, per manus sancti Bonifacii Archiepiscopi Moguntinensis, anno Dominica Nativitatis DCCCLII. indictione Romanorum V. & regnavit annis XVI. Erat Pippinus Namurci Comes, Brabantiz Dux, Major domus sive Comes Palatinus, de antiquissima stirpe Regum Francorum, cujus Pater fuit Carolus Martellus, qui fuit Pippini senioris, qui fuit Ansegisi, qui fuit sancti Arnulphi, qui fuit Ansegisi, qui fuit Nicanoris, qui fuit Siegerici

gebent, qui fuit Priami, qui fuit Heriberi, qui fuit Legontii, qui fuit Merovei, qui fuit Dioclis, qui fuit Sunnotii, qui fuit Genebaldi, qui fuit Dagaberti, qui fuit Marcomeri, qui fuit Clogionis Regis Francorum anno Dominicæ Nativitatis CCCL. regnantis. Porro Hildericus Rex depositus juxta Papæ sententiam Monachus factus est, defecitque in eo linea Regum Francorum à Pharamundo descendit.

Eodem anno quo Pippinus in Regem fuit coronatus, inventio & translatio corporum Sanctorum Kiliani Episcopi, Colonati Presbyteri, & Tothnani Diaconi martyrum apud Würtzburg facta est, à passione eorum anno LXIII. indictione Romanorum (ut supra diximus quinta) cum exultatione populi.

Hoc ipsa quoque anno Pippinus Rex ad instantiam sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, considerans fidem & sanctitatem Divi Pontificis Würzburgensis Burkhardi, quo mediante apud Papam urbis Romæ Francorum Regnum fuerat affectus, & quod Episcopium ejus adhuc novum in temporalibus non fuisse provisum, de consensu filiorum suorum Caroli cognomine postea Migni, & Carlomanni, simul & omnium Procerum totius Regni Francorum, qui Successionis eo die affuerunt, quando in Regem fuerat inceptus & coronatus, civitatem Würzburg cum omnibus pertinentiis & utilitatibus ejus, Regali munificentia donavit Ecclesie Cathedrali, hoc est, Sancto Burkhardo Episcopo Würzburgensi memorato & eius in perpetuam Successoribus proprietatem. Castellum quoque Carlshort cum villa que Carlshat nominatur, & alia plura Ecclesie prædictæ contulit novus Rex Pippinus.

Titulum quoque & dignitatem, tum emolumento Ducatus Francorum Orientalium, idem Rex Pippinus illi dedit perpetuo Ecclesie Würzburgensi & sancto Burkhardo illius primò Anistitu ejusque Successoribus in perpetuam quibus & potestatem dedit iudicium faciendum, & iudicandi secundum legem & consuetudinem Francorum, in omnibus causis per universum Ducatum.

Anno Regni sui secundo Pippinus Rex cum magno exercitu Francorum cum abri Saxoniam, cui Saxones obstinatissime resistunt. Postremo tamen victi sunt, & iterum in verba Regis juraverunt, quamvis nonnulli servarunt fidem. In hac expeditione Hildericus Episcopus Francorum fuit occisus. Criphefridus frater Pippini Regis eodem anno à quosdam in Germania est.

Anno Domini DCCLV. indictione Romanorum VII. & sextimus Pippini Regis tertius, Sanctus Bonifacius ex Monacho Archiepiscopus Moguntinus in Italia passus est prope Doekheim pro fide Christi martyrium, cuius corpus ad Monasterium Fuldense relatum est, & ibidem in cypriano honorifice sepulchrum.

Pippinus anno Regni sui VI. contracto iterum valido Francorum exercitu, movit in Saxoniam & commisso prælio multa eorum milia occidit, & reliquos in deditioem accepit, & ad hoc eos coegit, ut promitterent se facturi & omnia, quæcumque præciperes, & annis singulis CCC. equos illud dantes pro tributo, sine munere honoris, & in signum fidei subjectionis. His ita compositis & morosis illis confirmatis Rex Pippinus in sua revertitur.

Anno Domini DCCLVIII. indictione Romanorum VI. Pippinus Rex Francorum VIII. Kalendas Octobris mortuus, anno Principatus sui XXVII. R.

gni autem XVI. cuius corpus apud Sanctum Dionysium est sepulchrum, uxorem relinquens nomine Bertradem, & duos filios Carolum & Carlomannum.

Carolus Magnus Pippini Regis major filius post Patrem regnavit XLVI. Regnavit autem cum fratre suo Carlomanno annis tribus, quo mortuo solus regnavit annis XLIII. Cum regnare coepit annum ætatis agebat XXVI. Hic prælia multa constituit, & Regnum Francorum valde amplavit. In primis contra Hingoldum, qui Aquitaniam invaserat, duxit exercitum, qui statim fugit à facie ejus ad Lupum Walconie Ducem. At Carolus missa legatione ad Lupum in Walconiam, fugitivum cum uxore ab eo recepit, ipsoque Lupo, cum tota Walconia sibi obtemperante, regressus est.

Anno DCCLXX Carolus Rex habuit Conventionem Principum Regni generalem, in Wormatia civitate, Bertrada vero, mater Regum, cum Carlomanno, minore filio, apud Sels constituta pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque negotio pro quo ierat, & orandi voto ritè soluto Sanctis Apostolis, ad suos redit.

Eodem anno corpus Sancti Othmars quondam Abbatissæ cœnobii Divi Galli, in insula Rheni, quæ Stein nuncupatur, qua defunctus est, per decem annos sepulchrum reperitur incerruptum, ablatumq; in Basilica Sancti Galli sepelitur. Qui cum esset ejusdem Monasterii Abbas bonæ ac religiosissimæ conversationis quorundam perversorum fratrum invidia pulsus est, & in memoratam insulam Stein relegatus, ubi & moritur anno Domini DCCLX. indictione XIII.

Anno Domini DCCLXXI. Carlomannus Rex moritur, cuius uxor cum liberis fugit in Italiam ad Desiderium Regem Longobardorum à facie Caroli Regis, propterea quod erat sibi malarum in cum machinarum conscia, cum aliis suis qui ex parte Carlomanni semper discordiam seminabant. Jam deinceps Magnus Carolus Regnum Francorum solus tenuit annis XLIII.

Anno sequenti Carolus Rex congregato iterum Wormatia Principum generali conventu, communi omnium consensu bellum Saxonibus indixit. Contracto non parvo Francorum exercitu, Saxoniam intravit, & cuncta ferro, & igne depopulatus est. Eresburg castrum quoddam cum obtinisset, idolum Saxonicæ lingua Ermenful nuncupatum destruxit. Inde discedens ad Wularum fluvium processit, ubi convenientes Saxones gratiam Regis postularunt fidem promittentes. At Rex acceptis XII. obsidibus pacem concessit.

Anno Domini DCCLXXIII. cum Adrianus Papa insolentiam Desiderii Regis Longobardorum, & oppressionem Ecclesie diutius ferre non posset, missa Legatione ad Carolum, ejus opem imploravit. Qui collecto exercitu Longobardiam intravit, ac Desiderium in Ticinensi urbe, quæ nunc est Pavia obsedit. Longa tandem obsidione, civitatem ad deditionem compulsi, quam reliquæ civitates secum Regis Caroli se potestati subdiderunt. Rex itaque subacta, & prope tempus admisit ordinata Italia cum Franciam revertitur, Desiderium Regem secum ducens captivum, Adalgisum vero Desiderii filium in Græciam fugit, ad Constantinum Imperatorem, ibique vitam finivit.

Interim vero quod Rex Carolus erat bello implicatus in Longobardia, Saxonum nacta de absentia ejus occasione contiguos sibi Hassorum terminos devastare

caeperunt. Venientesq; in locum, qui *Fritularia* nominatur, Ecclesiam quam Sanctus Archiepiscopus Bonifacius quondam consecravit, incendere moliti sunt. Erant enim Saxones adhuc eo tempore cultores Idolorum. Cumque multa vi eam incendere conarentur, apparuerunt quibusdam tam ex paganis, quam ex Christianis, duo juvenes, in albis vestibus omne incendium prohibentes, quorum praesentia Saxones terri, omnes in fugam conversi sunt nullo persequente.

Anno Domini DCCLXXIV. Carolus de Lombardia domum regressus, prius quam eum Saxones venisse sentirent, tripartitum in eorum terram misit exercitum, qui direptionibus, & incendiis cuncta vastantes, compluribusque eorum, qui resistere conati sunt, interfectis, cum ingenti praeda reversi sunt. Et haec secunda fuit expeditio Caroli Regis in Saxoniam.

Anno Domini DCCLXXV. Carolus Rex Magnus decrevit Saxoniam ingredi, & tam diu in ea perseverare, donec aut fidem Christi susciperent, aut omnes exterminarentur. Toto igitur Francorum impetu Saxoniam petens, primò incursum Sigaburgum munissimum castellum, quod ex opposito Rheni duobus à Bonna distat milliariis, in quo Saxonum erat praesidium, cepit. Eresburgum à Saxonibus destructum restituit, in eoque Francorum praesidium posuit, multaque strage facta obsides ab eis, & à Westphalis acceptis pacem dedit petentibus & recessit.

Anno Domini DCCLXXVII. Carolus Rex Magnus habito Principum Regni Francorum Concilio in loco Padelbrunna, in finibus Saxoniz, ubi nunc est Civitas Episcopalis, iterum jam quarto exercitum duxit in Saxoniam, omnesque sibi fallaciter devotos invenit. Cuncti enim ad eum venerunt praeter Witi-kindum unum ex Primoribus Westphalorum, qui multorum sibi conscius facinorum Regem timuit, & cum paucis ad Sigefridum Regem Danorum profugit. Caeteri autem, qui convenerant, in tantum se Regis potestati submiserunt, ut ea conditione veniam tunc mererentur, quatenus, si ejus statuta ulterius violarent, patria & libertate privarentur. Multi ad instantiam Regis baptizati sunt, quorum tamen pauci veri Christiani extiterunt.

Anno Domini DCCLXXVIII. Rex Carolus movit in Hispaniam, & urbes quasdam lux Ditioni subegit, atque à Sarracenis obsides accepit. Inscera Saxonie comperto, quòd Rex longè abesset, sumptis armis, usque ad Rhenum profecti sunt. Sed cum annem transire non possent, quicquid à Tuitio villa, quae est in opposito Coloniz, usque ad Confluentiam, ubi Mosella influit Rhenum, vicorum, villarumque fuit, igni & ferro depopulati sunt, nullum sexus vel aetatis discrimen facientes, sed infantes, unà cum matribus occiderunt.

Quod cum Rex Altifodoro positus audisset, Orientales Francos, & Alemannos, ad propulsandos eos continuo misit. Quorum adventum Saxones audientes confestim recesserunt. Sed illi & vestigio illos infecuti, repererunt eos in partibus Hassorum juxta fluvium Aderiam, statimque in ipso fluminis vado illos adorti, tanta caede straverunt, ut paucissimi remanserint.

Anno sequenti qui fuit Dominica Nativitatis DCCLXXIX, Carolus jam quinto expeditio movit in Saxoniam in eo loco traducens exercitum ubi Lippia influit Rhenum, haud procul à vico, qui Wesel nuncupatur. Qui cum Saxones occurrerent armati,

apud Bucholdz victi sunt, & multi eorum occisi, caeteri salutem fuga quaesierunt. Rex autem Carolus Westphalorum Regionem impressus eos omnes in deditionem accepit. Inde movens ad Weseliam castra locavit. Ibi Angrarii, & Ostphali obsides dederunt, & sacramenta juraverunt, quibus peractis Rex Wormatiam reversus est.

Anno Domini DCCLXXX. Carolus Rex jam sexto movit in Saxoniam, cui venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerunt, multiq; de populo baptizati sunt. Veniens inde ad locum ubi Hora, & Albia confluunt, ordinavit Rex tam Saxones, quam Sclavos, reversusque in Franciam, & habito consilio, Romam causa orationis cum Hildegade uxore liberisque profectus est, ac Natale Domini, in fine hujus anni Papiz celebravit DCCCI.

Hoc anno Dominica Nativitatis indictione IX. Carolus Rex Francorum Pippini Regis filius, postquam regnasset annis XXXIII. Anno aetatis suae LIX. factus est Imperator Romanorum, & imperavit annis XLV. Cum enim Romae esset propter calumniam Leonis Papae III. nimis injuriose factam, & Natale Domini ibidem celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum solennia veniens, dum ante confessionem Beati Petri Apostoli, ab oratione, nihil minus cogitanti, ne dicam speranti, quam Imperium, Leo Papalibus infulis ornatus, capiti ejus coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronuntiavit. A cuncto mox Populo Romano conclamatum est: *Carolo Augusto à Deo coronato Magno, & Pacifico Imperatori Romanorum via & victoria.* Post quas laudes unctus ab Apostolica manu, & more antiquorum Principum adoratus à Papa, & ablato Patrii nomine, quo antea fuerat insignitus, Imperator & Augustus appellatus est multarum favore gentium,

Anno Domini DCCCIII. Carolus Imperator Aquilgrani hibernavit. Aestate autem ducto exercitum in Saxoniam, omnes qui trans Allien flumen habitabant Saxones, in Franciam transfudit, & pagos Transalbianos ab Odriis populis inhabitandos, & colendos sub tributo annuo concessit.

Anno Domini DCCCIV. Imperator misit filium suum Carolum, cum exercitu in Bohemiam, qui de populi omnibus Ducem terrae illius nomine Lechnem occidit, & ejus Ducatum Regno Francorum fecit subiectum.

Anno Domini DCCCXI. Imperatoris Caroli major nati filius, & ipse nomine paterno dictus Carolus, pridie Nonarum Decembris obiit.

Anno Domini DCCCXIII. Carolus Imperator habito generali conventu Principum Aquilgrani, filium suum Ludovicum Regem Aquitaniz ad se vocavit, & que componens coronam Imperialis nominis sibi consecravit. Bernhardum vero nepotem suum, filium Pippini filii sui Regem Italiz constituit.

Eodem anno pons Rheni apud Moguntiam, quem Imperator per decem annos ingenti labore & opere mirabili, de ligno ita construxit, ut perenniter durare posse videretur, in mense Majo, ita tribus horis fortuito incendio consumpsit, ut praeter hoc quod aqua tegebatur, nec una quidem hastula ex eo remaneret. Multa Episcoporum concilia eodem anno jussu Imperatoris facta sunt.

Anno Dominica Nativitatis DCCCXV. indictione Romanorum 8. mensis Januarii, die 28. Carolus Magnus, Rex Francorum & Imperator Romanorum

manorum semper Augustus, *Aquisgrani moritur, & ibidem in Ecclesia Beata Maria semper Virginis, quam ipse construxerat, honorificè sepelitur*, anno ætatis sue LXXII. Regni sui Francorum XLVI Imperii autem XIV. qui Regno Francorum non minus Provinciarum adjunxit, quàm prius habuit.

Ludovicus Caroli Magni Regis, & Imperatoris filius Patri succedens, tam in Romanorum Imperio, quàm in Francorum Regno, utrumque regnavit annis XXVI. quem Stephanus Papa IV. veniens in Galliam, anno Regni ejus secundo, post obitum Patris in civitate Remorum Imperatorem consecravit.

Anno Domini præsignato DCCCXV. Megingaudus nostro more, vel Megingaudus consuetudine Sicambrorum L. in V. mutantium, Comes in Francia Orientali, consensu S. Burckhardi Würzburgensis Episcopi, Monasterium Swartzachense, haud procul à Mœno flumine, opitulante Innua uxore ejus construxit, cujus Ecclesiam sub honore Domini nostri Jesu Christi, in memoriam quoque sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque Sebastiani & Felicitatis Martyrum consecrari fecit, & Monachi Ordinis Divi patris Benedicti ibidem collocavit.

Anno Domini DCCCXVII. Ludovicus Imperator Aquisgrani Convēntum celebravit Principum, in quo Lotharium primogenitum suum nominis, & Imperii consortem sibi constituit, cæteros Reges appellatos unum Aquitaniz, alium Bavariz præfecit, Regnum Francorum cum Imperio sibi retinens.

Anno Domini DCCCXL. indictione Romanorum 3. Ludovicus Rex Francorum Imperatorque Romanus obiit, sepultusque est in Ecclesia Metensi. Post cujus mortem Lotharius cum nomine Imperatoris tenuit Italiam, Pippinus Aquitaniam, Carolus Galliam, & Ludovicus Germaniam sortitus est.

Regni Francorum divisio in duo Regna, in Germanicum & Gallicanum.

Anno Domini Nativitatæ DCCCXLI. ab introitu Sicambrorum sive Francorum in Germaniam, sedesque acceptas ad ostia Rheni, anno M. CCLXXX. indictione Romanorum 4. Anno ab excidio Trojano, bismillesimo tricesimo, Francorum latissimum Regnum tres Ludovici Regis, & Imperatoris filii, cum Imperio Romanorum, inter se dividerunt. In qua divisione Lotharius, ut dictum est, Italiam cum nomine Imperii consecutus est, Ludovicus Germaniam, Carolus Galliam, & Pippinus eorum nepos Aquitaniam.

Ab illo tempore cepta Regni Francorum divisio bipartita mansit, jam per annos DC. LXXIII. usque in præsentem diem, manebitque deinceps perpetua. Quæ quidem divisio literis, & jure confirmata Majorum, ex uno Regno Francorum fecit duo, quorum alterum est Germaniz, alterum verò Cælicæ duntaxat, & Aquitaniz. Nam Gallia Belgica major pars, in divisione postea Regno fuit adjudicata Germaniz, in quo Regno istæ Provinciz sunt, cum civitatibus.

Alemannia sive Suevia tota, cum urbibus suis Con-

stantia, Basilea, Bixiensibus, Helvetiis, Losanna, Sedunensibus, qui & Valesii, Burgundia quoque Bisuntini, Lotharingia, Metis, Leodium, Cameracum, Atrebatum, Flandria, Hollandia, Selandia, Brabantia, Trajectum, Colonia, Treveris cum Mosellanis, Moguntia, Wormatia & Spira cum Cynonotis, atque Westrasii, Vosgomibusque, Argentina cum Allatis, cæteraque omnia, his adjacentia, ad Germaniz Regnum pertinent, dicunturque *Civitates Regni Germanici, & non Imperii Romani.* Deinde *Germania tota huic subest Regno in qua sunt: Frisii, Saxones, Hassi, Westphali, Hogii, qui & Wederavii, Thuringi, Misnenses, Marchioniz de Brandenburg, Pomerani, Rugii, Stettinenses, Hellstenii, Dani, Suedi, Norwegii, Pruteni, Poloni, Salsii, Sorabi, qui & sunt Bohemi antiquitus, & Sclavi nuncupati, Austrii, Carinthii, Stirii, Tiropoli, Bavarii, Rhetii, & quicquid his interjacet. Sed & Italiam universam præter bona Ecclesie, antiquo jure ad Regnum Francorum Germaniz bona Ecclesie, antiquo jure ad Regnum Francorum Germaniz pertinuisse, manifestum est, sub Ditione Caroli Magni.*

Rex igitur Germaniz quicumque pro tempore fuerit, duo habet, Regnum & Imperium. Ad Regnum per Principes eligitur, & nullius confirmatione indiget, ad Imperium verò, quod est Regno jure annexum, per Pontificem Romanum, & confirmari debet & ungi. Regnum est Germanorum nomine dicendum. Imperium verò Romanorum. Confuse loquuntur, qui dicunt Maximilianum Regem Romanorum, cum Germanorum dicere potius debuissent. Similiter qui dicunt Coloniam, Treverim, Leodium, Metim, vel alias urbes Germaniz, civitates esse Imperiales, cum sint Regales, non rectè loquuntur.

Nam si aliquando contingeret à Germanis Imperium auferri, maneret nihilominus Germaniz Regnum, ut nunc est liberum, omnes Provincias, & Civitates per omnia loca præscripta sibi habens, ut hodie habet subiectas.

Ludovicus igitur frater Imperatoris, Ludovici Senioris filius, & Magni nepos Caroli, Regnum Germaniz in divisione assecutus, regnavit annis XXX, post quem filius ejus, nomine Carolus Junior, Rex fuit Germaniz, & Imperator Romanorum, annis XI, sub quo Regnum inter fratres suos fuit divisum. Nam ipse cum Germaniz habuit Imperium. Ludovicus Ostrofranciam, Carolus Alemanniam, & Carlomannus Bavariam, cujus filius Arnulfus postmodum totius Regni Germanici simul, & Imperii Monarchiam obtinuit. Ab hinc nomen Francorum, cum Gallia Regibus Gallia mansit, & paulatim à Germanis deficere cæpit. Nos sumus *Franci Germani: illi autem Galli.*

I 5 I 4.

Compendii JOHANNIS TRITTENHEMII Abbatis Divi Jacobi Würzburgensis, de origine Gentis Francorum, de Regno quoque, nomine & Regibus eorundem

F I N I S.



E P I T O M A GERMANICARUM RERUM, JACOBI WYMPHELINGII SELESTADIENSIS.

JACOBUS WYMPHELINGIUS THOMÆ WOLPHIO
Juniori, Pontificii Juris Interpreti, summo amico. S.



Videns Romanas, Venetas, Anglas, Pannonumque & Bohemorum, ac Francigenum Historias in dies lectum iri, excitaveram nuper Sebastianum Murrhonom, ut ex prisca Historiographis, epitomen saltem rerum à Germanis magnificè gestarum comportaret: ne quum cæteræ Nationes egregia majorum suorum facinora, disseminare student, nos veluti somnolenti, & parvi animi, gloriæque avitæ contemptores, perpetuò dormire videremur. Morem mihi gesturus Murrho, quod cœperat, immatura morte interveniente, neque perficere potuit, neque revidere. Ego, itaque quicquid illè meo hortatu aggressus, tanquam fragmenta post se reliquit, cogitabam in seriem distribuere, augere, & utcunq; absolvere, tibiq; mi suavissime Thoma dedicare, non solum ad gloriam nominis tui sempiternam; sed etiam, ut omnes Germani, in hac Epitome Antiquitates Germaniæ videant, vitam nostratium Imperatorum legant, Germanorumque laudes, ingenium, bella, triumphos, Artium inventionem, Nobilitatem, Fidem, Constantiam & Veracitatem ediscant: atque ut his brevibus ansam præbeamus studiosæ Posteritati, quò majora indies studeant adjicere, & amplioribus rerum incrementis Germanorum laudes cumulare. Verùm à Germanicis laudibus Argentinam, unde tibi, & Selestadium, unde mihi origo est, cæterasque Civitates, ex hoc Rheni littore Galliam versus sitas, nolimus exclusum iri, quoniam eas ab Octaviani ætate, Suetonio teste, Germani inhabitaverunt, unde & Germaniæ nomen inveniunt. Et Plinius & Cornel. Tacitus, Ammianus Marcellinus, Franciscus Petrarca, Blondus, Lupoldus, Hermannus & Æneas Sylvius, inter Germaniæ fines illas dinumerant. Ecclesia quoque Romana, inter Germaniæ Metropoles Moguntinam, Treverensem, & Agrippinam collocavit. Quumque Summus Pontifex Legatos à latere, ad Germaniam mittit, in his patriæ quoque nostræ Civitatibus munus Legationis suæ illi exercent: quod nisi Germaniæ pars essent, quas Legati ad Germaniam missi dispensationes, indulgentias ac beneficiorum provisiones in eis administrant, irritæ viderentur, & inanes: nam & Galliam alij à nostris mittuntur Legati, qui in nostris Civitatibus partes suas nequaquam explent. Adde quod ipse Carolus Burgundiæ Dux, Maximiliani Regis socer, ad Principes Electores perscripsit, se & Germanum esse, & dici velle, cujus tamen terræ in hoc Rheni littore sitæ fuerunt, imò ipsarum Civitatum, & pagorum antiquissima nomina Germanicum sonant, & minimè Gallicum. Et si vel Caroli Magni, aut filiorum nepotumque suorum ætate, hic unquam Galli habitavissent, versatum fuisset, & hæc procul dubio Gallicum idioma. At ubinam inveniuntur ulla Gallicæ linguæ vestigia? ubi libri Gallici? ubi monumenta? ubi Epistolæ? ubi Epitaphia? ubi literæ

contractuum, rerum urbanarum & civilium, aut feudorum? sicut & septingentis & octingentis annis, Latinæ & Germanicæ linguæ apud nos monumenta reperiuntur. Nec mihi persuaderi potest, optimos *Suevia Duces*, qui cathedralè apud Spira Ecclesiam, quique *cœnobium Diva Fidis* in patria magna Selestadio fundarunt & locupletaverunt, magnificas illas impensas, paternamque substantiam in Galliam traducere, ac inter Gallos profundere voluisse. Glorietur ergo ille mendicus blatero, qui nostram Germaniam atque famam discepit, se & suum Patrem à Gallis descendisse. Nos, mi charissime Thoma, gloriabimur à majoribus nostris Germanis processisse: quorum in hac epitome mirificas & antiquas laudes, inter reliquas honestas lucubratiunculas, quas avidissime revolvere soles, cum singulari voluptate lecturatum te confido, operamque daturum, ut non solum propediem Calcographia disseminetur, sed etiam doctissimis Viris Baptistæ Mantuano, Philippoquo Etroaldo Bononiensi Præceptori tuo in primis transmittatur, ad gloriam Germanorum sempiternam. Vale felix, ex Eremitorio Divi Guilhelmi Argenti. VIII. Kalendas Octobris, M. D. II.

THOMAS WOLPHIUS JUNIOR
JACOBO WYMPHELINGIO, S.

Solent qui doctrina & eruditione pollent, lucubrations suas summis terrarum Principibus inscribere, ut, quæ effecerunt, fiant venerabiliora. Sic *Julius Pollux ad Commodum Cæsarem de Grammatica* scripsit. Sic *Vitruvius ad Augustum de Architectura*. Sic *Oppianus ad Antonium de piscibus*. Tu verò, ut es omnis gloriæ & ampullosi fastus contemptor, epitomas Germanicas, opus mehercule & grave, & eruditum, sub nomine Thomæ, qui cum ærumnarum varietate quotidie luctatur, publicare voluisti, haud absimile quiddam à Platone agens, qui Phedoni Elidensi, ex cohorte illa Socratica, quanquam is servus fuit, ejus tamen nomini illum librum Divinum, De immortalitate animæ, dedit. Dicam quæ sentio, nullo unquam munere sui magis delectans. Placeant aliis aurea, argenteaque pocula, placeant vascula gemmata & thiericlea, placeant structurae magnificentæ, atque his se oblectent: nos monumenta literaria laudamus, extollimus, admiramur, & hanc præcipue Historiam, quam multo labore & vigilia in Germanorum decus excudisti: Nihil ea terius, nihil accuratius scriptum. Perinde ex fide hæc omnia narrentur, ac si fides ipsa dictasset. Quum jam defeceris, mi doctissime Jacobe, exhibebunt te Epitomæ nostræ tanquam manu tuis posteris, ducentque per ætates atque urbes, ut te videant, qui nondum nati sunt, te audiant, te laudibus prosequantur, facient, mihi crede, ut semper sis in manibus, semper in ore verberis hominum, & eorum maximè, qui doctiores sunt, & studia politiora amplectuntur. Non deerunt fortasse, qui parum id operis proba-

probabunt, nec te propterea laboris poeniteat. Novi quosdam in hoc orbe, pene dixissem in hac urbe, qui tamen initiati sunt, & in classe Ecclesiastica Antesignani habentur, magis tamen ludo tesserario, aut chartulis lusoriis delectantur, quam Hieronymi aut Cypriani scriptis. Sunt qui dum in æde sacra horarias preces psallunt, intus & in cure torquentur, quid vernula domi agat, & an piperatum egregie conditum sit, an bene salitum assabulum, an lucanica crassa sint, & delicata, an scite pisces fricti. Et hi nihilominus quando nec generoso sanguine, nec moribus, nec doctrina sunt spectabiles, ubi literarum Proceres conveniunt, quod cum summo dolore refero, primi accumbere nolunt, & subsellis honoratoribus sedere, quasi locus ille eminentior splendorem ipsis afferat, quum ediverso locum homo, non locus hominem exornet, quod & Damonidas apud Cheronensem Plutarchum non ignoravit, & Canonica Decreta testantur. Volui hæc obiter dicere, ne illi qui fortuna duce, quæ semper cæca est, vel officio vel dignitate præditi sunt, plus nimio sibi blandiantur & arrogant. Impurissimis viris, quod nemo ignorat, sæpe honores committuntur. Inde Græcicum illud ac elegans adagium, *Asinus mysteria vel sacra portat*. Vale mi doctissime Jacobe, & succisivis temporibus conde ac compone, quæ mox in tempore sis deprompturus, ut sic agas negotium posterorum, teque vixisse testaris. Vale iterum: Argentinæ cursim ex ædibus nostris, Anno Christi M. D. IV. pridie Kalendarum Januarii.

CAPUT PRIMUM.

Germanorum quinque esse genera.

Germani quinque constant generibus. *Vandalico*, quorum pars *Burgundiones* è quibus profecti hi, qui Gallias obtinent; seu apud Eduos & Ararin fluvium sedes habent; qui Germanorum coloni in ritus moresque Gallicos deformati sunt. *Alterum* genus *Ingevones*, quorum pars Cimbri, Theutoni, ac Chaucorum gentes. *Tertium*, *Isavones* Rheno proximi, quorum pars Cimbri mediterranei. *Quartum* *Hermiones*, quorum Suevi Hermunduri, Chatti, Cherussi. *Quintum* genus, *Pencini* dicti Bastarnæ cotermini Dacis.

CAP. II.

Cimbri Germanorum vetustissimi vicere Græcos, Bojos, Illyricum, Romanos Consules & Legatos plurimos atque Hispanos.

EX his fama venustiores Cimbri, sive illi Theutoni, sive mediterranei fuerint, *Homeri celeberrimi Poetarum ætate*, vel paulò supra ejus ætatem, *militiam agitare usq; ad Meotida paludem*, suæque expeditionis monumenta, Cimmerium Bosphorum reliquere: Nam Græci Cimbros *κίμπεροι* vocant, audacterq; trajecto Bosphoro ad Ioniam usq; terram decursarunt, Sardibus captis, & Magnetum gente à Terribus funditus deleta, quæ gens Cimmerica diu secundis rebus usa est. Cimbrorum clima ipse Poeta insinuans, quod tenebrosum esset, sic memorat. *Aere & nebula cooperti sunt.*

Illis sol nunquam Phaeton sua lumina spargit,

Perniciosa super nox semper tenditur istis.

Habitant autem in Germaniæ ora Cimbricum Chersonesum ab eis appellatum, inter Albi & Chalusii fluminum ostia, inter Germanicum Sarmaticumq; Oceanum. Hi sunt qui ad Ponti dexteram, mediterraneam Regionem habitantes usque in Ioniam excurrerant: Hos Scythæ ex his sedibus pepulerunt. Scythas autem Græci, qui Panticapeum, & alias in Bosphoro urbes habitant. De his nostris populis, multa apud Strabonem reliquosque Græcos Historicos, apud Plutar-

chum Aristotelemque Philolophos legimus. Utinam tantum animi nostris Germanis Principibus hodie inesset, ut quas Cimbri olim ob bellicam solum gloriam subegerunt, hi pro Christi fide & charitate, eas sedes ex Turcarum manibus eriperent, quorum hodie servituti Ionja, Pontus, Græciaque omnis, non absque magna omnium Christianorum Regum ignominia, miserabiliter & foedissimè subjecta est. Hæc commemorare libuit, ut nosceres, quanta nostrates gloria floruerint ante urbem Romam conditam, Sylvii Albæ regnantibus, anno CLX. Hac enim ætate Homerum Hesiodumque Poetas invenimus claruisse, Romanis autem rebus florentissimis, post Punica bella omnia, interq; sociale bellum, quod fuit anno urbis conditæ DCLXII. *Bojos* Gallorum populos, qui Hercyniam sylvam inhabitarunt, *Cimbri agmine facto invasere*, a quibus ejecti *Istros & Scordiscos* Gallicas gentes petiere. Tum *Theuriscos & Thauriscos*, & hos quoque nationis Gallicæ, deinde *Helvetios* adierunt, viros tum plurimo locupletes auro, cæterum in pacem vitam agitantes: quumque conflatas hi bellicis artibus opes longè suis ampliores esse viderent, *Helvetios secum sollicitasse præcipue Tigurinos & Teygenos*, quos universos delevit Romani, non tamen impune. *Præ* enim *Cimbri* gens vaga, populabundi in Illyricum, hodie *Sclavoniam* venerunt ab his *Papyrius Carbo* Consul cum exercitu *fusus est*. Deinde *M. Junius Syllanus*, etiam Consul *adversum Cimbros infeliciter pugnavit*. Possid bellum Cimbri per Legatos à Senatu populoque Romano sedem & agros postulaverunt, quorum petitione spreta, Cimbri cum Tigurinis, quos ex Helvetiis secum in militiam sollicitasse retulimus, *in Galliam migravere, in fines Allobrogum*, bique cum *L. Cassio* Consule manus conferunt, eumq; cum exercitu trucidant. Milites qui ex clade supererant, datis obsidibus, & rerum omnium dimidia parte, ut incolumes dimitterentur, cum Cimbriis pacti sunt. *M. Aurelius Scaurus* Consulis Legatus, à Cimbriis solo exercitu captus, & in consilium ab his evocatus, quum deterreret eos, ne Alpes Italiam petiti transirent, eo, quod diceret, Romanos vinci non posse, *à Bolo Cimbrorum Rege occisus est*. Tum ab *isdem* hostibus *C. Manlius, & Q. Servilius Cæpio*, qui Proconsulatum in Galliis agebant, *victi* prælio, binisque castris exuti sunt, octoginta millia militum occisa, calonum aclixarum (hi sunt militum ministri) quadraginta millia. Cimbri *post eam victoriam* omnibus agris vicisque juxta Rhodanum ac Pyrenæum vastatis, *in Hispaniam transgressi sunt*, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati, revertentes in Galliam bellicosissimis Theutonis se conjunxerunt. Atque *C. Marii*, qui jam Jugurtham devicerat, summa vi castra à Theutonis Ambronibusque oppugnata sunt. Marius enim secundo & tertio absens Consul creatus, quarto Consulatu contra Cimbros missus post defensa castra, duobus præliis circa aquas Sextias Theutonis Ambronibusque deletis, Marius absens quintum Consul creatus triumphum oblatum distulit, donec Cimbros vinceret, tantum roboris in Germanis fuit. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoq; *Q. Catulo* Proconsule, qui fauces Alpium oblederat, & ad flumen Atesim castellum editum insederat reliqueratq; Virtute sua explicata fugientem Proconsulem, exercitumq; prolequuti in Italiam trajecerunt, verum *junctis ejusdem Q. Catuli, & C. Marii exercitiis, prælio victi sunt*, in quo cæsa traduntur Cimbrorum centum quadraginta millia, capta LX. Hæc sunt quæ Germania ad ea ulquetempora gesserit.

CAP. III.

De Ariovisto primo Germanorum Rege, qui contra Julium Cæsarem pugnavit.

POSTEA Ariovistus Germanorum Rex primus propter bellicas Virtutes *amicus Populi Romani à Senatu salutatus est.* C. Julio Cæsare Consule, deinde Provinciam Galliam administrante, quum Helvetiis bellum inferret, Ariovistus cum Cæsare manu conferuit, victusque in Germaniam rediit. Crebra deinde bella cum Suevis, Cæsare trans Rhenum agente, nihil tamen memoria dignum actum invenio, quàm quod ponte Galliam Germaniamque conjunxit. Germani Equites ex Nobilioribus, Cæsaris virtute, Virique integritate moti ei se conjunxerunt, quorum opera reliquis in bellis læpè usus, eorum etiam fortitudinem in Pharlalo contra Pompejum expertus est, præcipuo enim eorum auxilio Pompejanum Romanorumque militem superavit. In Philippicis etiam campis certatum est inter exercitum Cæsaris & Pompeji æquo Marte. Quum autem jussu Pompeji fusus à cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effulos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Et ipse Cæsar in comestariis suis, de Germanis, quod ad bella imperterriti fuerint, dum cum eis bellum gerere constitisset, hanc eorum ad se fuisse orationem scribit: *Germanos neque priores Populo Romano bellum inferre, neque tamen recusare, si laceffantur; quin armis contendant, quòd Germanorum consuetudo hæc sit à majoribus tradita, quicumque bellum inferant, & sistere, neque deprecari, hæc tamen dicere: venisse invitos ejectos domo, si suam gratiam Romani velint, posse his esse utiles amicos, vel sibi agros attribuanti, vel patientur eos tenere, quos armis possederint, sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.*

CAP. IV.

Germani Cæsaris custodes eliguntur, Quintilium Varum, Drusumq; Germanicum superant.

OB singularem quoque peculiaremque Germanorum fidem & integritatem, C. Cæsar corporis sui custodes Germanos delegit, qui & Octavii Cæsaris simili curæ præfecti, usque ad Varianam cladem permanere. Quintilius enim Varus, cujus Horatius meminit, cum tribus legionibus, à Cheruscis obruncatus est. Salas fluvius Germaniæ est, inter quem & Rhenum Drusus Germanicus, quum bellum gereret, victor oppetiit, tam arduum est nostrates vincere, id quoque bellum ante Quintilii Vari cadem gestum est. Unde & cum Cornelio Tacito concludamus: *Sexcentissimum & quadragesimum, inquit, urbs nostra agebat annum, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæsilio Metello, ac Papirio Carbone Consulibus, ex quo si ad alterum Imperatoris Trojani Consulatum computemus, auctis ferme & decem anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur, medio tam longi a visitatione multa invicem damna non Samnites, non Pœni, non Hispania Galliæve, ne Parthi quidem sapius admovere: & subdit: Nec impune C. Marius in Italia, Drusus Julius in Gallia, Drusus ac Nero Germanicus in suis eos sedibus per-eulerunt. Mox ingentes C. Cæsaris mina in ludibrium versa. Inde ortum, donec occasione discordia nostra & civilium armorum expugnatæ Legionum hibernis, etiam Gallias, affectaverit, ac rursum pulsus inde proximis temporibus triumphati magis, quàm victi sunt. Quæ laus major dici potest, quàm quòd homo Romanus.*

linguaque Romana de Germanis triumphos actos esse, verè autem nunquam victos fuisse asseverat? nisi quantum benevolentia, ac benignitate in fidem Romanæ Nobilitatis adducti sunt,

CAP. V.

Germani externos etiam Reges populere.

REGES etiam externarum gentium Germani non timuerunt. Quum enim Magnus Alexander domuisset Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartanos, Thessalos, Achaiam, Peloponnesum, Ioniam, Lydiam, Lyciam, Ciliciam, Cappadociam, Cariam, Paphlagoniam, majorem & minorem Armeniam, Syriam, Aegyptios, Persas, Thauros, Hircanos, Medos, Sagas, Indos, *deterritus tamen est aspectu & fama Germanorum, ad Danubii ripam substitit, & qui omnem Orientem feliciter calcaverat, ejus vim una Germania repressit, impetum compescuit, audaciam retardavit. Darius & Cyrus potentissimi Asiæ Reges, trajecto Danubio, Germanos non ausi sunt attingere. Lyfimachus Rex Maximus, quum ingenti coacto exercitu Danubium trajecisset, à Romechate Rege, non modo victus, sedesiam captus est.* Tanta fuit Germanorum victoria, tantæ eorum clades, qui Germaniam armis petierunt, ut natum sit inter finitimos proverbium: *Malo qui velii pugnare, cum Germanis pugnet.* Quumque Germani omnium victores invictissimi haberentur, veteres Romani Imperatores illud certatim enixissimeq; contenderunt, ut sicut Scipio ab Africa Africanus, & alter ab Asia Asiaticus, ita ipsi propter splendorem provincie Germani cognominarentur. Tiberius etiam Cæsar filium sibi natum, cupiditate eximie glorie Germanicum appellavit. Domitianus ac Nervæ Cæsares titulis cæteris, quos Senatus detulerat, repudiavit, solum Germanicum recepere, in quo uno plus ornamenti esse, quàm in cæteris Provinciis positum arbitrabantur.

CAP. VI.

De armatura fœminarum & puerorum Germanorum ab ipsa natura.

MEMORIZ proditum est, fœminas quoq; Germanas sumptis aliquando pro patria armis, ex integro virorum pugnas instaurasse, & ad studia bellica prolem suam à primis incunabilis auspicias esse, veluti armis initiati & additi, Martem singulare & præcipuum belli Numen colere. Enimvero Peritiis astrorum constat, vim atque influxum Martis, hoc est, appetitum quendam armorum, ardoremq; bellandi Germanis esse, ut non solum artibus ad arma sint idonei, sed natura ipsa ad rem militarem disciplinamque bellicam geniti esse videantur. Eam ob rem Germanos à natura bellicosos, Dionysius vocat. Inde etiam corpora eximia ac proceras, vultus etiam, quamvis pace lætos, tamen bello terribiles, & oculos in pugna minaciores atque incensos, & uocem, ad terrorem plenissime incutiendum, naturam dedisse, videmus. Hujus non ignarus ætate nostra Baptista Mantuanus, Poëtarum facile Princeps, ad Robertum Severinatem Veneti exercitus Ducem, à Germanis victum atque fugatum, inquit:

*Sed neque se imbelles Indi mollesve Sabæ,
Pygmæive breves rapiunt, verum accola Rheni,
Gens durata gelu, genus insuperabile ferro,
Quod toties Romam tum, cum disione premebas
Europa, Lybiæq; urbes, Asiæq; minorem,
Terruit: hi superant Parthos, Thracumq; furor es.
Quos Mariem genuisse ferunt, hi spicula torquent.
Penthesylea non inferiora securi.*

CAP. VIII.

Germani Romanos Imperatores multos vicere.

Octavii Augusti fortissimæ quondam *Legiones* contra Germanos missæ, apud Cheruscis à *Germanis* concorditer arma capientibus, ad internecionem sunt deletæ, & quæ reliquum orbem usq; ad solis ortum perdomuerunt, uni Germanorum exercitui pares esse non potuerunt. Ipseq; Octavianus omnes graves ignominias, cladesque non alibi, quam in Germania accepit, sed præcipuè Varianam penè exitiabilem, tribus Legionibus, cum Duce, Legatisque, & auxiliis omnibus cæsis. Hac nunciata, Augustum ad ò cõsternatum ferunt, ut per continuos menses, barba capilloq; submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans. *Quintili Vare, Legiones redde,* diemque cladis quotannis mœstum habuerit. *Lugubrem hanc Romanorum cladem,* & insignem Germanorum victoriam apud Augustam Vindelicam contigisse opinatum est, eumq; locum *Perleig,* appellatum, eò, quod illic perierint *Legiones,* commemorat Ottho noster Frisingensis. *Tiberius,* Augusti successor, armis Vindelicos aggressus, Germanis insurgentibus, brevi è Germania discedere coactus est. *Vespasianus* Summus postea Imperator, à Claudio Cæsare contra Germanos missus triginta & duabus pugnis vincere Germaniam nequivit. *Amonius Aurelius,* & *Alexander Cæsares,* postulare à Germanis auxilium, coactique sunt præsidia, & copias omnes ex oppidis concordis Germaniæ deducere, & nationem Germanicam æquis conditionibus in amicitiam societatemque recipere. *Trajanus* suscepto apud Colonia Agrippinam Imperio, non vi aut armis Germaniam coegit, sed *Mansuetudine, Liberalitate, & Justitia inaudita,* incredibilem que eam misitavit. Hæ res igitur laudi Germaniæ fuere, usque ad salutis nostræ initia. Tu autem, ut religioni Christi addictum Theologumq; decet, quid fidei, quid moribus humanis, artibus deniq; ac disciplinis humano cõtulerimus generi, à me jam explicari postulas. Fateor me tantis imparem rebus, sed quantum lectione percepi, memoriaq; suggeret, ad te perscribam. Tacebo autem quo pacto Rhetii, Noricique, Valeriano Imperatore salutato, per Transalpinam Galliam, Lombardiã vulgo dicunt, discursurunt flammis populabundi omnia vastantes, Ravennam ulque, aut quas deniq; expeditiones cum Gothis, Wandalis, Hunnisq; gessere, inter quos Suevi, Heruliq; militarunt, & ex Germanis Alani: sunt enim alii Pontica natio, ex quibus Gothialani dicuntur Tarracensem Hispaniam incolentes, quos vulgo Cathelanos dicimus. Fuere & Germani Longobardi, ut nomen sonat, licet ex diversis Germanis gens collectita, quæq; ex fortuna Duces sortiretur, auspiciis Narsetis militantes, Totila Theiatq; Gothorum Regibus oppressis, nomen Gothorum Regnumq; ex Italia pepulere. Utinam verborum barbariem ut Regnum sustulissent.

DE ANTIQUITATE BAVARIORUM.

CAP. IX.

Da Carolo Magno primo Germanorum Imperatore post Gracos, & de in humano facinore Gallorum Modernorum.

Quid de Pippinis, Carolis dicam, qui Germanorum ductores, Longobardorum potentiam, quæ collectita, ut diximus, gens, toti Italiæ dominata est,

comprimentes, Desiderio & Aistulpho eorum Regibus domitis victisq; ac in Germania custodia traditis, Romanis Pontificibus sæpius rebelles, tandem sub jugum misere, ducentessimum quartumq; post annum, quo in Italiam venerant: Anno autem Christi DCCLXXVI. *Carolus* enim Magnus, cui Francia natale solum fuit, Platina teste in Hadriano primo, Romam petiit expectatus ab Hadriano cum Clero suo in gratibus Sancti Petri, *pedes Pontificis exosculatur, omnes Basilicas pie & religiose intravit, ac muneribus quibusdam ornavit,* quæ dono pater Pippinus Gregorio III. dederat, eadem ipse amplioribus privilegiis confirmavit, Desiderium Ecclesiæ Romanæ persequutorem in exilium misit, Cassinum Religionis causa divertens omnia Monastarii dona, ab aliis Principibus Divo Benedicto data, confirmavit. Mox deinde *Carolus* nulla interposita mora, in *Saxones idololâtras,* qui ob ejus in Italiam discessum rebellaverant, movet, atq; eos postquã à primoribus bello triginta cum hac gente annos bellaverat, victos, jugum Christi subire coegit. Id eò spectat, ut *Carolus* Germanum esse intelligas, nam trans Rhenanus est, id eò que magnifice res per eum gesta, nequaquam Francus modernus, sed *Francus Germanus sunt assignanda, à quibus hi Galli,* qui Francorum Regni titulo designantur, olim descivere, mi & hodierna die à Maximiliano, Christianissimo Romanorum Rege, contra jus gentium, humanam societatem integritatemque, defecerunt. Nam Maximilianus ex ea Domo ac familia genitus est, de qua *Caroli Magni stirps* propagata fuit. *Carolus* is est, qui Leonem III. à populo Romano fraude *Paschalis Primicerii & Campuli Presbyteri* captum & cæsum, in Germaniamque usque ad Saxones (contra quostum bellum *Carolus* gerebat) profectum, egregio comitatu, Romam remisit. Mox deinde *Carolus* non diu moratus, per Moguntiacos in Belgis positos, Noricumque montem in Forum Julii descendens, Romam expectatus proficiscitur. Urbem ingredienti, omnia certe, & merito quidem, honoris genera adhibita sunt. *Octavo* autem die postea, quam urbem ingressus fuerat, in *Basilica Petri* astante *Populo & Clero, Episcoporum omnium* qui eò ex tota Italia & Francia convenerant, *sententias de vita & moribus Pontificis rogat: verum ab omnibus una voce responsum est: Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput, à nemine, Laico præsertim, judicari debere:* omnia autem ob tam grave responsum à *Carolo* quaestione, *Leo* Pontifex, qui id iudicium maxime expetebat, suggestum conscendens, ac Evangelia in manibus retinens, jurejurando affirmavit, se omnium rerum, quæ sibi objicerentur, insontem esse. Fuit is dies idibus Decembris, Salutis anno DCCC. Dum autem hæc Romæ agerentur, Pippinus, mandato patris, Beneventanos Duce Grimoaldo, finitimos suos vexantes, aggressus, magnis cladibus in perdomuit, ut ægrem se mœnibus tuerentur, cui bello Viniginum Spolethinum Ducem præficiens, ad patrem revertitur, Imperii coronam brevi sumpturum. Nam *Pontifex* *Carolo* optimè de Ecclesiæ Dei merito, aliquam gratiam relaturus, *quum videret Imperatores Constantinopolitanos egré id nomen tueri,* ac ob eam rem urbem & Italiam ipsam magnas calamitates passam, in *Basilica Petri*, post solennia sacra Populi Romani scito & precibus, ipsum *Carolus* magna voce Imperatorem decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano, CAROLO

AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI VICTA ET VICTORIA. Pontifex item hominem inunxit, unâ cum Pippino filio, quem Italiæ Regem solenni decreto pronuntiavit. Quid gloriosius, quid laude dignius Germanis unquam accidere potuit, quam propter præclaras belli Sacerdotiique defensi virtutes, sepremi Regni, & totius Orbis Monarchiam, summique Principatus habenas & gubernacula meruisse, ac quoad secula itabunt possidere? Id certo constat, propter ignaviam Imperatoris Constantinopolitani à Græcis in Germanos Romanum Imperium translatum esse.

CAP. X.

Carolus Magnus filius suis Regna distribuit, Imperiique fines decernit.

Carolus autem jam senio gravis, quum intellexisset Pippinum, quem, ut diximus, Italiæ Regem præfecerat, Mediolani mortuum esse, Ludovicum filium minorem natu, Aquitania Regem & Imperii successorem: Bernardum verò nepotem, Italia Regem declarat, eique mandat, ut Ludovico rebus in omnibus obtemperet. *Fines Imperii hos esse voluit, in Gallia: Rhenum ac Ligerim, qui in Cælis oriens, eos à Biturigibus dividit, in Germanis verò, Danubium & Saanum fluvios.* His autem Provinciis, Aquitaniam, Galconiam, magnam partem Hispaniæ, Cisalpinam Galliam, Saxoniam, utramque Pannoniam, Istriam, Liburnos addidit. Maritima verò Dalmatiæ Imperio Constantinopolitano subiecta erant, quæ nunc pro magna parte Turcis serviunt, in dedecus Principum Christianorum, qui dum pro sua libidine decertant, magnam Europæ partem Mahumetanæ perfidiæ subiectam esse, permittunt. *Rebus autem ita compositis, dum Aquisgrani esset valetudinis causa, propter aquas calidas, quæ ibi scaturiunt, febre ac dolore laterum moritur, ætatis suæ anno LXXII. quinto Kalendas Februarii, Salutis verò anno DCCCXV. Ejus autem corpus nullo non genere honoris adhibito, in templo Beatæ Virginis, quod ipse magnis sumptibus Aquisgrani extruxerat, sepelitur, hoc addito Epigrammate: MAGNI CAROLI REGIS CHRISTIANISSIMI, ROMANORUM IMPERATORIS CORPUS HOC SEPULCHRO CONDITUM JACET.* Fuit autem Carolus (si ejus res gestas tum domi tum foris inspicias) tantæ Amplitudinis & Integritatis Imperator, ut postea neminem superiorum, nedum parem habuerit. Adeo autem quum ei per ocium liceret, *studiis literarum delectatus est, ut primus, suadente tamen Albino Gymnasium Parisiense instituerit.* Non dubito à te & Abbate Spanheimensi Catalogo Germanorum, de quo mihi scripsisti, consignatum esse Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, qui Germanos ad Christi fidem convertit. Neque prætereas Rhabanum illustrissimum Theologum atq; Poëtam, Strabunumque, & Haymonem, Viros in studio Sacratissimarum Literarum præstantes.

CAP. XI.

De Ludovico Pio.

Ludovicus Pius Imperator, ubi intellexit Stephanum IV. Romanum Pontificem, in Gallias proficiscentem, ad sese in Aurelianis adventare, statim honoratissimum ei quemque obviam misit. Ipse verò ad primum lapidem prodiens, cum hominem vidisset, ex equo descendit, atq; eum (data acceptaque salute)

cum maxima veneratione in urbem introducit, sustentatque Pontificem Imperator, propter impetum multitudinis, studio videndi concurrentis, crucem magni ponderis magnæq; ætimationis sua impensa Beato Petro dicavit, *dedisse dicitur Paschalis liberam eligendorum Episcoporum potestatem, quæ antea ex Imperatorum voluntate pendebat.* Ludovicus enim natura clemens & humanissimus fuit, Ecclesiæ jura & dignitatem semper tutatus est. *Instituit etiam, ne Christi servi ulli servituti humane subiecti essent, & ut unaquæq; Ecclesia suos proventus haberet, unde Sacerdotes viverent, ne ob inopiam rerum, cultum Divinum desererent, neve ob necessitates questui sese dederent.* Idem præterea Ludovicus DCCC. XXX. nostræ redemptionis anno, synodum multorum Episcoporum habuit, in qua vanitates vestium, luxusq; gemmarum, aurig, & argenti nimia pompa Ecclesiasticis interdicta sunt. Utinam nostris temporibus Ludovico viveres. Sunt qui scribant rogatu Ludovici Gregorium Sanctorum omnium celebritatem Kalendis Novembris instituisse. Ludovicus Bernardum fratrem, Italiæ Regem, qui ab Imperio defecerat, capitali supplicio affectit: Episcopos verò hujus factionis autores, qui Bernardum instigaverant, in Monasteria relegavit. Filium suum primogenitum Lotharium, Imperii socium sibi delegit in conventu apud Aquisgranum habito. Misit que ad Pontificem Paschalem, à quo in Basilica Petri inungitur & Augustus appellatur. Moritur autem Ludovicus Imperii anno XXXVI. Sepeliturque Metis in Basilica Beati Arnolphi.

CAP. XII.

De Lothario primo.

Inter filios Ludovici exortum est odium, propter Imperii divisionem. Cumque Ludovicus & Carolus contra Lotharium fratrem suum acerrimè dimicarent, misit Sergius Papa II. Georgium Archiepiscopum Ravennatem, componendæ rei causa. Fratres totius Regni calamitatem miserati, *fœdera in hunc modum inveniunt, ut pars illa occidentalis Regni, quæ à Britannico Oceano usque ad Mosam flumen pertinet, Carolo obtemperaret, in eaque etiam Francorum nomen maneret, utque Ludovico Germania contingeret, usque ad Rheni fluentia, & trans Rhenum quicquid genitor possedisset. Lotharius autem cum Imperii titulo, urbem Romam obtineret cum Italia, & ea parte Gallie, quæ olim Narbonensis, nunc Romana Provincia vocatur.* Huic autem addidit eam quoque partem, quæ inter Scaldim & Rhodanum fluvios Lotharingie à Lothario nomen accepit. Leo IV. Pontifex acutus de transferendo Imperio ad Constantinopolitanos consilium iniisse, Lothario se purgans satisfecit, qui ob id delatione quorundam impullus, Romam venerat. Dicunt nonnulli Lotharium jam grandem natu sumpto Monachorum habitum, filium Ludovicum Imperatorem reliquisse. Vixit histemporibus *Nodegerus Germanus primum Abbas Sancti Galli, deinde Episcopus Leodiensis, in Sacris & Gentilibus literis eruditissimus, quiq; Ecclesiasticas prosas composuit, quæ in Germania ante Evangelium in sacrificio Missæ leguntur, eas enim ut legi in re divina possint, Nicolaus Papa I. approbavit.*

CAP. XIII.

De Ludovico secundo.

Ludovicus II. Lotharii primi filius, quem Regni socium Pater asciverat, & in Italiam cum ingenti exercitu miserat, cum urbi appropinquasset, ei ob-

et obviam honoris causa Romani cives prodierunt. Sergius I. Pontifex, mutuo osculo, mutuaque salute data & accepta, eum Regem olco sacro inungit, corona donat, Italiae Regem decernit. *Approbatum Ludovicus Imperator edictum, quo Nicolaus I. instituit: Ne Princeps ullus secularis aut Imperator, conciliis Clericorum interesse auderet, nisi de fide ageretur.* Cumque Nicolao mortuo, Romani Hadrianum II. virum sanctum elegissent, misit *Ludovicus Imperator literas, quibus Romanos admodum laudabat, quod Summum Pontificem sancte & integre creassent, non expectato aliorum voto, qui forte ea in re obignorationem personarum minus iudicii habuissent. Qui enim fieri posse dicebat, ut peregrinus & hospes dignoscere posset in aliena Republica, quis potissimum ceteris praferendus sit.* Sententia Imperatore digna.

CAP. XIV.

De Carolo Tertio.

Mortuo Ludovico, Carolum ejus filium Joannes VIII. quo ei liberius in urbe vivere liceret, Imperii corona donavit, tertiusque Carolus appellatus est. *Qui postea in Normannos exercitum movens, Franciam & Lotharingiam vastantes, ita eos perdomuit, ut Rothifredus earum Rex pacem petere & fidem Christi suscipere coactus sit, quem Imperator Carolus in gratiam recipiens, e baptisimatis fonte levavit, & filiam in uxorem dedit. Hic Carolus multa Monasteria condidit, ac rem Divinam auxit.* Sed haec ejus praecipua laus, quod multas ad scribendum impulit. Nam & ad suam instigationem Milo Beati Amandi Monachus, ejusdem Sancti vitam accommodate scripsit, & Joannes Scotus quaedam nostrae Religionis acutissime disputata gravissime composuit.

CAP. XV.

De Arnolpho Septimo a Carolo Magno Imperatore.

Arnolphus septimus a Carolo Magno Imperator, primo quidem strenue sumptis armis Normannos rebelles perdomuit, verum mox in Ecclesiasticos saviens, Dei nutu pediculari morbo, quem Graeci φθειρασι vocant, brevi consumptus est, relicto Ludovico filio successore. *Non invenimus quempiam filios filiorum suorum vidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus, damno vel contumelias eos affecisset.*

CAP. XVI.

De Ludovico Tertio Arnolphi filio.

Ludovicus in Imperio suffectus, nusquam legitur coronam accepisse, tamen cum Berengario Foro Julianorum Duce, qui a Longobardorum Regibus originem ducens, avitum paternumque Regnum repetabat, armis decertavit, & Berengarium vicis atque superavit: *Mox apud Veronam renovato praelio, Ludovicus magna suorum clade superatur, ac oculis genitalibusque privatur, sicut Germanorum annales referunt, ne successorem sibi generare posset.* Qua victoria, Regnum Italicum iterum ad Longobardos pervenit, annos fere post centum a Caroli morte, a quo tempore ignavi Principes apud Germanos, Italos, Francosque Occidentales fuere, pariter & in Petri sede.

CAP. XVII.

De Henrico primo.

Henricus Germaniae Rex, ab hac ingnavia liber & immunis, Hungaros qui Alemanniam Saxoniamque populabantur, apud *Meresburgam ingentis clade superavit.* Eodem fere tempore Rudolphus Burgundionum Rex Berengarium secundum ex Italia in Hungariam pepulit. Quo mortuo Berengarius tertius Berengarii primi ex filii nepos, Italico Regno potitur, Anno DCCC. XXXV.

CAP. XVIII.

De Othone Primo.

His ignavis Principibus, successit Otho Germaniae Rex, ex nobilissima Saxonum domo, qui Wenceslai Bohemorum Regis mortem ultus est, eo maxime tempore, quo Romanae sedi Stephanus VIII. Pontifex praefuit, qui & ipse Germanus erat. Quumque Berengarius Henrico Bavarorum Duce fugato, Italia potitus, Imperatoris sibi nomen usurparet, filiumque Adelbertum Italiae Regem dixisset, conjuncta in carcerem Adelhaida Lotharii fratris filia, ne Papiam urbem dotalem repeteret. *Agapius Pontifex, Italiaeque Proceres ob tantam Berengarii superbiam, omnia sibi contra jus fasque vendicantis, Othonem Germanum Regem in Italiam vocant, qui quidem per Forum Julii, cum quinquaginta milibus hominum. Provinciam ingressus, deturbatus statim e Regno Berengario, Adelhaidam Lotharii filiam e carcere ductam, in uxorem accepit, ex qua postea filium suscepit, cui Othoni secundo nomen fuit.* Otho tamen Italia dilectens haec modestia usus est, Berengario & Adelberto gubernandae Provinciae arbitrium permiserit, compositis inter Pontificem & Berengarium rebus. *Idem Otho Ludovicum Francia Regem magnis, eodem prope deductis copiis, juvit, quem proceres provinciae, adjuvante Hugone Parisiorum Comite, ipsius Othonis sororio prope e Regno depulerant.* Otho enim tum magno in precio erat, domito Boheslao Bohemiae Rege superatisque tribus gravissimis praелиis Hungaris, Germaniam vastantibus, ac captis tribus eorum Regulis, quos Germani, contradicente Imperatore, vitam laqueo finire coegerunt. *Interim mortuo Romae Agapio, Octavianus Pontificatum occupat, assumpto sibi Joannis XII. nomine, homo sane ab adolescentia omnibus probis ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, siquid temporis a libidinibus supererat, deditus, quam orationi.* Hac indignitate moti duo Cardinales, Othonem literis obsecrant, ut Clerum Populumque Romanum, e manibus Joannis XII. simul etiam Berengarii tyrannide vindicare conetur. Hanc ob rem Otho in Italiam movens, primo quidem Berengarium & Albertum filium in potestatem suam redegit, alterumque Constantinopolim, alterum in Aulstriam relegat. Mox urbem ingrediens, ab ipso Joanne honorificentissime suscipitur, coronaturque, accepto Germaniae Pannoniaeque titulo, quod reliqui Imperatores deinceps observarunt. Otho autem composito aliquantulum statu civitatis, cum Joanne lecretò collocutus, hominem primo blandè appellando, a flagitiis deterrens, ad virtutem adhortabatur, verum quum nequaquam moveri a sententia verbis eum cerneret, ad minas conversus concilium indicit, convocatis Italiae Episcopis, quorum iudicio vita sceleratissima hominis

hominis dijudicaretur. Is itaque iudicium bene sententium reformidans, in Hernicos aufugit, in Sylvisque, more feræ aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho, persuadente Clero, Leonem Romanum civem, Lateranensis Ecclesiæ scribarium, Pontificem creat. Joanne autem post discessum Imperatoris, à suis amicis revocato, & paulò post infeliciter mortuo, Romani in ejus locum Benedictum subrogant, idque ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contendunt. At Imperator iratus Romanos, tanquam injusta postulantes, à se repulit, eosque, ferro & flamma omnia circa urbem posita vastans, compulsi, eiecit *Benedicto*, quem secum in Germaniam exulem duxerat, *Leonem suscipere, adactos sacramento, nil se earum rerum immuturos, quas ipse Imperator in re Pontificia constituisset*. Leo autem statim Romanorum inconstantiam pertæsus, eligendi Pontificis auctoritatem à Clero Populoque Romano ad Imperatorem transtulit. Leone verò mortuo Joannes XIII. Pontifex, Romanorum quoque seditionibus fatigatur. Accersito enim Jofredo Campaniæ Comite, Lateranenses adès vi irrupentes, Joannem captum, captumque primò in Hadriani molem, quam Sancti Angeli Castellum vocant, perducunt, mox in Campaniam exulatum mittunt. Otho cognita Pontificis calamitate, cum Othone filio ingentibusque copiis Romam perveniens, Consules & præfectum cum *Decarchonibus*, quales sunt *qui regionibus urbis Romana præsunt*, in vincula conjecit, sciturus conjurationis capita. Quæstionum autem re cognita Consules in Germaniam mittuntur, Decarchones verò laqueo suspensi, pœnas statim dedere. Petrus autem urbis Præfectus, malorum omnium fons & origo, diu cum ignominia per publica urbis loca tractus, ac virgis cæsus, in Germaniam victus mittitur. Misit Otho filium suum cum exercitibus in Italiam, ut Sarracenos ex ea pelleret: *Nec contentus erat Otho filius, Sarracenos cadere, sed Græcos quoque qui cum Mauris fœdera inierant, gravissimis præliis ita perdomuit, ut eos fere omni Calabria & Apulia eiecerit*. Otho deinde egregius adolescens, *Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem pepulit, & Joannem filium in Imperio confirmavit, Theophaniamque sororem in uxorem accepit, quam Joannes XIII. unâ cum Othone marito apud Lateranensem Basilicam corona Imperii ornavit, annuente Othone scilicet, qui filium consortem Imperii fecerat*. Otho verò Pater in Germaniam proficiscens senio confectus, optimus Princeps, & acerrimus Ecclesiæ Romanæ defensor, Viennæ moritur.

CAP. XIX.

De Othone secundo.

Otho II. primi Othonis filius, *Henricum Bavavorum Ducem rerum novarum cupidum, perdomuit, & in Lotharium movit, qui Lotharingiam Romani Imperii Provinciam occupaverat, Aquilgrancensemque agrum populatus fuerat*. Otho autem superato Lothario, vastatisque Successionem agris, ac incensis Parisiorum suburbiis, dum in patriam copias reducit, apud Auxonam fluvium nonnihil incommodi accepit. Deinde verò comparato majori exercitu, in Italiam contra Basilium & Constantinum Græcorum Imperatores veniens: (qui jam Calabriam, & eam

Italiam partem, quæ ad Siciliam vergit, occupaverant) dum apud Balentellum pugnaretur, *propter desertionem & fugam, quam Romani & Beneventani commiserant, superatus est, & alensis scapha captus, benesicio lingue (Latinam enim & Græcam calluerat)*. Divique Petri patrocínio, quem invocaverat, *creptus est*. Deinde comparato ingenti exercitu, in desertores Italos animadvertere decrevit, potissimum in Beneventanos, à quibus initium fugiendi factum fuerat, dum apud Balentellum contra Græcos pugnaretur. Itaque *in Beneventanos conversus, urbem cepit & incendit, translato inde corpore Divi Bartholomæi, Romæque in insula Tyberina collocato*. Moritur paulo post Otho Romæ, & in vestibulo beati Petri (Paradisum vocant) labra Porphyretico, quod adhuc introeuntibus ad lævam apparet, honorificentissime sepelitur.

CAP. XX.

De Othone tertio.

Germani qui tum in urbe erant, *Othonem filium Imperatorem eligunt. Cujus auctoritate Bruno ex Saxonum genere, Romanus Pontifex creatur: Gregorii V. nomine assumpto*. Othone autem in Germaniam abeunte, Crescentius denuo cum summa potestate à Romanis Consul decernitur, qui statim Joannem quendam, natione Græcum, Pontificem creat, Gregorio rejecto. Qua indignitate motus Otho, magnis copiis in Italiam venit, Crescentium cum Joanne in molem Hadriani, quod est castrum Sancti Angeli, fugientem obledit, acriter arcem his, qui in prætidio cum Crescentio erant, defendentibus. Tandem sub spe veniæ deditioe facta, dum ex arce ad Imperatorem se conferunt, Crescentius à multitudine multis vulneribus confoditur, Joannes Pontificatu dejicitur, Gregorio restituto. *Gregorius iste cognita Imperii imbecillitate, varietateque fortunæ utque is qui cæteris virtute præstaret, præset etiam dignitate, sanctionem retulit, haud abnuente Othone, de Imperatore deligendo, Anno Christi M. II. quam usque ad nostra tempora servatam videmus, videlicet solis Germanis licere Principem eligere, quæ Caesar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur, si cum Romanus Pontifex inunxisset: Neque hanc Electionis auctoritatem Electoribus deinceps Romanus Pontifex adimere potest. Qui enim dedit Populo Romano Imperatoris eligendi potestatem, nisi Jus & Divinum & Naturale.*

CAP. XXI.

De defectione stirpis Caroli Magni in Gallis, de indignatione Gallorum in Electorum institutionem.

Quamvis autem, magnanimo, constanti, & veteri Graci populo, nationique, potius quam pusillanimitate, & versipelli, Ecclesiæ patrocínio Imperiumque Romanum commissum esset, tulere tamen id iniquo animo Franci Occidentales, quos nunc Gallos vocant. Verum quoniam in Ludovico Lotharii filio, genus Caroli Magni in Gallis defecerat, Regimenque Galliarum ad Hugonem Ducem, cognomento Caputium venerat, repetere Imperium destitit. Nec indignum vera Caroli stirpe, sicut à Germanis ortum & generem habuit, ita in Germania permansit, in tribus quidem nobilissimis illustrissimisque & potentissimis Saxonis.

Saxonia, Bavaria, Austriaque domibus. Crebris enim victoriis, nunc Saxones, nunc Bavaros Carolus Magnus devicit, quibus ex suis cognatis Duces designavit, & *Francus autem Orientalibus* qui Germaniam incolunt, ipse Carolus genus duxit. Omnesque Franci Transrhenani à Trojana stirpe post illum captum, ipsa serie progeniti. *Caroli* autem, & hujus Patris Pippini *genus ex Austrasia* fuit, sicut Blondo placet, & Robertus Gaguinus asseverat, qui & apud Reges Francorum summo Magistratui præpositus extitit, quem sub prisca Regibus Magistrum domus appellaverit. Beatus Arnolphus Ecclesiæ Metensis XXIX. Episcopus, cum ante adeptum Pontificatum, huic quoque Magistratui præfuisset, ex legitima conjugis duos filios procreavit, & Anchisum & Clodulphum. *Autobis* hujus nomen ab Anchise patre Æneæ (qui à Troja in Italiam venit) creditur esse deductum. Anchilus genuit Pippinum, quo nemo unquam fuit audacior, ex illo Carolus nascitur viris fortissimis conferendus, qui inter maxima bella quæ gessit, ita præcipue Saracenos contrivit, ut usque in hodiernum diem, gens illa truculenta & perfida Francorum animam formidet. Hic itaque genuit Pippinum fortitudine sapientiaque clarissimum. Is Vascones cum Principe suo Vaisario perdomuit, mira que facilitate debellavit.

CAP. XXII.

Carolus Magnus, & Pippinum, & Patrem suum fuisse Germanos.

Hic Pippino, filius fuit Carolus Magnus, quem aut Germanum fuisse luce clarius intelligant, qui Gallum eum arbitrantur, audiant conjugum liberorumque ejus nomina, quæ Germanica, non solum voce, sed & significato fuisse apparet. *Carolus ex Hildegarde conjugis, quatuor filios, & filias quinque, procreavit.* Habuit tamen, ante legale connubium, ex Himeltruda Nobili puella, filium nomine Pippinum. Natorum sane quos ex Hildegarde genuit, ista sunt nomina. Primus Carolus Patris ac Proavi vocabulo nuncupatus. Secundus item Pippinus. Tertius Ludovicus, qui cum Lothario in infanzia mortuo, uno partu est genitus. Mortua autem Hildegarde apud urbem Metensem, in beati Arnolphi oratorio requiescit. Illi & hinc Pippini filiarum nomina sunt: Rodthaid una, alia Adelheid appellata. Cum hæc nomina quidam apud nos significent, & apud reliquas nationes sint barbara, consequens est, non à Gallis parentibus, sed Germanis inventa, & liberis indita fuisse. Hæc ex Annalibus Metensium hausimus, quam ob rem *Orbanus II.* in Concilio Claromontensi, *Carolus Germanum fuisse, inter orandum commemoravit, quod & M. An. Sabellicus in Venetorum Historia narrat.* Taceo quod *Carolus in Germania natus, in ea crevitam* (dum per bella licuit) *matrem faciens, in Germania quoque sepultus, Mensibus & ventis Germanicis per sese induit vocabula.* Multasque sacras ædes, multa Sanctorum Patrum cœnobia, & Francia nepotesque ejus, in Germania, in Ringavia, & Francia Transrhenana sive Orientali, & apud Moganum instituerunt, fundarunt, dotaverunt, extantque hodie Arx & Civitas ab eo in Francia Orientali sub Episcopatu Herbipolensi extructæ, quæ à suo ipsius nomine adhuc Caroli civitas, & Arx Caroli nuncupantur. Nemo verò credat, Gallos, ut Francos Occidentales,

in Germania Transrhenana Ditionem & potestatem habuisse, non passi fuissent id Bajoari, Suevi, ac Franci Orientales, homines utique magnanimi ac constantissimi, virosque Galliis per Rhenum advenientes, sibi dominari, quos neque Julius, neque Augustus subjungere potuerunt. At Franci Transrhenani, qui sunt Orientales, in Gallia dominati sunt, arcesque & urbes & auctoritatem in manibus suis tenere. Dum enim Rex quidam Francorum Occidentalium, Regno inutilis, à Pontifice deponeretur, Pippinum Caroli Magni Imperatoris Patrem, ex Austrasia, quæ Germaniæ pars est, ortum, in ejus locum substituit: cujus rei Sacri Canones, & Baldus acutissimus Jurium Interpres, Blondus Forliviensis, & multi doctrina præcellentes viri subscribunt. Itaque *Germani Gallis, non Galli Germanis dominari ceperunt.* Adde quod & Innocentius III. *Romanum Imperium à Grecis in Germanos translatum* refert in personam quidem magnifici Caroli. Eum ergo Germanum fuisse liquidò comprobatur, ipsumque Patrem suum, Pippinum ex Germania natum, frequentissimo proverbio conjectari potest: quo nostrates vel pueri crebro alterutrum colloquuntur, hujusmodi verbis: etiam si haberes prudentiam Regis Pippini, vulgò Pippis. Et Æneas Sylvius in capite Historiæ Bohemorum asseverat: *Francos sive Gallos ex Germanis descendisse.* Errant igitur vehementer plerique etiam nostratium, qui *Alsatiæ, qui nobilè Argentinæ, qui ceteras terras à sinistra Rheni latere sitas, quæ ad Romanum Imperium, & ad Nationem Germanicam spectant, sub dominium Gallorum, & Regnum Occidentalis Franciæ pertinere arbitrantur.* Audaacter igitur Caroli gentem nobis vindicemus, nec sinamus superbos Gallos sibi arrogare, quod nostrum est, legemque Faniam de plagiis, intendamus, nimirum *Gallicus fastus, cuncta sibi contra jus & fas usurpare.* Memoriam enim proditum est, & Æneas Sylvius palam scribit: *nullam esse gentem, quæ Gallorum superet ambitionem.* Scribit præterea Flavius Vopiscus, quod non prætereundum duximus, Proculum Imperatorem occisum prodentibus Gallis, quibus *familiare esse ait, ridendo fidem frangere,* eisdem novarum rerum cupidus Julius Capitolinus refert. Sed missa istæ faciamus, redeo jam ad Germanos qui huic inclytæ gente successere.

CAP. XXIII.

De Henrico Sancto.

Primus igitur occurrit Henricus ex Ducibus Bavarorum, qui secundum institutionem Gregorii V. ex superius dicto Senatusconsulto, majoris denique autoritatis Hortensia lege, primus ad Imperium sufficitur: De cujus vita moribusque nihil mihi dicendum assumo, supra enim vires pondus est, cum ob sanctitatem vitæ in numerum sanctorum relatus sit, & ne solam ei virtutem suffragio fuisse intelligas, genus etiam Othonis contigit, fuit etenim Magnus Othonis ex fratre nepos. Et ne ob pietatem religiosissimamque vitam res bellicas neglexisse credatur, compositis rebus Germanicis in Italiam movit, acceptaque Imperii corona Saracenos à Capua expulit, ac Bubaganam Græcorum Ducem, qui Mauris faverat, acri prælio superatum, adeo persecutus est, ut eum quoque Troja spoliaverit, quam is condiderat, in eo loco ubi quondam Amilcaris filii Hannibalis castra

castra fuere. Moritur autem sanctissimus Rex una cum
Runequinde conjugē sacratissima muliere, anno Im-
perii octavo.

CAP. XXIV.

De Conrado Sueviae Duce Imperatore.

Post huius Sancti viri mortem triennale interre-
gnum fuit, cum Electoribus minime constaret,
quem potissimum deligerent, eandem legitimis suf-
fragiis, Conradum Imperatorem creavere, qui Francie
Orientalis & Sueviae Dux fuerat: & ne cum Gallis
quispiam erret, exploratum est, omnes Rheni accolae
Francos vocari, praecipue vero Alsatios conterraneos
nostros. Quod si perpetuam Historiam scriberem,
velo certius id demonstrarem. Nomen enim Francus
liberum denotat. Scimus autem inter cunctos Germa-
niae populos, Alsatios Romana libertate pollere. Con-
radus Princeps strenuus, & in re militari praestans
(qui apud Henricum diu Ordinum Dux fuerat) ad
Imperium susceptus, primo pacem tenens edita lege
sanxit. Et quia post mortem Henrici, multae Civita-
tes Italiae ab Imperio descivere, coactis copiis, quas
prius sub Henrico duxerat, in Italiam descendens, pri-
mo in Aedolanum movit, Civitatem obsidione cinxit,
excidium & interitum urbi interminatur. Suadente
autem Colonienfium Antistite, cui ob id Divum Am-
brosium invisione apparuisse dicunt, obsidionem sol-
vit, profectus deinde Romam accepta Imperii corona,
à Joanne Pontifice in Slavos & Ungaros movit, qui
deficientibus rebellantibusque Italis auxilia praestiterat,
eosque brevi perdomuit. Ea tempestate Rudolphus
Burgundionum Dux, suorum seditionibus vexatus,
fidei patracinique Conradum se submisit, qua de re
provinciae Burgundiae deinceps imperialis aliqua ex par-
te dicta est, maxime ea quae ad Pyrithensem Comi-
tatum inter Dubidem sita est. Persecutus deinde est
Lupoldum Comitem de Kalbo, quod ab eo initium tur-
batz pacis, aliquoties ortum fuerat, cuius filius Hen-
ricus, Patre exule, rusticamque vitam ducente, Con-
radi filiam uxorem duxit, Divino nutu, tandemque
ad Imperium (quamvis bis ab occidendum traditus
esset) pervenit. Romanis etiam Conradus exitum in-
terminavit, si illius, (quemadmodum ceperant)
Pontificem seditionibus vexassent. Moritur Con-
radus anno nostrae Redemptionis M. & CXXIX, pridie
Nonas Julii in templo Spirensi, quod fundatur & dota-
verat sepultus.

CAP. XXV.

De Henrico Secundo Imperatore.

Henricus Imperator gener Conradi, in loco na-
tuitatis suae monasterium condidit, nomine Tem-
pe cerasium. (vulgo Nischau) in Heroyis sylvā
adhuc extans. Movit deinde in Bohemos exercitum,
quoniam Rex eorum Polonos iniussu suo vastaverat,
deceperans primo dubio Marte tum eorum Duce Rile-
vulo deinde anno sequenti, majoribus copiis col-
lectis, transmissa sylvā, serē ac flumis cuncta vallavit.
Tum certamine commisso, eundem super se cepit,
victigalem, factum dimisit. Deinde Hungaris,
in Italiam tum magno exercitu veniens habita Syno-
do Benedictinum. IX. Synodum II. Gregorium VI. tria
pellunt aeternitatem in sinistra abdicare se. Administratum
Synodegerumque Germanum Bambergensem
Episcopum in Christi sede Pontificem collocat, Germanum
appellatum, acceptaque ab eo Imperii corona,

Romanos in sua verba jurare coegit, Pontificum ele-
ctionem nequaquam se interfuturos, nisi iussu Imperatoris.
Considerabat enim bonus Princeps eò re decessisse,
ut factiosus quisque ac potens corruptis suffragiis, sum-
mam dignitatem niteretur adipisci, quae nisi Divino
nutu, tum sanctitate vitae, tum doctrina bene meritis
demandari non deberet. Inde in Apuliam profectus
conductis militibus qui Sarracenis hostibus resisten-
tes, in Germaniam est reversus: Quo abeunte, Ro-
mano Pontifice veneno sublato, Damasus sine legiti-
mis Cleri populique suffragiis, atque Imperatoris, in-
iussu Pontificatum occupat. Romani ejus causa De-
gatos ad Imperatorem mittunt oratum, ut Pontificem
sibi daret.

CAP. XXVI.

*De Leone IX. Germano electo in consilio Magno-
guntino.*

Habita synodo Germaniae Galliaeque Praesulibus in
Moguntiaco, statim Brunonem Episcopum Tu-
lensem Pontificem creat, Leonem IX. appellatum. Hic
Leo ex Alsatia genitus est, ex Comitibus de Dabis biter-
sicut ipse in Bulla propria, quae est in cœnobio Altdorf-
fensi Argentinenfium Diocesis mentionem facit, quam
ego ipse Jacobus Wymphelingius Seletad, & videlicet
Mulatque; ejus monumenta extant: Locus est Sanctus
Crucis appellatus, ubi Monasterium Monialium in-
stituit, quod paulum supra nostram aetatem defecit,
redactique sunt census ad Decani administrationem.
Multae ibidem reliquiae à Leone loco donatae sunt.
Tres arces juxta Marpachium & Egubheim videlicet
in quarum una Divus Pancratius frequentissime
colatur, per Leonem consecrata. Quare semper Alsatia
Papa Leo in ore est, ab anno Christi M. CXXIX.
Alsatia enim natus est, multisque miraculis clarus, de
nostraque patria optime meritus, qui & nonnulla con-
tra haereticos Graecorumque errores scripsit, Insuper
Pietate, Mansuetudine, Hospitalitate nulli secundus.
Denique apud Deum adeo clarus, ut Angelos caritatis
(ego cogito cogitationes pacis) audire, & Christum
in pauperis leprosiisque specie hospitio excepisse mereretur.
In Religionis & fidei rebus adeo diligens solersque
fuit, ut Berengarium quendam de fide nostrae
sententiam damnaverit, Constantinopolitanumque
Imperatorem suis monitis impulserit, Dominicum
pulchrum Hieroglyphis à Barbaris sedatum, con-
ruptumque restituisse. Idem Leo Argentinæ, ubi
sancti Petri Junctis anno M. L. dedicavit, maxime
concedens indulgentias. Moritur hic vir sanctus, quin-
to sui Pontificatus anno.

CAP. XXVII.

*De Victore Secundo Germano antea Globbarde
Simoniacos privavit.*

Leoni IX. Victor Id. susceptus est patria Bavariae
iussu Henrici Romanorum plebisfesto. Quem magister
Episcopus Simoniacus abbas infestas à magistratibus
cisse constat. Hunc etiam Victorem in Germaniam
venisse legitur, ibique Henricum III. Henrici
Imperatoris filium, Caesarem creasse. Quamvis non
nulli id Legato ejus Hildebrando ascribant, cum
quo postea Pontifice & Gregorio VII. super iur-
electionis Romanorum Pontificum multis contencio-
nibus decertavit. Quandoquidem potestatem Respon-
per prius Pontifices Imperatorum suam, ad Pontificem
Clerumque Romanum Gregorium transferre nite-
ntis

His temporibus florere Burckhardus Wormatiensis & Bruno Herbipolensis Episcopi, docti ac boni, Hermannus Contractus, acutus Mathematicus, qui de Quadratura circuli scripsisse perhibetur.

CAP. XXVIII.

De Henrico Tertio & Mathilde.

Henrico III. admodum juvene ad Imperium sublimato, cunctæ agebantur per Agnetem matrem ejus, quæ mulierum prudentissima opimum quemque Provinciarum Præfecturas instituit, Principesque & Henricum filium in officio continuit. Qui præter Imperii coronam, toto tempore Pontificatus Gregorii II. Allobrogis, qui Stephano IX Lotharingo Germano, rejecto Benedicto successerat, nihil contra Ecclesiasticos molitus est. Nequaquam hinc sentio præteribis Stephani Romani Pontificis memorabile factum. Is enim Pontificatu adeptus statim Mediolanensem Ecclesiam (quæ à Romana ducentis ferè annis secesserat) ita rededit, ut Romana obtemperaret, tantum verè omnium Ecclesiarum parenti ac atrici, quam nulli; huc tanquam pietissimam matrem uti verè observavit. Utinam & nostro seculo Romanus Pontifex & Principes nostri, qui Christiani dici volumus, efficaciter tandem cogitent, de reducendo Imperio Regno sub Ecclesiæ Romanæ sanctam ac indivisibilem unitatem, sive id Pietate & Clementiâ, sive armis & bello commodius fieri posse videretur. Nec non Beatricem Henrici II. sororem, filiamque ejusdem Beatricis Mathildim, ex Bonifacio Nobili ac potentissimo viro Luca oriundo, progenitam, nuptamque Gostredo clarissimo viro, quæ matronæ pudicissimæ cum ab omnibus Historicis passim decantatur merito à nobis quoque collaudabuntur. Hæc est Mathildis, quæ à Radicophano Senensis agris oppido, Caputvini usque interiacentem terram Romanam donavit, quod Beati Petri patrimonium sequentes appellatur. Hæc est illa Mathildis, quæ cum Ecclesiæ Romanæ esset, eo tempore, quo Cisalpini Episcopi, Baldolum Parmensem Episcopum, contra Alexandrum Romanum Pontificem elegere. Hæc est, quæ orta inter Henricum Imperatorem Gregoriumque VII. (non minus magna Christianæ Republicæ jactura) ignominiosissima disceptatione, ob Pontificum Romanorum electionem, ac cæterorum Præsulum confirmationem, quæque res ad Imperatorem tum spectabant, tum cum Ecclesiâ opime lensit, quæ etiam cum Gostredo Essenii (qui nunc Ferrariensis vocatur) quem Henricus post Gostredum duxerat, crebris bellis pugnavit, quæ cum Henrico Imperatore decertavit. Tandem tandem per Henricum apud Parmam fuerit superata. Quæ victoria elatus Imperator, Romam hostili animo proficiscens, in pratis Neronianis castra collocavit. Cum verò urbem ingredi non posset, Tybur confluxit, unde tanquam ex arce Romanos ed inopie temporis incursionibus rededit, ut pacem quovis pacto obtulerent. Ad motis deinde urbe copias Pontificem Gregorium Adriani, quod Angeli castrum dicunt, oblidit, acriterque qui in præsidio erant, arcem defendentibus. Verum Henricus cognito Guiscardi Ducis adventu, in Germaniam rediit. Miramur hinc Henricum tantis discordiis Gregorium superasse, cum alioquin eum *Præcipuum multis elemosinis deducim* legerimus. Fuit præterea in rebus bellicis, etiam *sexages, signis solatis,*

pugnavit. M. Marcellum, Juliumque Cæsarem supergressus. Quorum alter trigentes, alter verò quinquages, bis, pari Marte decertaverunt. Quibus præliis Saxones sæpe devicit, quorum Dux Rudolphus contra eum, per Gregorium, depositum à Principibus, ad Imperium suffectus fuerat. Tandem verò Rudolpho in prælio interempto, Saxones sub jugum misit. De quo bello pulchrum & elegans poema Heroicum à Germano quodam lucubraturum est, quod in Bibliotheca Spirensi vidimus & legimus. Captus demum ab Henrico filio proprio, quem Principes Cæsarem creaverant, & pedore & situ carceris defunctus est, Anno M.LVI. tertio nonas Octobris, in ornatissimo Spirensi templo sepultus.

CAP. XXIX.

De Henrico Quarto.

Sub Henrico quarto Imperatore, Urbanus II. in Gallis apud Clarum montem concilium celebravit, Principibus ita animatis ad recuperandam Hierosolimam, jamdiu à Saracenis occupatam, ut circa annum Domini M.LXXXIV. *trecenta hominum milia nomen in Christi militiam dederint*, crucisque signum susceperint, inter quos quidam Petrus Eremita vita clarus, incomparabili sanctitate ac innocentia præditus, Germanos (per Pannoniam iter faciens) Constantinopolim usque perduxit, quos non multo post secuti sunt tres fratres, Gostredus, Eustachius, & Baldovinus, cognomento *Baldovus sive Lotharingorum Duces*, sive Galatiæ Comites, viri & animi constantia & corporis robore insignes, tum etiam Robertus Flandriæ Comes, qui trajecto Thracio Bosphoro, Nicæa, Nicomedia, Iconio, Tarso, multisque Ciliciæ urbibus captis, Antiochiam Syriæ, tum demum Hierosolimam *trecesimo nono die postquam obsideri cœpta est*. Anno salutis nostræ M.XCIX. ceperunt. Anno CCCC.XC. posteaquam imperante Heraclio à Saracenis occupata fuerat. Maxima laus Gostredo data est, quoniam primus in parte à se oppugnandam urbem conscendit, fratrique Baldovino potestatem fecit, ut in urbem descendens, Christianis portas aperiret. Unde uno omnium Christianorum consensu, Gostredus Hierosolymæ Rex declaratus est, quod Regnum quoad ea Lotharingorum familia superstes fuit, posteri strenuè gubernaverit. Tam præclaris autem Ducibus mortuis, iterum ad infidelium manus usque hodie pervenit. Ex hac Lotharingorum magna victoria, *creditu facile est*, Reinhardum hodie Lotharingiæ Dilem, Hierosolymitanæ Regni titulum sibi desumpsisse. Sunt qui scribant Caribusensem tempore à quodam Brunone Agrippino Germano originem habuisse. O nobilem auctorem sanctissimæ Religionis, quæ nunquam à legibus suis & bona institutione cecidit, sicut cæteræ ferè omnes miserè labascunt. Quo autore Brunone, hæc indignè nostra Germania lætatur. Henricus autem IV. Patre mortuo, Italiam ingressus, tum Italos tum Romanos Pontifices, multis affecit incommodis, tandem à Paschali corona Imperii suscepta in Germaniam rediit. Cumque Pontifex promissa Imperatori, quæ per vim extorta dicebat, dissolveret, iterum in Italiam cum magno exercitu descendit. Et quoniam Pontifex tum in Apuliam concilium habebat, à Bracharensi Archiepiscopo ante corpus Beati Gregorii iterum coronatus, in patriam reversus est. Tertio quoque Italiam hinc Imperatorem, hostili animo

vassal-

vastasse legimus. Tandem Calixto II. confirmationem Episcoporum, *Sacrofanctos, Cardinalium collegio liberam Romani Pontificis electionem tradidit.* Missis ob eam rem in Germaniam Legatis, Lamperto Hostiensi Episcopo, Arone Sancti Stephani in monte Celio Presbytero, Gregorioque, Sancti Angli Diacono, Cardinalibus. *Hoc tempore fuisse conlat Raymundum, Guilhelmi Austria Ducis filium, cui Antiochia, quæ olim Reblata dicta est, cum Ducatu commissæ fuit.* Nam ei filia Bohemundi Apuliz Ducis nupsit, qui quidem Bohemundus una cum Tancredo fratris filio, præcipuam operam in capienda Antiochia obsidendaq; navaverant. Præclarum est etenim apud Historicos nomen Bohemundi, qui saltem de expeditione illa Christianissima scribunt. Qua propter nec generum ignavum, sed strenuum solertemque delegisse putandus est. Moritur Henricus IV. anno Christi M.C.VI. septimo Idus Augusti, in sacro templo Spirensi sepultus.

CAP. XXX.

De Lothario Saxonie Duce Imperatore, & Innocentio Papa.

Turbatis deinde rebus, per Petrum, Leonis potentissimi Romani civis, filium, qui facinorosis quorundam seditionibus Antipapa creatus spoliatis Ecclesiarum thesauris, direptisque urbis Romæ templis, tantum pecuniarum conflagit ut factiosum quæque facile in sui sententiam traheret: tum etiã cives cum Innocentio II. sentientes, pecuniãq; multos corrumpit, & ab integritate dimovet, sibi que conciliat, & quo factionem suam magis stabiliret. Rogerium Comitum Siciliæ filium obnoxium sibi facit, eo utriusque Siciliæ Rege creato. Innocentio igitur à bello Apulo in urbem redeunte, cum omnia turbata invenisset, remque ad cædem multorum spectare cerneret, sponte cedens, primo Pisas, Genuam deinde, demum in Franciam pervenit, habitoque apud Clarum montem concilio, Petrum cum Antipapa damnavit. Viso deinde Aureliani Philippo Francorum Rege quamvis perbenigne acciperetur, nihil tamen ei auxilii contulit, donec ad Lothariũ Saxoniz Ducẽ (quem jam, mortuo Henrico, Principes Casarẽ creaverant) Leodium perveniret, qui expeditione statim parata, Pontificem se restitutum pollicitus, magno cum exercitu in Italiam movet, admonitoque Pontifice, quid fieri oporteret, paritis copiis, Innocentius transmisso ponte Mameæ (à matre Alexandri Imperatoris nomen habente) in Lateranum perducitur. Lotharius occupato Janiculo monte (qui *Onofrii* hodie dicitur) urbem ingressus, nusquam apparente Antipapa cum sua factione, Innocentium restituit, miroq; ingenio factionem eò redegit, ut minimè Innocentium vexare posset. Quamobrem Pontifex Lotharium Imperii corona exornat, tanquam benefactorem, deque Romana Ecclesia bene meritum. Abiit tum in Germaniam Lotharius cum bona Pontificis veſtia, ad compescendos motus, ob absentiam ejus in Germania exortos, quibus compositis, dum Pontifex Concilium Pisis celebrat, rursus Antipapa, Rogerio Siciliæ adjuvante, in Pontificem cornua erigit. Quare Lotharius iterum cum exercitu Italiam repetit. Pisani quoque classem potentissimam, à Pontificis educunt. Quibus copiis Lotharius cum Pisani, Romæ seditione oppressa, Rogerium terra marique oppugnatum, amissis rebus omnibus,

extra Italiam in Siciliam brevi pepulere. Audita tanta victoria Joannes Constantinopolitanus Imperator, Legatos statim ad Lotharium mittit, de superato hoste congratulans. At verò Pontifex ne abeunte Imperatore Rogerius iterum Apuliam repeteret, Comitem Lotharii Hamonem cum aliquot cohortibus relictum, ad propulsandam Pontificis injuriam, Ducem Apuliz creat. Lotharius ille sapiens & industrius, amicus & devotus Ecclesiæ, divitiis & victoriis magnis annis XI. feliciter imperavit.

CAP. XXXI.

De Secundo Conrado.

EA tempestate urbs potentissima Edessa per Saracenos eversa est. Qua clade audita S. Bernardus Burgundio, Germanis Imperatoribus familiarissimus, vir & sanctitate vite, & doctrina clarissimus, patrocinio Christianæ Religionis assumpto, Principes omnes Christianos tum nunciis, tum literis exhortatus est, ut crucem in Saracenos sumerent. Statim igitur Conradus Suevus, qui Lothario in Regnum Romani nominis successerat, nomen in militiam dedit, multique ex Germanis Principes Praefulesq; comparato igitur magno cruce signatorum exercitu, Constantinopolim Conradus pervenit, tum precibus Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani compellitur, nullo comparato comite, Iconium ducere, omnia enim se præstaturum pollicitus est Emanuel, quæ exercitui necessaria forent. Conrado igitur crebris congressibus hostes imperante, tandem Iconio obfessa, natura & arte munita, acriter his, qui urbi præsidio erant, ea defendentibus, facinorosus Emanuel Græco usus ingenio, *gypsum farina miscuit, cumq; ex ea re panis duceretur,* quo Christianus aleretur exercitus, *tot Italicis milites obiere, ut re infesta obsidione relicta, in Thraciam Imperator Romanus secederet.* Invidiam tamen Germanorum virtus, quamvis fracta in Syriam tendit junctisque copiis Ludovici Francorum Regis, nec non Baldoini, Damascum Syriæ Metropolim sociis armis obsident, cumq; tandem fame sitiq; laboraretur, non sine contumelia obsidionem solvunt. Tandem Conradus & Ludovicus comminutis per varia bella exercitiis, revertuntur in Europam, Anno salutis nostræ M.C.LII. Obiit Conradus, cum regnasset annis XV.

CAP. XXXII.

De Friderico primo gloriosissimo Germanorum Imperatore ex gente Suevorum.

Suffectus est deinde Fridericus I. cognomen Barbarossa, cujus si magnifica gesta recensere velim, liquidò omnibus notum erit, cum nec Carolus Magno inferiore, imò sine contentione parem fuisse. Nam Imperator creatus Cisalpinam ingressus Daciam vi cepit, magnaq; celeritate Romam versus proficiscitur, cumq; Pontificem Hadrianum IV. contra seditiones Imperii confirmare animadverteret, rem, exempli præsertim in Petri successore agere ferret, utilissimo in Romanos movit. At Pontifex imperantem se tanto exercitui cernens, pace per internuntios composita, in agro Sutrino Imperatori sit obviam, qui ex equo descendens, Hadrianum, ut verum Christianum salutat. Cumq; ad urbem venissent, & Pontifex in Basilica Petri Fridericum imperii corona donaret,

Naret, Populus Romanus per Hadriani pontem erumpens, Theutonicos, non quicquam tale timentes, passim cædit. Imperator autem tanto tumultu excitus in-tromisso exercitu, qui in pratis Neronianis confederat, Romanos ex Vaticano in urbem retrudit, multis captis cæsisque. Molestè enim ferebant Romani Imperatorem, & Theutonicos cum Pontifice sentire. Tantæ autem tum clementiæ, Imperator, tum pietatis erat, ut captivos, Pontificis precibus lenitus, incolumes dimitteret. Interim Tiburtini ad Imperatorem venientes, se ac urbem omniaque sponte dedunt, quam *Fridericus* Pontifici restituit, neque ita diutius moratus in Germaniam rediit. Tum iterum in Cisalpinam Galliam rediens Cremonam obsidet, ubi per legatos ab *Alexandro III.* rogatur, ut interposita Imperiali auctoritate seditionem tollat, quæ ob Pontificatum inter *Octavianum Romanum civem, & Alexandrum ipsum exorta fuerat.* Respondit tum bonus Princeps, utrunque Pontificem Papiam ire debere, quo & ipse proficisceretur, cognoscendæ disceptationis causa: *Alexander* vir elati animi, spreto tam salubri responso, Anagniam se contulit, tum Imperator honestos Episcopos de Religione Christi bene sentientes ad *Alexandrum* mittit, qui eum ad Concilium citarent. Hi ab *Alexandro* confutati, nimiumque superbe rejecti, ad *Octavianum* se conferunt, eumque Papiam perducunt. *Habito deinde Cocilio, Fridericus Octavianum Pontificem confirmat.* *Alexander* hac re permotus, *Octavianum & Fridericum* anathematis vinculo colligat. *Fridericus* hac injuria laceratus, exercitum in ditionem Ecclesiæ duxit, & jam præter Urbem veterem & Anagniam, omnes Ecclesiæ civitates occupat. At cum *Alexander* in Franciam contendit, tum *Fridericus* directa Dertona, Mediolanum quoque solo æquavit. Unde trium Magorum corpora *Coloniæ Agrippinam* translata tum crediderim, à *Rudolpho Colonienfi Archiepiscopo.* Vastata tum Cisalpina Gallia, *Fridericus* Papiam se recipiens litteris ac nunciis Regem Franciæ adhortatur, ut tollendi schismatis causa *Alexandrum* secum ad Concilium ducat, quod & se unam cum *Victore* (ita enim *Octaviano* nomen erat Pontificum) profecturum pollicetur. Ad locum igitur Concilii *Fridericus*, compositis Italiæ rebus, cum *Octaviano* profectus est, verum *Alexander* ad Concilium se iturum recusabat: *Fridericus* verò in Germaniam rediens Antipapam in Italiam misit, quo *Lucæ* mortuo *Guido Cremenensis* *Octaviano* surrogatur. Interim *Alexandro* Romam adveniente Cisalpina Gallia populi innata perfidia anno Christi M.C.LXV. jugum *Friderici* rejiciunt, fideique immemores, arma sumunt, præsidia Imperatoris ex arcibus dejiciunt. At *Fridericus* comparato ingenti exercitu, in Italiam veniens, nequaquam perfidis innoxius Padum trajecit, in agrumque Bonnoniensem descendens, copias partitur, missis quibusdam cohortibus *Lucam* quibus Antipapa tutior esset, ipse cum reliquo exercitu in agrum Picenum proficiscitur: Anconamque aliquamdiu obsidens, in suam tandem redegit potestatem. Eodem tempore *Haino Comes*, quem supra *Hadrianus* Ducem Apuliæ creaverat, Tusculanis præsidebat. Is accessit Germanis, qui apud *Nepefium* *Sutrium*que confederant, tanta Romanos clade afflixit, ut deinceps vix se mœnibus tueri, nedum hostem lacerare poterint. Moverant enim Romani in *Tusculanos*, quia tributa immoderatus imperata recusarent. Tum

verò *Fridericus* Ancona discedens Romam movet positisque in pratis Neronianis castris, *Paululum* constitit, si saltem *Alexander* tanquam bonus pastor, debitas conditiones aliquando acceptare vellet. Pontifex autem non satis tuto in Laterano consistens, cum irrupturos Germanos videret, ni boni Principis modestia obstitisset, in ædes *Fregepanum* ad palladium divertentes confugit. Instabat cum Populo Romano cui pacem promittebat, *Fridericus*, ut Cardinales de duobus Pontificibus digniorem eligerent, altero eliminato rejectoque. Quam rem cum Pontifex respueret, nocte abiens navigatione, salutem sibi fuga quæsit. Moritur interim *Guido Cremenensis* Antipapa in Basilica Beati Petri, quam magno *Friderici* præsidio adhuc obtinebat. *Friderico* mox ob pestem ex urbe in Germaniam profecto sufficitur in locum *Guidonis*, *Joannes Sirmienfis* Abbas ex Pannonia. *Fridericus* per montem *Cinifium* in Italiam quintò rediens, *Seculam* diruit, *Astenses* in ditionem accipit, *Alexandriam* (quam civitates rebelles condidit) gravi obsidione premens, tandem ob honorem Omnipotentis Dei in die paschatis obsidione soluta Papiam venit, ubi de pace Italiæ est actum. Verum cum nequaquam conditiones æquæ servarentur, *Fridericus* in Italiam cum maximis copiis descendens, frequentibus præliis *Mediolanenses* *So-cias*que civitates afflixit. In quibus præliis ex *Comensibus* *Papiensibus*que qui Imperatori favebant, cum multi desiderati essent, eorum calamitate motus *Fridericus*, cum Pontifice in gratiam redire statuit, nam maxime cum Antipapa furto infamis esset. Convenerat jam *Venetias* *Alexander*, componendæ pacis Italiæ causa, eò & *Fridericus* accedens, in vestibulo *Sancti Marci*, Pontificis pedes osculatur, simul deinde ad altare majus profecti, accepta dataque salute, de fœderibus pacis inter se multum diuque collocti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confecta est. Abiens deinde Imperator cum bona Pontificis venia, *Ravennam* primò, mox *Bertonorum* se contulit, quod oppidum, cum retinere ob opportunitatem loci institisset, rogatu *Alexandri* Ecclesiæ tandem restituit. Oppugnabatur tum *Hierosolyma* à *Saladino*, cujus humanitas ac fides multum Christianis obfuit. Devictis enim (*Christianis sinistra pugna* (qua ferè omnes Asiaticos Principes cepit, maxime *Guidonem* Regem & *Templariorum* Magistrum, quorum etiam multos se cure percussit) tandem hi qui in præsidio erant, desperatis suppetiis LXXXVIII. anno postea quam à *Godfrido Lotharingorum* Duce capta fuerat, *Hierosolyman* hac condicione dedit, ut tantum abeunti cuique ferre liceret, quantum suis tantummodo humeris sustinere possent. Hanc ob rem *Fridericus* Imperator copias movet in Christi hostes, per Hungariam iter faciens, in Thraciamque jam & Constantinopolim pervenerat: quem certè *Isaac* Imperator, ejus potentiam veritus, trajicere *Bosphorum* statim adhortatur. *Fridericus*, copias trajecit, *Philomenam* urbem de Turcis capit, agrumque *Iconio* adhaerentem depopulatur, & *Armeniam* minorem in potestatem suam redigit, multisque præclaris rebus editis, hostibusque sæpius devictis, à *lavandi* causa *rapidum anem* ingreditur, in undis perit, cum maxima Christianæ Republicæ jactura. Eo enim solo Principe *Saladinus* vinci potuisset. Nescio quidnam potius admirer? Pontificisne superbiam? an Imperatoris contumaciam? vel cæterorum Principum secur-

diam ignaviamque? quod cum tanto Reipublicæ Christianæ interitu, ac irrecoverabili detrimento tam detestandam execrabilemque Pontificis Imperatorisque discordiam petulè, e, omnium enim malorum fontem inde, usq; ad nostra tempora profluxisse, arbitramur. Imperavit tamen hic strenuissimus & victoriosissimus Fridericus, ex inelyta & Nobilissima Suevorum domo progenitus, magnificè annis septem & triginta.

CAP. XXXIII.

De Henrico Quinto Friderici primi filio.

Successit Patri optimo & maximo Principi, *Henricus* filius, qui accepta in matrimonium Constantia, Rogerii Normanni Siciliæ Regis filia, statim *Siciliæ Regnum dotis nomine repetit à Tancredo*, qui Guillelmo suffectus fuerat: Obsessaq; diùtius Neapoli, soluit tandem obsidionem peste coactus, quæ exercitum populabatur, mortuo tandem Tancredo Regnum occupat, *adjecit tamen annum bello Asiatico*, misso ad id bellum fratre Philippo Duce, & Archiepiscopo Moguntino, cum magnis copiis. *Germani igitur his Imperatoribus in Asiam trajicientes, Berytum muniverunt à Saracenis destitutum, & Ioppen obsessam à Saracenis liberavere.* Oritur tum ob mortem Ducis, qui in castris extinctus fuit, ingens tumultus, ut Germani bellum Asiaticum relinquere cogerentur, tum etiam ob mortem Henrici Imperatoris, qui vita functus est ann. Virginei partus, M. CLXXV. 10. Kalendas Maij in Ecclesia Spirensi tumulatus.

CAP. XXXIV.

De Othone Quarto & Philippo Sueviæ Duce in controversia electis.

Mortuo Henrico strenuo & aspero, *pars Electorum Othonem Saxoniz Ducem, pars Philippum Sueviæ & Hetruriz Ducem, Henrici Germanum (quem Henricus tutorem filii sui Friderici infantuli testamento reliquerat) Imperatorem optarunt.* At vero Innocentius Pontifex (ut omnia tumultu completerentur) Othonem confirmat. Et ne quid mali ad perturbandum Asiaticum bellum deesset, Rex Franciæ Philippo; Angliæ Rex Othoni favebat. Indignatus igitur *Philippus se à Pontifice spretum neglectumque, Hetruria Sueviæq; præsidio munitis, in Othonem magnis copiis movet*, prius multis Principibus in sua verba jurare coactis, quos omnes bello devicit, inter quos Argentinum Episcopum, Othoni faventem, igne, ferro oppidis vicisq; exultis inferiorem (ut dicunt) *Asiam omnem depopulatus eò redegit, ut vix munitissimis castris se contineret, obsidisse tum civitatem Argentinam eum constat, quæ in partibus Othonis erat.* Deinde *Moguntia curia de more celebrata, Principibus privilegia confirmavit, tum Otho Coloniz Agrippinæ se continebat, quam Philippus obsidione cingens, brevi coëgit ad eruptionem Colonienfis, cum quibus & Otho erumpens, cum viribus Philippi retruderetur, minimè à Colonienfis receptus, scda sibi fuga (ut sæpe prius) consuluit.* Colonienfes unà cum Archiepiscopo statim deditioem faciunt, tandem Philippus Bambergæ insidiis à quodam Comite Palatino petitus occiditur. Spiræ sepultus anno salutis nostræ M. CC. VIII. XI. Kalend. Julii. Quo mortuo res ad Saxonem devenere, Othonem IV. appellatum: quò Romæ ab Innocentio coronato, statim cum copiis, quas secum duxerat, occupatis Monteflascione, Radicophano multisq; aliis Romanæ Ecclesiæ oppidis, in Neapolitanum movet, id adolescenti Frideri-

co II. ablaturus, cujus ob ætatem tutores curam ad huc gerebant.

CAP. XXXV.

De Friderico Secundo Sueviæ Duce & Sicilia Regi magnificentissimo Imperatore.

Hanc ob rem *Principes Fridericum secundum Siciliæ Regem vigesimum agentem annum Imperatorem deliquit.* Quo audito Otho statim in Germaniam rediit, Ditioni paternæ consulturus, deinde comparaturus exercitum, quo Friderico resisteret. *Cum enim Fridericus (quamvis legitimis suffragiis electus) coronam Imperii ab Innocentio consequi non posset (credo quiddam odii in eam familiam latuisse) in Germaniam proficiscitur, Diademate à Moguntino Archiepiscopo accepto, in Othonemq; movet, quem in Sueviæ obvium habens, cum Friderici conspectum ferre non posset, cum exercitu fugientem usque in Saxoniam persecutus est.* Tum eo Aquigrani devicto statim *vexillum crucis erexit, ut Asiaticis Principibus contra Saracenos pugnantibus auxilio esset.* Interea Honorius III. *Papa pessimo Christianorum fato, Fridericum anathemate notat, & Imperii dignitate privatam denunciat.* Ob quam rem Soldanus (quòd ei de inimicitia Pontificis Imperatorisq; constabat) comparato ingenti milite, fortissimoq; exercitu, Christianos Nili exerescentia, nostris insolita, adjuvante, eò pepulit, ut pacem inirent, ea conditione, ut relicta Damietta, captivis utriq; dimissis reddito à barbaris crucis ligno, Christianis Aconem Tyrumq; redire liceret. Damietta itaque barbaris reddita est, ipso natali Beatæ Mariæ Virginis, cum eam in ejuldem celebritate purificationis bello cepissent. anno salutis M. CC. XXI. quo quidem anno Tartari gens Scythica usq; ad Sarmatas pervenere. Tum Fridericus ducta in uxorem filia Joannis Hierosolymitani Regis, qui cum Christianis in Italiam venerat; cum nihil in Asia moliri auderent, promulgatoq; Henrico filio Alemanniæ Rege, omnibus statim cruce signatis mandavit, ut ad certam diem Brundisii cum armis adessent. Convenit eò magna Germanorum multitudo, quorum de numero multitudine perierunt, præcipue Landgravius Hassiæ: Tum *Fridericus in Cyprum usque navigans, Aconem tandem pervenit, nunciis rogans Pontificem, ut se absolveret anathemate, quoniam in ejus potestate deinceps semper sit mansurus.* Verum Pontifex non solum eum non absolvit, sed & Johannem Hierosolymitanum Regem, in Friderici Præfectura Rainaldum, cum magnis copiis mittit, tum Cardinalem Columnam in Sancti Germani Præfectum, Friderici auspiciis militantem, concitavit. Quibus rebus moti qui in Umbria & Piceniibus Friderico militabant, relictis quæ occupaverant, in Regnum redeunt. Interea *Fridericus belli Asiatici cupidus, in Italiam rediit cum Gregorio IX. Pontifice in gratiam rediturus, quam tandem agrè obtinuit, uncis auri centum & viginti milibus Ecclesiæ, ob illata damna, persolutis.* Deinde *cum Romani non satis Pontifici obedientes forent, legemq; rogassent, ut oppida Ecclesiæ juxta urbem posita, Romanis vectigal penderent, neq; monitis castigationibusq; Pontificis ad sanitatem reduci possent, Fridericus Reatæ Pontificem convenit, cumq; eo in hanc sententiam consensit, ut primo quoq; tempore conjunctis copiis Romanos adorirentur.* Abeunte deinde Friderico in Germaniam, Germani milites ad Pontificem confluerunt tanta multitudine, ut Romani nequa-

nequaquam ausi fuerint aperto Marte cum Ecclesie populo congregari. *Recuperavit tum Gregorius Pontifex Germano milite patrimonium Sancti Petri, Sabinumque agrum.* Ea tempestate *Ecelinus Patavinus* (cujus avus Teutonicus sub Othone copias duxerat) acceptis à Friderico militibus, *magnam sibi in transpadana Italia potentiam comparavit*, in suam potestatem redactis Tarvisio, Patavio, Vincentia, Verona, Brixia. Tum Fridericus in Italiam rediens, Mediolanenses sociasque civitates apud novam curtem (ita enim locus appellatur ubi pugnatum est) aggressus, ingenti clade luperat trucidatque. Tum *Fridericus iterum à Pontifice imperio privatus, in Venetos movet*, qui Pontificis partes tuebantur: *Eos tum, veluti ranas, paludibus conclusos, vehementer oppressit, maximisque calamitatibus afflixit.*

CAP. XXXVI.

De Guelphis & Gibellinis.

Interim verò *conspirantibus omnibus transpadanis civitatibus*, Duce Gregorio de Monte longo, Bononiensis civitatis Legato, anno salutis M. CC. XL. Imperator, qui tum Pisis erat, cum non satis sibi constaret, qui partes suas, qui ve Pontificis sequerentur, civitates Italicas in duas factiones tum primum divisit, nam qui Pontifici favebant, *Guelphi*, qui verò Imperatori *Gibellini* appellati sunt. Hæc quidem duarum factionum nomina, bella plusquam civilia Italiae pepererunt, primum apud Pistorienses audita sunt, cum Cancellarii Pansaticos Gibellinos ab urbe ejecissent, cumque alteri factioni, Guelphorum alteri Gibellinorum, Teutonici fratres faverent. Florentini præterea Nobiles suos, Pisanis, Gibellinarum partium, faventes, in exilium eieciunt, pelluntur & Guelphi ab Aretinis Senensibusque. Tanti constat Italiam ab Imperio Germanorum Romanoque descivisse. *Fridericus* deinde in Samnites movet, Beneventum vi cepit diripitque, ac mœnia circumquaque evertit, Soramque quondam Samnitium civitatem, ad Lirim fluvium sitam ferro flammaque vastat, Ravennam in potestatem suam denique redegit. Tum Picenum percurrens in Flaminiam usque Faventiam & Bononiam aliquantulum resistentem vi occupat, *schola eorum Patavium translata.* Cum Fridericus suis suarumque partium cognitis, omnibus eorum, qui aut diversarum censebantur partium, aut qui neutris consentire vellent, expugnata oppida locaque populatis est. Accepit tamen in suam potestatem Fulginates, Viterbiensesque, quos statim secuti sunt eò filio Encio cum parte copiarum misso, Ortam, Tuscianum, Cornetam, ac Montem Faliscum inhabitantes, qui corruptè Montefalconenses. Defecissent tamen Romani, si celerius Fridericus urbi copias admovisset. Tum Pontifex humanis destitutus auxiliis, ad rem Divinam supplicationesque animum divertit, quibus (Deo agente) Fridericum avertit hostem. Movet deinde in Campanos, Beneventum vi captum vastans, diripiendum militibus concessit. Tum delatus in Picentes Asculum obsedit. Inde in Romandolos ducens, Encium Sardinia Regem filium agitandis sibi de Piceno, adversantibus subigendisque dimisit, à quo adolescente Patri similimo, direptiones, incendia vastitatesque sunt commissæ, & quicquid resistere ausum est, ad calamitatem maximam est perductum. At Fridericus statim Ravennam populo frequentem ditissimamque tum diu Imperio rebellem subegit.

CAP. XXXVII.

De Obsidione Parmae à Friderico Secundo deo, Encio filio & Innocentio Quarto.

Mortuis demum Gregorio Pontifice Celestinoque successore, vacat tum sedes XXI. mensibus, detinebantur enim multi Cardinalium à Friderico, quæ res Comitibus distulit. Valuit tum apud Fridericum Baldvinus precibus autoritateque, ut Cardinales aliosque Ecclesiasticos, quos captivos detinebat, dimitteret incolumes, qui statim Anagninae conventum habuere, in quo *Innocentius* patria Genuensis, familia Flisca, ex Lavanis Comitibus, Pontifex creatur, qui cum Friderico antea aliquando familiarissime vixerat, multisque beneficiis eam familiam affecerat Fridericus. At Pontifex *beneficiorum immemor, vel, ut verius dicam, potentatus avidior, mutato cum fortuna animo, acerrimus Friderico hostis effectus est*: quod divinae se Fridericum ferunt, cum nuncii Friderici exaltationem familiarissimi ex Cardinalium cœtu denuncia- rent. Instabat tum annus M. CC. XLVI. salutis nostræ. Pontifex in Galliam proficiscitur, Concilium Lugduni celebraturus, quod contra Fridericum indixerat. Seduxit tum Pontifex amicos consanguineosque suos à Friderico, clam monitos, ut vel nudi ad Placentiam commigrarent. Quod quam primum est factum, *sententiam excommunicationis in Fridericum, depositionis privationisque, pronunciat, omnibus juramento absolutis, quo illi tenerentur, potestate Electoribus tradita, alium, quem vellent, Principem deligendi.* Quo nunciato Fridericus Pontificis necessariorum ædes Parmæ, & villas speciosissimas funditus evertit. Inito deinde foedere cum Duce Burgundia, proficisci Lugdunum statuit, motique Parma, comitatum ducens non armatorum magis quam togatorum, qualem quantumque post stantis Romani Imperii tempora, nullus aut domi habuerat, aut itinere duxerat Imperator. Dimissa igitur Italicarum rerum administratione, Encio filio, ea in juncta conditione, ut sese apud Parmam continens, quæcunque remotius ingruerent, gerenda per Legatos administraret: Pervenerat jam ad Taurinos Fridericus, cum ei nunciatum est extorres Parmensium (Imperato Henrico quem Parmæ Encius præfecerat, cum ipse contra quam à Patre in mandatis habuit, in Brixianos movisset) Parmam ingreos urbeque potitos esse. Hanc ob rem Fridericus timens cæterarum urbium rebellionem (omisso itinere) Parmam obsidere pergit, quam statim Pontifex misso eò Gregorio Montelongo sedis Apostolicæ Legato (quem Innocentius Pontifex Aquilensi Patriarchatu ornatum apud Mediolanenses, Placentinosque jusserat permanere) Bononiensium, Ferrariensium, Reginorum, Mutinensium præfidiis munivit. Continuatum est postea per XI. annos bellum atrox variumque, & Lombardia omniq; Italiae perniciosissimū. *Fridericus* castra in urbis modū, vallo fossaque munitis, eo animo, ut direpta Parma, eo loco ubi stativa habuerat, *Victoriam urbem* conderet, inditumque est castris nomen *Victoriae*, sanctusque Victor martyr tutelaris, de more Christiano, in cathedrali Ecclesia nuncupatus est. Et fuit plane urbs *Victoria* (ut Blondi verbis utar) vario gentium & rerum gestarum commercio, ac multitudine frequentata, quod per singulos penè dies ex Africa, Mauritania, Asia, Ægypto, novi homines, nova veste, novis moribus sunt visi. Animalia etiam vidit urbs *Victoria*, quæ post theatrales stantes Romani Imperii

Iudos Italia non viderat, elephantes, dromedarios, pantheras, leones, pardos, lynces, & urfos albos, cum canestunc vidisse asserat noster Theologus, hinc magnitudine aspectuque horribili, inde extrema pusillitate. Aves quoque & rapaces & cicures Fredericus curavit, præter usitatas in Italia multas, in quibus falcones, chiluonesque astures & girfalchi albi, & quod eam decuit Majestatem Imperialem, immensæ magnitudinis *barbati bubones* tuere perspicui. Hæc Blondus. Velim ego has copias tum Pontificis, tum Friderici, in Tartaros conversas fuisse, qui anno antè tertio in exercitum coacti in numerum, bipartito agmine in Asiam Europamque descenderant, & qui in Asiam duxere, Georgianam Thamithanorum olim Regionem primum, post superiorem Armeniam pervagantur, Iconium usque Turcorum Regiam pervenere. Alia manus Duce Batone Poloniam & Hungariam excursio nibus populati, ad Mare Ponticum deflexerunt, ubi Russiam sive Rutheniam & Garam amplissimas Regiones vastitate maxima afflixere. Eodem quoque tempore *Grossonii* gens Arabica Soldano Babylonis impellente, *Templarios Hospitalariosque* aggressi eos *fundunt, ac Hierosolymam facile capiunt*, moenibus carentem, Christianos, qui tum in ea erant, trucidant, sepulchrum Christi quovis genere turpitudinis fœdantes.

CAP. XXXVIII.

De Henrico Thuringæ contra Fridericum Innocentii auctoritate electo.

ET ne in Germaniæ res quietæ essent, *Electores Imperii Innocentii auctoritate innixi Henricum Landgravium Thuringiæ, Alamannorum Romanorumque Regem designant, & Conradus adolescens Alemanniæ Rex à Friderico genitore pridem institutus, Thuringum Regni ingressu, & possessione prohibet, sed prædicata in Conradum Fridericique fautores, jubente Pontifice, crucis signatio multos in novi Regis Landgravii præsidia fautoresque, concivit. Brevitamen Landgravius victus apud Francofurdiam fugatusque mortuus est. Postea cum Fridericus Parmæ vi expugnandæ spem abjecisset, famè illam in deditionem cogere est annexus, tandem anno obsidionis XI. propè exacto, Gregorius Montelongus cum præsidio sociarum civitatum eruptione facta, Fridericum nil tale metuentem fundit fugatque castrisque exiit. Reparavit tum brevi exercitum in Hetruria movens: Encio filio cum parte copiarum Faventiz relicto, ut Ravennam proximaque in potestate retineret. Nam Forlivientes, Ariminenses, Urbinates ac totum Picenum Friderico parebant: in Umbria præterea defecerant omnes à Pontifice præter Tudertinos, Perusinos, Asinates, Etruria pariter tota præter Florentinos, quorum major pars factionis Guelphæ, quos certè adeò bello Fridericus vexavit, ut tandem eos coegerit Guelphos ex urbe pellerè, sinereque factionem Gibellinam rerum potiri. Ejecti, pars in exilium abiit, pars vaga & dispersa in Friderici potestatem redacta est, pars in qua Nobilitas præcipua fuit, Comitem Rudolphum de Ursaria & Reynerium Bondelmontem secuta, concessit in Ursariam. Quos insecutus est Fridericus, & castello vi capto Rudolphus in aqua enectus, Reynerius cum Nobilibus quibuscumque exceptatus, & sub custodia in Apuliam relegatus est. Statimque Fridericus Panormi mortuus est, ad eum diem, quæ dici respondet, in qua secundo ante tricenisimo anno Romanorum Imperator fuerat designatus.*

CAP. XXXIX.

De laudibus Friderici secundi.

Fuit Fridericus ille secundus potentissimus Imperator, Italiæ, Siciliæ, Sardinia, Hierosolymæ, & Sueviæ Rex, quo nullus potentior Romanum tenuit Imperium à Carolo Magnò, fuit armorum strenuus, linguarum peritus, fuit vir haud dubie dignus omnibus bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Haud dubio illa ætate, qua nulla virorum fortium feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magnis innixa fides Christi stare potuisset, si arma quæ in Italos debacchata sunt, in res Asiaticas versa fuissent. Sed nescio quo malo fato actum sit, ut *rebelliones Isalorum toties Christiana Respublica nocuerint nocentque.* Conferamus cum Friderico Hannibalem Pœnum, qui sedecim annorum possessione Italiam tenuit. Hic noster Germanus duplum supergressus, non à patria (ut ille bello) avocatus, quæ sub Conradi filii præsidio tuta fuit, Patris auspiciis militantis, sed morte surreptus. Quid de Alexandro Macedonum Rege? dixerimne eum Friderico superiorem? nequaquam, cui cum Dario res fuit, quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum ornatum, fortunæ suæ apparatibus prædam potius quàm hostem incruentus devicit, longè alius Italiæ quam Indiæ situs est. Apulizæ Lucanizque montes ac Apennini saltus, non adeò citam victoriam Pelleo juveni præstitissent. Quid de Atheniensibus, Lacedæmonis, Thebanis? qui separatim in Græcia rerum potiti sunt, dicemus: suntne Germanis, Friderico Duce, comparandi? qui contentionibus potius ac dissidiis inter se certasse dicentur, quàm ob Principatum in posterum descensurum bella gessisse. Quidam enim ex Græcis in Siciliam profecti ob alterius spem Imperii, victoria caruere. *Græcorum quippe potentia etsi maximis conflictata præliis, nunquam ultra Græciæm firmiter progressa est*, verùm potentes duntaxat exitere inter se liberos aliquandiu, & invictos se prætando. Fridericus igitur toties Italis deficientibus debellatis, Guelphis factiosis totiens devictis, omnibus bellis vix unam alteramque fortunæ adversitatem perpeffus, victoriosissimus Imperator vita functus est (quem multo post tempore, nec mortuum quidem creditum est, cui si arma in Christi hostes ferre Itali impedimento non fuissent, sique minus Pontifices invalisset, jure maximè Imperatoris nomen apud Asiaticas gentes obtinuisset, immortalique gloria dignissimus censeretur.

CAP. XL.

De filiis Friderici Secundi, & Manfredi filio ejus ex nobili concubina genito.

RELiquit autem Fridericus tantæ gloriæ successores, Manfredum filium acerrimi ingenii ingentisque spiritus adolescentem, forma speciosissimum & literis exornatum, quem non minus ipse diligebat, quam si eum ex legitimo matrimonio suscepisset, fuit enim *ex nobili concubina* progenitus, voluit autem eundem partem suam habere, in qua vitam virtute suâ dignam daceret, Tarentinum eum Principem instituens, multis illi oppidis & castellis additis, quæ Principatus titulo prius non continebantur. Ad Conradum enim legitimo matrimonio editum, quem ex Jole Joannis Hierosolymitani Regis filia succiperat, Regnorum potentatusque omnis successio devolvebatur.

Qui

Qui primo quoque tempore Ecelini de Romano amicitia fretus, in Italiam Veronam venit, traductoque in Apuliam exercitu amplissimo paratissimoque, Neapolitanos primo per Oratores aggressus est, eos ad deditionem compellans. Laesa enim Majestatis eos reos arguit. Cumque legitimam defensionem adversus ambitionem Manfredi, non rebellionem, adversus legitimum Friderici successorem quasitam, ostenturos minime audire vellent, eos obsedit, fameque ad deditionem nono mense obsidionis compulit, murum urbis evertit, tum meliores quasque urbis ædes. Inde in Capuam conversus, quæ Neapolitanis ante ipsius in Italiam adventum favorat, eam quoque muro diruto diripi fecit, pariter Aquinum nobile oppidum vi captum spoliatumque incendit, tandem secundo quo advenerat anno, omni potius Trinacria & Sicilia Regno, obiit. Testamento autem Conradus Conradinum ex fratre Henrico nepotem Regnorum instituit hæredem, datis illi ex Germania tutoribus, quibus Regni Siciliae administratio demandatur. Fuitque is Henricus, quem ex Constantia Regis Castellæ sorore, uxore sua, Fridericus susceptum in carcere interfecit. Manfredus vir vigilantissimi ingenii tres potentissimas Italiæ Provincias, Etruriam, Galliam Cisalpinam, & Transpadanam, mortuo Friderico in suis partibus retinere summa diligentia annisus est, adeoque id egit, ut plus in illis certo tempore, quam in Neapolitano tanto Siciliae Regno potuerit. Nam post Friderici mortem factio Guelpha, Florentia in libertatem vendicata, omnibus Gibellinarum partium ejectis, cæteras Etruriæ civitates, Senenses, Pistorienses, Aretinos, Pisanos eò perpulere, ut concivibus Gibellinis expulsi, fœderibusque factis pepigerint, illicitum esse alterius partis extorres fovere, ob quam rem cum Senenses, tum Florentinos, qui eos fœderum fractores dixerant, statim misit. Quibus copiis Senenses, extorresque Florentini cum adversæ factionis copiis congressi, *Guelphos tanta clade vicere*, ut ordines relinquere coacti sint: post ingentemque fugam, deditionem fecere, *ingenti Guelphorum cade facta*, quamvis ex Germanis plerique desiderati, tamen *quatuor milia captivorum, cum Carroccio spoliis signisq; militaribus Senas fuerint perducti*. Qui prælio superati in patriam reversi sunt, magnam animorum conservationem Etruriæ Guelphis fecere, sed apud Florentinos maximam, quibus nec extorres expectandi consilium, nec urbem defendendi spes erat. Itaque undecimo post pugnam die, quam Septembris 16. anni salutis M.CC.LX. fuisse constat, omnes Florentini Guelpharum sectatores partium, pars Lucam, pars Bononiam migrare, urbemque Florentinam pacis habitatam venientes, Jordanus extorresque patente porta ingressi, in Manfredi dominatum subjectionemque ceperunt. Qua item tempestate Octavianus Cardinalis gente Ubaldinus re: Neapolitana & illius administratione Manfredi relicta, ad Pontificem Alexandrum Viterbii agentem, est reversus. Cujus Pontificatus nihil felicius vidit, quam Ecelini Albricique fratris excidium, quibus mortuis proditorieque trucidatis, Cisalpini libertatem sunt secuti, quam tamen ægre retinere, Gibellinis factionem Guelpham ubique opprimentibus. *Redegit tum Manfredum pene omnem Tusciam Piceniamq; agrum in suam potestatem*, Jordano & Guidone novello egregiis suarum copiarum ductoribus. Tandem Manfredus acerrima pu-

gna cum Carolo Andegavensi, quem Urbanus Pontifex Siciliae Regem dixerat, decertans, ab Italis in secunda acie desidentibus derelictus, strenue pugnans oppressus est. Mortuo itaque Manfredi, *Gibellinis Duce carentes, Conradinum, Friderici nepotem, avitum Regnum Imperiumque repetiturum, in Italiam vocant*. Qui cum aliquandiu Veronæ defedisset, interim Carolus Bonicio deditione ab oppidanis facta, potitus in Pisanos duxit, & populationibus incendiisque lævè commissis, castella aliquot expugnata diripuit, turresque communientes Pisanum portum dirutas solo æquavit, *majora perpetraturum nuncii in Regnum revocarunt*. Fridericus Hispanus namque omni penè Sicilia (Panormo, Syracusis & Messana duntaxat exceptis) pro Conradino potitus erat, Quam primum verò Carolum movere, ut se in Regnum reciperet, est inspectum: Senenses omnium primi post Pisam, deinde Romanus Senator Conradinum nunciis ad iter ineundum epistolisque compulerunt, qui per Papiam in Liguriam movens, Pisana classe Pisas deductus, confluentibus undique Gibellinis exercitum in Lucenses exposuit, vallitatem & incendia undique committens, tandem juxta Aretium cum Marefcallo (ita enim *Galli copiarum Ducem dicunt*) congressus est Conradinus, ubi facta in Guelphis *Marefcallum comitantibus, ac Gallico milite ingenti cade, Marefcallus quoque suis copiis omnino superatis occubuit*. Confluxerunt per id tempus ad Conradinum alii à Lombardis Romaniolis Etruscisque Gibellini, major militum pars ea, quam à Germania eduxerat. Nec fuit tunc dubium, quin si moram ibi vel parvam fecisset, Conradinus Aretio primum, post omni Etruria fuerit potiturus. Victoria potita deflexit Senas Conradinus, aliquot ibi moratus dies, inderecta in Viterbienses campos quartis castris se contulit. Propinquant Romæ Conradino, Senator Henricus pompam educens, Imperatoribus introducendis adhiberi solitam, illum ad pontem Milvium excepit, selectique ex omni ordine & dignitate Primores quique Romani, Conradinum circumfusi in equo sedentem pedibus sunt secuti, & præcedens ac subsequens longo & composito agmine populus in Capitolium usque deduxit. Movet Deinde magnis à Senatore acceptis copiis per Tyburtinos in olim Equiculorum, nunc Tallacotii montes, & inde in Marforum campestria pervenit exercitus. Congressus itaque (eò loco prius insidiis à Carolo occupato) Conradinus ex victore victus, cum Austriæ Duce fuga elapsus est, *dum enim nostri post victoriam avidius spolia legunt, ab hoste ex insidiis prodeunte sternuntur, fugantur, dissipanturq;*. Octava post die Conradinus Austriæque Dux recogniti ad Carolum perducti, publico judicio capitibus resectis interfecti sunt. Hunc finem Rex Suevorum in Italia habuit. Commissum est hoc prælium V. Kalendas Septembris, Anno salutis nostræ M.CCLXVIII. Gloriosissimi magnificentissimique Sueviæ Duces divino & occulto judicio, miserabilem hunc exitum sensere. Poterat gloriam & magnificentiam Illustrissimæ domus, sua virtute resuscitavisse Eberhardus, quem Barbatum vocabant, multis post annis Teccensis & Württembergensis Dux, in Regione Suevorum à Maximiliano Rege nostro apud Vangiones institutus, sidiutius illi vivere cõtigisset: sed fata (ne Germanorum gloria altius emergeret) huic è medio

sustulerunt. De Virtute hujus Principis non multa loquor, quia Marsilius Ficinus maxime ætate nostra Platonice, in epistolari volumine hunc Eberhardum speciosissimis laudibus, non minus verè quàm graviter & eruditè exornat.

CAP. XLI.

De Rudolpho de Habisburgo Romanorum Imperatore.

Cumque res Germanica post Friderici filiorumque ejus interitum, diutius sine Rege certo fuisset, tandem Gregorio X. Pontifice, Lugduni concilium celebrante, *Rudolphus Comes de Habisburgo, Alsatia superioris Landgravius, ab Electoribus in Regem Romanorum electus est.* Qui statim accepta de more Aquisgrani corona, Principis in sua verba iurare coëgit, collectoque ingenti exercitu, *in Otocarum Bohemorum Regem movet*, qui inter Bohemiarum Reges quintus Wenceslao fratre defuncto Regnum acceperat. Fuit autem Otocarus suapte natura vir belli appetens, & cui ad res gerendas magnus esset animus: extenditque Regnum à mari Baltheo (quod Sarmatici Germanicique Oceani sinus est) usque ad Danubium, & ad internum mare, quod Adriaticum dicimus. Nupserat Otocaro Margarita Friderici Austriæ Ducis soror, quæ prius Henrico Friderici II. filio nupta fuit, quo mortuo sine sobole, in patriam reversa, fratri superstes Austriæ Duci sine liberis vita functo, in hæreditatem successit. Principatum igitur Austriæ consecutus *Otocarus* (more humano) *quo plura possedit, eò majora concupivit.* Ulricus eo tempore Carinthorum Principatum tenebat, qui cum virili prole careret, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclavonicam, & Portum Naonis pecunia accepta tradidit. Tum Veronenses, Feltrini, Tarvisini, & multi Forlivienses, sese Otocaro submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoque prælio victor Stiriam Provinciam illis ademit. *Rudolphus repetitis provinciis tanquam juris Imperii, cum Austria nequaquam muliere feudum* (ut dicunt) *esset, nec Ulricus injussu Cesaris Provinciam venundare potuisset:* cumque semel interventu amicorum res compositæ fuissent, ut acceptis datisque filiabus, affinitas utrinque jungeretur, provinciæ, de quibus lis esset, dotales fierent: *Rudolphus Austriam adeptus, Otocarum in verba sua jurare* (more majorum) *exposcit.* Indignatus autem Rex id à se postulari, ab eo præsertim qui Magister curiæ suæ fuisset, id superbo animo tulit, exortæ sunt rursus novæ lites, tandem Otocarus veritus Rudolphi potentiam, in verba sua juravit. Quod cum ægrius ei conjunx Kunigunda (quam, Margarita vivente, insolenter desponsaverat) sæpius objiceret, Rudolpho bellum indicit. Convenère exercitus in campis Austriæ juxta Danubium, atrox prællum dubio Marte commissum est, cum Bohemi multitudine ac robore, Suevi Alfatæque, quibus Rudolphus fidebat, ordine ac arte superiores essent, cecidere quàm plurimi ex utraque parte, major tamen Bohemorum strages, ad extremum Otocarus relictus à suis, dum fortiter pugnat, occiditur. *Assignat tunc Rudolphus Austria Ducatum Alberto filio, qui postea & in Imperio ei successit.* Bohemii devicti, Rudolphus in Helvetios movit, qui tunc Comitibus Sabaudia subditi erant, quibus

subjugatis in quendam PseudoFridericum arma dirigit, cui jam multi Principes civitatesque adhæserant. Constans enim fama fuit Fridericum mortuum minime fuisse, idèò in spem dominationis adipiscendæ, le quidam Fridericum simulaverat, quo devicto Nuffiaque igni consumpto, Principibus civitatibusque quæ PseudoFriderico faverant multatis, primo quoque tempore in Suevos tumultuantes, ob defectionem familiarum Ducum Sueviæ copiis ductis, *Eberhardum Württembergium reliquosque Dynastas ac Regulos Suevorum perdomuit.* Gessit tum multa bella, ob tumultum qui ferè tota Germania frequentissimus fuit. Credo equidem illis temporibus terribissimam factionum labem non solum Italiam, verum etiam Germaniam invalisse, quæ res sine bono Principe haud facile extirpari potest, qualem Rudolphum fuisse certum est. Fuit enim Pietate, Clementia, Religione, Humanitate, Modestia, Humilitate, insignis. *In Italiam non venit, quamvis Bononiam, amplissimam Italiae civitatem, totamque Flammianam Ecclesiam Romanam dederit, sed tumultuantes Guelphos per Lucinum Vicecomitem Imperii Vicarium, missis ad eum Germanis equitibus, bellis astrivit, tum misso ad Italiam Epistolario suarum Magistrorum, pacem civitatibus pecunia accepta tradidit, ut tamen Imperio fideles essent.* Statueratque bonus Rex, milites in Asiam mittere, obsessæ Ptolomaidæ opitulaturos; verum orta inter Christianos Principes, qui in ea civitate erant, discordia, quorum multi partim captatis abeundi causis, partim clandestina per noctem fuga, desertores effecti sunt, manserunt tamen ex Primoribus, Rex Cypri, Patriarcha Hierosolymæ, & Hospitalis Templariorumque Magistri, multitudine prius emissa, quam statim Rex Cypri perfidia usus, per fugam est consecutus, fuitque exemplo, ut omnes quibus navigiorum facultas esset, Ptolomaida emigrarent. Qui postea cum Patriarcha primum prospera usi navigatione, tandem sub ipsam Cyprum naufragio perièrè, eadem die qua Soldanus Ptolomaidam male defensam vi cepit, mortalibus in ea repertis ad unum cæsis, mœnibus inde & urbis parietibus passim solo æquatis, tum fundamentis ita confossis dissipatisque, ut nullum urbis, nullum post hac ædificii vestigium appareret, *annus erat salutis M. CCXC. quando reliquias amissimus victoria illius celeberrime, quam anno ante C. XCIV. Conradi Franci auspiciis & Virtute Christianorum expeditio inchoaverat.* Salvæ tamen manserunt Cypri insula & Armenia minor, prius Cilicia dicta, quæ ejusdem expeditionis occasione in Christianorum manus devenère. Moritur deinde Rudolphus anno quarto Nicolai Romani Pontificis ejusdem nominis IV. anno Regni sui XVIII, anno verò Christi M. CCLXXXI. Mense Julio in die divisionis Apostolorum, sicut & sepulchro suo in nobilissimo templo Spirensi inscriptum est: Vixit his temporibus *Albertus Magnus totius literaturæ absolutissimum decus, & quo majorem in Philosophia & literis sacris terrarum orbis non genuit, & qui Thomam illum Aquinatem tantum quantum est, effecit, extat celebris oratio, à Philippo Beroaldo, Præceptore tuo, Bononiæ habita, quum Rector Germanicus iniret Scholasticam Præfecturam, ubi Germanos à studiis literarum neque abhorrentes neque retorridos contendit, quod, ut reliquos, inquit, præteream, vel unus Albertus ab inane demonstrat, omnisfaria doctrina referissimus, qui merito Polyhistor & multisecus ac Aristoteles alter, lasine*

Latine loquens dici potest, Magnus vulgò nominatus à magnitudine (opinor) disciplinarum potius, quam Alemannus. Hic etiam Alberius cognomento Magnus, dum esset Ratisponensis Episcopus huc Argentinam venit, ac in Æde S. Petri Junioris, in qua tu Canonicus existis, aram quandam in honorem S. Columbe Virginis & Mariæ consecravisti manibus propriis, anno Christi M. CC. LXVIII. Præterea fuere & alij diversis tempestatibus etiam Germani Theologi præstantissimi, Thomas & Udalricus Argentinenses. Marcellus de Ingeln, Hugo de Slesfat Bonaventuræ sectator, & Johannes Theuonicus decretorum interpres elegantissimus, Præpositus Halberstatis obiit, anno M. CC. XLV. ibidem.

C A P. XLII.

De Adolpho de Nassau Romanorum Rege, deq; Baronibus de Rapolstein.

A Sumpus deinde est in speim Imperii que titulum, Adolphus Comes à Nassone, vulgò Nassau, qui statim exercitu comparato, in Colmarienses movet, qui Alberto Austriæ Duci, filio Rudolphi, favebant, quem adversum resistantemque Adolphus habuit, ob Tyrannidem in quam proclivis habebatur. Capto igitur per deditionem oppido, unà cum generoso Anselmo de Rapolstein oppidi Prætoris ac filio, ablatoq; dominio eorum, arces & castella Henrico fratri Anselmi tradidit. Nitebatur tum Adolphus Albertum à dominiis Ducatuque deturbare, cui forti animo atque acri restituit Albertus. Alfatum auxilio fretus, qui jam odium in Adolphum conceperant, ob avaritiam tyrannidemque. Nam quos Imperii Vicarios in Alsatia constituit, provinciam citra transque Rhenum flammis cædibusque lætere, tum Argentinam eorumque præsulam. Ob quas res Principes moti, Albertum Austria Ducem Regem delegere, Adolpho abrogato, iustiq; suffragiis deposito. Comparato igitur ingenti exercitu ex Austria, Danubioque trajecto, Albertus Moguntiam Germaniæ Metropolim pervenit, statimque in Adolphum movens, qui pari strenuitate, viribus collectis, ad eum tendebat, convenire tandem in Vangionibus in monte Hasenbühl propè agrum Spirentem, ubi prælio commisso Adolphus occubuit, cum ad medium dici dubio Marte incertaque victoria pugnatum fuisset, anno Domini M. CC. XCVIII, sexto nonas Julii, anno Regni sui VIII. Spire sepultus. Plures eo in prælio capti, inter quos & filius Adolphi, reliqui fuga sibi consulere. Verùm cum Albertum electionem de se factam minus legitimam estimaret, propter Treverensem Præsulem & Palatinum Comitem, (qui comitiis non interfuerant) juri suo renunciavit. Tum Electores communibus suffragiis eum elegere, coronatumque Aquilgrani tanquam legitimum Regem venerati sunt. Duxit deinde exercitum in Bohemos, quorum Regnum filio suo Rudolpho tradidit, dejecto Duce Carinthia Henrico, quem sibi Bohemi injussu Imperatoris Regem delegerant. Mortuo deinde Rudolpho anno Regni primo, Fridericum filium Albertus Bohemis Regem declarans, magnis copiis Bohemiam ingressus Regionem longè lateque afflixit; Henricum tamen dejicere non quivit, eò quod Gallis bellum illaturus esset, quorum Rex Philippus à Pontifice Bonifacio deservierat, Regnumq; Francia Alberti

Pontifex assignavit. Quibus bellis cum exercituo comparat, à Johanne fratris filio inter Rysam Arulanque Elvetiorum flumina Rheno proximus, anno Christi M. CCC. VIII. Kalendas Maji interficitur. Eoq; loci per Reginam Hungaria Monasterium Sanctimonialium Ordinis Sanctæ Clare constructum nomen retinet Regii campi. Alberti corpus juxta Patrem suum Rudolphum, in ornatissimo templo Spirensi sepelitur.

C A P. XLIII.

De Henrico Lucelburgio.

A Nno igitur M. CCC. VIII. Henricus ex Comitibus Lucenburghensium ad Imperium deligitur, quem Aquilgrani Principes corona & insulis decoravere. Qui statim præmissis in Italiam Oratoribus, & ad vicina Germaniæ propinqua alpebus loca, sciscitaturus, qui suas secuturi essent partes, comparatq; tribus ingentibus exercitibus, unum adversum Wirtenbergenses, sacro Imperio rebelles, quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis, quæ obtinebant, LXXII. expugnata ademisti. Alteram in Bohemiam ex Francis Orientalibus & Bavaris coactum, Duce Petro, Moguntino Archiepiscopo, misit, filio Johanni id quaesiturus, cui Elisabeth Wenceslai soror denuperat. Tertium, cui ipse præfuit, in Italiam movet Gibellinis auxilio futurus. Transgresso alpes Henrico Taurini populariter obviam facti, se & urbem ejus arbitrio permittere. Pariter paulo post fecere Altenses. Philippus Papiæ Comes, Simon Collubianus Vercellarum, Antonius Visceragus Laudæ urbium primarii cives vel potius Tyrannuli, Henrico occurrentes, datos ab eo Vicarios quisque in suam urbem excepere. Mediolanensium res tum in potestate Tyrannorum & Vicecomitum erat, qui de potentatu contendentes potius civitatem premebant, quam ut ipsi gubernarent, aut à populo gubernari permitterent. Mapeus igitur Vicecomes ad Lupoldum Austriæ Ducem, diu sibi notum, mittens, Henrico spem fecit urbis potiundæ, quorum conatibus cum Guido Turianus resisteret, Henricus pacis avidior quam belli, ab utrinque factionis capitibus urbem accepit in suam potestatem, imposito urbi præsidio, cui Leopoldus cum Germanis cohortibus præfuit. Orta deinde civium rebellionem, cum passim Germani scedè cæderentur, Dux introductis copiis, quæ in suburbiis confederant, Gibellinis auxilio fuit: ejectione Turiani Vercellas se contulerunt. Ad quem tumultum nonnulli Lombardiæ populi à promissa Henrico fide recefferunt, primique Cremonenses, in quos statim Henricus coactum exercitum duxit, cujus urbis Guelphi resistere diffisi, Brixiam cum uxoribus, pueris, & asportata levioire suppellectile emigrarunt. Cremona à Gibellinis deditæ, mœnia portasq; & Guelphorum domos Germani everterunt. Duxit paulo post in Brixiam Henricus, editaque est in agro omnium, quæ excindi, uri evertique potuerunt, vastitas. Fugientibus in montana Guelphis, urbs dedita murorum portarumq; munitiones amisit. Placentini, pulso Alberto Scotto, Guelphorum Duce Imperialem Vicarium admiserunt. Interea Veneti classem Henrico spondent, qua ad Regiones urbi Romæ vicinas transportaretur: Veronenses, Vicentini, Patavini, nec non Tarvisini Vicarios ab Henrico ad se missos acceperunt. Robertus interea Neapolitanorum Rex Marescallum suum in Etruriam misit, ut

uti Ferrarienses, Bononienſes, Florentinosque in Partibus conſervaret, at Henricus Genuenſium claſſe Savonenſiumque Piſas petiit, equitatu terra per Lucenſes præmiſſo, tum Romam à Pontifice miſſis, qui tum in Gallis habitabat, ob tumultum deinde patrium cum neutri ſtudioſus eſſet, Tybur migravit. Agentem Tybure Henricum, nuncii Friderici Aragonum Regis adierunt, cum quibus promiſſa apud Genuam ſœdera conſtituit, affinitatem quoque Regi Siculohoneſtiſſimam obtulit. Paulo poſt Tybure profectus Imperator, per Sabinos Umbrosque Peruſſium, & inde Aretium amiſſiſſimam tunc ſibi delatus, vallis Arni ſuperioris oppida & caſtella nemine reſiſtere auſo, cepit. Ductum eſt inde Florentiam, quibus Lucenſes, Miniatenſesque & Senenſes copias miſerant, à Bononienſibus Regis Roberti venerat equitatus. Obſidione igitur incurſionibusque vexatis Florentinis, Imperator hyme inſtante ad Caſſianum oppidum via Senenſi, octavo à Florentia milliario conſedit, & Præfecti ex Gibellinis duo, unus apud Scarpariam, alter alio loco, cum Germanorum copiis relictæ, capta de Florentinis ſervare, & ſimul urbem incurſionibus infeſtare curarunt, eoque Florentinos fame oppreſſos redegerunt, ut deditiõnem facere cogitarent. Contulit ſe deinde Piſas, ut Robertum Maieſtatis reum citaret, quem terno edicto citatum, nec comparentem, Regno privatum denunciavit. Interim tamen Lucenſes Miniatenſesque tantis affectis cladibus, ut Lucenſes amiſſis agri oppidis, apparuerit eo anno, ſimul cum Florentinis, in deditiõnem fuiſſe venturos. Acta igitur Piſis majori æſtatis parte, Imperator per Senenſem agrum ubique vaſtatum, contulit ſe Aretium, qua in urbe cum maximis honoribus ſuſceptus, Robertum Regem privatum Regno pronunciavit, quam tamen ſententiam Clemens in ſuis conſtitutionibus improbat, plus Imperatoris odio, quam jurisprudentia. Incidit tamen in ægritudinem Imperator, ex qua, ut convaleſceret conſulentibus Medicis ad *Macerati balnea* ſe contulit, à quibus multo imbecillior reſerſus Bonconventum, quod oppidum XII. à Senis milliario diſtat, obſidere pergit, ubi veneno intoxicatus moritur, novo, inaudito ac *ix* credibili auſu, quod niſi à Florentinis factum eſſet, nemo crederet, *miſſo equidem veneno in Euchariſtia, dum ſacra Chriſti communionem perfruiſſet. optimus Princeps, anima pabulum, vita vero exitum ſumpſit, ſubornato ad tam crudele veneficium, pollicitationibus & premiis Prædicatorum Ordinis Fratre quodam*, ut Ptolemæus Lucenſis ſcribit. At ne tanti Principis mors inulta maneret, quingenti equites Germani Henrico militare ſoliti, Hugucionem Fagiolanum Ducem ſecuti, Lucenſes agris mulctatos, pacem iniquis conditionibus à Fagiolano accipere coegerunt, ager namque Lucenſis Piſano eſt additus & Gibellini exules Albique in urbem ſunt reducti.

C A P. XLIV.

De Ludovico Quarto Bavariae & Friderico Austria in controversia electi.

Interim Principes Electores convenientes, duos in controversia delegerunt, Ludovicum Bavariae, nepotem ex filia Rudolphi de Habsburg, & Fridericum Austriae Ducem. Qui Imperatores primò apud Franckfordiam congressi, Moeno fluvio diviſi ad pugnam non venerunt, comparato interim ingenti exercitu, Leopoldus Austriae Dux, fratri auxiliaturus, Ludovico ad Spiram occurrit, fugit Ludovicus, tandem con-

junctis copiis, Leopoldus cum fratre Friderico, in Suevia fugientem Ludovicum ſunt ſecuti, dubioque Marte certatum eſt apud Eſſelingam, multis utrinque deſideratis captisque, ut neutri victoria ceſſiſſe videatur. Secundò maximis copiis comparatis, ad Bruſcam Alſatiz fluvium convenère, qui fluvius Alſam pernobillem Argentinam ducit, ibique longius ſtativis collatis, prælium utrinque pepigere. Videns tum Fridericus Bavarum peditatu abundare, ſtatuit & ipſe equitibus equisque dimiſſis pedes pugnare, quo viſo ſtratagemate Ludovicus Bavarus in fugam verſus, in Bavariam ſe recepit. Tandem Ludovicus Fridericum (fratre Leopoldo abſente) aggreſſus vincit capitque, nihilo tamen minus Leopoldus Bavarum bello perſequitur, quo tandem Argentinæ defuncto, *Ludovicum Regno potitur*, victoriaque elatus pro Imperatore illico ſe geſſit, ardentibusque bellis diſſidiisque *Italia civitatibus Vicarios Imperatorio eis nomine impoſuit*. Primumque Vicecomites Mattheum (alii Mapheum ſcribunt) Galeatiumque, tum Marcum Luchinum Johannem & Stephanum ejus filios ita fovit, ut Mediolano potiti ſint, idque eo fecit, què facilius Romam profecturus coronam auream acciperet. Sub idem ſerè tempus Robertus Rex Genua Savonaque, partis Guelphe opera, potitus, ad Johannem XXII. Pontificem in Gallias ſe contulit, ſuadente tum Pontifice, Carolum Regis Franciæ Philippi filium in Italiam cum copiis miſit, Guelpis Lombardiz Vercellis apud Guidonem de turre congregatis, auxilio affuturum. Ingreſſus Vercellas Carolus dominium urbis (quod tamen parvo tempore retinuit) accepit. Coactis enim ſtatim Gibellini auxiliariſus Ludovici copiis, quæ cum Galeatio militabant. Vercellas arcta obſidione cingunt, ut Guelpi ſtatim commeatuſ inopia, poſt fame compulſi, urbem ſimul cum Gallis emigraverint, quam Galeanus dominio ſuo ſubegit, victis deinde ingenti pugna Florentinis per Accium filium Caltruttii Lucenſis auſpiciis militanter, qui tum in Etruria Imperatoris partes fovebat. Et quo Italia turbatior eſſet, Johannes Pontifex Johannem Urſinum Cardinalem in Italiam legavit, cui factionis Guelphe gratiam multos favores ſperavit allaturam. Poſtquam igitur Legatus in Italiam venerat, ſtatim Guelpos extollere & fovere, ac Gibellinos opprimere anniſus eſt. Unde Gibellinæ factionis Principes, Ludovicum precibus pollicitationibusque victum in Italiam deſcendere coegerunt. Qui ſuperatis alpiſus, aliquamdiu Tridenti ſubſtitit, deinde Brixiam, tum Mediolanum pervenit. Ubi *civibus libertate donata permittit, ut XXIV. ex omni populo creatam, Republicam adminiſtratioſ relinquereſtur, quibus ipſe Præſidem addidit, ea ſolummodo Imperatoria autoritate geſturum, ad que externi Magiſtratus (quos Potestates dicunt) conſueverunt in liberis civitatibus deputari*. Placatis tum Principum animis, ab eo paululum alienatis, ob Galeatium ac filios, quos ob tyrannidem in carcerem conſecit, in Etruriam iter ingreſſus, à Caſtruccio Lucae honoribus ſummis exceptus, Imperatoribus exhiberi ſolitis, ſtatim in Piſanos movens urbem dominio potitus eſt. Commoratus Piſis duos ſerè menſes Ludovicus, Romam iturus, per maritimam tetendit oram, cumque Viterbium perveniſſet cum Germanis Caltruciique militibus, Carolus ſtatim Florentia relictæ, & ipſe cū copiis profectus ad genitoris Regniq; præſidia feſtinavit. At Ludovicus à Populo Romano ingenti honore exultantiq; favore ſuſceptus, coronationis pompam tamdiu diſtulit, quoad Proceres & ur-

urbium Italicatum Primores, qui continuè con-
 uehant, omnes aduenissent, quoadve pompa pridem
 ad omnia templa urbisque Basilicas destinata, & ad
 eius accessum inchoata, die præfixa quiesceret. Quo
 die Kalendas Junii nona, Stephanus senior Columna
 iussu Cleri & populi corona illum insigniuit. Ag-
 gressus tum rem haud tanto Principe congruam, in-
 uolantibus Romanis (qui ægrè Pontificis absentiam
 ferrebant) Petrum Corbariensem Ordinis Minorum
 præter crexit in Antipapam, ob quam rem à Johanne
 Pontifice, qui eum excommunicauerat, depositus, re-
 dit in Germaniam copiis Germanicis, quæ ab eo de-
 fecerant, sub Marco Vicecomite relictis. Post Ludovi-
 ci reditum in Germaniam, Philippo Franciæ Rege
 hortante Johannes Bohemæ Rex Henrici Lutzel-
 burgensis filius (quem apud Bonconuentum ostendi-
 mus obiisse) ad Pontificem misit, sequestrum se exhi-
 bens, ut Bavarus Ecclesiæ reconciliatus, juri quod in
 Imperii electione prætenderet, renunciaret, alterque
 Henricus, & ipse Dux Baviaræ Imperator ordine crea-
 retur. Ludovicum enim Bohemus suo suffragio ele-
 gisse, ideoque propensior in hanc Bavarorum fami-
 liam fuit. Interim Florentini potiundi Luca aviditate
 flagrantes, eam obsedere, qua breui fuerant poti-
 undi, nisi nova Italiæ Germanica turba incubisset.
 Johannes enim Bohemus Rex à Brixianis accersitus
 Gibellinis, in Italiam veniens, eam urbem vi cepit;
 Bergomumque tum Spinulæ Genuensi Viro Nobili
 illustissimo, qui Lucam à Germanis emerat, duo mil-
 lia equitum, peditum paulò minus immisit, solutaquæ
 obsidione, Florentinus ager populationibus &
 incendiis est fœdatus. Parma, Regium, Mutina, Re-
 gium Bohemæ Dominium eligentes, sese illi, missis O-
 ratibus, dederunt. Mutataque est exinde rerum
 Italia conditio, ut quibus Pontifex Romanus Rex
 que Bohemus aduerlarentur, Robertus Rex Florenti-
 nusque, nullo Guelphi Gibelliniq; nominis discrimi-
 ne lacerent. Qua de re fœdus inière, *Vicecomes Ma-
 stinus Scaliger Veronensis, Philippus Gonzaga Man-
 tuanus, Carraria Patavinus, Estensis Ferrariensisq;
 Roberto Neapolitano & Florentino.* Quo fœdere
 Johannes permotus Carolo filio cum copiis Parmæ,
 Regii & Mutinæ urbium custodiæ relicto, in Ger-
 maniam se contulit, majores copias & tantis necessa-
 riis armamentis contracturus. Interea Manfredus Pius,
 Caroli Dominus, inita cum Carolo societate, Elten-
 sium aggressi ad Felicianum, fundunt, fugantque. In ea
 pugna exercitus pugna, octingentos ex Ferrariensibus
 milites constat, captorum numerus ingens, in quibus
 præstantiores, Nicolaus Reinaldi Marchionis, frater,
 Theodobaldus de Castabilis, & Jacobus de Ageriis,
 & alique cives Ferrariensis Nobilitatis primores.
 Interim cum Equitatu, quem in Germania comparauit
 reuertens, eoq; Parmæ relicto, Bononiam ad Le-
 gatum se contulit, eique assistentes Brixia Bergo-
 mique ab eo descivere. Tum Accius Viceco-
 mite Lanianum ingressus, arcem oppugnat, Præfectum
 Regis deiecit. Tum Rex in agrum Mediolanensem
 conuersus, magnam edidit vastitatem, vixque Par-
 mam redire potuerat, cum Lucæ civitatis audit rebel-
 lionem, quibus populorum levitibus perpensis, in
 Germaniam rediit, Italicos factiones peritissus. Interim
 Pontifex Benedictus prudenti (ut sibi apparuit) con-
 silio, sed pessimo in posteros exemplo, Tyrannos &
 Lombardiæ Primores Principes legitimos confirma-
 vit. Lucino enim Vicecomiti & Johanni Germano

fratri, quem Mediolanensem Archiepiscopum insti-
 tuit, Vicariatum Mediolani autoritate Apostolica ar-
 tribuit, pari modo Mastinus Scaliger Veronæ & Vin-
 centiæ, Philippus Gonzaga Mantuæ & Regii, Alber-
 tinus Carrariensis Patavii, Estenses Ferrariæ, Mutinæ
 & Argentæ Vicariatus Apostolica autoritate recepe-
 runt. Ludovicus ut par pari (ut ajunt) referret, in di-
 ctione Ecclesiastica multos vicarios autoritate Imperi-
 ali confirmavit. Johannem de Vico Urbis Præse-
 ctum Viterbii, Galeotum Malatestam & Fratres Ari-
 mini, Pisauri, Fanique Ferretanum Urbini, Nolphum
 & Galeatum fratres, Callii: Alegretum Clavellum
 Fabriani, Bulgarutium Marelicæ, Immedutium S. Seve-
 rini, Gentilem Varraneum Camerini, Michaëlem
 montis Milonis, Pangonum Cingoli, Nicolaum Bos-
 scaretum Esii, Guidonem Polentensem Ravennæ,
 Franciscum & Sinebaldum Ordelaphos & Forlivii &
 Cesenæ, Johannem Manfredum Faventiæ. Fuit Lu-
 dovicus suapte natura, quieti animi, vir comis, blandus
 ac perbenignus, quibus rebus Germanos obsequen-
 tiores habuit, quam alii armis habuere. Ideoque cum
 Pontifex Clemens VI. Carolum Johannis filium Cæ-
 sarem in Ludovici dedecus depressionemque decla-
 rasset, Ludovico tamen vivo ad Imperium pervenire
 non potuit, tribus etiam post mortem Ludovici suf-
 fectis, Eduardo Anglorum Rege, Marchione Milnia,
 & Gundhero Comite de Nigromonte.

CAP. XLV.

De Carolo Quarto.

PERVENIT tandem Carolus ad Imperium neutiquam
 Patri Avoque similis, plus enim Regno Bohemæ,
 quam Imperio per eum consultum est. Wenceslaum fili-
 um ignavissimum, obligatis Imperii publicis vestigali-
 bus, Cæsarem fecit. XV. agentem annum. Sub hoc se-
 corde stulto Rege, velana Hæsiarum hæresis, avorum
 nostrorum ætate brum habuit, quæ multis malis Ger-
 manos circum Bohemiam habitantes afflixit, quæ alti-
 nam ex inferiori Germania non tandem ad superio-
 rem seipat & penetrat. Libet in superiorum Principum
 gloriam decusque magnificum, ejus ætatis Viri
 disertissimi omniumque bonarum artium instaurato-
 ris Francisci Petrarchæ epistolæ cujusdam verba recit-
 tare, in qua Nerio Forlivientis sic scribit. *Omnia pa-
 reslas impatiens consortis eras, cuius rei si quæ antiqua
 non sufficerent, vereor, ne recens nobis exemplum casus
 attulerit, neu jam Pontifex Romanus, Principem Ro-
 manum Romæ esse veterit, quod fama loquitur, quem
 nunc Diademate contentum ac Imperii titulo Romanum
 non solum patitur, sed jubet, eum quem dici Imperatorem
 sinit, imperare nullo modo siturus est.* Ad ipsum vero
 Carolum Petrarcha sic dicit. *Nescio quid Romano
 Pontifici pollicens, jurejurando interposito, quasi muro
 valido seu monte Junio Romanae urbis aditu prohiberis,
 Quanam ista superbia est Principem Romanum pu-
 blicæ libertatis autorem, libertate privare, ut quæ esse
 debent omnia, ipse non sit surus?* Innocentius enim
 Pontifex Carolum anno sui Pontificatus 4. per duos
 Cardinales ad eam rem missos, ea conditione coro-
 nari permisit: ut neque Romæ neque in Italia diutius
 moraretur. Sub hoc Carolo multa mala perpessa est
 Allatia ab Anglis, qui devictis Franciæ populis, ingenti
 prælio, in quo Johannes Bohemus Caroli Patris
 occisus fuerat, Italiam petiere, anno
 salutis M. CCC. LXV.

CAP. XLVI.

De Wenceslao ignavissimo & secerdissimo Rege.

Mortuo demum Carolo Bohemo Wenceslaus ejus filius, ignaviter Imperium potius occupavit, quam rex. Passus est n. Hussitarum heresin invalescere. Quam quidem perniciosissimam factionem sancta Romana Ecclesia, Papaliumque excellentia, & ceremoniarum Ecclesiasticarum contemptricem inde ortum sumpsisse reperio, quod Doctores & insignes Literatura Viri, in Pragensem Ecclesiam Cathedralam nullo pacto assumebantur. Ejusrei Aeneas Sylvius in Bohemorum Historia capite XXXV. testis est. Ne simile virus in Germanica natione erumpat, caveat Spirensis Ecclesia, caveat & Augustensis, caveant & reliquae, quae eliminatis & explosis Viris doctis, ingenio & eruditione florentibus, vel eos solos recipiant, aut recipere laborant, qui generis Nobilitate tantum superbiunt, qui venaticos & aucupatorios canes, cincinosque suos Christianae Republicae praeferrunt, pro libris, quum inuitati sint, clypeos & galeas ostentantes. Ut autem ad Wenceslaum transeamus, is à Regno Romano omnium suffragiis abrogatur. Discant in hoc Wenceslao Reges & Principes nostri, Regna & Principatus feliciter regi, conservari, amplificari non posse, ignavia, torpore, ocio, luxu, deliciis, calamistrata, choreis, libidinibus, aucupio, venatu, basiliumque congressu; sed Labore, Vigilantia, Srennitate, Sapientia, Virtute, Justitia, Prudentia, Frugalitate, Religione, Republicae amore. Discant ad gubernandos populos nequaquam esse opus calamistratis, veris & fictis fatuis, pantomimis, fufurronibus, effeminatis, adulatoribus, Ecclesiasticae Libertatis & omnium bonarum literarum inimicis; sed gravibus Virtutibus, grandævus, prudentibus, veracibusque magnanimis constantibus, integris, doctis, sapientibus & sapientiae amatoribus. Justo dolore commotus, libuit haec paucula contexere, nunc ad institutum nostrum revertamur.

CAP. XLVII.

De Roberto Bavaro Rege Romanorum.

Deposito Wenceslao Robertus gente Bavara Comesque Rheni Palatinus, Philippi hodierni praevius Imperio succeditur, Vir justitiae gloria clarissimus. Hic à Florentino populo in Italiam vocatus est, ut Johannis Galeatii (quem Wenceslaus proxima accepta Ducem Mediolani dixerat) potentiam comprimeret. Comparato igitur fortissimorum militum exercitu, in Italiam descendit, & agrum Brixianum ad Benaci lacus oram ingressus, copiis Galeatii congregitur. Ubi fugam Italici perfide cientibus fractus, Tridentum se recepit: unde vocantibus Venetis Paduam est delatus, ad quem Florentini Oratores sumptuosissimo apparatu, sed copias minus egregie instructas, ut bellum resumeret, transmiserunt. Videns optimus Princeps, Florentinorum copiarum paucitati pecuniarum quoque paupertatem addidisse, in Germaniam rediit, sinens Italos suos se militibus conficere. Moritur Robertus M. CCC. & in Christo Ecclesiam sancti Spiritus Heidelbergense sepelitur, cum hoc epigrammate sarcophago incisio: ROBERTUS BAVARICUS DUX COMITIS PALATINUS, ROMANORUM REX JUSTITIAE ET RELIGIONIS AMATOR, DIGNIS DANDIS PRO JUSTITIA PATENTIBUS HUIUS SAECLIS ET COLLECTI INSTRUMENTI, HIC SEPULTUS EST. CONJUGES ELISABETHA, NORICENSIS, ET BAVARIA QUESCIT, VITA SUNT. MDCCLX. KALEND. JUNI XV

CAP. XLVIII.

De Sigismundo Magnificentissimo Imperatore, d. & c. testimonio in ejus laudem Johannes Gerson.

Successit huic optimo Principi in Imperium Sigismundus Hungarorum Rex. Ad quod Regnum adoptatus fuit à Ludovico Hungariae Rege sine liberis defuncto, & Carolo ejus ex fratre nepote, quem Proceres Hungariae ex Neapolitano Regno, cui imperabat, Johanna cum viro expulsa, accersierant, à Regina, quae odium dissimulaverat obruncato, anno salutis M. CCC. LXXXV. Is Sigismundus cum doctrina tum Humanitate, tum mulorum notitia Princeps fuit clarissimus, et pius cum Turcis pugnavit, terra marique, duos & triginta Tartorum Regulos securi percussit. Tum Imperator designatus, ægre ferens Ecclesiarum Christianarumque plebis labem (quam post mortem Gregorii XI. ambitione & superbia Gallicoque factu contraxerat) Urbano VI. & Gebennensi Cardinali ad Pontificatum suffectis, cum Itali & Germani Urbanum, Galli & Hispani Clementem sequerentur, progressus est facinus Augusto dignissimum, magni excellentique animi. Peragratis enim Europae Provincis singulis Regibus Principibusque domi conventus effectus, ut Concilium ex omnium Pontificum sequelis ad Constantiam Germania urbem haberetur. Iuxta multa autem quae triennio toto summa gravitate à Patribus constituta sunt, illud accuratissime ac Spiritu indubio Autore decretum fuit, ut qui eo in conventu Pontifex crearetur, quinto, & Successores deinceps singulis VII. quoque anno, pro servanda Christianorum unione, generalia celebrarent Concilia, in quibus liber foret quaecumque in rem Christianam viderentur, corrigere, addere, immutare, praesertim in capitulis, quae denuntiant membra, labant. Creatus est tum omnium nationum suffragiis Otho Columna Patricius Romanus Pontifex, Martini V. (ut fit) nomine desumpto: sortis Petro Luna viro doctissimo, Angelo Veneto, Cornario, & Balthare Cossapatria Neapolitano, quorum primus Benedicti XIII. Secundus Gregorii XIII. ultimus vero Johannis XXIII. nomen in Pontificatu desumpserat. Venit tandem Sigismundus in Italiam per Beligionam ingressus, inde à Philippo Ducis copis pompa Cesare digna, Mediolanum deducens, accepta Mediolani ferrea corona, Romam profectus, ubi vana spe Philippum multum promittentis (ut perdidit quibusdam Italici motus frequens est) saepe delusus, coronam ab Eugenio recepturus substitui Senio permissus aliquot, in gratiam Pontificis rediurus, quem quod morigerus Philippo Mediolanensi fuisset, deserat. Post variis itaque hominum utrinque missis conatus, tandem Caspare Succchio Sigismundi Emptoriarum Magistro, oratore misso (qui prima Legatione infecta redierat) impetratum extitit, ut Sigismundus Romam veniret Imperiali Diademate coronari. Ingressus est igitur orbem ad diem Kalendas Juniarum XI. Populo Romano cum ingenti illum pompa deducente ad scalam usque Basilicae Divae Petri Pontifex cum cetero Cardinalium obvius comitatus excepit, ac pridie eorundem Calendarum solemnissimae ceremoniae coronatum Imperatorem Augustum salutavit. Abiens tum Roma, Basilicam petiit, ubi diebus plurimis, qui tum ibi Concilium Martini indicium, & decretum & ab Eugenio confirmatum approbaruntque (Platina recte) celebravit, ab Eugenio dissidentium sedatis, rebus Hungaricis dispositis Bohemiam ingressus, Pragam pervenit.

anno M.CCC.XXXVI. ab ortu Salvatoris nostri, ubi summis honoribus exceptus est, quem paulo ante Bohemorum hostem censebant. Hic Sigismundus cum acerore dicebat, *se se erubere propter ignorantiam Principum Electorum, qui Latinas literas neque legere neque intelligere possent.* Habuit semper in precio literas & literatos, quos supra illos, qui genere tantum sunt Nobiles, in sua curia honorabat & locabat. Interrogatus cur id faceret, Nobilitatemque & illustri natos genere contemptui haberet, Respondisse fertur: *jure ego illos colo, & ceteris mortalibus præfero, quos natura parens & Deus singulari donavit ingenio, subjiciens: illos solos à natura & Deo posse creari, in sua autem potestate sum, ut Nobiles: titulo & prædiis faceret quocunque placeret momento.* Is etiam Sigismundus, quod præterire nolo, in Consilio Constantiensi reprehensus à Cardinale Placentino, quod contra Grammaticorum præscripta, verba quædam pronunciasset, non minus scitè quàm festiviter ait: *Placentine si supra leges sumus, quare supra Grammaticam esse non possumus? Placentine, Placentine, quibus places, placeas, mihi non places.* Latinum autem Sigismundum fuisse, & sapientem, Christianissimum Parisiensis Gymnasii Cancellarius, Johannes Gerson, testis est, qui inter alia de Sigismundo, sic loquitur: *Serenissimus Rex Romanorum semper Augustus, priusquam recederet ab hoc Concilio ad locum conventionis cum Rege Aragonum, & Petro de Luna, orationem ad Deputatos habuit, omni religiosa Pietate, & vera Christiana Religione plenissimam, quam his auribus, non sine pia compunctione, laus audivi.* Idemque Theologus Johannes Gerson alio quodam in loco sic ait: *Vellem daretur hic spaciun, quo Sigismundum Romanorum Regem comparare liceret ipsi Davidi. Eum namq; incredibilis labor activa vita jupiter exerceat, in quo nihilominus spirituum devotionis habere, compertum est, per colloquutiones devotas, usque ad compunctionem lachrymosam audientium: his oculis vidi & sensi, laus erit hac Sigismundi sempiterna.* Multi verò nostræ tempestatis Principes literas odiunt, Latinum sermonem (etiã si sciãnt) loqui erubescunt. Quoniam assentatores & calamistrati qui Principibus noctes & dies (sicut sanguisuga) cohærent, avertunt innocentissimos eorum animos, dicuntque esse indecorum Principi, discere & loqui nobilissimam linguam. Timent enim impudici canes, & mancipia diaboli, si Principum spiritus invadat sanctus ardor Sapientia, studii literarum, Prudentia, Virtutum, Historiarum, sese qui barbarie pleni sunt, contemptum iri, Doctosque & graves Viros sibi præponi, qui nihil didicere aliud, quàm aucupio, venatu, sarore, blasphemia, crudelitate, luxu, otio, ludo, libidine, humani sanguinis Ecclesiasticarum rerum siti, & omni vestium, verborum, operum levitate, calamistraturaque nostram nationem infamem despectamque reddere, ac mirum in modum apud externos contemptam & abjectam. Persuadent etiam Principibus nostris hæc sanguisuga, posse Respublicas feliciter gubernari, absque doctis & literatis hominibus, nescientes quod scribit Julius Capitolinus Historiographus elegantissimus, Marcum Imperatorem semper in ore habuisse, illud divini Platonis, *Florere civitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.*

De Alberto Austriæ Bohemia & Hungaria Rege, in Romanorum Regem electo.

Moritur tandem Sigismundus, morbo ætateque confectus: Albertum Austriæ Ducem generum suum, Virtute præstantem, & Nobilitate sublimem, Regnorum relinquens hæredem, quem statim Nobiles Hungariæ Bohemorumque Regem salutarè. Postquam verò Sigismundo parentatum exiit Albertus in Alba Regali, cum conjugè sua Elisabetha, summo cõsensu applausuq; populi coronatus est. Inter hæc Electores Imperii apud Fræcofordiam cõvenientes, rem Romanam Alberto demandant, quam sine Hungarorum consensu ei acceptare non licuit; id enim eis promiserat, cum se Regem suscepere. Postremo multis utrinque habitis consultationibus, Proceres Hungarorum Friderici Ducis Austriæ tunc adolescentis, hodie imperantis, precibus victi, assensum præstitere: Imperium summa Germanorum congratulatione, ab Alberto est susceptum. Palscon interea factionis hæreticæ Caput, Polonorum Regis fratrem XIII. annos natum Regem appellat, qui acceptis à fratre auxiliariis copiis, Alberto Bohemiam ingredienti aliquandiu resistit, nunquam ausus tamen pugna facere copiam: relicto tandem Ulrico Ciliæ Comite, qui Regnum gubernaret, Albertus in Slesiam pervenit. Vratislaviensibus verò (ea est civitas nobilis ac potens & Slesitatum Caput) Albertum Marchionem Brandenburgensem petentibus belli Ducem dedit, qui Poloniam sæpè infesto exercitu petens, longè lateque prædas egit. Per idem tempus Despotus Servia cum Sacerdotibus & Nobilibus in Hungariam profugerat, Turcorum impetum veritus, uno tamen filio relicto, qui Synderaviam castellum in ripa Danubii situm, & à Turcis obsessum tueretur. Albertus ab Hungaris invitatus, obsessis opem laturus Budam petiit, adversus Turcos exercitum ducit, qui jam castello capto aufugere, quo rescito Albertus dimisso exercitu Budam rediit, ubi ob calorem ætatis vehementiorem morbum contraxit, tandemque in Austriam iturus in rure, quod Longum dicitur, condito testamento VI. Kalendas Novembris decessit Princeps Clementia, Liberalitate, ac Fortitudine clarus, & qui ceteris rebus longè Religionis studium anteposuit. Regina Elisabetha Sigismundi filia VI. Kalend. Martii jam filium ex Alberto pepererat Ladislaum nomine, cui postea utrunque Regnum paruit.

C A P. L.

De Ladislaio Alberti filio, & de integritate Alberti Bavaria Ducis.

Alberto tamen mortuo Bohemi de Rege disceptantes (licet Regina filium Regem natum, in cunabulis ostenderet) in varias partes scinduntur, nonnullis persuadentibus, ut Sigismundi & Alberti Regum meminerint, nepotem filiumque Ladislaum ne respuant, contra jus gentium paternam hæreditatem puero ne adimant, fœdera cum Australibus percussa ne violent, pupilli atque orphani miscerantur. At in contrarium illi, qui Albertum Regem oderant proponunt Regem à regendo ductum, qui regendus sit, Regem vocari non posse. Victi hac sententia. Albertus itaque Bavaria Dux majore Procerum voto Rex declaratur, qui

qui apud Wenceslaum quondam nutritus, Bohemice linguae non ignarus erat. Mittuntur Primores Regni ad Albertum, inter quos Ulricus Rosenlis, homo se tempore accommodans, prius enim patres Alberti Regis fovebat. Albertus vero Bavariae Dux ea Virtute atque animi moderatione usus est, quae postquam Reges esse coepere, rarissima semper fuit. Nam venientibus ad se *Bohemorum Legatis, amplum & Nobile Regnum offerentibus, gratias egit*, qui se unum ex omnibus Regem elegerint, multa se idcirco Bohemis debere. At cum Regis Alberti filius exiret, indecorum esse cum alterius iactura Regnum querere, paternam hereditatem nulli auferendam: qui pupillos suo jure spolient, Deo atque hominibus invisos. Quam praeclara sententia iusto atque optimo Principe digna. Hic Albertus Bavariae Dux, Bohemorum Rex esse potuisset, sed quia jure non potuit assumere, reculavit. Si idem nostri hodie Principes efficerent, ut nulli suum contra Deum & praeter justitiam auferent, dominandi libidine incitati, pax vigeret, iustitia cresceret, charitas servaretur, pauperes non interirent, pacta & foedera manerent illaesa, Christiana Virtus in Turcis augetur, Principibus ad superos patere ascensus, qui sua violentia, & injusta Principatum & Dominorum amplificatione, se ipsos in stygiam paludem praecipitant atque demergunt.

C A P. LI.

De Friderico Austriae tertio Romanorum Imperatore.

Fridericum Austriae Ducem, Electores Caesarem discernunt, qui & tutorem Ladislao se praestitit, magnaque cum integritate ei muneri praefuit. Tandem insidus, disceptationibus multis bellis etiam Bohemicis, Hungaricis, & Australibus fatigatus, adolescentem praetantissimae indolis Regnis suis tradidit, quem nondum Principatus initiantem, Bohemi per Georgium Podiebratium & Rochezanam haeresiarcham (quod Fridericus Vir integerrimus semper veritus fuit) veneno interfecere, qui solus patriae spes, & fidelium defensor futurus sperabatur. Fridericum ad Imperium legitimis suffragiis suffectus, compositis statim Austriae rebus, primo quoque tempore legem promulgat, quae cunctos sub Imperio degentes, ad pacem minus poenae, compellit, tum animum sedulo applicat, ad scissionem tollendam, quae inter Eugenium Pontificem, & Concilium Basiliense suborta fuerat, in quo convenit Amadæus Sabaudiae Dux (reprobato Eugenio) in Pontificem per Patres declaratus fuerat, qui ad eam rem suavis Philippi Ducis Mediolani hostis Eugenii inducti, Amadæum ipsum, Felicem vocatum, Pontificem creavere. Eugenio tamen vivo, res subdole orta, sopiri non potuit, quamvis crebris Legationibus, prudentissimorumque denique Principum consultationibus sapienter laboratum sit, dissolutio tamen Concilii facta fuit, tum peste, tum bello, quod Eugenium Suisensibus & Basiliensibus (ut Platina scribit) indicit, per Ludovicum Caroli Regis Franciae filium, quem Delphinum dicunt, qui victorem exercitum Anglis ex Regno perturbatis, in Basilienses, per Sequanos ingressus, traduxit in Germaniam, victique praelio haud interveno (subsidiaria manu Suisum, quae Basiliensibus ex omnibus Suisum pagis selectissima subsidio missa fuit) mille & quingentis peditibus occisis, Germanos se vicisse (ut mos est populo) omnes jactantes, quatuordecim Gallorum milia in paucos Suisenses duo forsitan millia, struxerunt, tamen Suisen-

ses quasi leones per omnem exercitum vagantur, caedunt, sternunt, & non in spem victoriae, sed in mortis resolutionem pugnant, non tam victi quam vincendo fatigati, prius tamen octo millibus Armeniacorum occisis, ceciderunt. Quatuor Armeniaci Helvetium unum insequerantur, quem, cum telo confodissent, straverunt, & in corpus exanime grassabantur. Tum alter Helvetius hujus comes arrepta bipenne in quatuor illos effeminatos Gallos fertur, ex quibus duos obruncavit, alios vero in fugam dedit, ac deinde semianimum corpus super humeros recepit, & invitis hostibus portavit ad suos. Quia gloriosa victoria Gallorum, qui non Virtute, sed multitudine superarunt, sicut ipsi solent, & de eis Vegetius scribit: *Miror Lepontios, sive Suisenses paratiores esse, ut sequantur signa Regis Gallorum, quam Romanas aquilas, cum tanta inhumanitate, tamque lugubri & cruenta strage superiores Gallorum Reges, absque iusto bello, sine causa, innocentes eorum patres, & avos, patruos, & avunculos aufererint & obruncarint.* Miror etiam quosdam ex nostris, qui cupiunt Gallos Germania dominari, quos ego admonitos velim, ut quis finis inde sequeretur, diligenter cogitent, neque post factum (quod stultissimum esse Cicero affirmat) dicant: Non putaramus id, quod crebro fatua res est, negotio peracto consilium querere, & acta agere. Qui Principibus nostris persuadent, gratiam inire foederaque, peremerum cum externis Regibus, si nihil aliud agunt, id saltem efficiunt, ut nuncios & Oratores facti, alienas terras videant, viarum solatio tedium levent, & donaria forsitan secum asportent. Optarem, Principes nostros, pituita non laborare, sed mutuam inter se concordiam fovere, quo solo patriae salutem, sibi decus, posteritati gloriam, ac in quoslibet hostes, praecipue Turcum, collectas invictasque vires compararent. Nihil utilius, nihil felicius credidit Cornelius Tacitus Romanis optari posse, quam si eorum inimici inter se dissiderent & altercarentur. Maneat, inquit Cornelius, queso, duretque, gentibus si non amor nostris, at certe odium sui, quando urgentibus imperis factis, nihil jam prestare fortuna majus potest, quam hostium discordiam. Missa isthaec. Gallorum Rex Ludovicus, quum Delphinis cum suis Armeniacis, & caeteris gentibus universos Alsatia vicis, & nonnullas civitates, dolo, prodicione, blandimentis intravit, fidem aegre servavit, Alsatiam omnem (ea tempestate Cere & Baccho locupletissimam) miserè vastavit, ades, domos, casas civium, pauperum viduarum, orphanorum, puerperarum, atque ipsa Dei nostri sacratissima templa, igni succendit, Anno Salutis nostrae M.CCCC.XLIV. atque ubi satis sativum est in nostros, cum omnia vitæ alimenta vorasset, & omnem libidinem in ruinas aedificiorum explevisset, mutilum fractumque exercitum in Gallias cepit traducere) vix tertia adhuc salva, incolumi restanteque. Neque illam quidem partem (quantulacunque supererat) integram & illaeram potuit ad sua reducere, quamvis crederet Alsatios ulque adeo percussos & attonitos, ut nec quispiam eorum è secretissimis suis penetralibus prodire foras auderet.

C A P. LII.

De Triumpho & Victoria Civitatis Selestadtii in ultimam Delphinum cohortem.

Cum enim Delphinus cum copiis, quae supererant, divisis tamen exercitibus in Galliam redire institisset, ultimam ejus cohortem, (quae praedas passim ab Al-

in Alsatibus directas, tunc sperabat ad Galliam inferre) *Selestadienses cives*, & magna præsertim eorum cohors qui ex vicis & villis eò tanquam ad asylum fugerant, quibus una salus fuit, nullam sperare salutem, seledensis saltibus & præruptis nemoribus abdentes, in speratoque ex insidiis erumpentes *Duce & Principulo Conrado*, (quem *Longum* vocabant) secundis auspiciis obruntarunt, ac spolia quæcunque feliciter ademerunt, eaque in vicum Imperii Romani Selestad, cum magno plausu, gloriosè invexerunt. Belli quoque signa plurima magnificè per nostros concives à Gallis capta, in templo Parochiali, ut omnibus videnda pateant, erecta sunt, in tanti triumphi memoriam sempiternam. His rebus Concilio dissoluto, distractoque neutralitas (uti dixere) schismaque Nicolao V. Pontifice Romæ à Cardinalium Senatu electo, Friderici Cæsaris industria Religionisque ac pacis amore tum cessavere. Floruere sub Friderico III. Germani ingenio præstantissimi tum in Theologia, tum in Mathematica & Astrorum scientia, Humanitatisque Literis, non solum Latinis, sed etiam Græcis, quales fuere (ut aliquos saltem & perpauca nominemus) *Nicolaus de Cusa* Treverensis, Cardinalis Sancti Petri ad vincula, & Episcopus Brixienis, cujus doctrinam omnifarum, Eloquentiam singularem, ingenium perspicacissimum, Johannes Andreæ Alerienis Episcopus, eleganti quadam epistola, laudavit & extulit. Hic Nicolaus de Cusa multa in Mathematicis, multa in Theologicis disciplinis conscripsit, Cardinalium Doctrina & Virtutibus meruit, obiit Tuderti, anno Salutis nostræ M. CCCC. die undecimo Augusti. Ejus cadaver Romam advectum, & in Ecclesia Sancti Petri ad vincula humatum est. Floruit & ea tempestate *Jacobus Teutonicus* Ordinis Carthusiensium, Vir Divinarum Scripturarum eruditissimus, dubiorum cautissimus interpret, vita & conversatione devotus, hac tempestate multa ac varia edidit opuscula: de anno Jubilæi, de causis passionum, de moribus Christianorum, de triplici statu hominum, & multa alia clarissima opera, quæ numerare esset longissimum. *Dionysius* natione Teutonicus, & ipse Carthusiensium Ordinis professor, Vir, & Theologia atque aliis disciplinis eruditissimus, hac tempestate claruit. Qui cum esset ingenio subtilis, & eloquio disertus, tot & tanta scripsit, ut numero opusculorum præter Divum Patrem Augustinum, apud Latinos parem habuerit neminem. *Laurentius* Teutonicus, patria Colonienis, Theologus atque Philosophus maximus, disputator acerrimus, Gymnasium Parisiense, quod in Galliis celebratissimum est, legendo, docendo, disputando, ac varios libros ac tractatus componendo, egregiè illustravit. *Henricus* natione Teutonicus patria Colonienis, præclarus fuit Theologus & Declamator, haud ignobilis, homo admirandæ sanctitatis. De præceptis Decalogi, de tribus partibus penitentiarum, & multa alia opuscula edidit. *Johannes* Abbas in monasterio Nuitsellensi in Theologia & Jure Canonico eruditissimus, scripsit opus insigne & præclarum, quod prænotavit, Canonum & Bibliæ concordantia. *Benedictus* Germanus patria Saxo, ex Halli oppidulo ortus, oriundusque, in Philosophia & Theologia, atque aliis liberalibus disciplinis habitus fuit clarissimus. Apud *Gymnasium Erphordense*, quod apud nos Germanos principem locum obtinet, multa dictavit opuscula, doctrinæ non protritæ, nec lectionis spernendæ; ut sunt ejus commentaria in *Genesis*, in *Exodum*, in *Leviti-*

cum, in *Deuteronomium*, *Georgius Purbachius* Viennæ Mathematicam docuit, & in eo disciplinæ genere pulchra volumina reliquit. *Johannes de Monte Regio*, Georgii Purbachii discipulus, Vir & Græca & Latinâ lingua peritus, cujus ingenium in Mathematicis & Astronomicis disciplinis etiam doctissimi Italorum extollunt & laudant, ut Picus Mirandulanus Comes in libris contra Astrologos. Is multa scripsit in Gerhardum Italum, natione Cremonensem, quæ & gravia sunt & erudita. Scripsit præterea Ephemerides. Mortuus est Romæ accitus à Sixto IV. Pont. Max. ut emendaret paschalem Dionysii computum. *Johannes de Wesalia* Sacerdos, Theologus, & Philosophus acutissimus Erphordiente studium variis libris à se editis, & lectione publica, mirificè decoravit. In eodem etiam studio, & eodem tempore floruit *Lutrea* Doctor insignis. *Rudolphus de Grunigen* natione Friso, vulgo *Agricola* cognominatus, Philosophus fuit & Rhetor atque Poeta eminentissimus, Græcæ, Latinæ, atque Hebraicæ Linguae non imperitus, cujus ingenium & Eruditionem, & summam morum innocentiam ipsi Itali laudaverunt. Extat Hermolai Barbari, Viri eloquentissimi in eundem Epitaphium. Rudolpho nostro testimonium præbens, quod hic subnotatum est,

*Invida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Frisi spemq; decusq; soli.*

Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis,

Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Illustravit & legendo & docendo Gymnasium Heidelbergense, in quo obiit Anno 1486. die 28. Octob. Ex Hebræo Psalterium transtulit, ex Græco autem quædam Platonis opera, Dionysium Areopagitam quo minus traduceret, morte est impeditus. Composuit & alia multa *Petrus Schottus*, patria Argentinensis, conterraneus noster, in literis politiciis Rudolpho Agricola usus Præceptore, Bononiæ Pontificias & Cæsareas Leges sitienter hausit. In Academia Parisiensi Philosophiam & Theologiam didicit. Fuit in his omnibus eruditissimus, nec Græcas literas ignoravit. Scripsit multa, quæ passim circumferuntur, Mortuus est Argentinæ in natali solo, Anno ætatis suæ XXXI. Sepultus in æde sancti Petri Junioris, in qua Canonicus fuit. Mihi quoque summa amicitia junctus extitit, & meum Thomam Wolphium Juniolem ex baptismatis fonte levavit. *Conradus de Zabernia* oppidulo, ad quartum lapidem ab Argentina distante, ipsum Amphionem in Musica superavit. Scripsit de Monochordio librum unum, De modo bene cantandi librum unum, & Sermones varios, quæ omnia & ingenii, & doctrinæ suæ magnitudinem præ se ferunt. Fuit idem Sacerdos & homo magnæ Religionis, & exempli recti. *Henricus Friso* Carthusiensis scripsit Chronicam sui ordinis, librum de novitiorum instructione, de vita Christi librum unum, & multa alia. *Nicolaus* patria *Moguntinus*, Philosophus ac Theologus fuit clarissimus, ob ejus ingenium & doctrinam, Friderico Augusto fuit charissimus. Edidit commentaria in libros Sententiarum, & alia quædam non absurda. *Jacobus Stralem* sub hoc Friderico Philosophus & Theologus, fuit in studio Colonienis maximus senex. Theologiam gloriosissimè docuit: Composuit acutissimas quæstiones in Apocalypsim Johannis Apostoli. *Gabriel Byel* Spirensis, Theologus fuit magni ingenii & doctrinæ, legit in Gymnasio Tubingensi cum summa gloria. Composuit commentaria in libros Sententiarum, & quædam annotationes super *Canonem*

nem missæ. Et hos paucos ex multis numerasse sufficiat. Ut autem ad Fridericum Cæsarem redeamus, fuit is Imperator pacificus, quætuus, admirandæ patientiæ & mansuetudinis, Clero & Ecclesiasticis nequaquam inimicus.

CAP. LIII.

De prudentia rei militaris.

UT ad rem, de qua scripsimus revertar, sine controversia quæ sentio dicam. *Administratores bellicorum* (quos veteres Imperatores appellavêre). *Germanos jure optimos esse & fuisse dijudicandos.* Si enim exercituum copiam, metandorum castrorum peritiâ, signorum collationem acierum, instructionem, ordinum pertinacem observantiam, oppidorum solertem oppugnationem consideres, ac commeatuum facilitatem frugalitatemque, & stratagematum, insidiarumque faciendarum, & vitandarum occasionem, neque Atheniensium Miltiadem Cononis filium, neque Themistoclem Neoclis, neque Aristidem Lysimachi, neque Cononem Miltiadis, Alcibiadem Clinix, neque Thrasibulum, Cononem, Iphicratem, Chabriam, Timotheumque Germanicis Imperatoribus comparabis. Cedant Lacedæmonii, Leonidas inclytus Rex, Pausanias magnus homo, sed in omni genere vitæ varius, Lylander qui Atheniensium Rempublicam destruxit, tyrannidemque Athenis induxit, Agesilaus optimus Rex, cum à cæteris Scriptoribus, tum à Musa Attica, Xenophonte Socratico collaudatus, quod Thebanum Epaminondam, quem & Musicem didicisse egregieque saltasse comperimus, quod multis à persona Principis alienum videtur, qui alienos mores ad suos referunt, & quæ eis levia videntur, pari modo apud cæteros arbitrantur esse, sed Græcicum est etiam in Olympia vincere, Epaminondam dico, Pelopidamque num Germanis comparabimus? Quid de Philippo Amyntæ filio, Alexandroque, Antigono, Demetrio, Seleuco, Lysimacho, Ptolemæo, innumerisq; aliis, qui ab Alexandro veluti ex equo Trojano prodierunt. Habeant Pœni, Hamilcares, Hannibales, Asdrubalesque, relinquunt nobis Henricos, Othones, Carolos, Conrados, Fridericosque. De Assyriis, Persis, Parthisque non est quod dicam, cum Principum nostrorum servi libertique illis Ventidiôs præitare queant. Possem hic mille numerare Germanos, qui humili loco nati, nullis opibus, sed sola militaris rei peritiâ & fortitudine subnixi, apud exterarum gentium immortalêm gloriâm sunt consecuti. Sic nostra ætate *Martinus Schvvarzius* novus homo, sed instar Marii in armis acer fuit bellicosus, cujus pugna, & victoriæ in conviviis Britannorum (quorum tamen hostis fuit) creberrimè ad lyram cantantur.

CAP. LIV.

De triumphis Germanorum, quodq; eorum auxilio Romani quoque triumpharint, & quod ipsi quandoq; Romanis dominati sunt.

DICAM igitur quod sentio, *Germanos omnium gentium victores, victricemq; gentem, nedum à Romanis, qui omnium gentium præstantissimi victores triumphatoresque fuere, victos: & si partem aliquam Germaniæ vicere, non tamen sine Germanis victoria potiti sunt, sed Germanis militibus totius mundi populos devicere.* Merito igitur gentem victricem dixerim, cujus auxiliis alii certavere. Ipsi in toto liberi, tandem florentissimam Romanorum Rempublicam aggressi,

quod stipendiis militiaque meruerant Imperium, & totius Orbis Monarchiam sibi subdidere. Vera Nobilitas, vera libertas, & in militari disciplina Fides, Robur, Fortitudo, Constantia apud Germanos sunt. *Historicos mirari soleo veteres probatissimos (non hos novos, qui assentatores potius appellandi sunt) quibus cum lex prima sit, ne quid falsi dicere audeant, deinde ne quid veri taceant, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, quod cum de Germanis scribunt, vitia narrare soleant (& ea quidem minima) Virtutem verò quasi cum fastidio celebrant, vel non debita laude pronunciant, vel silentio prætercundo obiscens.* Quare optimè Alexandrum dixisse legimus, cum Achillis sepulchrum contempleretur, ô Fortunate adolescens, qui Virtutum tuarum præconem Homerum invenisti. Si Germanis ea copia Scriptorum fuisset, quæ fuit Imperatorum, non Scipiones, non Catuli, non Metelli frequentius in Oratorum ore versarentur, quam Germanorum & Duces & Imperatores, atque maximarum urbium expugnatores, quorum tanta copia, tanta multitudo fuit, ut si quispiam domesticas solum res bellicas narrare inciperet, Livianum codicem scriptis suis exæquaret.

CAP. LV.

De Friderico Bavaria Duce Philippi Moderni patris & tutoris.

SOLA Friderici Bavarorum Ducis victoriosissimi facinora, propriam Historiam flagitent; qui Philippi Principis Comitum Rheni Palatini tutor & patruus, raptores & prædones in primis exterminavit, eorumque arces solo æquavit, terrarum itinera violatoribus tutissima fecit, tres illustres & nominatissimos hostes devicit, pridie Kalend. Quintiles, Anno Christi M. CCCC. LXI. inter Rhenum & Neccarum militari uno ab Heidelbergâ, ad hoc insigne certamen Dietherus Isenburgenis, Moguntinus Archiepiscopus suppetias Friderico tulit. Moritur Fridericus piè, & catholice, corpusque ejus humatum est, in sacello à seipso extructo apud Cordigeros Heidelbergenses. Cujus sarcophago sequens Epigramma per circuitum inscriptum est: *Fridericus Bavaria Dux, Comes Rheni Palatinus, Sacri Romani Imperii Elector, salus patriæ, prædonum fulmen tres illustres hostes vicit; Principatum auxit, & piè vivis excessit, Anno 1476. pridie Idus Decemb.* Fuit ejus vitæ socia Virtus, gloria mortis comes.

CAP. LVI.

De aliis quibusdam Ducibus Bavarorum.

FUIT eidem Friderico Pater Ludovicus Princeps pius, qui Christi amore Hierosolymam petiit, Teutonicorum Ordini apud Prussiam auxilio fuit, *Latinas literas (Catonis exemplo) senex didicit, quod audierat Sigismundum Imperatorem dixisse, pudore sese affici ob Principum Electorum barbariem, qui Latinarum inertes essent literarum, quas tamen necessario scire deberent.* Fuit hic Ludovicus Roberti filius, quem inter Romanorum Reges posuimus. Cujus Pater ejusdem nominis, duobus præliis Saxones vicit, & Robertus avus Heidelbergensè Gymnasium ex Ecclesiasticis proventibus, in Germania primum & antiquissimum fundari & erectum iri à summo Pontifice impetravit. Habuit quoque Fridericus fratrem Ludovicum Principem pacificum. Huic successit Philippus.

pus. Patrualem habuit Fridericus Roberti Regis nepotem, Albertum Argentinensem Episcopum, qui nostra ætate non solum cum pace & mansuetudine terras suas gubernat, sed etiam Ecclesiæ, cui præest non modica jura, quondam aliis obnoxia restituit. Quod ego, monitis Cancellarii suæ Illustrissimæ Clementiæ redegei in sequens carmen:

*Ex Ducibus Bavaris Albertus Episcopus istam
Instaurans arcem nobile fecit opus,
Mansuetusq; pater patriæ, multo ære redemit
Vallem, cui nomen per sua Prusca dedit.
Et quæ pro voto poterant intrare Trebotes
Oppida cum pagis libera restituit.*

Hoc idem soluta oratione hortatu meo ita expressisti.

Albertus ex Illustri Bavarorum familia procreatus, Argentinenfis Antistes hanc arcem carie, & virtute, inter rudera penè obrutam, pristino decori munificentius restituit. Vallem ejus fluminis, quod incolæ Pruscam vocant, gravi ære redemit. Arces us oppida, quæ civibus Argentinenfis servitutem serviebant, veluti alter Brutus libertati reddidit, Anno à natali Christiano MDII. Alexandro VI. Pont. Max. & Maximiliano Augusto regnantibus. Valetè posteri. Operis violator infelix esto.

Ad Ludovicum Patrem Friderici redeo, cujus ætate ex Germania supra quadraginta millia equitum, ad Bohemicam sectam expugnandam convenisse traduntur. Aberat autem Ludovicus Palatinus, qui Comiti Videmontensi contra Lotharingos opem tulit, missis ab eo in ejus auxilium electissimis ex universo Palatinatu militibus, qui miseranda levium quorundam Gallorum, sive fuga, sive proditione circumventi sunt, deserti sunt, occisi sunt, anno Salutis nostræ M. CCCXXXI. sexto Non. Quintiles. Ad id bellum Videmontanum Johannes Wimphelingius patruus noster adolescentem forma & Nobilitate insignem, de Hohenstein nuncupatum, justu amicorum secum duxit, horrendamque proditionem pro sua prudentia sentiens, innocentissimum ephebum à strage feliciter eripuit, incolumemque in terras nostras reduxit. Fuit ille adolescens ex Nobilioribus patriæ nostræ familiis satus, licet & aliæ quoque sint altissimo stemmate fulgentes, qui & Principes avos possint referre, sicut est mi Thoma, Albertus ex familia Ratamhusen in Stein, Theseus tuus, quem Tu ubique concelebras, utpote hominem & literis, & ingenio, & armis clarissimum. Magnam mihi voluntatem affert mirum hoc Tetrastichon Baptistæ Mantuani, ubi in amicitiam vestram ita suaviter olim Bononiæ cecinit:

*Fallor? an hi duo sunt, pluresq; duobus
Hi duo, & hi plures, sunt tamen unus homo:
Corporibus duo, corde unus, cum viribus addat
Unio, tres, sic sunt, tres duo, & unus homo.*

Ausim hoc affirmare, me nihil in Lingua Latina reperisse, quod his versiculis sit tersius, qui vel soli sufficiunt ad vestri nominis immortalitatem. Sed nunc de bello Burgundico pauca dicamus.

C A P. LVII.

De bello Germanico cum Carolo Burgundionum Duce.

Possem hic bellum asserre Germanicum cum Carolo Burgundionum Duce magnanimo & potentij, Maximiliani Regis nostri, socero, qui Romani Im-

perii loca sitiens, *Nussiam expugnare, Lotharingorum Ducem vincere, & Alpinates, Alsaticosq; suppressere moliebatur.* At illi Nussia constantissime multis mensibus restitit. Duce ac patrono gavisa Hermannò, Hassia tum Landgraviò, hodie Archiepiscopo Agrippino, tandemque Friderici Imperatoris tertij adventu, absque bellorum periculis, & absque humani sanguinis effusione prudenter erepta. Carolus autem paulo post à Germanis, tum Leopontius aut Alpinatibus, tum Alsaticis potissimum vero Argentineni Republica, ex consilio & ductu Petri Schotti prudentissimi Senatoris, (Is est ille Petrus Schottus; qui postea filium habuit ejusdem nominis, cujus editiones & ingenij monumenta ubique expetuntur.) Reinhardo Lotharingorum Duci auxiliantibus, à Nansensi civitate pulsus, villis & occisus. Ignorabat enim Carolus (licet antehac persæpe fugatus) non tam facile Germanos atque leves Gallos (quos pro nutu suo usq; ad Parisiorum urbem vexaverat) bello vel absterri vel superari posse. Verum Constantiam, Magnanimitatem, rei militaris exercitationem, intrepidasque Germanorum Virtutes crebra sua fuga, thesauri maximi direptione apud Gransiam, terribilique suorum strage apud Murtham expertus est, & tandem apud Nansen miserimè occisus Anno Christi super M, CCCC, LXXVI. nonis Januariis. Cecinit de hac re tritum distichon Ludovicus Dringenbergius Præceptor meus:

*Oppida trina tibi Dux Carole dura fuere,
In rebus Gransen grege, Murthen, corpore Nansen.*

C A P. LVIII.

De Constantia Germanorum.

Nec solum Nussia Carolo constanter restitit, sed aliæ quoque Germanorum civitates, hostibus sese obsidione prementibus, animosè reluctata sunt, adeo ut exercitus, moræ impatiens desperata expugnatione sæpè castra solvere videretur. Hanc constantiam vidimus in Waldshuda à Lepontis, in Wyssenburgo à Friderico Bavarorum Duce, in Metensibus à Lotharingorum Ducibus, in Bransuiga ab ejusdem nominis Principibus in Bopardia à Treverorum Pontifice occupata & afflicta. Non enim solent Germani, cum obsidione premuntur, facile hostem admittere, aut se in ditionem offerre. Quippe qui proverbium istud exterorum apprimè detestantur & abhorrent Vivat qui vincit.

C A P. LIX.

De bello Maximiliani.

Maximilianus Augustus, ipso Alexandro Magno verè dici potest militarior. Qui dum adhuc ephebus esset & imberbis, cum Gallis, Sicambriis, Batavis, Morinis, Eburonibus, nunc eques, nunc pedes, in primâ acie congressus, de eisdem etiam gloriosissime triumphavit. Sub hoc Cæsare felicissime degimus, quo uho nemo in suos benignior, in hostes atrocior: Cujus præclaras victorias, Hermolaus Barbarus, & Marullus Constantinopolitanus, hic versu, ille prosa laudavit. *Fortitudinem Cæsaris nostri ipsi quoque Pannonii, mortuo Matthia Corvino eorum Rege, cum magna calamitate (quod nemo ignorat) experti sunt.* Sed quid vetera memoramus? quid illud est? quod superiore ætate feliciter confecit? *Vicit Bohemos, & in ipsa acie primus hostium telis se objecit, omnesque occidione occidit.* Præterea

quosdam Germaniæ Principes divitiis & copiis militari-
bus instructissimos, Romano Imperio rebelles, penè fun-
dius delevit. Fuit profecto gloriosissimus trium-
phus, quem ex hac Bohemica strage reportavit. Huic
præclaro facinori & plusquam memorabili, non sine
gloria interfuit Caspar Wolphius, qui ut Cæsari suppetias
ferret, à S. P. Q. Argentinensibus cum quingentis pedi-
tibus in Bavariam missus, & illic strenui Ducis officio
fungens, perinde ac alter Furius Camillus pro patriæ
libertate fortiter depugnans, ex Bohemis optima spo-
lsa reportavit, quatuor militaria vexilla, vi & arinis
exholtibus cepit, ea in hanc urbem Argentinam
magnototius populi applausu advexit, nunc in tem-
plo maximo urbis nostræ affixa visuntur. Hujus in-
re militari peritiam, Fortitudinem, Fidem, Agilita-
tem, Constantiam, in bello Cimbrico, Gallico, Bri-
tannico, Burgundico, Pannonico, Bohemico, sæpius
Germana Nobilitas experta est. Itaque in ipsis cas-
stris, ab Alberto Saxonum Duce, non semel militari
cingulo donatus. Anno autem proximè transmissio,
qui fuit à Natali Christiano M. DCIV. à Maximiliano
Cæsare invictissimo, haud procul à Ratispona, unà
cum Philippo de Rechbergk Eques auratus designa-
tus est, & insignia gentilitia sibi, & liberis, & suis ex fra-
tre nepotibus, hoc est, Tibi charissime Thoma Wol-
phi, fratribusque tuis, ac omnibus ex ejusdem legit-
imè descenditibus, pro Cæsare liberalitate, liberali-
ter decreta sunt, non ita ut mulis, qui nunquam in acie
steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique
subarum sonum (nisi in spectaculis) audiverunt. Ab
Imperatore nostro non fuit molestum, ad Casparem
Wolphiuin patruum tuum divertere, quòd is Ro-
manas aquilas, & tyro & veteranus sequutus, de Im-
peratore, de Republica nostra, de literis ac Literatis
bene meritus, mihi que amicitia non vulgari con-
junctus.

C A P. LX.

*De bello Sigismundi Archiducis Austria contra
Venetos.*

Taceo memorabile bellum Sigismundi Archiducis
Austria, in quo Veneti Germanicam Virtutem ex-
perti sunt. Dux exercitus Venetorum Robertus Sanseve-
rinus Italorum Achilles, unà cum magna exercitus sui
parte, in flumine Athesi submersus est, ceteri partim
vel delecti, vel occisi, vel capti sunt, partim sibi salutem
pedibus quaesiverunt, propè arcem Bisenum, quod No-
biles, cognomento Turppi, incolunt. Facta est hæc
strages die Laurentii, anno M. CCCCLXXXVII.
Senerunt tum Veneti (ut aliàs sæpè) quam pericu-
losum sit cum Germanis ferro ac armis decernere.
Multi Itali à nostris parva manu fusi sunt. Hoc me-
morabile bellum Burckhardus de Anwil Germanus,
Vir nobilis & egregius, versu Heroico complexus est.
Extat quoque Baptista Mantuani, ad Andream Ben-
tivolium, de eadem re elegans carmen. Roberti San-
severinatis cadaver paucis post diebus inventum ab
Udalrico de Frundsberg, tunc Pontifice Tridentino,
& ejus civibus in æde Divi Vigili honorificè tumu-
latur. Est in eum tale Epitaphium:

*Italia victor Severina stirpe Robertus,
Sigismundum Australem sensit in arma Ducem.
Ter Procures Veneti bello petière Tridentum,
Ter vici, hic victus ecce Robertus adest.*

Filius quoque Roberti Sanseverinatis, Antonius
Maria, quem Bononiz & Mantuæ sæpissimè vidi,
cum nepote Principis Camerini captus fuit. Postea
singulari certamine congressus cum Johanne Comi-
te de Sonnenburg, ab eodem quoque victus. Ita ipsi
Veneti in omni re Virtute nostra inferiores existere.

C A P. LXI.

*Solas quinque Germanorum gentes exercitum victo-
rem in Turcos suppeditare posse. Et
de Ordine Teutonico-
rum.*

Quid verbis opus est, cum ex quinquaginta & eo
amplius Germanorum gentibus quinque dunta-
xat, Bavari, Suevi, Lepontii, Saxones & Cymbri, quos-
cunq; hostes, quodvis Regnum, ipsos etià immanissi-
mos Turcos & Sarracenos, auspicante Deo aggredi &
superare possent? Ideoq; mirum & monstro simile est,
atque solius dæmonis inventum (qui inter Germanos
discordiam seminat) quòd universi Christianæ Reli-
gionis Principes & populi somno pressi, Constanti-
nopolim non eripiunt, finitimisque Christianis non
succurrunt, Illyricos, Dalmatas, Styrios, Croacios,
Lyburnos, Pannonios, Austrios ab impiissimis perfidi-
ssimisque Turcis, & ab eorum miseranda servitute,
in quam indies abducuntur, non liberant, non prote-
gunt, neque cogitant, rem quoque eorum agi, prox-
imus cum paries ardeat, & neglecta vires incendia sibi
cumulare. Possent nimirum huic bello magnas præ-
stare suppetias Ordo Teutonum à Teutonibus, ex pie-
tate Christianæque Religionis amore, apud Sarracenos
captus, proq; incremento ac defensione fidei nostræ lau-
dabiliter insitimus.

C A P. LXII.

Ad universos Germaniæ Principes.

Quid non speratis vos facturos, posita prius simul-
tate, cum exigua quondam Germanorum por-
tio, ex incognita insula collecta manu, brevi omnem
Europam & Africæ atque Asiæ partem subjugarint.
An non universi vos nunc non poteritis, quod olim
Gothi exigua pars vestrum potuerunt? An crit minus
in universo corpore, quam in uno digito virium?
Quousque igitur smitta, ò vos saltè magni Germaniæ
Principes, fidem Catholicam negligi? Constantinopo-
lim Orientalis Imperii caput, ac totius Græciæ columen
injustè occupari, urbes incendi, Christianum sangui-
nem effundi, altaria everti, sanctorum reliquias canibus
objici, Dei & sua matris imagines lanceis effodi, spolia
insurgè deturpari, Christianos in servitutem abduci.
Justa forsitan inter vos geritis bella. At justius est pro
Christo pugnare, majorque necessitas est Christi hæ-
reditatem, quam vestram defendere. Cogitate de com-
muni periculo, majora minoribus anteponite. Ne
gravemini pacis causa, & Dei Redemptoris vestri
amore, æqualibus deferre. Sumite Sapientiam, qua
furori Temperantiam, arrogantia Humilitatem, du-
ritiei Mansuetudinem, objiciatis. Ponite tandem la-
tens odium. Sit finis Germanicæ discordiæ, ut quo-
rum consuevit in armis esse invicta Virtus, unitis jam
viribus ac concordibus animis, in Turcos militaria
signa feratis. Redimite, liberate infelices Chri-
stianos, qui à Turcis in compedibus retenti, misere servi-

servitutem servant. Byzanti um Regiam Urbem, quæ nunc Constantinopolitana dicitur, quo pacto recuperetis cogitate. Id vester honor, id vera Christi Fides, & Religio, id Christianæ Republicæ salus exposcit. Nobiles estis, insignia militaria palam geritis, & ceruicæ torquibus auratis, & digiti vestri annulis, ensesq; & calcæria auro resplendent: Christiani, Christiani estis dici & cenferi vultis, agite Nobilitatem, militiam Christianam, Religionem atq; fidem re ipsa & facto ostendite. Ne finite gloriam vestram à vobis transferri. Cavete ne vobis æmuli, socordiam, ignaviam, otium, ebrietatem, luxum, choreas, spectacula, Venerem, furorem, pusillanimitatem, delicias, aucupium, venatum, objectare possint. Nolite calamistrati & mulierosi videri. Attendite gloriam vestram, respicite Christum, pensate salutem patriæ. Moveant vos exhortationes jam dudum in conventionibus vestris Ratisponæ, Nurebergæ & Francofurtiæ factæ, à Bessarione Cardinale Græco, à Joanne Antonio Campano, ab Ænea Sylvio Senensi. Moveant vos aspera, sed vera verba, Francisci Petrarchæ, quæ vobis in vita sua solitaria facit. Discite quid hi vobis loquuti sint. Movebitur cor vestrum, si saltem ulla Christiani sanguinis gutta vobis inhæserit.

CAP. LXIII.

Ad Maximilianum Romanorum Regem.

Quid opus est, invictissime Rex Maximiliane, adhortari Majestatem tuam, cum ipse pronus sis ad bellum contra Christi hostes suscipiendum, ad succurrendum fidelibus, ad Christi fidem amplificandam, ad eripiendam Constantinopolim, ad comprimendam Turcorum rabiem, ad ulciscendam Christi suæque Matris injuriã, ad honorem sacratissimis locis restituendum, ad recuperandam terrã, in qua Christus pro nobis natus & mortuus est, in qua simul omnes astabimus ante tribunal ejus judicandi, ad reparandas terras avitas & paternas, ad illultrandam Austriæ domum, ad fatis faciendum Regali titulo, quo decoratus es. Tu Ecclesiæ Patronus es, tu Fidelium defensor, Dux & ut caput militiæ Christianæ. Surgat igitur tua Majestas, & Christianæ Religionis periculo remedium adhibeat. Cæteri Principes in te suos oculos torquent, neque à Carolo Magno unquam fuit Rex, de quo sibi omnis ordo, sexus, ætas, vel majora vel plura sponderit. Tu etenim Regnorum terrarumq; potentia, militari gloria, experientia rerum, diversarum linguarum notitia, Sapientia, laborum & vigiliarum tolerantia, omnes Imperatores, quantumvis egregios vincis, superas, excellis.

CAP. LXIV.

De machina oppugnatoria, quam vulgo Bombardam vocant, à Germanis inventa.

Anno Domini M. CCC. LXXX. inventum est bellici tormenti genus à Germanis nostris, quod vulgo Bombarda dicitur, à sono, ut opinor ac tonitru. Hac una re nihil letitius, nihil terribilius esse contendit Philippus Beroaldus Præceptor tuus. Quod enim teli genus, quæ tormenta, majorem formidinem, terrorem, jacturam ipsis hostibus afferunt, quam majores, minoresq; Bombardæ, quæ, non modo rumpi muros, sed cælum etiam quati posse, docuerunt. Ita non solum Germani nostri (vel ipsis exteris testantibus) bellatores semper fuisse acerrimi, sed instrumentorum quoq; bellicorum inventores subtilissimi videntur.

CAP. LXV.

De inventione celeberrima Artis impressoria.

Anno Christi M. CCCC. XL. Friderico III. Romanorum Imperatore regnante, magnum quoddam ac penè Divinum beneficium collatum est universo terrarum orbi à Joanne Gutenberg Argentinesis, novo scribendi genere reperto. Is enim primus Artem impressoriam (quam latiniore exculoriam vocant) in urbe Argentinesis invenit. Inde Moguntiam veniens eandem feliciter complevit. Interea Joannes Mentel idopificii genus inceptans, multa volumina calligatè ac politè Argentiniæ imprimendo, factus est brevi opulentiissimus. Huic successit Adolphus Rûschius, mox Adolpho Martinus Flaccus qui & ipsi Argentineses in natali solo cum laude & gloria hanc artem exercuerunt. Is est ille Martinus Flaccus, qui dum in humanis esset, junctus affinitate fuit nostro Matthiæ Schürer, homini sanè docto, probò ac integro, cujus quotidiano convictu, assidua familiaritate ac consuetudine, charissime Thoma, & valde recreatis, & mirificam voluptatem capis. Nec solum nostri in hac arte Argentiniæ floruerunt, sed eandem etiam alibi tractantes, & decus & emolumentum sunt consecuti. Ita Sixtus Rusinger Argentinus, Neapoli an. M. CCCC. LXXI. libri quomodo imprimi possint, primus monstravit. Ob quod factum Ferdinando Regi, & Neapolitanæ Nobilitati, charissimus extitit. Huic sæpe ab ipso Rege Episcopatus, & amplissimæ Dignitates oblatae sunt. His omnibus patriam Argentinam præferens, ad nos concessit, estque hodiè vita superstes, Vir ob dignitatem Sacerdotalem & senium reverendus. Præterea Udalricus cognomento Han, sub idem fermè tempus formas librarias, rem in auditam, nec unquam Romanis visam, Romam attulit. Fuit is natione Germanus, cui cognomentum (ut dixi) erat Han, id latine gallum gallinacium significat. Hoc ideo scribo, quia Campanus & aliquot docti existimaverunt, hunc Udalricum, natione Gallum fuisse, quod planè falsissimum est. Is tamen error ideo emanavit, quod cognomen familiae traductum fuit in latinum, quod Hermolao Barbaro Auctore nunquam fieri debet, nomina enim & cognomina, oppidorum, propria, sicut hominum, quacunque lingua retineri solent. Itaq; Udalricus Han, cum hoc Divino opificio, rem literariam ex inopia ad ingentem ubertatem perduxisset, Antonius Campanus in illum jocatus hoc Tetrastichon edidit.

*Anser Tarpeii custos Jovis, unde quod alis
Constrepes, Gallus decidit, ultor adest.
Utrius Gallus, ne quem possantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.*

Non est prætereundus Johannes Prus. municeps noster, qui hanc artem hodie in urbe Argentinæ diligenter excolit, qui infinita volumina literarum studio sis legenda dedit. Multi summi & celebres viri hoc impressorium munus laudaverunt, ut Polydorus Urbanus, ut Beroaldus Præceptor tuus. Is in quadam oratione sua: Quod, inquit, ingeniosus inventum, quam literaria Impressoria, vel ut latinus loquar, excusoria, qua nihil utilius. Et alibi idem Beroaldus in quodam hendecasyllabo:

*O Germania muneris reperitrix,
Quo nil utilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premeudo.*

Non piguit in præsentia eos qui Chalcographiam, vel invenerunt, vel in illustrarunt, memorare. Non sunt enim tantæ rei Auctores sua laude fraudandi, præsertim ut posteritas sciat, quibus hoc divinum & immortale munus acceptum referre debeat.

CAP. LXVII.

De Architectura Germanorum.

IN Architectura Germani excellentissimi sunt, quorum ædificia Aeneas Silvius mirari se potuisse, scribit, non commendare. Sunt meo, inquit, iudicio Theutonici mirabiles Mathematici, omnesq; gentes in Architectura superant. Hoc homo Italus de Germanis testatur, nec falsa loquutus est, quod ut cætera ædificia (quæ passim in Germania magnificentissimè extructa sunt) omittam, Argentinense templum, & turris in eo ædificata, abundè demonstrant. Hac una structura nihil in universo Orbe contenderim esse preciosius, nihil excellentius. Quis satis mirari, satis laudare potest, Argentinensem turrin, quæ cælatura, statuis, simulachris, variarumq; rerum effigie, omnia Europæ ædificia facile excellit, *cujus altitudo excedit numerum CCCC. & XV. cubitorum.* Miraculum est, tantem molem in tam altum attolli potuisse, quid si isti à laudatis Autoribus laudati artifices reviviscerent, Scopas, Phidias, Ctesiphon, Archimedes, profecto in Architecturæ disciplina se victos esse à nostris, vel palam faterentur, atque hoc opus Dianæ Ephesæ templo, & Pyramidibus Ægyptiacis, atque his omnibus quæ inter septem spectacula numerantur, longè anteferrent.

CAP. LXVIII.

De Pictura & Plastica.

Nostrates quoque pictores esse omnium præstantissimos, vel ipsa experientia (quæ rerum magistra est) apertissimè docet. Icones Israël Alemanni per universam Europam desiderantur, habenturque à pictoribus in summo precio. Quid de Martino Schöno Colmariensi dicam, qui in hac arte fuit tam eximius, ut ejus depictæ tabulæ in Italiam, in Hispanias, in Galliam, in Britanniam, & alia mundi loca abductæ sint. Extant Colmaræ, in templo Divi Martini, & Sancti Francisci, præterea Seletstadii apud Prædicatores in ara, quæ Divo Sebaltino sacra est, imagines, hujus manu depictæ, ad quas effingendas exprimendasque pictores ipsi certatim confluunt, & sibi bonis artificibus & pictoribus fides adhibenda est, nihil elegantius, nihil amabilius, à quoquam depingi reddiq; poterit. Ejus discipulus Albertus Durer & ipse Alemannus hac tempestate excellentissimus est, & Nurenbergæ imagines absolutissimas depingit, quæ à mercatoribus in Italiam transportarentur, & illic à probatissimis pictoribus non minus probantur, quam Parrhasii aut Apellis tabulæ. Joannes Hirtz Argentinensis non est omittendus, qui dum in humanis esset, apud pictores omnes in magna fuit veneratione, cujus in pictura peritiam clarissimæ ac speciosissimæ imagines tum alibi, tum Argentinæ in natali solo depictæ testantur. In Plastica (hoc est figulina arte, quæ ex terra similitudines iidem fingit) Germani præstantes sunt, quod ipsa figulina vasa, & plurima valorum fictilium genera, quæ modò humanæ vitæ usui sunt, indicant & demonstrant. Hic sunt, quos vel

Corebus Atheniensis figuline artis inventor,
admirari possit & laudare.

CAP. LXIX.

De fortitudine Germanorum.

Multi Græci & Latini Auctores fortitudinem Germanorum extulerunt. Brevitatis tamen causa, multis omissis, Philippi Beroaldi Præceptoris tui ex quadam oratione verba subnotabo. Germani, inquit, quos & vulgus, & Historici luculenti, Alemannos appellant, in unum animosi, liberales, ingeniosi, Scriptores præsci Germanos extollunt, quod à parvulis duritiei & labori studentes, in venationibus, atque in studiis rei militaris confisterent, quibus arma tractare ludus fuerit, feræ excipere voluptas, quam acres forent bellatores, & libertatis retinentissimi, sæpe Romani experti sunt, & quidem infeliciter, quorum exercitus quinque Consulares, sub totidem Ducibus, per intervalla temporum, fusi prostrigatiq; sunt. Nec impunè Caius Marius cum pugnacissima gente conflixit. Divus quoque Julius magis arma Germanis ostendit, quam intulerit. Augustus Cesar. Virtutem Germanicam duabus cladibus expertus, Lolliana scilicet, & Variana. Sed Varianam adeo exitiabilem sensit tribus legionibus cum Duce castis, adeoque confectus est, ut barba capilloque promisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, Legionem redde. Quid multa? Germani ob unicam fortitudinem ac vim bellicam, Herculem, Martemque perinde ac Virtutis Præsides in primis coluerunt, nihil neque publicæ rei, neque privatae, nisi armati agentes, præditi proceris corporibus, & statura prorsus militari. Nec apud nos Germanos soli viri pugnaces & egregii sunt bellatores, ipse femina, cum res postulat, ad arma parata sunt, studia bellica tractantes. Proditum est memoria, feminas quoque Germanas, sumptis aliquando pro patria armis, ex integro virorum pugnas instaurasse, & sicut Cornelius Tacitus Auctor est, nullam aliam doctem afferre consuevisse in maritorum domos, quam frenatum equum, & scutum, & frameam.

CAP. LXX.

De Nobilitate Germanorum.

Joannes Teutonicus ille egregius Decretorum Interpres in quadam glossa dist. XXXIV. Germania, inquit, à germine dicitur, est enim verum germen Nobilitatis. Atque hunc Teutonem dices, & suæ genti blanditum. Alierius igitur nationis hominem afferam, Germanorum alioquin hostem, & detractorem Antonium Campanum, qui de Germanis loquens sic ad verbum ait: Illi domi concordet, foris strenuus, & acquisivere Imperium, & tantam illustrium virorum multitudinem pepererunt, ut per reliquum orbem veluti coloniis Nobilitatis usquequaque deductis, familias nobilissimas & Regias propagaverint, nec ulla sit familia in Gallis, ne Regia quidem, nulla in Hispania, aut in Italia paulo illustrior, quæ si antiquitatem reperat suam, non statim è Germania esse prædicet, & veluti è seminario quodam veræ Nobilitatis è vobis venisse gloriatur. Nam quis obsecro familiam Gallorum Regum tam celebrem, tam laudatam protulit? Germania, Pippino Germano Auctore. Quis Hispania domum tam insignem, quæ nunc Regnum obtinet, & prope ad Lybiam usque protenditur? Germania, Richardo Visigotho Germano Auctore. Quis tot Nobilissimas Familias per universam Italiam, tanquam excusso gremio Nobilitatis fudit, sparsit, seminavit Germania

Henrico

Henrico Germano auctore, qui Ordolphos, Varanos, Malateſtas, Manfredos, Gallafos, Feretranos, Vicecomites, Gonzagas, aliasq; innumerabiles & inſtituit Nobiles, & locupletavit: ut verè dici, poſſit, fontem Nobilitatis virum & perennem fuiſſe Germaniam, aut mare potius, quod omnes Provincias Europæ ſuo ſplendore, velut æltu quodam Nobilitatis, inundavit, dum in Galliam, in Hiſpaniam, in Italiam nationesq; alias propagavit Imperium. Non ergo à Romanis Germania traxit, ſed Romanis potius Germania Nobilitatem immiſit, quam majores noſtri Virtute, gloria, rebus geſtis magnificè pepererunt. Si enim à Virtute Nobilitas naſcitur, Germani proſectò Romanis Virtute minimè inferiores extiterunt, utpote qui Fidem Integritatem, Juſtitiam, Liberalitatem, Veritatem ſemper coluerunt. Si magnificentia rebusq; geſtis Nobilitatem adipiſcuntur homines, quæ natio magnificentior, minusq; invicta Germanis? Quod ſi ex antiquitate & longo ævo nobilem quempiam judicabimus, fuere Germani longè vetuſtiores Romanis, Roma enim Chriſtum anteceſſit annis ſeptingentis & quinquaginta duobus. At nobiliſſimam urbem Treverim, quæ, Ammiano Marcellino Auctore, in Germania ſita eſt, conſtat duobus annorum millibus Chriſti ortum excedere dururnitate, id quod nec ipſi Romani iuſſiciantur.

CAP. LXXI.

De Liberalitate Germanorum.

Germanos comes, faciles, & pecunie liberales eſſe, nemo unquam negaverit, quum non ſolum inter ſe, ſed etiam in advenas & peregrinos hospitalitatem (decorum Liberalitatis genus) obſervent, quorum domus hoſpitibus non modò facile patent, ſed etiam ipſi errantibus comiter & ſine ſaſtudio vias demonſtrant: tamen in quo Virtutem ſuam cæteris impendere nituntur, & in quo laudè mereri debent, in eo ignominioſam vitii labem ſibi comparant, gula enim & ebrietatis arguuntur ab his, qui ſuam avaritiam & odioſam tenacitatem ſimulata moderatione ſiſtag, frugalitate norunt obumbrare. Germanorum Humanitate Divus Athanaſius quum in toto orbe tutus non eſſet, furorem Imperatoris ab Ario ſeducti, evaſit, ac duobus ferè luſtris hoſpitiò clam exceptus, apud Germanos fidei ſymbolum cæteraque conſcripſit. Germanorum Humanitatem, Liberalitatem, & in hoſpites munificentiam Cornelius Tacitus probat. Convictibus, inquiens, & hoſpitibus non alia gens effuſius indulget. Quemcunque mortalium arcere tectò nefas habetur. Quid mirum, nos hodie Hoſpitalitatem diligere, poſteaquam Chriſtus & Diviniſſimus Paulus eam tantopere commendarint, quum majores olim noſtri nondum Chriſtiane Religionis conſcii, naturalis ſolum rationis ductu, in advenas benefici fuerunt, & perliberales. Viderint qui nobis ebrietatem adſcribunt, ſi non Virtutem noſtram in vitium calumniatores vertant.

CAP. LXXII.

De fertilitate Aſiæ.

Ut multas Germaniæ Regionem omittamus, Aſia fertilitatem proſequamur, ea tamen Germaniæ portuincula eſt, tamen æris temperie, ſoli fertilitate, aquarum copia, nemorum ſalubritate, Cereris ac

Bacchi abundantia, ac omnium rerum ubertate eſt effluentiſſima, qua merito cella penuaria & Germania nutritrix nominari poteſt. Aegyptus, Sicilia, Italia; Hiſpania, ſicut receptiſſimi Auctores prodiderunt, ſunt quidè Regionem uberrimæ fertiliſſimæque: frumenta tamen & vina quæ illic colliguntur, craſſa ſunt & pingua, & ſciti ſaporis, minimè tamen duratura, quæ tamen apud nos ad 60. uſq; annum incorrupta, illæta, ſincera, pura, & ad mortalium uſum accommodatiſſima permanent. Huc adde, quod Aſiatici divina ingenia ſortiuntur ex æris lociq; temperie. Multos protulit patria noſtra claros doctrina & eruditione viros. Extantq; hodie etiam in quocunq; diſciplinæ genere peritiſſimi. Si Theologum deſideras, ad manum eſt Keyſerſpergius, ſi Jureconſultum, Bernardus Wurmuſer conſcipulus tuus in promptu eſt, qui tecum una Bononiæ Divini & humani Juris Profeſſoribus operam dedit, & in Legali Doctrina ita acutus, ita diſertus evaſit, ut meritò dici poſſit noſtri temporis Papinianus. Is quam ætate juvenis, tamen eruditione veteranus eſt, quod & illius Reſponſa & Conſilia lucidiſſimè teſtantur. Sed heu ſuccurrit nunc Amandus Wolphius, tuus Germanus frater Jureconſultus egregius, qui ſuperiori ætate morbo intercutis aquæ periit, cui ſi vitam prorogaſſet Deus, exornaſſet ſeculum noſtrum. Sunt in Medicina, ſunt in Mathematica, Oratoria, Poëtica, qui nec ſpernendi ſunt, nec abjiciendi. Loquar de Thoma noſtro Aucupario, ob brevitatem reliquis obmiſſis, qui neſcio quid magni ac alti de ſe pollicetur, qui ſi ætate proceſſerit, proculdubio non tam Aſiatiam quam Germaniam Poëmatis ſuis illuſtrabit.

Concluſio per Epilogum.

Denique ut ad calcem properemus, exploratum eſſe non dubitamus, in toto orbe Germaniam cæteris præſtare nationibus Virorum multitudine, ſcæminarum pudicitia, Ducum, Principum excellentia, eorumq; ſincera ac pura Nobilitate, militum fortitudine & proceritate, atque communi liberalitate, fide, integritate, libertate, conſtantia, artiumq; præcipuo ingenio, Episcopatum magnificentiâ, urbium & civitatum numeroſitate, magnitudine, ac ſtudioſiſſima templorum inſtauratione, Romane ſedis obedientia, decimarum & eleemoſynarum largitione, honeſto veſtium uſu, tum ſua ſalubritateq; cæli jucundiſſima. Præterea ipſa Germania, benigniſſimo ventorum aſſlatu, latiffimorum fluviorum & Thermarum copia, nemorum & ſaluum jucunda utilitate, crudelium ferorumque animalium carentia, & magna ſoli fertilitate Principatum obtinet. Quicquid eſt, quo vita noſtra carere non poteſt, id omne Deus Germania non invidit, opes, pabula, lacus, fruges, vinea, variiq; generis vina, vel unica Aſia, multis exteris abundè præſtat, vellera, lina, veſtes juvenci, equi, metalla, aurum, argentum, æs, ferrum, non ſolum montes, ſed & flumina Rhenus, Danubiuſq; proferunt, ut nec Pactolo, neque Tago cedat Germania, longè à mari diſtans, quod Plato improbitatis magiſtrum appellat. Sunt demum Germani Saerosancti Chriſti Religionem deditiſſimi, ac obſervantiſſimi, à qua nec vinculis, nec carcere, nec ipſa denique morte diſvelli poſſunt, ſicut, neque à veritate (quam ipſi Perſis ſanctius colunt) recedere videntur, quod proſectò ſanctiſſimum & omnium præſtantiſſimum eſt dijudicandum.

F I N I S.

SERMO.

SERMONES CONVIVALES

CLARISSIMI VIRI

CONRADI PEUTINGERI,

In quibus

Quamplurima ad illustrationem Germaniæ spectantia explicantur.

UDALRICUS ZASIUS LEGUM DOCTOR,

Friburgensis,

THOMÆ WOLPHIO, JUNIORI JURIS

Pontificii, Literarumq; humanarum, & integritatis Adfertori

celeberrimo, Felicitatem.



Uos Sermones convivales, Clarissime Thoma, ingenio, & vigiliis omnium nostra ætate absolutissimi Viri Conradi Peutingeri elucubratos, mihi ostendisti, dici non potest, quantum mihi placuerint. Est enim in eis non solum eruditio rerum Germanicarum remotior, utpote quibus & rara & in hunc diem incognita prodierint, sed etiam copiosa summoq; artificio elaborata traditio. Quantum, Dii boni Germaniæ non quota portio doctissimo huic Viro debeat? Quæ (mentioribus ante hac, nescio quem saltum modum dicentibus) frustrata amplissimis & finibus & territoriis fuit: Nunc Conrado iudice peritissimo, in re præsentis, & velut manu conferta, agitaram litem dirimente, sit restituta. Erior vulgaris, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Ubios, & bonam Cisrhenanorum partem Galliæ tribuit: At Conradus (id quod ante eum Jacobus Wymphelingus communis amicus noster, Vir doctrina, moribus, ætate, integritate, virtute, venerabilis, & conspicuus, non mediocriter attigit) suo quosq; loco, suæ conditioni, suæ origini ita reposuit, ut Germania nostra (quod à quadringentis annis, & eo amplius non potuit) in corpus solidum coivisse jure optimo gloriatur. Mira est hujus Viri exquisitio, ingenii promptitudo incomparabilis, memorta tenacissima, qui infinitis propè negotiis, tum Regiæ Majestatis apud quem potiores partes agit, tum etiam suæ Urbis Augustensis, quæ ab ejus auspiciis non modicè pendet, tum denique amicorum suorum quibus omnia se debere putat, impeditus, tam varia tam à communi cognitione recedentia, & quæ annexissimos labores, continentissima studia, multijugam lectionem requirant, colligere potuerit. Quis itaq; nostræ ætati non gratulabitur? Quis Suevorum inelytam nationem? Quis Augustenses præcipuè, non maximi fecerit? qui eo decorantur Viro, quem unum vetustati objicere quam verissimè valeamus. Taceo hic ex industria suam incredibilem humanitatem, qua & vocare ultro ipse, nedum desiderantes recipere in suam amicitiam consuevit. Mitto suam affabilem comitatem, munificentissimam liberalitatem, qua ædes suæ, non quidem affectata elegantia conspicuæ; sed Heroica dignitate venerabiles, Literatis omnibus, velut quondam Cymonis possessiones peregrinis patescunt. Prætereo alias suas virtutes plurimas, quæ vel singulæ singulos claros efficerent, in Conrado coagmentatim splendentes. Eas, inquam, tametsi proprio experimento, didici, vidi, novi, mitto tamen quando epistolaris brevitastam diffusa non pa-

titur, & satius est de magnis Viris silere quàm modica dicere. Tu igitur, mi Thoma, nihil potuisti facere, vel consultius, vel quod virum bonum plus deceret, quàm eam desumere operam, qua Sermones tanti viri typis faceres informari: Rem Germanam (quàm antehac in Wymphelingi nostri operibus & defendisti animosè, nedum luce adjuvisti) istiusmodi convivilibus publicandis ita demerebere, ut cum ipsa omnem suum splendorem, dominatum, fines, agros Conrado nostro maxime, nec minus Wymphelingo debeat, tibi proximas beneficii partes sit concessura. Addo Literatorum omnium vicem, quibus hoc labore mirificè commodabis. Facis quidem pro ingentibus animi tui dotibus, quas etsi ingenitas, exercitio tamen in optimis disciplinis, jam ab adolescentia esudato, mirificè illustrasti. Tu & Italiam universam peragrasti, & Præceptoribus in toto Orbe illuminatissimis Bartholomæo Socino, Vincentio Paleoto, Jurium Professoribus, præterea Philippo Beroaldo, ejusdem Vincentii genero, Antonio Codro Republicæ Literariæ Principibus, operam impendisti, præclaris consociatus maximiq; nominis discipulis, Joanne Baptista Pio, Philippo Beroaldo Juniore, Henrico Cajado Lusitano, Mutiano Ruffo Germanorum doctissimo, & qui alter Varro in omnigena sit Doctrina perspicacissimus: Ad hoc etiam Theodorico Gresmundo, Joanne Etkampiano Academiæ Moguntinæ Illustratoribus primariis. Tu cum juvenis studii causa Romæ ageres, periculo te vitæ subjecisti, ut abstrusa ignotaq; Romanæ vetustatis monumenta, quæ ptopediem proditura speramus, eruens, posteritati consuleres. Quo minus mirum fecerim, si omnem tuam operam, omnes vigilias, omnem laborem, in eo absumas, quò & multis proffis & Literatos præcipuè adjuves: homo enim ad optima quæq; natus, quid nisi benefacias? Duo sunt præcipua quibus velut alis in veram gloriam mortales subvehuntur: Literatura & Liberalitas: Quæ utraque, ita in Te admiramur, ut periculum sit, utro excellas. Illa quippe ingenii tui opulentissima sætura, castissimaq; Eruditione elucescit. Hæc verò usque ad eò & sæpe comprobata est, & quotidie comprobatur, ut Franciscus Picus Comes Mirandulanus omnium Doctrinarum lumen, nuper cum Conrado Peutingero illo nostro, Collaurioque Viris splendidissimis, tuo exceptus hospitio Symposium sapientum, domum tuam, teque Philosophorum esse hospitem prædicaverit. Probat id non domesticorum modo, sed externorum concursus, Baptista Mantuanus nulli ex majoribus posterior, suis te operibus celebrat. Wymphelingus tibi

ubi est conjunctissimus, Gallinarius, Acuparius, Philisius literarum humanarum sacramentarii adsertores, te ut patronum observant. Quid dicam quantum in te momenti colloceat Mutianus Rufus nostræ ætatis Cicero? Quid Maternum Pistoriensem hominem ex asse formatum? Quid Petrum Eberbachium Erfordiensem adolescentem, supra quam sua ætas ferat, eruditum, qui accepta à parentibus optione cui potissimum pessis tempore cohabitaret, te jam tum ignotum elegit? De me verò quantulas inter Eruditos partes habeam (neque enim in tuo sum albo) quid loquar? qui tot à te sum officiis affectus, ut omnia tibi me debere putem. Quæ cum ita sint, non possum non jure optimo detestari, & velut luem quandam abominari seneciones quosdam, extrema jam ætate confectos, quos nutu significo, qui cum tibi & sint gentiles quoque, ne dum cognomines, pro ventibusque opulentissimis provisi, utpote numerosis Præbendis, Canonicatibus, Sacerdotiis (quæ beneficia vulgus vocat) confarcinati, te tamen virum optimum, justum, humanum, & doctissimum, odisse, rebus tuis insidiari non cessent. Habet hoc avaritiæ sordes, ut nummos tanquam idola colat, in eosque solos; spem, vitam, quin & humana Divinaque omnia ponat, virtutem oderit, bonos læssat, persequatur pios, & præcipue consanguineos eviscerare velit. Sed exitus acta probabit:

Illos pernicios, te manet ampla salus

Hæc tamen aliquando pluribus. Tu sicut cœpisti perge, Convalesque illos sermones à viris peritissimis approbatos, & proinde pro Platonis sententia luce dignissimos, fac formis exprimas. Sicut enim Austorem scribentem, immortalis laus, ita te publican-tem magnifica gratulatio comitabitur. Vale

Ejusdem UDALRICI ZASII ad Auditorem pro liberata Germania.

*Rhenus utrumq; latus Germania gente vetusta
(inquit, & arvirgeris se extulit usq; viris,
Perfidus abstulerat fines tibi Rhene resessos
Hostis, fraudosa & corrumpit arva manu.
Germanam solus Conradus restituit rem,
Hostibus oppressis justa trophæa locans.*

PETRUS EPISCOPUS
TERGESTINUS.

Reverendo Patri Domino

MATTHÆO Lang / Præposito Augustensi, Cæsareæ Majestatis Consiliario.

S. P. D.

LEgi nudius tertius libellum tibi dicatum, quo Conradus Peutinger conterraneus tuus multiplicis Eruditionis vir, Genialis cœvivi vestri sermones varios, luculentissime complexus est. Ubi etsi pleraque alia obscura prius, & recondita, in lucem edidit, quæ paucis admodum nostri temporis hominibus cognita fuerant. In eo tamen imprimis apud immortales gratiam consequi merito debet, quod dum communis Symposii fabulationes, scriptis referre studet, non modò Te, ac munificentissimam hospitalitatem tuam, posteritatis memoriæ commendavit; Sed quod debet esse digno viro jucundius, Patriæ ac nativi soli gentisque vestræ nobilissimæ abscissam à desertoribus propriæ vestis laciniam, acerrimus assertor occurrens, ita vindicavit, ut nemo posthac detrahare quidpiam possit, quin oculis quamprimum omnium manifestè furtum appareat. Pro quo quidem beneficio nequa-

quam mihi dubium est, quin his laboribus suis Conradus Peutinger, si minus apud præsentis (qui plerunque vitio malignitatis humanæ viventium scripta, etsi lectio placeat, fastidio tamen quodam prætereunt) apud posteros non parvam laudem & gloriam sit adepturus. Non accedo, Operis hujus adulator apud Te, qui ingeniorum nostri temporis es solertissimus censor, perpendes ipse inter legendum, quo studio, qua indultia, quot citatis, & nostri, & præsci temporis Autoribus; quot inquisitis Marmoribus, & veterum Nomismatis; Germaniæ partem non ignobilem citra Rhenum, quam sibi Galli quidam seu potius Germaniæ desertores adsciscere ausi sunt, Imperio & nomini nostro restituerit. Dignus præfædo cui non minus Germania tota debeat, occupata Regionis assertori, quam iis obnoxia est, qui fines suos ultra præfixos à natura terminos in Gallias antiquitus protulere. Videbit igitur Dignatio Tua ex scriptis Conradi nostri, quibus indubitatis argumentis occurrere possis, iis qui aliquando Argentoratum, Nemetes, Vangiones, Moguntiacum, Agrippinenses, & pleraque loca alia citra Rhenum, Germanos Galliarum inscribere populos, sunt ausi. Nichil enim omisit, quod ad rem attinet, quod summo labore, summa diligentia, & fide non adduxerit, in parvo hoc libello suo. Neque id præfædo mirari satis possum, quomodo vir arduis ac continuis Reipublicæ suæ negotiis occupatus, bonarum literarum studiis tantum operæ impendere, tot Autorum volumina evolueret potuerit, quæ si rectè, quanti momenti sint, tecum æstimes, singula sibi totum requirere non incem reputabis. Est tamen ita celeris, ita præsentis ingenii noster Peutinger, ut in maximis etiam Reipublicæ occupationibus, veterum semper Scriptorum quidpiam legat, & ne in aliquo desit patriæ commodis, dum sibi ex agendis negotiis otium suppetit, immortalibus scriptis suis, patriæ decus tutatur & excolit: Hanc brevem epistolam, Reverende Præposito, eò tibi jucundiorum futuram certo scio, quod & libenter audis amicissimi hominis præconium. Et is es qui inter cæteros excellentis ingenii Viros, Virtutem colis, magnificas amplecteris, & quamvis sacratissimi Cæsaris Maximiliani maximo negotiorum pondere deprimeris, ut vix è laboribus respirare liceat, nihil tamen tibi dulcius est, nihil suavius, quam cum Viris doctis versari & literarum amatoribus oblectari plurimum. Inter quos (mihi aliorum pace dixisse liceat) primam arcem possidere videris. Vale nostri memor ex Oeniponte XV. Kalendas Januarii M. D. IV.

Reverendo in Christo Patri ac Domino

MATTHÆO Lang /

Ecclesiarum Gurcensis Administratori, Augustensis Præposito, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, Domino suo in primis observando, CONRADUS Peutinger J. U. D.

S. P. D.

URBS Augusta Vindelicorum: (unde nobis origo est) gaudet plurimum, & hac præcipue voluptate afficitur, sibi Te eum ex Patricia gente civem natum, atque datum esse, qui naturæ bonis omnibus refertissimus, continuusque apud Imperatorem, Cæsarem, Maximilianum Augustum, Patrem patriæ degeres, & Universitati tui nativi soli, & Ecclesiasticæ & seculari præses. Obtines quidem post Reverendissimi-

distinuum Episcopum dignitatis gradum primum, primus item Patris patronus, utriusque honor atque decus, quibus potissimum accedit, singularis illa tua bonarum literarum eruditio, atque humanitas, iis enim circa te fortuna mutavit nihil, nec (ut plerique solent) quicquam superbe, tumideve, nihil denique cupide vel libidinosè agis, sed omnes ad te ingredientibus benevolentissime excipis, comitaris, propè eos subsistis, omnibus & occurris, hæremus lateri tuo quique accedimus, quod etsi emines, ambulastamen inter nos, quasi pares tibi essemus. De insignis militaribus ordineque equestri, tibi partis, omnes gratulantur, dum pridie Idus Septembris, noster invictus Cæsar, Bohemorum 10 Millia in campis Noricis, non longè à Ratispona Danubiana, sua, & Imperii Rom. libera civitate, primus ante suos halta congressus, fudit, profligavit, occidit, & plerisque captivis vitam elargitus, sarcinisque armis & universis eorum impedimentis in prædam concessis, cum exercitu, ovans atque triumphans Ratisponam est reversus: Ubi tu etiam una, tuis stipatus justum Sacri Imperii bellum fovens, armatus insidens equo, quid Marte fremente, valida manus possit, conflictu facile expertus es. Admirandum & illud profectò, quod invictus Cæsar tam incunctanter celeritateque nimia apud Rhenum sita oppida, arces, gentas, & provincias subjugaverit. Danubium deinde petens Bohemica victoria positus, ad fines alpium tandem Rheticarum oppidum Kuessteinum munitissimum, super Oenum flumen, ab accolis Inum appellatum, in Bjoarico Ducatu non longè ab illustri Comitatus Tirolensis finibus situm, per dies continuos decem, quibus id, & arcem ejus, obsidione cinxerat, tormentis minacissimis (quas à sono Bombardas nuncupant,) adeò conquassavit, ut muris solo æquatis, facilem sibi ingressum aperuit, oppidoque V. idus Octobris in deditioem coacto ad XVII. Kalendas Novembris ipsam denique arcem quasi inoppugnabilem muris laceratis atque fractis cepit. Deo itaque Maximo Optimo adjutore, Majestatem ejus indices majora aggressuram speramus. Sed ut tandem ad te redeam, qui Virtutibus tuis perpollentibus, eam tibi famam acquisivisti, ut omnes in amore tuo, quotidie devincas, & ne splendori (qui tibi acumulatissime accedit) quicquam deesset, ad VII. idus Octobris, Joannem Caprum Divinarum Humanarumque rerum Interpretem doctissimum, Nobiles & Venerandos Ecclesiæ tuæ Canonicos, Bernhardum Walkirchium, & Hieronymum Sojner; simul quoque Sebastianum Yising; Patricia domo Augultensi natum, Jureconsultos disertissimos Joannem Jung Seniore, & Joannem Orthonem, artis Medicæ, & Syderalis Scientiæ expertissimos professores, & etiam me, prandio tuo præsentem esse voluisti, ad convivium invitati convenimus, rectè scilicet instructum, atque lautissimum, & accumbentibus nobis, severitate omni postposita, de variis & admirabilibus ipsius Naturæ, & aliis rebus, inter nos jucundissimus, plenusque voluptatis, & ut Seneca ad Lucilium scribit: Nullam rem usque ad exitum adducens, sed aliunde aliò transiliens, Sermo habebatur.

Ossa Divi Dionysii non in Gallia, sed Ratisponam translata, ubiq; ad sanctum Emmerannum condita esse.

O Mine optimo evenit, ut de Divo Dionysio, Atheniensium Episcopo diceremus (eo enim die fe-

stum ejus agebatur) qui una cum Apollophane Sophista in Ægypto, Heliopoli, quando Christus Jesus passus est, solem vidit præter naturam obscuratum, & tetram noctem subito terris obductam, cognovitque mox verum omnium Deum, eodem Sophista responde (ut ipse ad Policarpum scribit) rerum has Divinarum vicissitudines esse. Tunc Caper nobis referebat, Gallos hunc, ut eorum Apostolum, venerari, & credere, ossa ejus, ad secundum lapidem à Parisiensem urbe, ad eadem lacram sepulta esse, contra tumira suavitate recensebas, te atque R. D. Episcopum & Comitum Tergestinum, Petrum Bonomum, bonarum literarum studiosissimum, compertum habuisse, ossa hæc ex Gallia Ratisponam ad sanctum Emmerannum translata, ego ut ea comprobarem, exemplar literarum Apostolicarum, mihi à Monasticis, ejusdem Monasterii, datum, Capro postea perlegendum misi, in eo enim Leo IX. Pont. Max. Bruno antea vocatus, Tullensium Episcopus, procurantibus Gallorum Legatis, Imperatore Cæsare Henrico II. Augusto præsentem (cum beatum Wolfgangum in Divos retulisset) declarat, Divinum Dionysium Arlopagitam, Ratispone quiescere, & hæc acta esse anno Christianæ salutis M. LII. Anno Pontificatus sui IV. Indictione V. Nonis Octobris.

De Conjugio Pauli Apostoli ex Ignatio Antiochia Episcopo.

Sermo noster sequens erat de Conjugio, domesticaque rixa, atque pugna, multæ tunc Apostolorum Principis sententiæ afferebantur, tum Caper nobis omnibus penitus incognitam aperuit. Ignatium Martyrem, Marci Evangelistæ Discipulum referre, Divum Paulum conjugatum fuisse: Ego postea domi confidens, epistolas ejus diligenter perspexi, & in una quam ad Philadelphenses ex Troja dedit, ita scriptum comperi: *Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptius copulati fuerunt, quorum nunc memini, opto enim Deo dignus, ad vestigia eorum in Regno ipsius inveniri, sicut Abraham, & Isaac, & Jacobus, sicut Joseph & Esaias, & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptius fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed postortatiis subroganda gratia, conjuges habuerunt.*

De Lusitanianautis qui in Indiam navigant.

NON unus, sed variis nobis erat sermo, & colloquutione ulteriori ad ipsum etiam Oceanum, ejusque recessum atque refluxum, & Lusitanici Regis fortunatissimi navigationem, Indiam versus compertam devenimus, qui ex Indis aromata, cæterasque merces ad nos advehit, speramusque prope diem auspicio invicti Cæsaris nostri, & adfensu Lusitani Regis, nostros Augustenses, navibus propriis atque mercibus Indiam peturos. Res profectò admiranda eundem Regem, ea gratia divina adfectum, ut solus illuc primus nostro seculo ex occidentibus penetraverit, egoque mihi facile persuaderem, eam transfretationem, vel etiam similem Majoribus nostris penitus incognitam, & priori ætati intentam fuisse, nisi C. Plinii Secundi verba me ambiguum parumper redderent, inquit enim ipse, lib. II. cap. 69. *In Sinu Arabico Cajo Cæsare Augusti filio regente, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis fuerunt agnita, & Hanno Carthaginis potentia florente circum*

circumvectus à Gadibus, ad finem Arabia navigationem eam pròdidit scriptor. Præterea Nepos Cornelius auctor est, *Eudoxum quendam sua aetate cum Laibhyrum Regem fugeret, Arabico Sinu egressum Gades usque pervectum:* Multoq; ante eum Cælius Antipater *vidisse se ait, qui navigasset ex Hispania in Æthiopiã commercii gratia!* Idem Nepos de Septentrionali circuitu tradit: *Q. Metello Celeri, C. Afranii in Consulatu Collegæ, sed rùm Gallie Proconsuli, Indos à Rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Pomponius Mela libro III. post descriptionem Germaniæ, non Suevorum, sed Bohemorum Regem refert. Pliniana tamen lectio similior verò, Hermolao Barbaro placuit & nobis placet, quia navigationes, per alium fieri commodè non poterant, nisi per eum Oceanum, quem Lusitani nautæ hodie transfretant. Idem Mela: *Unde in eas terras devenissent, requirendo, cognosce, vi tempestatum ex Indicis aquoribus abreptos emensosq; quæ intererant, tandem in Germania litora exiisse.* Pius II. Pontifex Maximus in sua Asia præmissis subjungens ait: *Nos apud Othonem legimus: Sub Imperatoribus Teutonicis Indicam navim & negotiatores Indos in Germanico litore fuisse deprehensos, quos ventis agitados ingratis, ab Orientali plaga venisse constabat.* Verùm propter nitorem ferculorum varium, non dico trivialem, abundantesq; vinorum propinationes, sermonibus proximis non contenti; sed tua convivali comitate acrius admoniti, ad alia provocati sumus fabulandum.

Quod Cisthenanæ Civitates ab Agrippinâ ad Argentinam, & alia, à C. Casaris Julii Dictatoris, & superiori tempore, non Gallis, sed vel Germanis, vel Romanis Imperii Calaribus Augustis vel Regibus semper paruerunt.

AT quia Rhenus Oceano ipso miscetur, pro Germaniæ nostræ laude Ammianum Marcellinum referre dixi, ambas Germanias primam & secundam, eas ita appellat, inter Belgas & Rhenum sitas esse, tunc Sebastianus noster Jacobi Wymphelingi Germaniæ illustratoris memor factus est; is enim contra Germanos quosdam Patriæ desertores, pugnam subiit, & una cum suis peritissimis commilitonibus Thoma Wolphio Juniore & aliis vicit. Tu vero pro solita tua mansuetudine, injunxisti mihi, ut si quæ huic rei conducibilia scirem, adnotarem tibi que transmitterem, quibus facilius non solùm iis desertoribus, sed etiam Gallis (si qui essent) Germanias hæc affectantibus, obviam ire possemus; Sed quia eruditione tua & rerum experimentis excellis, quiniuno apud invictum Cæsa rem nostrum, affluentibus quotidie ex omnibus Nationibus disertissimis Viris, singula comprehendis, prout tenes uberrime, non video quomodo ex vacuo, in plenum calicem aqua insuere debeat. Verùm tibi nihil denegandum; imò verius Patròno atque Ductori optimo esse obtemperandum censeo, præstareque obsequium debebo, facio quantum possum. *Mola enim salsa litant, qui thura non habent.*

Cæsar Dictator Commentariorum libro II. de bello Gallico, refert: Remos Belgas vicinos Germanis Cisthenanis, per primos civitatis sibi renun-

ciasse, cum Belgæ contra P. R. conjurassent, cæteros in armis esse Germanos, qui cis Rhenum incolunt sese cum his conjunxisse. Belgas idem plerisque à Germanis ortos, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi confedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Quod M. Antonius Sabellicus libro V. Enneadis 6. apertius (ut mihi videtur) declarat: Inquit enim: Ex his cognitum est, à Germanis Belgas ortos, qui soli feracitate allecti, alii alio tempore Rhenum transgressi, eam terram, quæ Belgica diceretur, occupassent. Idem etiam Cæsar eodem libro: Condrosos, Eburones, Cerescos & alios uno nomine Germanos appellat: Præterea Rhenus non ex omni loco Gallos à Germanis, verùm (si Claudio Ptolemæo credimus) Germaniam Magnam à superiori & inferiori, à primâ & secunda separat, superi & inferi Germani Belgas à Rheno dividunt. Idem Regionem circa Rhenum à Mari usque ad Obrincam fluvium, in descriptione sua, Germaniam inferiorem appellat, & ab Occidentali parte locat, post alios, Aggrippinenses, Bonnam, Moguntiacum, & supra versus Meridiem, Germaniam superiorem, ubi Vangiones, Nemetes, Tribochi, Argentini & alii. Cælius etiam Plinius Secundus qui bellorum Germaniæ XX. libros, quibus omnia, quæ cum Germanis Romanis gesserunt collégit, inchoavitq; cum in Germania militaret, ut C. Cæcilius Plinius de avunculo illo suo ad Marcum scribit libro IV. cap. 17. *Naturalis Historia,* ita ait: *Rhenum autem accolentes Germania gentium in eadem provincia, Nemetes, Tribochi, Vangiones, Gubi, Colonia Agrippinensis, Guberni, Butani, & quos in Insulis diximus Rheni, hi sunt Batavi, Cannefacæ, Frisi, Chauçi, Frisiaboni, Sturii, Marsarii,* eodem libro capite 14. & 15. enumerat etiam Germanorum genera quinque, Burgundiones, Varinnas, Charinos, Guttones, Vindelicorum partem. Germaniæ unum genus afferit, *proximos Rheno Istævones* appellat, quorum pars Cimbri in mediterraneis, Hermiones quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Cæsar ergo & Plinius & Ptolemæus Cisthenanos non Gallos, non Belgas, sed Germanos Rheno proximos dicunt.

Et quia Rheno proximos Plinius Istævones appellat, non incongruum erit de Istævonibus, & aliis plerisque Germanorum nominibus latius evagari. Cornelius Tacitus de situ Germaniæ ita inquit: *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoria & animalium genus sit, Tuisconem Deum, terra editum, & filium Mannum originem gentis, conditoresque Manni tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingevores, medii Hermiones, cæteri Istævones vocentur.* Quidam autem licentia vetustatis, plureis Deo ortos, pluresque gentis appellationes: Marfos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant, verùm *Berosus* (ut Josephus Mathatiæ filius, contra Appionem Grammaticum refert) *Genere Chaldæus* fuit, notus autem eis, qui doctrinâ, eruditionique eongaudent: Quoniam de Astronomia, de Chaldæorum Philosophiâ, ipse Græcas conscriptiones exposuit, antiquissimas secutus Historias de factò diluvii, & hominum in ea corruptione, sicut mos est, conscripsit. Is libro I. Historiæ suæ, ita ait: *Ante diluvium unus inter gygantes erat, qui Deorum veneratior & prudentior cunctis*

sanctis in Syria, Noa nomine cum tribus filiis Semo, Japheto, Cham, ex uxoribus Titea Magna, Pandora, Noela & Noegla, & cum omne genus aquis suffocatum esset, ipse cum familia sua qua navi crepta est, in Gordye montis vertice quievit. Idem quoque II. libro: Siccato ab aquis orbe non fuisse nisi dictos octo homines in Armenia Saga, & ab his omne genus hominum in terris seminatum, atque ob id Scythas rectè dicere & appellare Noam omnium Deorum Patrem majorum & minorum, & gentis humanæ auctorem, & chaos & semen mundi, Tyream verò Arcetiam, id est, terram, in quam semen & chaos posuit; & ex qua tanquam ex terra cuncti prodierunt. Ipseque Noa ut idem libro III. refert, Janus ob vitis inventæ beneficium, quod Arameis sonat, quod vinifer sive vitifer, item Cælum & Ogyges cognominatus est. Genuitque post diluuium filios plures, inter quos Tuisconem Gerinanorum & Sarmatarum patrem, & cum partitus esset terram omnem, eundem in Europa Sarmatiæ præfecit, ut libro IV. docet. Ipsius quoque termini erant, Tanais atque Rhenus. Tuisconi etiam juncti sunt filii Histri, & Mæsa cum fratribus suis, ab Adula monte Mæsembriam usque Ponticam: Adulam autem à filio Histri sic cognominatum, Moses Aduram vocat. Tuiscon autem Beroso docente, apud Sarmatas, populos multos fecit. Mæsa cum filiis Histri Pricos Mæsius ab Adula ad Mæsembriam profendit. Idem Tuiscon Gygas anno Nini IV. apud Rhenum Sarmatas leges docuit, genuitque Mannum, qui Semiramidis anno VI. regnavit apud Rhenum, non ergo improbamus à Tuiscone Teutschen nuncupatos. Manno autem successit Ingavon filius, unde prædicti Ingavones: Alterum à Plinio Germanorum genus, continens Cimbras Teutonesque quos Ingavones Annius super Berosum ex Talmudistis ædiculum incertum interpretatur, quasi ex genitore Scythico more edocti, ades vagas habitaverint. Cornelius Tacitus ait: Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, nec pati quidem inter se junctas sedes, colunt discreti, atque diversi, ut fons, ut campus, ut nemus, placuit, vicis loquant, non in nostrum morem connexis & coherentibus aedificiis, suam quisque domum spacio circumdat, sive adversus casus ignis, sive incitias aedificandi. Ingavoni apud Tuiscones ut idem Berosus refert, successit Istavon, à quo Istavones. Istavone defuncto filius ejus Hermion subrogatur, unde Hermiones, de quibus dictum est superius. Post Hermionem, Marso filio ejus relicto, Tuisconum Regnum delegatur. A verbo Arameo Marsus quod Principem sive Ducem consiliorum, ut Divo Hieronymo placet, significat, Marsus vocatus, unde Marsi populi, de quibus Strabo Cappadoces, sive Gnosius Amasius lib. VII. sic inquit: Quædam verò in profundam Regionem transmigrans pervenit, ut Marsi. Postea Tuisconibus præfuit Gambrius, id est, coronatus, à quo Gambrii, genuitque filium Suevum, cujus Regni tempore Osiris & Isis ad Germanos nave per Rhenum portati sunt à Suevo appellati Suevi. Idem Tacitus libro XIX. Historiæ Augustæ: Trahuntur in partes Sydo atque Italicus Reges Suevorum, quibus veteris obsequium erga Romanos, & gens fidei commissa patientior. Cæsar quoque libro IV. de Gallico bello inquit: Suevorum gens longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium: Horum pars, eodem

Tacito Autore: Isidi sacrificabat, ea causa mihi persuadeo, nostrates Augustenses, falso Cissam Deam appellare, templumque hoc, quod fuisse credunt, ubi nunc Augusta Prætorium conspiciamus, non Cissa, ut quidam dixerat:

Quem male polluerat cultura nefaria dudum:
Gallus monticulum hunc tibi Cissa tulit.

Sed Isidis fuisse, collemque ibi publicum, non Cissam, sed Isenberg, quasi Isidis montem appellant. Nec ego apud Doctos legi, nisi fortè pro Cissa Cererem putaveris, noster Adolphus Ortho Frisius Augustam prius Cissoim, à Vinda & Lici confluentia dictam credidit, nostri Cissam à Cissa, antequam Vindelica diceretur fuisse cognominatam asserunt. Inter scribendum hæc, advenit sororius meus Christophorus Welfer, Linguae Latialis non ignarus, & me super illa effigie lapidea vetustissima ædibus sacris Divi Udalrici Augustensium Patroni affixa, admonuit, eam non esse Cissæ, ut vulgus credit, sed Medusæ. Sculptos enim habet crines grossos viperæ, collum ejus plectentes, & in ejus gemmam, quam nobis monstravit, hoc epigramma protulit.

Exemptum media de Pallados Ægide dicas,
Gorgona, quam parvo claudis in orbe lapis,
Quin & monstrifici præstant miracula vultus,
Vidit & innumero palpat angue caput,
Tam similis non ipsa sibi est, se forsitan illa
Vidit, & à speculo saxea facta suo est.

Hanc eandem refert. M. Ann. Lucanus Cordubensis, Pharfaliæ libro nono.

Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
& accipit Oceanum demisso solè calentem,
Squallebant late Phorcjuidos arma Medusa,
Non nemorum protecta coma, non mollis sulco
Sed Domina vultu conspectis aspera saxis,
Hoc primum natura nocens, in corpore savas,
Eduxit pestes, illis è faucibus angues
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
Femineæ qui more coma per terga soluti,
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusa.
Surgunt adversa surrecta fronte colubra,
Vipereumq; fluit de pexo crine venenum.

Item P. Ovidius Naso Metamorph. libro IV.

— — — — — tamen excipit unus
Ex numero procerum quærens, cur una sororum,
Gesserit alternis immixtos crinibus angues.
Hostes ait, quoniam scisaris digna relatu,
Accipe quæ sit causam clarissima forma,
Multorumq; fuit spes invidiosa procorum
Illa, nec in tota conspectior ulla capillis
Pars fuit, inveni, qui se vidisse referrent.
Hanc pelagi Rector templo vitasse Minervæ
Dicitur aversa est, & castos Ægide vultus,
Nata Jovis texi, ne ve hoc impune fuisset
Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydras.
Nunc quoq; ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso quos fecit, sustinet angues.

Et quia Germania vitibus, tunc inepta erat, docuit Osiris ex hordeo potum fieri, haud multum virtute gustuque vini inferiorem, ut Diodorus Siculus libro I. attestatur, & idem Tacitus ait: Potui humor ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus est. Domitius Ulpianus

nus Jureconsultus ait: Certè *Zerzifum*, quod in quibusdam Provinciis ex tritico, vel ex hordeo, vel ex pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec Camum, nec Cervissa. Virgilius tertio Georgicorum.

Et pocula lacti fermento atq; accidis imitantur vitea sorbis.

Suevo deinde successit Wandalus; à quò idem Johannes Annius certis argumentis, *Vindelicos* esse ortos docet, quod non satis probo, cù Wandali & Vindelici longè differant. *Wandalum* postea in Regno Tuisconum secutus est *Tentones*, qui *Mercurius Germanorum* traditur fuisse. Hic sacrificos ritus indidit, de quo Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine dno

Tentanes, horrensq; feris altaribus esus.

Ab eodem *Tentonicos* dictos existimo, refert etiam *Berosus*, *Herculem Almanum* regnavisse apud *Tuiscones*. Hic est ille Hercules, de quo Tacitus ait: *Germani apud eos Herculem fuisse commemorant, primumque omnium virorum fortium ituri in pralia canunt.* Annius putat hunc *Almannum* dictum, vel quod *Manni filius fuerit*, vel et in Regno successerit. Noster *Ladislaus Regius Capellanus* me certiore reddidit, eadem sacram *Insula Rhenanæ Augia majoris*, à Deo ipso *Alman*, ab accolis cognominatam. Hinc *Suevos Alemannos* dictos credunt. hos *Fl. Vopiscus* in *Proculo* commemorans ita inquit: *Nam Alemannos, qui tunc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contrivit, nisi Alemanni (ut plerique credunt) à Lemanno lacu nomen habuerint, quodcunque sit, diutius in Germanorum hominum verusta conquestione evagati, ad rem redeamus. Germania vocabulum recens esse dicunt, libro VII. Strabo & Tacitus nuperque additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi sunt, Gallos expulerint, at nunc Tungri, nunc Germani appellati sunt, ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à seipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Ego autem id magis verustum credo: *Prisco enim Tarquinio Romæ, & Ambigato supra Gallos regnante, in Italiam Gallorum transitum T. Livius libro V. I. decatis describit, & de Belloveso Ambigati forotis filio, cui augurio quodam Dil latiore in Italiam viam dabant, ita inquit: Alia subinde manus Germanorum Elitovio Duce, vestigia priorum secuta, eodem saltu favente Belloveso, cum transcendisset alpes, ubi nunc Brixia ac Verona sunt.* Retuli etiam prius, *Belgas à Germanis plerosque ortos Rhenum antiquitus tractos, ut Cæsar Dictator ait.* Habet autem ab Oriente Germania *Dacos*, à Meridie *Italiam*, ab Occidente *Gallos* à Septentrione *Sarmatiam* prope *Oderam*. Idem *Strabo* libro IV. *Post Helvetios Sequani & Mediomatrici Rhenum incolunt, in quibus Tribochi natione Germani, relicto natali solo Rhenoque trajecto sedes posuerunt. Tribochos autem noster Cæsareus Poeta Conradus Celtis Protucius, à tribus quercubus antiqua religione Nymphis consecratis, nuncupatos affirmat, Tribotesque, vocabulo corrupto, cognominatos, nunc Argentineses, de quibus etiam postea Suetonius Tranquillus scribit: Germani ab Augusto Cæsare ultra Albim fluvium submossi, ex quibus Suevi, & Sicambri dedentes, traducti in Galliam, atq; in proximis Rheni agris collocati sunt.* Idem *Strabo* libro VII. *Germania portionem quandam ad Galliam traduxere Romani.*

Sicigitur *Belgæ*, ut plurimum è Germanis orti, Germani etiã ante Cæsaris Dictatoris tempora cis Rhenum habitauerunt, & inter Belgas ac Rhenum medii sunt, Gallos quoq; expulerunt, ipsisque imperaverunt, non video, quomodo antiquitus Gallis Germani paruerint. *Ammianus Marcellinus*, *Historiæ Augustæ* conscriptor diligentissimus, qui & sub Imperatore Cæsare *F. Claudio Juliano Augusto*, *F. Constantii*, fratris *Constantini Maximi* filio militavit, diuq; in *Gallia* atq; *Germania* fuit, libro suo *XV. sic inquit: Superiorem & inferiorem Germaniam, Belgasq; duâ jurisdictionibus iisdem temporibus rexere, at nunc numerantur Provincia per omnem ambitum Galliarum, secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita civitatib; amplis & copiosis: dein prima Germania ubi præter alia municipia, Moguntiacus, Vangiones, Nemetes, & Argentoracis Barbaricis cladibus nota: Post has Belgica prima Mediomatricos protendit, & Treviros domicilium Principum clarum: huic annexa est secunda Belgica, qua ambiati sunt, urbs inter alias eminens fuit. Ex illa divisione dilucidè comperimus, Germanias curbenanas olim fuisse, & hodie esse, quod *Strabo* eodem lib. IV. confirmat inquit: Post Mediomatricos & Tribochos Trinsgri Rheni adjacent, apud quos Rom. Imperatores contra Germanos belligerantes hac tempestate pontem adificiant, loca hac trans Rhenum incolèbant *Ubii*, quos ad interiorem ripam traduxit *Agrippa*, nec inultos quidem. Contigui Trinsgris sunt *Nervii* & hi quoq; natio Germanica: novissimi ad utrumq; fluminis ripam habitant *Menapii*, his per paludes & nemora domus sunt, non proceræ quidem materia, sed densa & dumosa. Secundum istos & *Sicambri* Germani consistunt, huic fluviali Regioni toti supereminens Germani alii quos *Suevos* appellant, qui potentia & hominum frequentia ceteros antecellunt. Credebam verbum *Vibii* supra positum, in *Strabone* minus emendatè impressum esse, sed cum *Herimolai Barbari* castigationes *Plinianas* perlegissem, cõperi eũ referre. *Strabo* *Vibios* appellat, credo tamen *Ubios* dici, ipse quoq; dicit viculum esse contra *Coloniã Agrippinensem* ultra Rhenum *Ubiu* cognominatum, sed de *Ubiis* alia subjungemus. Id. *Tacitus* ait: *Ipsam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Tribochi, Nemetes. Ubii quidem Rom. Colonia esse mernerunt, ac libentius sui conditoris nomine vocantur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati sunt, ut arcerent, non ut custodirentur.* *Tranquillus* in *Othone Cæsare* inquit: *Sub idem verò tempus Germanicianus exercitus in Vitellii verba juravit, quod juramentum factum esse constat, Agrippina per Fabium Valentem, quem secuti sunt exercitus superioris Germania. Idem Tacitus libro XII. Sed Agrippina Augusta Claudii Cæsaris conjunx, quò vim suam sociis nationib; ostendaret, in oppidũ Ubiorum in quò genita erat veteranos *Coloniã*q; deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius, ac forte acciderat, ut eam gentem Rheni transgressam, avus *Agrippa* in fidem acciperet. Unde *Julius Paulus* Jureconsultus, qui unã cum *Domitio Ulpiano* Assessor *Papiniani* fuit, ab *Antonino Heliogabulo* Cæsare (qui se invictum & summum *Solis* sacerdotem appellavit, ut clarè ex ejus nomismatis perspectum habui) vel à *Marco Aurelio Severo Alexandro* Cæsare Præfectus factus, ita scribit: *in Germania inferiori Agrippinenses, Italici sunt juris.* Extat adhuc oratio apud *Tacitũ* libro XX. Hi-**

storix Augustæ, qua Tencteri Rheno discreta gens, missis Legatis, mandata apud Concilium Agrippinensium edi jubent, quam ferocissimus unus e Legatis in hunc modum protulit. *Redisse vos in corpus nomenq, Germani & communibus Diis, sed præcipue Deorum, Marti grates agimus, vobisq, gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis, nam ad hunc diem flumina ac terras & cælum quodammodo ipsum cluserant Romani, ut colloquia congressusq, nostros arceant, vel quod contumeliosius est, viris ad arma natis inermes, & propè nudi sub custode & precio coiremus, sed ut amicitia societasq, nostra in aeternum rata sint, postulamus à vobis, muros Colonia munimenta servitii detrahatis, etiam fera animalia si clausa teneas, Viri utis obliuiscuntur. Romanos omnes in sinibus vestris trucidetis, haud facile libertas & Domini miscentur, bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quicquam, aut segregare causam suam possit, liceat vobis nobisq, utramq, ripam colere, ut olim Majoribus nostris, quomodo lucem diemq, omnibus hominibus, ita omnes terras fortib. Viris natura aperuit, instituta cultumq, patrium resumite, abruptis vectigalibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent. Sincerus & integer, & servitutis oblitus populus, aut ex æquo ageris, aut alius imperitabitis.* Agrippinenses consultandi spacio sumpto in hunc modum responderunt: *Qua patria libertatis facultas data est, avidius quàm cautius sumpsimus, ut vobis caterisq, Germanis, consanguineis nostris jungeremur, muros civitatis congregantibus se tum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius est. Si qui ex Italia aut Provinciis alienigena, in sinibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisq, sedes refugerit. Deductis olim & nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenere, hæc patria est, nec vos adeò iniquos estimamus, ut interfici à nobis parentes, liberos nostros velitis. Vectigal & onera commerciorum resolvimus, sint transitus incustoditi, & diurni, & inermes, donec nova & recentia jura, in vetustatem & consuetudinem vertantur, arbitrum habebimus Civilem & Velledam, apud quos pæcta sanctientur. Velleda autem, qui fuerit, Tacitus ibi declarat. Hanc orationem & Agrippinensium responsionem idè referendas censui, ut etiam ex iis Agrippinenses Germanos esse cognoscerem, sic de Moguntiaco satis constat, de quo Divus Hieronymus, & etiam aliis, ad Getoniam ita scribit: *Moguntiacum nobilis quondam civitas capta, atq, subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ extremiq, hominum Morini, Tornacum, Nemetes Argentoracum translata sunt in Germaniam. De Nemetibus Sebastianus Brand optimæ Eruditionis Vir & communis amicus noster ad Marcum:**

Inter Germanos, Nemetum celeberrima Spira

Quondam eras, à nobis nomen habere studens.

De Moguntia Celtis noster ad suam Ursulam cecinit

Moguntiacæ qua stant in manibus urbis

Sollicitas oculos, unica cura meos,

Inter qua Drusi stant ardua busta Neronis,

Clara à Germanis nomina primus habens.

Idem Celtis ad Rhenum.

Argentoracos, Nemetes & Vangionasq,

Abluit irriguo fons tuus ille vado,

Iamq, Moguntiacam vastus te flectis ad urbem,

Quæ prima impressas tradidit are notas.

De hac arte impressoria idem Brand.

Nuper ab ingenio Rhenana gentis, & arie

Librorum emerfit copia larga nimis,

Et qui divitibus, vix Regi obvenerat olim,

Nunc liber in tenui cernitur esse casa,

Gratia Dis primum, mox impressoribus aqua

Gratia, quorum opera hæc, prima reperta vita est

Quæ doctos latuit Græcos, Italosq, peritos,

Ars nova, Germano venit ab ingenio.

Movit mihi stomachum Præceptor meus, rerum vetustarum alioquin solertissimus inquisitor, Pomponius Lætus, voluit enim nobis Germanis, inventæ artis impressoriæ laudem præripere, ad Augustinum Maphæum scribens, ita ait: *Imprimendi facultatem, multis seculis intermissam, paulo antè revocatum esse.* Unde hoc diceret, ego plurimum cunctatus sum, tandem ex Francisco Cardulo Narniensi didici, eum Divi Cypriani sententia innixum fuisse, is enim de Idolis scribens inquit: *Saturnus literas imprimere & signare nummos in Italia primus instituit.* Qui licet rarus, apud Pomponium, vetustatis investigandæ, Christianus testis est, fidem tamen non facio, Divum Cyprianum de ea impressoria arte (qua nunc utimur) locutum fuisse, sed & Saturni tempore calami vel pennæ usus non erat, literas forte ferro vel lignis impressit, ceterosque docuit, non conjunctim, verum singulas particulatim imprimendo debito ordine locare: Vel ut idem noster Episcopus Tergestinus opinatur, *Saturnum docuisse literas imprimere eas quæ in nomismatis expressæ sunt, non quæ nunc papyro imprimuntur.* Signavis enim primùm in Italia cum Jano monetas, & in eas impressit literas. Sic Deus etiam verus apud Hieremiam capite XXXII. ait: *Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum.*

Reditum facio, ad utramq, Germaniam. Item Tacitus libro XII. *Historia Augustæ* iis temporibus in superiore Germania trepidatum, adventu Chattorum atrociniæ agitantium. Deinde L. Pomponius Legatus auxiliares Vangiones & Nemetes, addito equite alario, monuit, ut anteirent populares. Idem lib. XX. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petivè, ut Claudio Civilis jungerentur, erat enim Regia stirpe Butavorum Princeps, Herennius Gallus Bonnam obtinuit. Titus Livius lib. CXXXVII. L. Floro in epitomate referente: *Civitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum positas, à Druso oppugnatas fuisse.* Idem Florus libro III. Epitomatium de bello Gallico. *Drusus missus in Germaniam provinciam, primus domus Usipetes, & Marcomannorum spoliis insignibus, quendam editum tumulum, in trophæi modum excoluit, inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevos & Sicanbros pariter aggressus est. Germani postea, Quintilii Vari libidinem & superbiam, haud secus quàm saevitiam, odisse ceperunt, & Arminio Duce, armis correptis occisæ sunt Vari tres Legiones. Nihil ea cade per paludes, perq, sylvas cruentius, nihil insultatione Barbarorum intolerantius, præcipue tamen in caesarum Patronos, aliis enim oculos, aliis manus amputabant, unius os consutum, recisa prius ligna, quam in manu tenens Barbarus, tandem, inquit, viperæ sibilare desiste. Ipsius quoq, Consulis corpus quod militum pietas humi abdidit, effossum, aquilas etiam duas Barbari possederunt, tertiam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit, mersaque inter baltei sui lateras gerens, in cruensa palude latuit: Hac clade factum*

Etum, ut Imperium Rom. quod in litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Tunc ea Vari clade, sive Titi Enni Prætoris cæde, Legione etiam Martia amissa, Civitas nostra plurimum nobilitata, & forum publicum apud nos, Verleberg à perdita legione cognominatum, ubi aliquando inscriptum fuit:

*Indicat hic collis Romanam nomine cladem,
Martia quoque Legio simul perit.*

Ceciditque ea pugna, cum equitatu Macedonico Avar Græcus Bogudis filius, rusticus ex eo domus, non longe ab Augusta adhuc Brichsavar appellantur.

*His nomen terris Bogudis dat Regia proles
Græcus Avar pecudis de Suevis more litatus.*

Exurbis tunc Principibus occubere, Habino à quo collis Habinger inscriptus est:

*Præfatus Habino se victum atq; sepultum
Perpetuo montis nomine notificat.*

Et *Cacchus* qui villæ *Eachingen* nomen dedit, auxit hanc soli nostri nativi nobilitatem. *Decimus Drusus* Tiberii Neronis filius, Cæsaris Augusti ex *Livia Drusilla* privignus, restituit quidem urbem edificis, & arce contra *Pannonos* munivit, cuius vestigia in campo *Burgi* in suburbii portæ *Virginæ* adhuc conspicimus. Amplificaturque in dies ab invito Cæsare *Maximiliano Augusto Pio*, Felice, Patre patriæ. Supra scriptos itaque Auctores, testes inculpatæ vitæ, summæ doctrinæ, & experientiæ, si de nulla vacillantes referre volui, ut tua Dominatio aperrè perspiceret, Germanias ambas, inferiorem & superiorem, primam & secundam, inter *Belgas* & *Rhenum* antiquitus, etiam ante Cæsaris Dictatoris tempora fuisse, Gallos expulisse fixisseque ibi sedes suas, & quod *Rhenus*, easdem à magna Germania separaret.

Contra nos fortè Germaniæ desertores testes eosdem proferent, quibus si poterimus, satisfacemus. Dicunt ipsi: Idem Cæsar libro I. de bello Gallico ait: *Belgæ proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt.* Item Tacitus: *Germania omnis à Gallis Rhetisq; & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisq; mutuo, metu aut montibus separatur, cætera Oceanus ambit.* Item *Tranquillus* in Dictatore: *Gessit autem novem annis, quibus in Imperio fuit hæc fere omnem Galliam quæ à saltu Pyrenæo Alpibusq; & monte Gebenna, fluminibus, Rheno & Rhodano, continetur.* Item *Plinius* supra scripto capite 17. *Agrippa universarum Galliarum, inter Rhenum & Pyrenæum, atq; Oceanum ac montes Gebennam & Iuram, quibus Narbonensem Galliam excludit, longitudinem CCCCX. M. passuum, latitudinem CCCXIII. computavit.* Et *Solinus* de mundi mirabilibus inquit: *Galliæ inter Rhenum & Pyrenæum, item inter Oceanum & montes Gebennam, ac Liren, porriguntur felices.* *Paulus Orosius*: *Gallia Belgica habet ab Oriente fluminis Rheni Germaniam.* Item *Eutropius* libro X. de gestis Romanorum ait: *A Juliano Cæsare Constantii Cæsaris sororio, atque patruele, modicis copiis apud Argentoratum Galliarum ingentes Alemannorum copie extinctæ sunt, Paulus etiam Diaconus in additionibus ad Eutropium capite 3. Gravianus apud Argentariam, oppidum Gal-*

liarum formidolosissimum bellum incredibile felicitate confecit. Ex iis Auctoribus, nostrisque testibus Germaniæ desertores, argumentari volunt, *Provincias omnes Cisrhenanas ad Gallos spectare debere, quod inficiari volumus.* Et id approbamus: *Vetustissimos Gallia terminos aliquando ad Rheni fluminis partem protensos fuisse, ex eoque Germani Cisrhenani, ad Gallos non pertinent, sed Gallis repulsis, Germani cis Rhenum sedes proprias fixerunt, ibique Germaniæ, superior arque inferior, appellatæ, nunquam Gallis, sed vel Romanis, vel Cæsaribus Augustis, vel etiam Regibus vera origine Germanis paruerunt, & multo etiam tempore liberi fuerunt, præscripti etiam testes, ut certo persuasum ducos, cum de Rheno loquuntur, non proximum hunc terminum, sed magis notiosem significant.* Illud tamen non nego, *veteres Helvetios & Rauracos ad Nantuates usque, quos appellant Constantienses, olim Gallos, nunc autem Germaniæ superioris esse.* *Plinius* quidem *Nantuates* non meminit, verum post *Rauracos* à Cæsare *Rauracios* dictos. Principium *Tribochorum*, ad Germaniam Cisrhenanam superiorem porrigitur, nec *Orosius* Galliam eo loco usque ad *Rhenum* describit, sed ad Germaniam *Rheni fluminis*, hoc est, cis *Rhenum*, ut *Ammianus* docuit. Præterea si *Gallia Belgica* aliquando usque ad *Rhenum*, non tamen in omnes ipsius fluminis partes, protensa fuit, quod satis docet *Strabo* libro ejus IV. ad cuius initium ita inquit: *Belgæ vero nominabant, reliquos Oceano confines, usque ad ostia Rheni, & nonnullos Rheni & Alpium vicinos incolas:* & etiam per hoc certo constare non poterit, Germanos Cisrhenanos Gallis paruisse, nisi victor victo paruerit. Galli enim sunt victi à Germanis atque expulsi.

Quod autem *Helvetii* antiquitus fuerint Galli, & quod eosdem à Germania magna dividat *Rhenus*, docet Cæsar libro I. de bello Gallico: & *Cornelius Tacitus* libro XVII. ait: *Irritaverunt turbidum ingenium Helvetii gens Gallica soli in armis.* Nunc autem ab *Alpibus* Italiæ imminentibus, & *Rheni* origine, sive is ex *Lepontis* (ut idem Cæsar lib. IV. inquit) oriatur, sive *Rhetos* Tacito Auctore & *Noricos* interfluat, sive ut idem *Strabo* prædicto libro ait: *Et Nantuante lacusque Pelemona per quem Rhodanus effertur, & fluminis ipsius fontes, non longe autem ab istis sunt Rheni fontes, & mons Adualla, ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit, & diversa ex parte Adua in lacum Larium iuxta Comum intrans.* Verbum *Adualla* credo legi dedere *Adula*. *Helvetii non sunt Galli, sed Suevi Germani, scribuntque se juratos, veteris Confederationis Sueviæ, de quibus noster Celtis ad Ursulam suam:*

*Pulcher Helvetias ubi Rhenus concoquit uvas
Gallia Germanis proxima rura secans.*

Rursus cum quibus controversia est, nobis obijciunt, si Germani cisrhenani non paruerunt Gallis quid de *Francia* Regibus, *Clodoveo* scilicet, qui *Argentorati*, ut audio *Ecclesiam*, majorem & *Divi Petri* erexit. *Dagobertus* *Clotharii* *Secundi* filius fundavit *Cisrhenana* *Monasteria*, *Albiburgium*, qui tamen non Latino, non etiam Gallico, sed Germanico nomine, anno Christianæ Salutis DCXXIII. die XI. Maij, anno Regni sui XXIII. ex loco *Wissenburg* appellavit, inseruitque eisdem foundationis literis

alia plura locorum cisRhenum Germanica vocabula, & domum novam prope Wormaciam *Nenhäusen* cognominatam, confederatque Rubiaci, ubi arcem munitissimam Germanico nomine appellatam extruxit. Item aliis Pippino & ejus filio Carolo Magno cæterisque eorum posteris, quibus totus Rhenus paruit, & sub eorum jugo fuit, *Argentineses utuntur lilio, in nomismate, insigni, scilicet Regum Franciæ, ergo eis subesse debent.* Proh fortissimum argumentum!

Ergo respondeo, si Germanus Romanorum Cæsar, sive Rex, supra Gallos, Francosque Occidentales regnaret, eidem jure, non solum Rhenus, sed & Germania universa subest, & si Franciæ Occidentalis Rex, ut Germanus Romanorum Cæsar, sub ditione sua Rhenum & Germaniam haberet, uti habet, rogo ex patriæ Germaniæ desertoribus, qui fuerunt Franciæ Reges, Rhenum possidentes, certe non Galli, non Hispani, sed vera origine Germani, olim enim & antiquitus, Francia non erat pars Galliæ, sed Germania, Blondus Flavius Foroliviensis Historiarum ab inclinatione Imperii libro I. sic inquit: *Sed Franci & ipsi Germani ex ea Provincia, qua nunc etiam Franconia appellatur, oriuntur, tunc erant in Galliis, eos autem primus Romanorum Ducum domuit in patria Constantius Flavii Constantini filius, eaque accepta clades tunc effecit, ut semper postea usque ad Honorii & Arcadii tempora fuerunt in patria quietissimi. Eorundem verò Imperatorum anno septimo mutandi melioris soli gratia, patriis sedibus relictis Rhenum transmiserunt, & apud Treuiros, Mediomatricos & Metenses, ac Leucos qui & Tullenses Veredimensesque, confederant, quos Suevis ob vetustas similitudines instigantibus, Vandali, Burgundiones, atque Alani, per vim & arma, in Franconiam se recipere compulerunt, Franci ultra Rhenum pulsæ, Vandali, Alani & Suevi, ad diripiendas vastandasque Gallias sunt profecti, Burgundiones autem sedes illico capere constituerunt, easque delegerunt apud Heduos, Hesuntios, Lingonas, Cabilonenses & Matisconenses, in quibus proximisque civitatibus adhuc usque tempora mansere, ut ipsis in locis, pars ejus Regionis que prius Gallia Belgica fuit dicta annos jam mille Burgundia nominetur. Vandali autem, Suevi & Alani interea eam Gallia partem, qua Aquitania appellatur, à Ligeri ad Pyrenæum, Britannicumque mare pertinet, populationibus incendiisque fœdarunt, fuitque iis Barbaris animus Pyrenæo transmissio in Hispanias irrumperere, sed ab ejus montis salebris repulsi, in Gallia mediterranea secessere, licet postea incolarum viribus deturbatis, intra Hispanias admissi sunt, Vandali, Suevi, & Alani, plerisque urbibus expugnatis, ad Lusitanos contendentes, Ulixbonenses pecuniis multarunt, qui divisis inter se provinciis interioris Hispania, Vandalis Betica, Suevis atque Alanis Lusitania obvenit, postea sorte iterum inter Alanos & Suevos ducta, hi Ulixbonam & quicquid ultra pertinet ad Beticam, illi Emeritam cum omni Gallitia habuerunt, soli Cantabri & Astures Gallitia Provincia populi, Romanorum iudices conservarunt. Hæc de Suevis nostris inferuisse placuit, quod olim Lusitanos armis oppugnabamus, nunc eos negotiationibus perimus, majores nostri externos aggressi, nos bellis atque seditionibus intestinis, invicem atterimur, & sævitiis mutuis obruimur. Sed ad Francos redeo. Etius*

Patritius Gaudensii Mœsii ex Dorostana urbe filius, Exercitus Romani Dux insignis, Francos iterato Rheni ripas insidentes, irrumperentesque in Galliam magna superatos cade in Germaniam repulit. Idem Blondus libro II. inquit: *Diximus supra, Francos vetusta origine ex Franconia Germanos, à Vandalis, Burgundionibus & Alanis primo, & post ab Etio fuisse ex Galliis in patriam repulsos. Hi ergo temporibus Valentiniiani tertii, Constantii & Placidie filii Casaris, Etium in bello Burgundionum implicatum, & Imperatorem amissis in Africa copiis, enervatum viribus audientes, Clodione & Meroveo filio Ducibus, ex Franconia sunt profecti, & Rheno transmissi, nullis jam qui resisterent reliquis, in Senonum Provincia sedem apud Aureliancenses Parisiosque ceperunt, tunc ea pars Gallia Senonensis Parisiorum ab Imperii inclinatione, anno XXVI. s. subjecta est Francis, id est, Franconibus Germanis, iterum Gallos sub jugum suum mittentibus. M. Antonius Sabellicus libro IX. Enneadis 7. ita inquit: *Erat per id tempus præter Suevos altera Germanorum gens in Gallia, Francos se à Franconia dixerunt Germania parte, unde aliquot ante annos fuerant profecti.* Idem præterea libro I. Enneadis 8. superiorem Blondi Historiam comprobat. Si ergo Clodovei, Clotharii, Dagoberti, & cæteri ad Pippinum usque, ex stirpe atque sanguine Clodionis & Marovei Germanis Franconibus procreati Orientalis, & Occidentalis Franciæ Reges, Rheno dominati sunt, propterea Germani Cisrhenani, non sub Gallis sed Francis Germanis erant. Idemque Dagobertus II. non solum Francis Rex constitutus erat, sed & supra Burgundiones & Austrasios regnabat, qui tunc sub Germanis Cisrhenanis computabantur, non ut Occidentalis Franciæ, sed ut Rex Austrasiorum, quos modò Lotharingos & ex Lotharii Regno dicimus, & ex quibus Brabantini Principes, Duces, se ex Lotharii Regno scripserunt, ex Austrasia scilicet inferiori, superior enim circa Metas erat, eorundem Regnorum distinctionem noster Sebastianus Brand in vita Divi Germani declarat:*

Tempore quo Francis Dagobertus Rex venerandus Præfuit Austria, & Gallica sceptratenens.

Et quia universa tunc Germania Franconibus subjecta erat, Germanis Cisrhenanis imperitabant. Quorum civitates insignis & eorum armis, coloribus non Regum Franciæ Occidentalis, non etiam ranis nec liliis, sed Francorum Germanorum albo scilicet & rubeo, usi sunt hodieque utuntur. *Vetusta Colonia Agrippinensis arma, Ducatus Franconia, acies triangularia alba & rubea; quibus etiam Divis Magis tribus eò translatis (acie semotis) & iisdem coloribus retentis Corona tres addita sunt. Habet Moguntia rotas duas albas in campo rubeo. Wormacia clavem albam, in campo similis coloris. Spira Ecclesiam rubeam in campo albo. Argentina campum album, quem (ut vulgi vocabulo utar) Strata per medium scindit, à Strasburgio desumpta. Tholossa etiam Regnum tunc in Gallia separatum Ariberto & Chilperico filio Regibus defunctis, Dagoberto cesserat. Supra etiam mille & centum annos, illustis Maso Suevorum Dux Monasterium quod Masonis appellant, apud Sungoios, non longè à Rheno*
erexit,

erexit, ibique cum filio tumulo conditus est. Everhardus ejusdem Provinciae Dux. *Ecclesiam Morbacensem Alsatia Christiana Religioni dedicavit*, adeo quod etiam antiquitus non omnis Rhenana Regio sub Francis Germanis fuit. Et Leone IV. Cæsar. August. Constantinopolitano Childericus XXI. & ultimus Merovei Germani Franci prosapiae ex clerico Rex; qui Eticonem Divæ Otiliæ Patrem, consanguineum suum, Alsatia Ducem creaverat, alias cum a prædecessorum suorum moribus descisceret, & Regibus Germanis Francis, ob vitia; quibus immeritus longe ab similibus, opportunum necessariumque esset ut iterum Gallis Germanus Rex præficeretur, idcirco consilio Zachariæ Pontificis Maximi, Pipinus Dux Brabantinus; & Austrasiorum; etiam Germanus Majorque Domus Franciæ (agebat enim in palatio Trevirensi) per Proceres Franciæ Rex declaratur, cujus posterum Germani origine usque ad Ludovicum, Arnulfi Cæsaris filium; supra Gallos regnarunt; ut postea latius declarabimus.

Francorum modo originem altius repetamus: Pius secundus Pontifex Max. in Europa sua inquit: *Franci quidem Trojani Ilio delecto, Priamo Duce, Priami ex sorore nepote, Per Pontum Euxinum in Maotidas, & in Scythiam pervenere, ibique Sicambriam condiderunt, à qua dicti Sicambri, & manserunt ibi vectigales, ad Valentiniæ Cæsaris tempora, cujus jussu quod Alanos rebelles in deditionem ejus coegissent, in decennium libertate donati sunt, & mutato nomine Franci appellati, mox effrenes facti, jugum Romanum recusantes, Scythia digressi, & in Germaniam profecti, Thuringia confederunt, & Pharamundum Marcomedi filium, Antenoris nepotem; supra se Regem constituerunt, cujus filius, Clodoveus Crinitus, sive Clodio & Franci transmissio Rheno Romanos fugaverunt, & aucti potentia, subjugatisque, Moguntia, Treveri, Agrippina, Tornaco, Cameraco, Remis, Suesona, & Aureliano, Regnum eorum ab Aquitanis usque in Bajoriam extenderunt. Clodoveo successit Meroveus filius, à quo Franci dicti sunt Merovingi. Rupertus Gaguinus in Francia sua; Meroveum hunc, non meminisse Clodionis filium; sed sibi sanguine propiore junctum, ego mihi persuadere non possum, nee etiam credo, sub Valentiniæ Cæsare, Sicambros primum Francos appellatos, in Germaniamque profectos fuisse: Miror etiam eundem Gaguinum Francos Germanos subtraxisse; sed forte non mirandus, cum alias rerum ordinem non satis complexus est. Sicambri ante Cæsaris Dictatoris tempora, sedes suas fixas apud Germanos habuerunt. Libro enim IV. de Gallico bello inquit: *Ulpetes & Tencteri se trans Rhenum in fines Sicambrorum receperunt; quate ipse ponte supra Rhenum extructo, in fines Sicambrorum contendit, de quibus M. Val. Martialis ad Domitianum Cæsarem.**

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Et Juvenalis Saryra IV.

Tanquam de Getis aliquid tornisque Sicambri,

Et Celtis noster ad Rhenum ait:

*Ad Lobicas arces mox incipis ire tricornis,
Cum trifido scindens flumine Rhene caput.*

Issula ad Arctoas gentes, sed Balus in Austros,

Rhene sed in medio gurgite nomen habes.

Hac Batavi, madidig, habitant loca nota Sicambri,

Quos modo Gelrenses Flamineosq; vocant.

Hollandosq; cavis habitant qui littora terris,

Suspensos dubio, per freta sæva metu.

Sic ergo longè ante Valentianum Cæsarem Sicambri Germani fuerunt, & etiam Franci in Germania appellati; à vocabulo Germanico *Francen* quod liberum interpretantur; quasi iugo Romanorum seposito; Germani in libertatem proclamabant; de quibus Flavius Vopiscus ait in Aureliano Cæsare: *Idem apud Moguntiacum Tribunus Legionis sexta Gallicana Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam sic afflixit, ut CCC. ex eis captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Unde iterum de eo facta est cantilena: Mille Sarmatas, mille Francos semel, & semel occidimus, mille Persas quarimus.* Et in Florianò Cæsare: *Responsum est ab Ausruspibus, quanclocunq; ex familia ejus, & Taciti Cæsaris fratris sui, Imperatorem Romanum futurum, seu per forminam seu per virum, qui det iudices Parthis ac Persis, qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat.* Et idem in M. Aurelio Probo: *Enimvero quæ mundi pars est, quam ille vincendo non didicerit, testes sunt Mamarida in Africa solo victi, testes Franci in vis strati paludibus; & quod idem de Francis in Proculo refert; præterite volui. Quare Blondus, ut præmissum est, jure optimo Francos Germanos scripsit: Sic etiam Eutropius libro X. inquit: *Constantinus Maximus Maximiani Herculi gener in Gallis & milium & Provincialium in gente favore regnabat; cæsis Francis & Alemannis, scriptumque est, in Panegyrico iisdem Cæsaribus dicto: Fortitudinem autem illius jam tum in principis consecutus es, multa ille Francorum millia, qui & Batavium aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, adduxit.* Ammianus præterea Marcellinus ait: *Francos petit quos consuetudo Salatios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam, locum, habitacula, sibi figere.* De Toxandris Plinius lib. IV. capite 17. scribit: *Ego autem puto Salatios à Sala flumine Franconia dictos, quod in monte Sichtilbergi à pinis vulgò appellato, oritur, celebratum à Celte nostro.**

Francia Germano mihi stirps & origo Poëta

Hercynia medio cincta beata sinu,

Quam Mænus mediam perlambit vitifer oram,

Cujus quadrifluis nascitur unda iugo.

Piniferis, cujus de vertice flumina quatuor,

Quatuor in partes orbis amœna cadunt,

Mænus ad occasum Francorum fertur in oras,

Sala sed Arctoas perditur Albis aquis.

Egras sed Eoi petit ardua regna Bæmi,

Sed Nabus Histris insinuat aquas.

Inde *Salicam legem à Salatiis dictam*, quæ incipit: Moses gentis Judæorum, & subjungitur, Theodoricus Rex Francorum cum esset Catalanis, ipso dictante, iussus scribere legem Francorum, Almanorū, Bajoariorum, unicuique gentiq; quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam addidit, quæ addenda erant, & sequitur: Quicquid Theodoricus Rex propter vetustissimam Paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Ildebertus Rex inclioavit, sed Clotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per Viros Illustres, Claudium, Codonidum Magnum, & Agilufum renovavit. Et iterum sequitur: Dictavit legem Salicam, Proceres ipsius gentis, qui tunc aderant, Rectores, id est, Wilogaste, Salegaste, & Widogaste, Arogaste, Bedogaste, Vironadi, in loco cognominato, Salechamne, Bodecamne & Widocamne, nescio cur Gaguinus hanc Saliquam appellet. Verum si supputabis Cæsares à Valeriano usque Valentinianum III. sub quo *Franci Germani Regnum suum in Gallos extenderunt*, inuenies illos non solum sub Valentiniano; sed etiam antea *Francos Salatiis Germanos dictos fuisse*, possumus conjectura admittere, cum Sicambrorum pars ad Germaniam inferiorem contenderit, etiam ante Cæsaris Dictatoris tempus, reliquos in Germania (ubi nunc Franconia est) confedisse, quorum reliquias Cæsar Augustus, ultra Albiū adhuc constitutas, Sicambros Germanos submovit, & ad Rhenum collocavit, sic Francis Germanis, Gallis in deditioem coactis; Regni sui auctis finibus ab Occidente à Rheno; Ligeri atque Oceano, ultra Danubium & ad Salam, Sorabes à Thuringis dividentes. Carolus Martellus, Magni Caroli avus, Eutonicus Alfatia Ducis nepotes, Lunfridum & Eberhardum expulit. *Magnus verò Carolus paterno Regno adiecit*: Hispanos penè omnes, Aquitanos, Vascones, Britones, & Italiae partem, quæ Longobardorum erat: Item Saxones qui à flumine Albi Vesperam usque à ventorum nominibus (quæ idem Magnus Cæsar lingua sua nativa Germanica primus indidit) *Ostveldi*, hodiè etiam *Saxones*, & à flumine Vespera ad Rhenum *Westveldi*, nunc *Westvali* appellati, quasi Saxones Ostrocainpestres, & Viscocainpestres. Bilcos suo nomine Veletabos, Nortmannos nunc Nortvvegios dictos, Danos, Auares, Bohemes, utrosque Pannonos, Histrienses, Liburnos, Dalmatiam terrestrem, & Germaniam omnem, intra Rhenum Vistulam & Oceanum sitam; Quare satis perspeximus, *Germanorum Franciam duplicem fuisse Regnum, scilicet, Orientale & Occidentale*, quod & multo tempore apud *Francos Germanos conjunctum fuit*. Verum Ludovico seniore, Ludovici Pii filio Caroli Magni nepote, avitum paternumque Regnum cum fratribus dividente, Lotharius primus Cæsar, & frater suus Rex Carolus, post Cæsar, Occidenti præfuerunt: Ludovicus senior, & filius Ludovicus junior supra Orientales regnaverunt, quod literis erectionis Ecclesiæ Wyfentiaig, Augustensis diocesis, comprobamus, in quarti calce ita scriptum est: *Acta est hæc traditio in ipso loco Wisontessteiga sub die. VIII. Idus Decembris, Anno ab incarnatione Domini DCCCLXI. in dictione 10. regnante Domino Ludovico super Orientales Regiones, Anno XXVIII. Regni ejus. Præfue-*

runt tunc Imperio & Francia Occidentali Ludovicus II. Lotharis primi Cæsaris filius, & Carolus Calvus II. Cæsar Ludovici senioris prædicti ex Ludovico Pio Cæsare Augusto frater. Item in literis donationis Monasterii Sanctarum Felicis & Regulæ in Turrego factæ, ita continetur: *Ludovicus Divina favente clementia Rex, qualiter pro Serenissimi Imperatoris avi Caroli & præstantissimi Ludovici Augusti, Domini & Genitoris nostri, nec non & sempiterna rememoratione, ac pro conjugis & prolis nostre charissimæ perpetua mercede, Curtim nostram Turregum in Ducatu Alamanico in pago Turganensi, &c. actum XXXII. Regni nostri, in Orientali Francia regnante. Datum Regensburg civitate Regia.* Licet postea Ludovicus junior hujus senioris filius, Bajoarico Regno contentus fuerit, ut ex literis Gotzvaldi Abbatis Monasterii Altacensis, cognovi, quibus Rex Ludovicus junior ita scripsit: *Ludovicus gratia Dei Rex Bavarorum, ex quo regalis dignitas &c. Datum Heligbrun in nostro palatio Regali, ab incarnatione Christi Anno D. CCCL. die XVIII. Augusti, Regni nostri 7.*

De hac Orientali Francia *Otho Divi Leopoldi Austria Marchionis filius, & Frisingensis Episcopus* ita scribit: *Per idem tempus Ludovicus Rex Orientalium, Occidentalia Regna vocatu quorundam Principum Regni que terminos occupans, Senonas usque progreditur.*

Præterea eodem tempore *Regnum Gallie à Francia Regno diversum erat.* Carolus enim III. ob corporis proceritatem Grossus appellatus, Cæsar Augustus in literis suis in Monasterio superiori Ratisponæ datis ita inquit: *In nomine sanctæ & individue Trinitatis Amen. Carolus Divina favente clementia Imperator Augustus: Si membri Christi, &c. data XIV. Kal. Martii, Anno Domini incarnationis D. CCCLXXXVI. indictione IV. Anno Imperii piissimi Imperatoris in Italia VI. in Francia V. in Gallia II. actum in villa que Rospila vocatur.*

Item Arnulfus Ludovici Senioris nepos, Carolomani ex illustri femina filius naturalis, primum Carentaniæ Dux (Grosso agrotante) Rex, mox Cæsar Augustus declaratus, omnem Orientalem & postea Franciam Occidentalem in deditioem suam accepit, regnavitque supra Gallos plures annos. Unde idem Frisingensis ait: *Arnulfus totam Orientalem Franciam quod modo Theutonicum Regnum appellatur, id est, Bajoariam, Sueviam, Saxones, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam rexit. Occidentalem verò Odo ex ejus auctoritate habuit.* Præterea Divus Henricus Bambergii tumulo conditus, antequam Cæsar coronatus fuisset, se illius Franciæ Regem scripsit, quod ejus literæ apud Monasterium Weissenburgense attestantur, quibus inquit: *Data XVIII. Kalendas Februarii, Anno incarnationis Dominica M. III. Henrici gloriosissimi Regis Regni in Francia primo, indictione prima, actum Drödenhoff.* Sic etiam Carolus Magnus, & posterius ejus prosapia, qui supra Gallos regnaverunt; Germani origine fuerunt, noster Brand de translatione Imperii cecinit:

*Translato Imperio à Gracis, Germana repente
Natio suscepit Regia sceptrâ, & opus.*

*Germanus, quia nam, nostro quoq; natus in orbe
Carolus, & verò semine Teuton erat,*

*Nempe orientalis Francus fuit, unde recepit
Francia Gallorum, quod modò nomen habet.*

Defunctis autem Carolonis, & plerisque per ignavian Regno Franciæ abdicatis, *Henricus I. Rex, Augustus, Magni Otthonis Pater*, ob frequentem animi aucupationem *Auceps* appellatus, primus item libera potestate in Saxones usus, suafu generi sui *Gisberti Belgici Ducis, cum Francis Orientalibus, à Carolo Occidentalis Franciæ Rege* descivit, eoque adficiente, Galliam Belgicam quasi universam, cum palatio Aquisgrani, Regno Burgundionum excepto: *omnem scilicet Austrasiam*, quæ Franconibus Germanis Regibus Occidentalis Franciæ huc usq; paruerat, *Germania Imperio adiecit*, & in signum perpetui pacti atque fœderis, *Diui Dionysii Areopagitæ* manum dono accepit: ea causa *Lotharingia ipsa, atque Lothariæ Regnum, ceteraq; Provincia Belgarum*, cum *Germania cis Rhenum superiori & inferiori, in hunc usq; diem sub Romanorum Imperatoribus, Cesaribus Augustis fuerunt. Otho Magnus Ludovicum Caroli prædicti filium Belgas repetentem, arce Brisacensi capta, fugavit, & Provinciam eam iterum subjugatam Germanico Imperio pacatam reddidit: Primumq; Alsatia superioris Provinciam Comitem creavit, Kiburgensem Comitem, cujus familia post deficiente, invicti Cesaris nostri Majores Hapsburgenses, in ea dignitate successerunt. Sicidem Otho in prædicto Henrico Aucupe ait: Othonem Magnum in Decretis Pontificum primum Regem Theutonicorum vocatum, quod Regnum modò Romanum esse cernitur, partem esse Regni Francorum, denique ut ostensum est, tempore Caroli Regnum Francorum, tota Gallia, id est Celtica, Belgica, Lugdunensis, totaq; Germania à Rheno ad Illyricum usque terminus fuit. Dehinc diviso inter filios filiorum Regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, utrumque tamen Regnum Francorum dicebatur. In Orientali ergo, quod Theutonicorum dicitur, deficiente Caroli stirpe, manente adhuc in Occidentali Francia, ex successoribus Caroli, Carolo, primus ex gente Saxonum, successit Henricus, cujus filius Otho, qui etiam Imperium à Longobardis usurparum, reduxit ad Theutonicos Orientales Francos: forsan dictus est *primus Rex Theutonicorum*, non quòd primus apud Theutonicos regnaverit, sed quòd primus præter eos, qui à Carolo Coroli vel Carolingi, sicut à Meroveo Merovingi dicti supra, ex alio, id est, Saxonum sanguine natus, Imperium ad Theutonicos Francos revocaverit, sicut Merovingis deficientibus, & Carolis succedentibus, Regnum tamen mansit Francorum, sic & Carolis decedentibus, ex alia familia in uno tamen Regno Othones subintroière, quæ varias humanarum rerum defectum prodens, ab utero mundi usque in præsentem diem alternatur. Præterea Imp. Cæsar Fridericus I. Augustus Suevus, profapiæ Hohenstauffen, scripturis & monumentis suis publicis, quibus (obtentur vulgò appellant canonisatione) Carolum Magnum Cæsarem in Divos retulit, Aquisgrani datis, Anno Dominicæ incarnationis M. CLXIV. indictione XIV. sexti Idus Januarii, Anno Regni ejus*

XIV. Imperii verò XI. Ejusdem Caroli, de Aquisgrani restauratione, documenta inseruit, inter cætera referentis: *Nostitis, qualiter ad locum qui Aquis, ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, egressus solito more, causa venandi & perplexione sylvarum, erroreq; viarum, à sociis sequestratus, inveni thermas calidarum fontium, palatiaque reperi, quæ quondam Granus, unus de Romanis Principibus, frater Neronis & Agrippæ, à principio construxerat, nunc verò vetustate longa, fructetis & vepribus occupata renovavi, & ibidem Monasterium Sanctæ Mariæ, matri Jesu, cum labore & sumptu, quo potui edificavi, pignora quoque Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum ac Virginum à diversis terris & Regnis (& quæ præsertim Græcorum) ibidem recollegi, ut eorum suffragio Regnum Romanorum firmetur, ac peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domino Leone, Romano Pontifice, hujus templi consecratione & dedicationem fieri impetravi præ nimia devotione quam erga idem opus habui, presentibus una nobiscum Romanis Cardinalibus, multis Episcopis quoq; Italia ac Gallia, Abbatibus, Clericis & Principibus diversis, ut sunt Romani Duces, Marchiones, Comites, Principesque Regni Italia, Saxonie, Bavaria, Alemannia, Franciæque, utriusque tam Orientalis quam Occidentalis in omnibus voto & desiderio meo obsequentes. Obtinuique ab omnibus, ut in loco præfato Regia sedes locaretur, ac esset caput Gallia trans Alpes, quod ab omnibus est annutum, & hoc à Domino Papa Leone præfato confirmatum, &c. Ecce Carolus Cæsar noster, Romanum Regnum & ejus sedem Regiam, etiam in Galliis trans Alpes, & citra Rhenum, Aquisgrani constabilivit, si saltem concedimus, quod cis Rhenani Galli fuerint, necessariò eos etiam tunc, sub Germano Cæsare fuisse. De Aquisgrano, Celtis 3. Amorum:*

Urbs ubi fumat aquis. Chraneo ab Apolline dictis,

Corpora quæ morbis tincta liquore levant,

Quaque patent celsæ Genetricis templa tonantis,

Sanctius in nostro queis nihil orbe micat.

Hanc caput Imperii statuit Rex Carolus olim,

Dum Gallos nostro subderet Imperio.

Otho præterea I. Cæsar, Magni & Divæ Adelheidis filius, *Lotharium*, Ludovici filium, *Regem Franciæ*, iterum in *Austrasias nova molientem*, eam Provinciam jurejurando abdicare coegit. *Gotfridus Bullionus Eustachii senioris Comitis & Idæ filius, Socris sui in Ducatu Regni Lotharii successor, & primus ex Germanis Hierosolymitanus Rex, eundem Comitatum Bullionis*, ut scriptor Colonien-sis refert, *Sperio Episcopo Leodiensi M. CCC. Marchis argenti vendidit. Unde ejus successores, se Bullionis Duces, sive Comites, ab Imperatoribus Germanis investitos appellant. Tunc Henricus IV. Rex, Cæsar Aug. II. Henrico Limburgii Comiti, Regni Lothariæ Ducatum contulit, sed postea eodem capto, ab Henrico V. Rege, Cæsare Augusto, idem Ducatus, Gotfrido Barbaro Bruxellarum & Lovania Comiti, ex profapia Caroli Magni, & Gebirgæ Othonis Ducis Brabantini, sorore progenito datus fuit. Ex eo scilicet certo comperimus, quòd utraque Austrasia & superior & inferior, (quibus pleræque civitates Cisrhenanæ comprehensæ erant) à Carolo Magno usque in hunc diem, sub Cæsaribus Germanis & ditione Germa-*

nica fuit. Item: *Archiepiscopus Trevirensis, Sacri Romani Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius, ex eo est, quod illa Gallia & Arelatense Regnum, Imperio subesse debent.* Præterea quot Episcopi, quot Principes, quot alii Ecclesiarum Prælati, Comites & Barones cis Rhenum, Cæsarem & Sacrum Romanum Imperium, verissimam suam dominationem venerantur, observant, & eidem fidelitatem præstant, quod per annos plures supra DC. ita observatum est. Si publica auctoritas & memoriæ vetustas causa eadem ambulat, ut inquit Paulus Jureconsultus, Cassium referre, nec etiam video, si Germani Franci imperaverunt Gallis, quomodo Germania cis Rhenum ipsis subesse debeat. Si invicti Cæsaris nostri nepotes, Carolus super Gallos, & Ferdinandus super Hispanos regnarent, propterea Archiducatus Austriae, cæteræque Provinciæ hujus Nobilissimæ Domus, à mari Adriatico, ad Oceanum usque Germaniæ inferioris protensæ, sub jugo Gallorum vel Hispaniensium non essent. Sed Illustrissimi Austriae Archiduces, Gallis & Hispanis, imperarent. *Quod de lilio Argentinesium, in eorum nomismatis, referunt Patriæ Germaniæ desertores, non ex hoc Argentineses, quod Gallis parere debeant, convinci possunt, quia non omnes subjecti Gallis, liliis utuntur, & non omnes utentes liliis, Gallis subjecti sunt. Florentini habent liliam in nomismate, & tamen de jure Gallis parere non debent.* Cætera urbis Argentinesis argumenta contra blaterones, noster Jacobus Wimpfelingus, accommodatissimè expressit. Hæc sunt quæ Dignationi tuæ referre volui: *Gallos nunquam fuisse dominatos Germanis, quod ne in posterum fiat, Germani Majorum stirpium exemplis, animorum magnitudine, simultatibus intraneis longè sepositis, innata fortitudine militari, & ut jure naturæ patriæ astricti sunt, conatu omni, studere, eniti, & efficere atque curare debent.* Valeat tua Dominatio, cui me plurima humilitate commendo. Datum Augustæ in taberna nostra libraria XIV. Kalendas Novembris, Anno salutis M. D. IV.

Venerando & Nobili Viro Domino Matthæo Marescalco Jurisconsulto Augustensis Ecclesiæ Canonico Domino suo in primis observando, Conradus Peutingerus S. P. D.

LEgi nudius tertius cum Juniani Maij locum, quem tu, tuique Canonici Nobiles & Doctissimi Viri Bernhardus & Conradus Adelmanni, mihi de Brenno ostendistis, ubi inquit, Bergomum Gallicum verbum à Sennonibus Brenni Militibus condita, quorum lingua Monta urbs significatur, inde Bergomenses, quod etsi auctorem non nominet, ego tamen diligentius investigando compertum habui, ad eandem Bergomi interpretationem Johannera Tortellium Polycratum referre, nobisque ex vocabulo Germanico Berg, quod montem significat, ea interpretatio placet: *Fortissimum enim ex vocabuli nomine argumentum, etiam si id in Latinam linguam effluerit coalueritque, Bergomum non à Gallis, verum à Germanis conditam vel restitutam fuisse.* Refert enim Strabo de Orbis situ lib. VIII. *Sennones Suevorum natio, ut superius dixi, partim intra, partim extra sylvam habitant, Getarum contemina genti.* Et Cornelius Tacitus de Germaniæ situ, *vetustissimos se nobilissimosque, Suevorum Sennones, sed*

credo Sennones Suevos sicut alios Germanos, in Galliam concessisse antiquitus. Reddit tamen me ancipitem Cæsar Dictator, qui de bello Gallico lib. V. ait: *Sennones civitas firma & magna inter Gallos auctoritatis, quam Plinius in Lugdunensi Gallia locat.* Item *Brennum* Plutarchus in *Camillo Regem, Titus Livius Regulum, & ex Trogo Pompejo Justinus, Valerius quoque Maximus, Ducem Gallorum appellant, qui postea quam Galli Celtici (Prisco Tarquinio supra Romanos, & Ambigato supra Gallos regnantibus) sive ex intestinis discordiis, & affinis domi dissensionibus, sive Bellovesi Ambigati sororis filii augurio, sive optimi vini admiratione allecti, in Italiam venissent, Romanos integros, & nondum tactos apud Alliam flumen victoria insigni prostigavit.* Urbem Romam captam incendit, & etiam, ut idem Justinus ait, unâ Gallorum portione in Italia dimissa, *per Illyricos penetrans, Pannonios domuit, & divisis agminibus, per Belgium Ducem Macedoniam depopulatus.* Ptolomæum ejus Provinciæ Regem interemir, ipse Græcia devastata, & cæteris Regibus ultro non lacessitis, pecunia pacem mercari cœgit, victoria tamen insolenter usus, in Macedoniam contendens, *Delphos civitatem & templum Apollini ditatum, ob spem prædæ ingentis, oppugnare constituit, scurriliter tunc in Deorum cultum locutus ait: Locupletes Deos largiri hominibus oportere, ipsosque opibus nullis egere, cum eis præstare aliis soleant, quare per Delphos Deos supplicantes, viribus etiam minores, repulsus, & montis portione ex terra motu abrupta, cum suis stratus, dissipatus, & etiam saucius, vulnerum dolore (quem ferre non poterat) oppressus, pugione sibi mortem conscivit: hic Brenni exitus.* Strabo quoque lib. IV. eundem Delphos incuravisse, & à plerisque *Pransum appellatum, quodque tunc sacrilegio contaminatos, & etiam sequenti tempore, casibus adversis jactatos, fuisse.* Idem Maximus: *Brennus Gallorum Dux, Delphicæ Apollinis templum ingressus, Dei voluntate in se manus vertit.* Refert idem Livius, solum Elitonium cum manu Germanorum (favente Belloveso, cum transcendisset Alpes, Gallorum vestigia secutum, eo saltu ubi nunc Brixia atque Verona sunt) in Italiam venisse. Præterea Justinus ait: *Tuscos à Gallis ejectos, arvis sedibus amissis, Alpes occupavisse, & eorum Ducis nomine Rhati, gentem Rhatiorum appellasse condidisseque, Gallos, Mediolanum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vicentiam.* Sed ad Bergomum revertamur, quam Plinius refert & Comum, & Liciniforum, ex Catone, & Cornelio Alexandro, Orobiorum stirpis, sed originem ejus gentis Cato se ignorare fatetur, Alexander verò esse è Græcia docet, nominis interpretatione, vitam in montibus degentibus. Ego relegi Catonis de originibus fragmentum, quod in manibus habeo, quò ait: *Qui cum Orobiis colonis, sibi primus insedit, quorum origo incerta, uti Comi, Bergomi, Licinifori, & aliquot circa populorum, vocabulum ergo adventitium, quod non solum unam, sed linguas diversas recipit, incertum est.* Alexandri idcirco aumentatione negata, de ortu incerto modestius locutum fuisse Catonem, commentator ejus credit. Græcæ quidem Oros mons & bios, victus sive vivens dicuntur, quasi in montibus viventibus. Verum non solum Græcum; sed Orobium, Sagum Arameum, vocabulum est, quarum linguam idem commentator, Sagos, Lanige-

Lanigenas, ufos existimat, apud quos & Hebræos Talmudistas, Oros etiam mons dicitur, Bit filius vel filia, hinc Orobii filii montis quem incolunt. Orobii ergo Comenses & Bergomenses, conuenat Tuscorum Alpium incolæ, quod si tum Catoni vel etiam Alexandro credendum, nec Galli, nec Germani Bergomum condiderunt, sed conijciendum erit, cum oppidum Orobiorum Barra interiiisset, ut Plinius scribit, nomine editissimi montis retento, Germanos Suevos-Sennones, tunc sub Brenno militantes

Bergomum restituisse potius, & à verbo suo Germanico vocabulo Berg eam Bergomum cognominasse. Cæterum tuæ D. officium erit, si quid habes, unde Brennus conjectura saltem, Germanus comproberur, me doceas, quod ut facias non solum efflagito, sed diligentia ea qua possum, rogo. Vale & me tui obsequentissimum dijudicato, ex tabernæ nostra libraria IV. Nonas Martii, Anno Christianæ Salutis M. D. V.

IN PRÆSTANTISSIMI ILLUSTRATORIS
GERMANIÆ

DN. CONRADI PEUTINGERI,

Augustensis Symposiarchæ,

Convivales Sermones,

SEBASTIANI BRANT.

Multa Peutingero debes Germania nostro,
Vindelica imprimis, Rhetica terra, simul
Que quondam in tenebris latuisti terra beata,
Nunc per eum illustri tramite carpis iter.
Perge liber felix, fausto pede, porrige frontem,
Italici, Gallis, omnigenisq; viris.
Omnia Theutonicam cernant modo secula gentem:
Quam vetus, & quam sit polliciti illa tenax,
Artibus, ingenii, armis, rebusq; probatis,
Belligerisq; viris Theutona terra valet.
Ergo Peutingero grates, Lycus, Ister & Oenus,
Obryncus, Rhenus, Neccarus, Isar, agat.

THOMAS AUCUPARIUS

Poeta Laureatus,

In convivales Sermones Conradi

Peutingeri

EPIGRAMMA.

Splendida Germani nitida convivium mensa,
Hac nova festivo Peutiger ore parat.
Gurgite non turpi veterem redolentia luxum,
Quanta vel Antonius vel Cleopatra dedit.
Quantaq; Regali posuit splendore Lucullus,
Quanta vel Albini cæna superba fuit.

Claudius assiduo, vel quantæ Vitellius usu,
Sergius aut Galba prandia quanta dabat.
Que putrida sensus hebetant pinguedine, mentem
Extenuant somno, turgida membra gravant.
Ista sed Ambrosia dulci perfusa sapore,
Largis uos sacri nectaris imbre madent.
Qualia Plutarchus, vel Asellus ille Sabinus,
Qualia divino condidit ore Plato.
Pierides ubi discumbunt Dryadesq; Camæna,
Magnus & aurata ludit Apollo lyra.
Quæ celebri decorant animum convivium laude,
Et faciunt vita nobiliore frui.

RINGMANNI PHILESI

Vog. Jambicum Sen. Hyp. ad

Lectores

EPIGRAMMA.

Conradus hac Peutingerus docta man-
V
pem ferens Germanica scripsit re-
I
andavit eadem Wolphius post Junio
R
nsignibus calcographi ut typis preman-
T
anti precemini ut Viri vivant di-
U
E
i vos amatores beatæ viri
TE.

SERMONUM CONVIVALIUM CONRADI PEUTINGERI,

F I N I S.



ARMIL

ARMINIUS DIALOGUS ULRICI HUTTENI,

*Quo homo Patriæ Amantissimus, Germanorum laudem
celebravit.*

IN HUTTENI ARMINIUM

Eob. Hessus.

Tot sua stat populis gestarum gloria verum,
Salva suū tot adhuc secula nomen habent:
Aude adhuc veteres reminisci Roma trium-
Et mortis quadam vivere parte sua. (phos,
Quæ nequit ipsa suas ostendere Troja ruinas
Mæonio clarum carmine nomen habet.
Invidi non totas miserunt funera Thebas,
Vivit adhuc Sparta non moriturus honor.
Nondum Palladia prorsus cecidisti Athene,
Quicquid & eximia Graciæ laudis habet.
Integra staret adhuc Pellæa gloria gentis,
Persarum nomen fama superstes habet.
Innumera gentes alia sua nomine servant,
Quasq; supervacuum, quasq; referre mora est;
Una sua merito fraudata est laudis honore
Semper, & incelebris Teutonius ora fuit.
Cur ita? qua nobis res hunc invidit honorem?
Fido alibi, cur hic fama maligna fuit?
An quia non rebus clari, non Marte potentes?
An quia nos victos sepe fuisse pudet?
Non ita, nam rebus nec clarior ulla per orbem
Gens fuit, aut nullo tempore victa minus.
Cur igitur? quia non rebus, sed nomina rebus,
Quæ facerent scriptis nos caruisse liquet:
Præcipue cum floreret Germanica Virtus,
Et nondum hic nostras luxus haberet opes.
Tunc memoranda aliis nostri, gessere parentes,
Tunc rerum Virtus unica causa fuit,
Tunc quia Scriptorum nos defecere labores,
Gloria Lethæas nostra subivit aquas.

Nondum tota tamen, quoniam (licet invidi) nostrum
Non potuit totum fama tacere decus,
Et sparsim Romana suis ea littera rebus
Inseruit; quæ nunc pauca, sed apta, vides.
Atq; ea si quaras quæ sint & qualia, debes
Hutteni patriæ vindicis esse memor.
Is quæ sita suis patriæ monumenta libellis
Edidit, & lucem jussit habere novam.
Nam quia sparsa aliis incognita quæq; latebant,
Qui legeret rarus, quing; teneret, erat.
Ille suas patriæ laudes, atq; eruta passim
Nomina digna legi, fecit ubique legi.
E quibus unus hic est, quem condidit ipse, libellus,
Sed non auspiciis edidit ipse suis,
Namque immatura præreptus morte, reliquit
Hunc quoq; ceu partem funcriis esse suis.
In quo si quæ teges non qualia forte requiras,
Parte bonæ veniam quo mereatur habet.
Condidi: Huttenus, non edidit, ergo futurum
Quod fuerat melius conjice quicquid erat.
Hunc tibi Mauritius gentili Huttenus honori
Fidus, ab æternis noctibus adseruit.
Hic ferus Arminius patriis qui victor in armis
Afflixit vires Martia Roma tuas.
Qui nisi adhuc juvenis perisset fraude suorum
T. Dominus Tyberis Rhene futurus eras.
Hunc quod habes patriæ Lector studiose libellum,
Hutteno debes munera prima tuo,
Altera Mauritio, Joachimo tertia, nobis
Quarta, aliquis nobis si locus esse potest.

ULRICI HUTTENI EQUITIS GERMANI ARMINIUS DIALOGUS,

INTERLOCUTORES:

*Arminius, Minos, Mercurius, Alexander, Scipio, Hannibal, Corn.
Tacitus, Arminius:*

Hoc tandem iniquum est, o Minos, iudicium,
si fuit ullum tinquam tuum. *Min.* Bona
verba quæso Armini. Nam quæ hæc nova
est calumniæ, quicquam iustissimum injustè Mino-
em statuisse? Quod illud verò est iudicium? dic
agedum. *Armin.* Dabis hanc mihi veniam pri-
mum, si te offendit dicendi libertas mea: *Germanus*
est peculiare hoc, minus blandè loqui, cum loquuntur

liberè & serio. Queri me verò decet, quod, cum ho-
norem habes, & veluti præmia statuis Imperatori-
bus, qui ubique fuerunt, optimus, ipsum me, quasi
qui non vixerim, sic præteris. Jampridem enim
sententiam ferente te, Imperatorum primus, toto
Elyssio campo, & beatorum hac regione, pronun-
ciatus est Alexander Macedo, ab eoque secundus
honore Romanus Scipio, & tertius Carthaginensis
Hannibal.

Hannibal. Solus in nullo ego habitus sum numero, qui tamen, si certandum mihi cum illis unquam putavisssem, equidem in nullo posuerim dubio, quin; te iudice, principem locum obtinuisssem. *Min.* Causam profecto habes Germane. Sed cum hoc illi certamen apud me inirent, quid non admonebas tu ipse quoque? *Armin.* Quia neque putavi quicquam licere ulli hic ambire, neque unquam dubitavi, quod in vita bene aut male quis meruerit, summa in omnes æquitate abs te distribui. *Min.* Neque non fit hoc sedulo. Sed iudicamus secundum confessam plerumque hic, sitque copia dicendi, quod in rem tuam quilibet arbitratur. Cetera facile transimus occupatis; Præsertim ad ambitionem quæ sunt nisi postulati, negligentes. Vides enim negotiorum quæ sit moles, quod iudiciorum onus, quam varium & multiplex, deinde ortu quam arcta sint tempora. Quanquam si recordatus fuisssem, quod nunc redigis in memotiam mihi, vocasssem ultro, & cum aliis audisssem. *Arm.* Et non audies nunc; revocatis huc de quibus nuper iudicasti? *Min.* Quid ni audiam? Accerse huc ad nos Imperatores Mercuri, qui de præstantia in remilitari & bellica, contenderunt paucos ante dies. *Merc.* Tres illos? memini; En adsunt. *Min.* Hic ille est, Oprimi, vetus Germanorum Dux Arminius, qui pro libertate cum Romanis certavit olim, & vicit, cumque vos audiat de Imperatoris præstantia contendisse, ac sententiam ea super retulisse me, indignè asserit se præteritum ibi. Habet enim, quæ cum asseret, ostensurum se putat, neminem rectius hanc ad palmam peruenire. *Alex.* Igitur dicat. *Scip.* Valde. *Arm.* Haud moror. *Min.* Dic Armini. *Arm.* Prius fisti velim huc Tacitum ex Italia quendam, ut is dicat, quid mihi tribuerit in Historia. *Min.* Etiam ipsum voca Mercuri. *Merc.* Huc te Tacite, huc te, huc ad me, ut loquaris tandem. Eccum hominem; *Arm.* Operæ pretium est, ô Itale, Elogium illud meum, quod in Historiis tuis est, recitare hic te. *Tacit.* Eo loco, ubi de interitu quoque tuo commemoratum à me est? *Arm.* Eo ipso. *Tacit.* Cæterum Arminius, abscedentibus Romanis, & pulsu Maroboduo; regnum affectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusq; armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit. Liberator hæud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, sicut alii Reges Ducesque sed florentissimum imperium lacefferit, præliis ambiguus, bello non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentia explevit, canitque adhuc Barbaris apud gentes, Græcorum Annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis hæud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. *Arm.* Fuit alicujus iste in vita fidei Minos? & Vir bonus fuit? *Min.* Profecto fuit; sed tu melius nosti Mercuri, qualiter vixerit, coluit te enim peculiariter. *Merc.* Sancte verò. Nam candidius in primis fuit, & quo nemo sincerius scripserit Historiam, minusque affectibus tribuerit. Etiam autem Germaniam viderat, & gentis ejus mores descripsit, ac rerum ibi gestarum fuit, perquam studiosus. *Arm.* Igitur talis iste cum fuerit, & rerum mearum hæud ignarus, sic de me scriptum reliquerit, ut tacèam deinceps ego, dubitari non potest, quin maximi esse momenti jure debeat, hoc ab hoste perhibitum mihi testimonium. Principio liberatorem Germaniæ vocat, quod est aliquid credo, eripuisse vi, ac armis Provinciæ

Romanis; ut tunc fuerunt, & iisdem invitis summoque contra nisi conantibus; vindicasse in libertatem; quos servire illi decreverant. Deinde, quod rectè maximi fit, illud me Imperium, non cum adulesceret & incrementum acciperet; sicut alii Reges Ducesque, Pyrrhus; autumo; Antiochus; & iste Hannibal; sed cum consistebat jam, & maxime florebat, non bellum inferens sustinuisse; verum ultro laceffendo armis impetisse, unumque ex omnibus, invictè bellum contra Romanos transeffisse, dicit. Quare etiam dignissimum arbitratur, quem Græcorum pariter, & Latinorum Annales celebrent. Quod si omnium consensu, nulla fuit unquam major quam Romanorum potestas; nullum amplius a condito ævo Imperium; & hos ego vici, cum in flore essent, ac vigerent plurimum; rectissime summum Imperatorem; & in re bellica omnibus præstantem me, iudicandum arbitror, infinitam potentiam; maximas vires, summum Imperium qui bello superaverim. Etsi minus nihil velim, quam alienam defraudare gloriam; aut rerum ab istis gestarum, famam premere. Nam æquissimo semper animo feram, quantus quisque est, tantum haberi ab omnibus; de meque cum dicam, sive invidia dicam; Fuit hoc semper studium mihi, *propter se Virtutem colere.* De gloria curavi hæud multum. Quippe satis esse conscientiam factis existimavi. Neque nunc jam ea est arrogantia, ut præ me alios Duces contemniam, nec illud quidem mihi sumo, ut esse nullum me superiorem contendere velim. Potius si quis est, æquum cenfeo; ut ipse quoque habeatur hæc ratio. Sed dignus venia sum, si eorum, qui de hac laude certaverunt adhuc; ex conscientia negavero; ulli a me concedi oportere. Idque hæud temere sentire me ostendam; si audient isti; ut audituros pollicentur; bona arbitror ratione. *Min.* Audient, pro ipsis spondeo. *Armin.* Primum igitur, quia plurimum ferunt, in hoc ponere te Hannibal; quod a parvis initiis, ad amplissima incrementa progressus sis, docebo, si hæc gloria sit, quanto debeat mihi rectius, quam aut tibi, aut ulli. Nam eorum, qui res præclaras gesserunt; nemo majoribus difficultatibus enisus aut gravioribus circa impedimentis, eluctatus est. Cui potentia quidem esse quæ potuit, rebus sic perditis, & deploratis? Authoritas verò ut esset, ipsa non sinebat ætas; Quare, solus non fuit Alexander; qui immatura ætate gerendis rebus accesserit. Etiam ego quartum & vigesimum, hæud dum egressus annum; cum multa prius miles fecisssem strenuè; Dux esse incepti exercitus; quem nondum habebam, qui nondum coierat, quemque conscribi celerrimè cum oporteret, an existere posset, a tanta dispersione, dubium quoque fuit. Nam pecunia hæud vereor, ne quis suspicetur valuisse me; quæ tum Germanis nulla erat. Itaque in summa rerum, atque hominum inopia; misera egestate, desertus ab omnibus, impeditus undique, tamen ad recuperandam Libertatem, viam mihi communivi; citraque omnem extra opem, omne adiumentum; & auxilium, hoc solo præditus & suffultus animo; a meipso rerum initia petivi; & bellum extremè periculosum, non antea cœptum, prosequutus sum; sed ab omnibus desperatum; & a cogitationibus quoque hominum jam pridem relegatum; provocavi, me dignum arbitrans, nihil fortunæ intentum, destinatum mihi sortem; alacriter movere potius quam expectare sollicitè.

licitè. Nam quemadmodum audivistis, ultro bellum intuli, & denunciavi, obstante etiamnum domestica Segestis, & Igyiomeri perfidia, ac fratre Flavio, magna apud hostes vi adversante, cum milite omnis disciplinae ignaro, nec ullius in re militari scientiæ, armorum verò habitu penè inutiles, & apparatu belli adeò non suppetente, ut ne ferri quidem ad telorum fabricam satis esset. At hæc omnia, animi consilio, & alacritate correxi & sarcivi. Cunctique esset per magnus mei contemptus, in hostium eum calamitatem verti, ac tanta celeritate irruere, ut prius pugnam conseruerim, quam bello ausurum in homines crediderint, ante cadem fecerim, quam constati exercitus fides fuerit. Nec levibus verò momentis tantæ molis initia auspicatus sum. Tres primo statim imperu Legiones, & in iis Martiam, cum auxiliis omnibus fortissimum exercitum, & quo non alius disciplina magis, ac rei militaris experientia, vique & Virtute, Romanos inter milites tunc valebat, ipsumque simul Ducem & Legatos, ad internecionem usque occidi & delevi. Quo tempore in unius mea persona, patriæ incolumitas constitit. Ut dicere non debeat Scipio, tam consternatam se rem Romanam, tamque accisam restaurasse, quam ego penitus proculcatam, & disceptam brevi Germaniam restitui. Quamquam rei ipsius magnitudinem, non est quod verbis ego assequi studeam, ipsi quotidie hic veteres Romani loquuntur hoc, quantæ eis calamitati fuerim tunc, quam miserè potentissimam civitatem, Imperium florentissimum confuderim, & quod non alius magis illos rerum dominos, gentemque togatam, metu & trepidatione consternaverit. Certè enim quod tu non effecisti Hannibal, ad urbis usque portas obequitans, ego in ultima constitutus Germania, tanto intervallo, tot mediis fluminibus, ac paludibus, tot interpositis montibus, ac locis, nullo dum itinere hominum exploratis, aut cognitis, ipsis etiam dirimentibus, montium altissimis Alpibus, eò desperationis adegì civitatem Romanam, ut ille Augustus Imperator, quem solum alioqui perpetuò felicem vocant homines, & quo nemo potentior, quod omnes sciunt, Imperio illi præfuit, ita obstinati primùm mori decreverit, ne videret puto, quod mihi in mentem nunquam venerat, Romam capi à me, ut caput fortibus illis cum memoriæ proditum sit, tandem excubias tota urbe, in portis stationes, extra præsidia disposuerit, Rectoribus Provinciatarum Imperium prorogaverit, Jovi Opt. Max. si in meliorem statum vertisset Rempublicam magnos ludos voverit. Breviter, ita de rerum summa consultaverit, ac in suprema necessitate fieri solet, neque alio tempore sollicitius cautum illud Romæ sit, ne quid detrimenti Respublica caperet, pavor ubique confusissimus hominum mentes perculerit. Fuit enim gravissima hæc Romanis clades, penè exitiabilis etiam. Et hoc cœptum atque perfectum, à me est, conciso atque pervulso penitusque deposito Germaniæ statu, illius verò Reipublicæ florentissimis rebus, fortuna secundissima, maximis incrementis, cum neque, ut Alexander à Patre Regnum, neque ut isti à Senatu exercitum cum Imperio accepissem. Deinde alios, atque alios continuè domi motus compressi. Omnes undique defectionis authores postulavi, & nonnullos quidem assensu popularium punivi, aliis verò veniam petentibus dedi. Qui

transfugerant, reprehendi. Quin deditonem erant, recepi. Omnia flagitiis perpurgavi. Neque pro Germanis habui, qui tributa exteris penderent, aut aliis conditionibus obnoxios teneri se paterentur. Summumque nefas præclamavi, quod inter Albim & Rhenum, virgæ & secures, ac Romana illa toga inspecta semel essent. Ibi tum excitatis iterum ad capeffendam libertatem popularium animis, promisi, fore paulo post, ne ullæ in Germania Romanorum saltem reliquæ superessent, penè memoria aboleretur. Nec id multo post præstiti, quamvis haud segnius omnia contra hostes conarentur. Nam ut maximè strenuus quisque, & primæ in juventute spei Romæ fuit, ita Germanicum illi bellum, ulciscendi Variam cladem studio, demandatam est. Missi haud contemnendus bello Vir Tiberius Nero, & in paucis connumerandus illius frater, egregiè cordatus homo Drusus, atque alii, sic mecum certaverunt, ut Romam reversi, ipsi quidem triumpharent, ego verò gliscente indies Libertate, immunem & sui juris Germaniam obtinuerim. Tunc & vigentem animi alacritate Imperatorem Germanicum, & longo militiæ usu pollentem illius Legatum Cæcinnam, cum mille etiam navibus, tanquam ad expugnandam Trojam, adversus me agerentur, magnis ac miseris cum populi Romani cladibus sustinui ac repressi, & Cariovaldum Bavorum Ducem, inter auxilia Romana multis cum Nobilibus cecidi. Catos ac Frisios, à diversa & ipsos parte, vindice bello contudi. Interea machinante illinc fratre Flavio, Igyiomeri domi connivente, flagitiosa facta à Segeste transitio est. Quæ nefarius proditor, ne filia quidem suæ, uxori meæ, & eidem gravidæ pepercit, sed & hanc, & alias quosdam nobiles fœminas, in pudendam secum captivitatem, & ad triumphum Romam abduxit. Item, Segimerus cum filio perfugit ad hostes. Multi domesticorum pecunia corrupti, insidias vitæ meæ construxerunt. Popularem nonnulli hostilia omnia machinati sunt, Adgandestrius Catto imprimis adeò nihil non pertentante, ut inauditum illa tempestate Germaniæ scelus, venenum à Romanis, quo me conficeret, perierit. Ipse nihil motus verò, constantissimè cœpris institi, neque aliquid prius habui, quam fas patriæ, & avitum Germaniæ decus. Cumque esset efficacissima tunc permovendi Germanorum animos causa, si cuius uxor apud hostes teneretur, neque alio magis nomine captivitatem timerent homines, meamque ego amarem ardentissimè, & ab ipsa præstanti invicem fide redamarem, quodque omnium dolentissimè afficiebat, gravidam amissem, tamen vel sic immotum me præstiti, neque passus sum privatum dolorem patriæ in me charitatem minuere. Quin verò in iram versus dolor, alacrius omnia conari impulit, quam conatus antè essem. Ubi & mihi testes esse oportet inferos, quantam quotidie Romanorum multitudinem huc demiserim, vehementi ac varia in patriæ proditores cade pergrassatus, funestumque & atrox per adversarios bellum circumferens. Planè ostendi Romanis ibi, magno injecto pudore, non prodicione me, neque adversus fœminas gravidas rem gerere me, palam armatos deposcere mihi, in quos dignæ ultionis aculeos defigerem. Quæ res factum brevi est, ut Romanos Germania penitus eiecero. A quo deinde tempore, usque in hunc puto diem, nullum fuit

fuit illorum ibi Imperium. Restabat Maroboduus Suevus, qui cum mihi ex fœdere, quod cum Romanis ipsi fuit, adversaretur, tota à me belli mole petitus est. Gravissimum id difficillimumque certamen fuit, cum Rege potentissimo, ac bellicæ omnis rei scientissimo, bellicosos Suevorum populos, ingentem sociorum vim, immensa auxilia post se trahente, cum interim à Romanis jùvaretur pecunia, & Iguiomeri perfugio, magnam mihi manum, abruptisset. Tamen vel sic variè, ultro citroque tentata Fortuna tandem inclinante ad æquioris causæ partes, Deorum voluntate victum atroci prælio, in ultimos Hercyniæ secessus propuli. Unde paulo post de ulteriori cavens periculo, in Italiam confugit, ibique pulchrè, fallentibus Romanis, qui liberaliter omnia promiserant, & spe frustratus sua, inglorius confenuit. Ego Germaniam intra se conjunctam reddidi, & unanimem, ac olim jam optato libertatis bono, tandemque adsecuto, frui cœpi. His oportet, ampliora gesserit, qui me sibi secundum esse velit, aut quo præ ad primam ego palmam venire non debeam. Sed quia de rei militaris peritiâ, & imperandi scientia, ac ducendi exercitus industria, certamen est, præferat aliquis ibi se mihi, ac neget affuisse hæcilli, qui tantas in hujuscemodi difficultatibus, nem contra hostem res gesserit, easque ad finem vitæ, bello invictus continuaverit. Nihil alienam æmulo gloriam; sed isti, absit dicto invidia, mediocre quisque potentiam, & dispertitas ut plurimum vires, aggressi sunt. Ego terrarum orbis Imperium, idque ut dictum est, valentissimum tunc, tot in unum coactas nationum vires, ac renascens ab omni clade bellum, & diutissimè, nulla intermissione succedentes sibi vices, ultro audensque in me concitavi, & ad ultimum, quod ne hostes quidem negant, vici ac profligavi, patriam externo decusso jugo, ex omnium propè mundi gentium, in communem servitutem consensu, immunem, & libertatis memorem retinui. Neque ulla hoc si verit ratio, Judex, ut persuadeat Alexander tibi, tam facile debellatum se fuisse, vel ut illa fuerunt tempestate Romanos, quam aut *molles Asia populos*, quibusve postea ex Romanis quidam nullo negotio ab se devictis, memorabile hoc triumpho suo prætulit, Veni, Vidi, Vici: aut *inermes India nationes*, quas bellorum insolentes, commessabundus iste ebriolorum & bacchantium circa se militum exercitu, quatenus adire potuit, in fugam & deditioem coegit. Nam quos magnificat Scythas, vidit tantum. Certè ipsius avunculus, clarus Epirotarum Rex negat, qui non cum Romanis quidem, sed in Italia tamen bellum gerens, dicere solitus est, *se in viros, nepotem suum in feminas incidisse*. Præterea, summum fuit semper Virtutis studium mihi, nulla gloriæ sitis aut avaritiæ. Neque enim ita erexi trophæa mihi, ut Romanis dejeci, aut pro opibus, vel Imperio decertavi; sed fuit mihi scopus, ad quem direxi omnia, reddere vi ademptam patriæ libertatem. Egique totam in summis Virtutibus ætatem, donec premente domestica invidia, & propinquorum dolo facinus patrans, liberum, & omnium victorem huc animum, ex conscientia optimorum in patriam meritorum, ac vitæ per omnia beneactæ, transmisi. Jam tuum Minos est, considerare, quem mihi præferre velis, qui vel ex graviore angustia, ad tantam sua Virtute amplitudinem emergerit, vel majora bella gesserit, vel

scientius rem militarem tractaverit, vel æquabilius Imperium administraverit, vel meliore pro causa arma sumpserit, vel majores vires contriverit, vel minus in vita cupiditatibus dederit, vel constantius in bono perseverit. In summa, quis sit omnium, qui his laudibus excelluerunt, ad quem tu primas optimo jure referas. Min. Generosam profectò, & non summo tantum Imperatore, verum bono etiam Viro dignam habuit Orationem iste. Atque ita esse ut narravit, omnia, neque aliquid affinxisse eum scio. Equidem memini, admiratum me tunc, istiusmodi ferre industriam barbarum. Quamobrem, cum & optimam ille conatus sui causam habuerit, & tantum animo ac virtute, militarique scientia valuerit, neque aliter quam ad patriæ commodum, periclitatus sit, minimumque vitis cesserit, non video, per Jovem, quis rectius Imperatorum summus haberi debeat. Nec dubium est, quin, si primo statim vobiscum, ô Alexander, contendisset hic, palmam ei ultro addixissem. Nunc jam, quia quod judicatum semel hic est, rescindere illud fas prohibet, neque constitutum ante ordinem movere licet, latis habere decet te Armini, hoc in animi sententia esse mihi, quod verbis quoque pronunciassem, si cum istis ambitiosus tu esse voluisses.

Quia vero fuisti Liberator Germaniæ, & bello pro libertate suscepto invictum omnes consententur, neque ibi vel periculi plus exhaustit quisquam, vel commodi in publicum affectus est, placet cum Brutis ponere te, & inter patriæ libertatis vindices, primo loco. Mercurio autem huic negotium do, ut in foro, plateis, circo, trivis, & ubi hominum ac Deorum frequentia est, pronunciet *Arminium Cheruscum liberrimum, invictissimum & Germanissimum*, sicque jubeat passim ab omnibus acclamari tibi. Id quod decretum & constitutum esto, neque ulli posthac refragari liceat. *Alex.* At servivit aliquando hic. Ego semper Rex, semper fui liber. *Armin.* Ego minimè verò mente obnoxius ulli unquam fui. Semper enim Libertatis memor, cum aliud nihil agitare animo, nisi quomodo possem, oblata occasione, juvare patriam, in illa popularium servitutis patientia, donec facta præstare non potui, consilium quoque dissimulavi, & clausam intra me Libertatis curam tenui. *Alex.* Hoc est, quod ferunt illi, non licuisse tibi desciscere ab iis, quorum semel jugum accepisses. *Armin.* Atque hoc est, quod ego contra respondeo, neque accepisse jugum me, vel animo in servitutem consensisse, neque si eo necessitatis iniquo aliquo tempore coactus, me impedivissem, non licuisse per occasionem, quando cunque ea se dedisset, inde rursus expediri. Nam quod jus habere potest, qui naturæ beneficium alteri eripit? Vel quæ injuria est, suum sibi violenter detractum, pari violentia recuperare? *Alexan.* At fidem dederas. *Armin.* Ut indignè aliquid paterer, non dederam. Potui tamen honestè & liberaliter parere, si modestè illi & civiliter imperare voluissent. Sed ut dedissem, extortam vi & injuria, communis hoc vita sancivit, *fidem non esse, quam raptores exigunt, ab eis, qui necessitate coacti ea concedunt faciles, quibus nec ipsi carere debent, nec uti, qui rapiunt.* Porro, qui alteri jugum injicit, nonne eatenus sibi obnoxium habet, quatenus vi teneri potest? Aut non licet armis per injuriam adempta, armis per occasionem repetere? Neque puto, contra naturam cum sit, ex libero ser-

vum fieri, contra leges esse debere, ad naturæ donum respicere. Ea demum fides est, qua damus quod debemus. Agere autem, quis tam injuriæ patiens esse debet, ut ea ferat, quæ in Germania faciebant Romani tunc, quæque Varus, homo omnium puto, quos terra protulit avarissimus, & iniquissimus? Qui cum Syriam ante spoliando circumrassisset, Germanos ex toto consumere peculando instituerat. Ibique ea fuit superbia & animi impotentia, ut mente conciperet, *bestias esse Germanos, & ratione carentia bruta, non homines*, neque ullam tantam esse indignitatem, quam averfari nos deceret, aut contra quam resistere. Itaque nihil amentia suæ temperavit, omne flagitium, & omne ausus est scelus. Quapropter ego, illud cum conscivi facinus, non erga legitimos Dominos fidem fefelli, sed contra iniquissimos Tyrannos, jus patriæ, & commune fas obtinui. *Min.* Ingenuè causam tutatus est, & sic ego existimo, neminem ita alteri pace obstructum esse, ut talibus percitus causis, mutandæ jus non habeat. *Scip.* Et tamen perfidiam objiciunt huic nostri, ac nimis crudeliter videtur Variam exercuisse victoriam. *Armin.* Eadem Scipio ratione perfidi fuerint tyrannicidæ ubique omnes, & patriæ libertatis adfertores, vestri præsertim, qui Tarquinos ejecerunt, & Cæsarem interfecerunt, ac summam ob id laudem, sempiternam inter vos gloriam consecuti sunt. Denique eorum est perfidia, qui ad fortunæ motus spectant & mutabilem ad hos fidem circumferunt. Me causæ æquitas, contra adversos quosque casus niti perpulit. Dicat iste vero Minos, talem tamque importunam Quirilii atrocitatem, an non licuerit mihi, cum occasionem Dii tribuissent, alia invicem atrocitate punire. *Min.* Censeo, licuit Hannibali. Ecce autem qui jactas, nihil tam necessarium tibi visum, quin patriæ studium pervicerit, tamen Regnum affectasse diceris, & qui alienum gloriaris amoliturum te jugum à popularibus, tuum iisdem intentasti, quod nefas in meum animum nunquam cecidit, ut vel hujus ergo præponi se tibi debeam. *Arm.* Minime tu quidem hanc

ob causam, si quando apud se esse volet hic Minos. Nam Regnum capessendi nunquam mihi cupido incessit. Sed fuit inimicorum ea invidia, quæ suspicionem hanc hominibus injecit. Omnes autem intelligimus sic humanitus comparatum esse, ut *quorum plurima sunt Virtutes, eorum par contra sit invidia*. Nam soli invidiam non sentiunt, quorum in conspectu Virtus non est. Eos maxime illa perit, quos altissime evexit hac. Necesse est autem multum in commune possit, cui rerum summa procuranda est. Quam facile pessum rediisset publica libertas, si adunus cujusque pravam de me opinionem, vires, quibus tuenda ea fuit, dimissem. In hoc propositum cum potentiam retinerem, gratumque id bonis facerem, in affectatæ tyrannidis calumniam apud malos incidi. Quod si Regnum occupassem etiam, cui id magis conveniebat, quam ei, qui ab externa servitute redemerat, quos sub patrium Regnum collecturus erat? Mihi nondum pareni retulisset gratiam patria, si pro restituta sibi libertate, seque ab interitu propè vindicata, Regnum ultro detulisset. At verò languelcente post temporis intervallo, accepti beneficii memoria, passa est impeti calumnia primum, deinde opprimi celere. Quod nec primo mihi, nec ultimo reor contigit. Tuis enim bene meritis grati fuerunt Carthaginenses? Aut non fuit quæ te peremeret, immò quæ oppressit tandem inimicorum domi insectatio? *Hann.* Fateor, fuit. *Armin.* Nam Scipioni, credo, vicem reddidit patria, in qua ab se amplissime decorata, post tot edita præclara facinora, ne mori quidem permissus est. Certè Alexandro domestica invidia mortem concinnavit. *Min.* Etiam hoc expedivit. Ita enim est: *Nemo clarus unquam fuit, cui non aliquando fraudi sua esset Virtus*. Necesse est verò, hunc qui norunt Arminium, præclaram ob indolem, valde ament. Proinde, auctum honore decet esse te Germane, neque nos tuarum Virtutum fas est, unquam fieri immemores. Sed jam ipsum jube sequi te Mercuri, ac facesse aucturum jussa. Vos ad vestra hinc redite. *Merc.*

Sequere.



LIBERTAS GERMANIÆ,

qua Germanos Gallis, neminem
vero Gallum à Christiano natali, Germanis
imperâsse, certissimis Classicorum Scriptorum
testimoniis probatur.

ENCOMIUM SACRÆ ROMANÆ
REGIÆ ac CATHOLICÆ MAJESTATIS ILLU-
strium Romani Imperii Principum Electorum.

NANTUANES, HELVETIOS, RAURACOS,
Tribotes, seu Alsatas, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Ubios, non
Gallos, sed verè Germanos esse, haud proletariorum Scripto-
rum attestatio.

HIERONYMO GEBUILERIO AUTORE,
in singulare totius Germaniæ, & Alsatia præco-
nium congesta.

CAP. I.

*Origo Francorum Germanorum, ac eorundem victo-
ria in Germanos, & Gallos.*

DUbia, & Gordii nodis intricatior, jam du-
dum plerisque vel Doctis suboritur con-
tentio, imperarintne Galli unquam Al-
satis, Argentinensibus, cæterisque Rheni ac-
colis. Quibusdam omnem Rheni tractum, imò to-
tam fermè Germaniam, Thuringiam, Sueviam, Sa-
xoniam, & Bavarorum fines, Francorum Regibus
obedivisse, pertinaciter contendentibus: Aliis ve-
rò, quasi Germanicæ gloriæ id notam quandam
inureret, Teutones & Alsatas Gallis nunquam fuis-
se subditos; verùm Germanos ultra quinque secu-
la ei genti & Reges, & Principes dedisse, certissimis
argumentis probare adnitentibus. Illis relictis,
Classicorum Scriptorum testimonio convictus, iis
facilius subscribo. Nam si Gallorum Regum (quos
nunc ex usu Francigenas dicimus) originem, & stem-
mata oculatus inspexeris, Germanos, quos tunc com-
muni vocabulo Francos appellabant, quingentos quin-
quaginta annos Regio fastigio Celtis præfuisse, clarius
luce reperies. Sed ne fabulam dixisse videamur, à
Francorum Orientalium exordio negotium altius
repetendum duximus.

Destructo jam Ilio, Trojanorum reliquæ Patria or-
bata, novas quarere colonias coactæ, pars Italiam pe-
tentis, Ænea Duce, urbi Roma initia dedere: Alii ad
Meotidas paludes navigio delati, subductis navibus
Sicambriam civitatem, à qua & Sicambri dicti, ex-
truxerunt, ubi usque ad Valentiniani Cæsaris tem-
pora degentes, in magnum crevère populum. Qui,
ut cæteræ Provinciæ Romanis vectigales, annum

centum exoluunt, donec Valentiniani jussu Alanos
populos tunc Romanis rebellantes, ac tributum dare
negantes, bellica Virtute, pristino censuali jugo sub-
didissent. Qua victoria contra Alanos obtenta, Va-
lentinianus Imperator Sicambris, Trojano sanguine
natis, in laborum compensam, ad decennium tributa-
rium onus remisit, unde & Franci, hoc est, liberi appel-
lati fuerunt, etsi hoc nomen à quodam Francone, He-
ctoris, seu Priami filio ei genti inditum nonnulli ad-
struant. Quo non solvendi census decennio comple-
to. Quirites decennali tributariæ libertati satisfac-
tum esse contendentes, Francos de solvendo cen-
su denuo sollicitant, qui dulcedine concessæ immu-
nitatis illecti, vectigale jugum omnino reuentes,
se prorsus nihil duros pertinacissime constituunt, ala-
criorem propositi sui fiduciam capientes, quòd Ro-
manorum potentiam provinciatis in occidente, ob
Imperatorem segnitiem jam torpescentem cerne-
rent. Unde consilio inuito, ad Istri fluminis ripas per
Pannoniam irruentes, Germaniam copioso milite in-
vadunt, complures civitates trajecto Danubio ca-
piunt, demum Franconis vadum, clarissimum Germa-
niæ emporium extruunt. Sunt qui, Gratiano Imper-
atore, nonnulla contra hos præsidia Germanis au-
xilio missa fuisse, ac propè Argentarium Gallia op-
pidum, perniciosam iis Francis cladem intulisse asse-
rant. Alii Theodosio Imperatori hanc pugnam ad-
scribunt: quòd is Nanne & Quintino militum
Præfectis, Francos Germanos invadentes, ad oriri
præceperit. In qua pugna cum ad Francos inclinasset
victoria, tot cum Romanorum, tum Germano-
rum desiderata fuisse millia, ut ex eo tempore Franci
omnibus finitimis terrori esse cœperint, eoque facilius
collimitias Germaniæ ac Gallia Regionis suæ di-

tioni subjecerint. Ordinatis igitur *Ducibus*, quibus ceteri auscultarent, *Simone Genebaudo*, & *Marcomiro*, utramque *Rheni ripam* suo *Potentatui* adjiciunt. Unde magna Germanorum parte illorum jugo subiecta, qui prius Germani seu Teutonici, nunc per Francorum admixtionem Franci dicebantur, nomine profecto ei genti congruentissimo, qua libertatem auro, & gemmis hodie praeferens, tyrannidem morte duriorum judicat: quocirca Francus & Germanus solo nomine (cum res eadem sit) discrepabant. Ea tempestate *Tribotes*, seu *Alsata*, ipsa quoque *Argentinesium* clarissima civitas, à Divi Julii temporibus, Romanis tributarii, *Francorum* *dominatui* ac nomini sese subjecerunt. His finibus *Martialis* *Francorum* *populus* non contentus, *Principatum* suum amplius reddere cupiens, *Treverim* urbem *Belgarum*, tunc quoque Romanis subjugam, cujusdam *Lucii* *Patricii* *Romani* (cujus uxorem *Lucius* *Gallia* *Præses* stupraverat) prodicione cepit. Quæ capta, cum angustiores sedes haberent, proferre terminos stantes, trium & viginti millium copias, *Hybro* *Duce*, in penitiorum *Galliam* transmittunt, qui ad *Sequanam* usque *Parisiorum* *Lutetiam* circumfluentem, percurrentes, ex animo quoque obtinent. Ubi amœnitate loci, agrorum fertilitate, acrisque salubritate permoti, & ad *Sequanæ* videlicet ripas subsederunt. Erat autem ante hæc *Francorum* *Germanorum* irruptionem tota *Gallia* Romanis etiam tributaria. *Francis* itaque *Germanis* magnam & *Galliæ*, & *Germaniæ* portionem occupantibus, *Marcomirum* *Ducem*, cujus nunc meminimus, *Francum* *Germanum*, quem longa propagine à *Trojanorum* *Rege* *Priamo* factum, summa observatione colebant, *Principem*, cui omnes obediant, constituunt, qui præterquam vallo, & mœnibus urbes cingere, præclari gessit nihil. Huic erat filius, corpore ac animo præstans, cui *Pharamundo* nomen, quem *Patris* consilio *Franci* communem sibi *Regem*, plenaria regendi potestate illi permilla, *humana* *salutis* anno *quadragesimo* *vigesimo* eligunt. Quæ *Francorum* seu *Germanorum* progenies ad annos ferme *quingentos* & *quingenta* *Gallis* *Reges*, sine ulla interruptione protulit. In duabus namque stirpibus, *Meroveorum* videlicet, & *Carlingorum*, usque ad *Hugonem* *Capetum* perstitit. Longè igitur hallucinantur, *Gallorum* quempiam *Germania*, *Argentinesibus*, seu *Alsatis*, post *Divi* *Julii* tempora imperasse credentes, cum certo certius *Francos* *Germanos* ad aliquot secula *Gallis* dominatos fuisse probetur. Cujus rei veritatem, (ne fabulam recitasse videamur) clariorem fieri cupientes, *Francorum* *Regum* originem ac nomina à *Pharamundo* usque ad *Hugonem* *Capetum*, quem *Gallum* fuisse asserunt, strictim oculis subjiciemus.

CAP. II.

Francorum Germanorum Regum series à Pharamundo usque ad Chilpericum.

Pharamundus *Marcomiri* *Ducis* filius, natione *Germanus*, primus (ut dixi) *Francorum* *Rex* constitutus, cum undecim annis regnasset, vitam morte commutans, filium reliquit *Clodum*, cognomento *Capillatum*, seu *Crinitum*, qui *Patri* hæres succedens, augendi *Regni* desiderio, cum adhuc in *Germania* angustis finibus arctaretur, *Thuringos* sibi finitimos *ditionis* sue adjecit, occupato *Tuischburgo* oppi-

do, quod *Tuisconis*, primi *Teutonum* *Regis*, olim *Regia* fuit. Ubi *Regni* sede constituta, *Gallos* postea invadens, quatuor lustris *Francorum* *Regni* habenas moderatus, sine liberis diem clausit extremum. Quocirca *Meroveus* *Princeps* & *Francogermanus*, illi sanguine conjunctior, *Regio* *Diademate* insignitur, in cujus progenie falces *Regii* usque ad *Pipini* *Pusilli* tempora continuantur. Hic *Meroveus* etsi ab *Hunis*, *Gallias* tunc depopulantibus, gravissima perpeffus fuerit pericula; Etiam tamen *Patricii* *Romani* præsidio, in *campis* *Cathaluniacis* adversus *Artillam* *Hunorum* *regem* felicissimè pugnavit. In eo namque prælio centum & octuaginta milia occubuisse traduntur. Horum *Clodii* & *Merovei* ductu, *Francos* *Germanos* *Rhenum* transgressos, *Gallias* occupasse; ac temporis progressu *Francorum* nomen tota *Gallia* auctum fuisse, *Sabellicus* testatur. Quare *Meroveus*, pro genuina *Germanici* sanguinis indole *Regno* commodissimus, decennio *Principatus* sui completo, naturæ debito satisfaciens, unicum filium *Childericum* *Regni* reliquit heredem. Qui à paternis moribus prima adolescentiâ degenerans, libidine ac adulterio apud suos penitus vilescibat; maturiore tamen accedente ætate, lubricum & petulans ingenium bellica *Virtute* permutans, clarissimis nobilitatis victoriis, *Basinam* *Thuringiæ* *Regis* uxorem (quæ invita marito discesserat) consorti thori accipiens, *Clodoverum* primum, non citra portentorum insomniorum apparitionem suscepit, qui, ob corporis elegantiam *Pulcher* cognominatus, *Parenti* suo post *vigesimum* *quartum* *administri* *sceptri* *annum* *fatis* *sublato*, hæres successit. Hic ut egregia fortuna erat, ita & magnanimitate, præclarisque motibus facile gratiam omnium sibi comparans, ethnicus adhuc, *Croildim* *Burgundionum* *Regis* *filiam*, *Christo* *initiatam*, conjugem duxit, cujus persuasum à *Beato* *Remigio* *Remenfi* *Archisciam* ne ipse quoque *lustrali* *baptismatis* *unda* *emaculatus*, olei vasculum, quo *Francorum* *Reges* *inunguntur*, pannum item sericum, quem *auri* *flammam* *dicant* peculiare contra *hostes* *Francorum* *præsidium*, & *tria* *libra* *divinitus* *caelo* *sibi* *demissa* *videre* *meruit*. Quare iis donis supernè missis, *Gallia* nihil gloriatur, cum *Germanorum* *Francorum* *Regi* *Clodoveo* hæc prærogativa contigerit, qui *fidei* *lumine* *illustratus*, in *Divinum* *honorem* *templa* *erexit*, quibus *primaria* *Christipara*, *Virginis* *Mariæ* *Argentinesium* *ades* *connumeratur*, quam *lineam* *à* *sui* *initio*, *non* *vivo* *marmore*, ut nunc cernitur, extractam fuisse ajunt. Quo *Clodoveo* post *trigesimum* *optime* *administri* *Regni* *annum*, *morte* *sublato*, quatuor virilis stirpis superstitibus liberis, in *Francorum* *Regno* *Clatharium* seu *Lotharium* primum habuit successorem, ceteris tribus aliorum *Principatum* gubernamine ac emolumento provis. *Lotharius* *patriæ* *Virtutis* *imitator*, quem *quingenta* *ferme* *annos* *Regio* *solio* *consedisset*, naturæ satisfaciens, quatuor item *masculi* *sexus* *relictis* *hæredibus*, *Chilpericum* *Francorum* *Regno* *præfecit*.

CAP. III.

Francorum Germanorum Regum series ab Hildericum usque Pipinum Pusillum.

Chilpericus seu Hilpericus successionis jure & *Francorum* *Regno* *potitus*, insidiis ac dolo *Fridegundum*

Secundis uxoris sua, adulterii nota diffamata, à venatu domum rediens crudeliter trucidatur, post viginti trium annorum Regni sui moderamen, *Lothario secundo* ex se genito *Regias fasces relinquens*. Hic *Lotharius Martis*, ac bellorum studiosissimus, compluribus victoriis nobilitatus, confortis Regni impatiens, fratribus suis Regia administratione vi repulsis, solus domiaabatur. Tandem ex duarum uxorum connubio totidem filios suscipiens, ex priorè Berendrudà *Dagobertum Magnum*, ex altera verò *Richtilde Haibertum* genuit, mortuus anno Regni sui quadragesimo quarto. Cujus *Regalis iara* *Dagobortus ille Magnus*, legitimus hæres, primùm *Austrasia*, hinc *Burgundionum ac Francorum Monarchiam adeptus est*. Quem, dum soli *Austrasiæ* Regio moderamine præesset, *Alsatiam* crebrius, veluti cæteris Regiis suis gratiorem, inhabitasse legimus. Arcem præcipuè *Issenburg oppido Ruba-quensi adjacentem, extruxit, & aliam prope Marlen, quam Trojam novam dici voluit, vulgò Kircheim* appellatam, cujus duntaxat ditura hodie videntur mœnia. Quo zelo *Divinum cultum profecutus fuerit, Benedicti Ordinis diversa & in Germaniis & Galliis magnificè extructa Cænobia facile arguunt, quæ annuis censibus, nemoribus, pascuis, curtibus, ac decimis in Deo illic famulantiuum sustentationem reddidit locupletissima. Testimonio sunt Wissenburgense, Sarburgense, Haselocense, & Erdfordiensium Sctorum Cænobia, quorum nonnulla Summi Præfulis indulto postposita cuculla, in secularis Cleri collegia transmutata sunt. Hic insignem Argentinensem Ecclesiam Episcopali sedis fastigio sublimans, redditibus, emolumentis, villarum, pagorum dominiis dotavit magnificentissimis. Tunc quoque præclara Argentinesium civitas, intemeratè *Virgini Mariæ dono tradita creditur, sub cuius numine, si digne colatur, periclitabitur nunquam*. Francorum igitur Reges, si Episcopia, seu Cænobia per Germanias erexisse legeris, tales non Gallos, verum Teutones, ac Germanorum Francorum Reges exstruxisse suspiceris. Usus est hic *Dagobertus familiarissimè Sacerdotibus, sanctimonia vitæ, ac doctrina celeberrimus, Amando, Arbogasto, & Florentio, quos Argentinenli Ecclesiæ pastores præfecit*. Tandem sedecimo Monarchiæ suæ anno, spiritum exhalans, Divorum rationario inscriptus habetur. Quem filius *Clodoveus II.* in Francorum Regno secutus, sedecim annis scepra gubernans, mortem oppetiit, *Regium Diadema filio suo Lothario III. commendans, qui nulla prole auctus, quarto sui principatus anno extinctus, Theodoricum fratrem suum natu juniorem habuit successorem, cui etiam sine prole mortuo, alius fratrum Childericus Austrasiæ Rex Francorum Regni hæres instituitur. Quem citra lobolem è vivis excedentem, tertius fratrum Clodoveus in Regio solio subsequitur, qui liberis carens, naturæ debitum exolvens, Childeberdum Regni Francorum habuit heredem. Qui nihil clari gerens, Regno exauctoratus, unicum filium, cui Dagoberto II. nomen erat, Principatus sui reliquit successorem, quem ejus stirpis ultimum Regem fuisse asserunt. Præfati sex ultimi Francorum Reges, quanquam Germani ac Germano sanguine essent geniti, divitiis tamen, voluptatibus, & otio (quibus præclaro ingenio perniciosius nihil) inescati, o-**

mnem Regni sui administrationem Majoribus Domus permittentes, ad id contemptus devenere, ut totius populi sollicitatione Regale sceptrum ab illorum, Meroveorum videlicet gente penitus (ut sequenti capite dicetur) sublatum sit.

CAP. IV.

Qui Majores Domus dicebantur, & qualis fuerit sub illis Regum Francorum conditio, ac quo pacto, Meroveorum stirpe deficiente, Pipinus Pusillus Francorum Regno primus in Carlingorum stirpe potitus est.

Majores Domus appellabantur, quos ex nobilioribus Regni Primatibus, palatiique præfectis, seu cubiculariis eligebant, omnem liberam Regni administrationem illis permittentes. Hinc Principum permissione ac ignavia evenit, ut Regibus titulo tenis honoratis, vel nulla, vel modica esset imperandi potestas. Nam opes & Regni potentia penes Majores Domus constitutæ, nihil reliqui fecere Principes, quam ut Regio tantum nomine contentus, crine profuso, barbâq; submissa solio residens, dominantis vultum præ se ferendo, Legatos undecunq; venientes audiens, abeuntibus responsa, quæ vel ipse doctus, vel iussus erat, veluti se ipso autore, redderet. Si quid præter inutile Regis nomen, ac precarium vitæ stipendium, quæ Præfecti aula ministerio exhibebatur, nihil aliud possidebat, præter per exigui redditus villam, quæ & domum, & paucissima obsequia familiaritio habebat præsentia. In Regiam, quod palatium dicitur, semel duntaxat in anno Calendis videlicet Maji admissus, congregato illic populo videndus producebatur, mox in villam suam redire iussus, inertia torpebat. Regni etenim gubernacula, & omnia, quæ vel foris, vel domi agenda, seu disponenda erant, Præfectus aula, Major, inquam, Domus procurabat. Quo honore Pipinus Pusillus hæreditario jure sub Hilderico in Austrasia, & demum sub Theodorico in Francorum Regno functus, desidia, torpore, ac otio Regum attentis, totius populi consensu, Zachariam primùm tunc Romanæ Ecclesiæ Antistitem literis consuluit: *uter illorum Regio fastigio dignior habendus, isne qui Regio nomine gaudens, nec consilio, neque opera subditis quicquam prodesset, aut qui omnem Regni administrationem occupans, præter Majestatis nomen, & pacis, & belli consiciendi plenarium jus possideret?* Zacharias hunc potius Regem habendum decrevit, penes quem summa Regiæ administrationis citra nomen constitueretur. Quare Childerico detonso, ac Monasterii clausura septo, Pipinus Pusillus in Francorum Regno ex Carlingorum stirpe primus Rex eligitur, quem ex nobilissima Francorum Germanorum stemmate ortum traxisse sequenti capite deducemus.

CAP. V.

De stirpe & origine Pipini Pusilli, & Caroli Magni.

Lothario I. Francorum Regno presidente, Anabertus Vir nobilis Francogermanus, divitiis, ac Virtute in Austrasiæ finibus celebris, præfati Regis filiam, Blydilt nomine, uxorem ducens tres filios & unam filiam genuit, quorum Arnoldus

juventutis annos adeptus, conjugæ accepta, *Arnolphum*, postea *Metensem Episcopum* procreat, qui adultior factus, & pubertatis annos egressus, maritali capistro frenatus tres filios propagavit. Tandem thori delicias pertæsus, mundo renuncians, eremi secessu carnis & mundi illecebras pervigilio, jejuniiis, ac perpetua corporis flagellatione domitans, in *Mediomatricum Præsulem* electus sanctimonia vitæ & doctrina, commissum gregem uberrimè paciscens, mortuus coelatum albo inscribitur. *Cujus filius Anchisus* ex *Begga* uxore *Pipinum* majorem seu *grossum* generat, virum ob excellentem audaciam, prudentiam, ac consilium, *Dagoberto Magno gratissimum*, ac *Majoris domus honore eo nomine sublimatum*. Huic *Pipino* duos fuisse filios nonnulli asserunt, *Carolomanum* & *Carolum Marcellum*. *Marcellus* ferreâ & robustâ naturâ homo, *defuncti parentis Præfecturæ Palatii honorem*, compluribus etiam cruentosis præliis, candidatos & competitores retundendo, *forti manu obtinuit*. Longè lateque bellando gentis gloriam auxit, *Saxones, Suevos, & Alemannos Francis rebellis vicit*. *Sarracenis Pictavorum fines irruentibus*, cum *Eudone* occurrens Principe, non citra funestissimam eadem hostes prostravit, eo quippe prælio trecenta & septuaginta *Sarraceno* millia desiderata sunt ex *Francis* mille duntaxat & quingentis occisis. Hic *Marcellus*, cum *Francorum* rem per annos viginti quinque feliciter administrasset, obita morte in *Divi Dionysii templo* conditus est, antè tamen *liberis distributo Imperio Carolomanno concessit Austrasiam, Sueviam, Alemanniam, & Lotharingiam*: *Pipinum Gallis præfecit, Gryphonem natu minimum testamento præterit, quocirca fratribus maximum bellum*, *Saxones* in eo sollicitando, *Grypho* intulit. Quibus Marte contritis, *Carolomannus gloria fortiter ac præclare gestarum rerum satiatus, secessit in Cœnobium ad Soracte, quod & ipse construxerat, Religioni ac Divino cultui mancipatus, omni rerum cura Pipino Pusillo fratri relicta*. *Pipinus Pusillus*, *Francorum Regno Major domus*, in *Patris locum constitutus, Imperii sui limites paterno more ampliavit, hostesq; singulos victoriosissimè conterens, viso Francorum Regum, qui ex Merovea gente descenderant, inertia, Samuelem quemdam olim cucullatum, ac in Dagoberti II. demortui locum, mutato nomine à Regni Proceribus Regio solio intrusum & Chilbericum appellatum, Pontificis Zachariæ (ut diximus) decreto totius Cleri, ac populi consensu dejiciens, & ad Monasterii clausuram denudò rursus redire compellens, Regio insignitus Diademate à *Divo Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, unctio* (ut moris est) *consecratur*. Hinc transcens *Alpibus* laboranti *Stephano Romano Pontifici* contra *Longobardos* opem ferens navantissimam, *primus Francorum Regum Christianissimi cognomen adeptus est*. Tantum præterea singularis prudentia *Germani* huic suo *Pipino* tribuere, ut sagacissimum ac toleratissimum quemq; nunc etiam *Pipinum*, Teutonice *Runita Pipis* appellant. Quem procul dubio *Germanum* fuisse genus indicat, atque *Patre Teutonico Carolum Magnum* editum, fidelissimi Scriptores in literis retulerunt. Tandem 17. Regni sui anno vita functus duos Principatum suorum legitimos habuit successores *Carolomanum* & *Carolum Magnum*, qui ambo *Reges Procerum decreto designati, sed paucis exinde diebus Carolomanni fabula**

vita exacta, summa rerum ad fratrem Carolum relata est.

CAP. VI.

De Carolo Magno, Imperisque in eum à Grecis translatione.

Carolum ex magnificè rerum gestarum superabundantia Magni cognomine decoratum, Germano Patre *Pipino* inter Germanos in *Regio palatio Ingelheim* duobus à *Moguntia* civitate milliaribus distante, *genitum*, *Lupoldus* de *Imperat. juri. cap. 5.* testatur. Hic à *Stephano Papa* in *Francorum Regem Parisii* consecratus, *Adriano Pontifice Maximo* per *Legatos* implorante, copias in *Italiam* duxit: *Desiderii ultimi Longobardorum Regis, in Pontificem tumultus reprimens*, omni bellica Virtute destitutum, tandem in deditioem coëgit. Hinc tota ferme subjugata *Italia, Romam petit*, *Resurrectionis festum* cum *Pontifice* celebraturus, *Platina* in *Adriani Pontificis* vita, *Franconiam Caroli Magni natale solum* fuisse asserit, quocirca eos *Teutones* nemo dubitabit. *Urbanus* item *Papa II.* in *Concilio Claremontensi* hunc *Carolum Magnum Germanum* fuisse commemoravit, cui *Æneas Sylvius* in *Europa* sua adstipulatur: *Carolus* (inquiens) *quamvis Gallia potiretur Imperio, Germanus tamen fuit, in Germania natus, aliusque, cuius sedes plerumq; Aquisgrani fuit, quæ civitas Teutonice est*. *Leone* præterea *III.* impie verberibus affecto, ac *Pontificio pallio* spoliato, *Carolus* indignitate rei permotus, *Romam* cum maximo exercitu revertitur, *Leoni sedem, & honorem restituit*. Quare ipsi de *Ecclesia* meritissimo, *Pontifex* aliquam gratiam relaturus, cum videret *Imperatores Constantinopolitanos* ægrè id nomen tueri, & eo nomine urbem *Romam*, ac totam *Italiam* multis torqueri calamitatibus, *Populi Romani, scito, & precibus*, universi *Cleri* consensu, in *Divi Petri Basilica* ipsum *Carolum* Stentorea voce *Imperatorem* decernens, *Imperiali Diademate* donat, ter acclamante *Populo Romano Carolo Augusto à Deo coronato, Magna & Pacifico Imperatori, vita & victoria*. Hinc ab *Italia* solvens, ad *Francos* repetebat: *Saxones* Christianæ pietatis hostes manu forti debellans, *Hispanos* tunc fidei lumine carentes ultimos devicit, cuius singularem pietatis zelum, magnifica ipsius expensis extructa cœnobia, complurium item *Ecclesiarum* dotationes magnificentissimè liquidò comprobant, præcipuè nobilissimum *Christipara Parthenices templum Aquisgrani extructum*. Quo thesauris & auri & argenti, *Divorum* quoque reliquiis liberalissimè locupletato, mortuus sepeliri voluit. Nec in hujus *Caroli* personam duntaxat *Imperium à Grecis* translatum arbitremur, verum & *Caroli Teutonicam posteritatem, ac eo deficiente in solos Germanos, quòd Francigermani oppressam Ecclesiam, non citra sanguinis sui profusionem crebrius exerent*. Quocirca nemo *Gallus Imperii Romani* fasces unquam possedit. Tibi igitur haud parum gratuleris *Inclyta Germania, Martialium Virorum* fecundissima, tot clarissimis *Illustrium*, ac *Generosorum Principum & Comitum* stemmatibus refertissima, è quibus vacanti *Cæsare* sedi prudentem & paciferum *Augustum*, largiloqua *Gallorum* Gente procul repulsa præcias, ne quæ cæteris hactenus imperaveris, quamve extere nationes cum tremore quodam suspexe-

spexerint, extorri quopiam, non Germano sanguine progenito, hoc insigni adornato, veluti mancipium servire cogaris. Sed ad Caroli Heroica gesta reverramur, quæ tot, tantaque fuisse fido testimonio percepimus, ut hunc Germanorum Numam, Herculem, ac Hectora meritò appellemus. Quorum legendorum desiderio si quisquam capiatur, Turpinum, & alios Historicos revolvat, hac in re exactissimos. Exiit hominem Carolus septuagesimo secundo ætatis suæ anno, Regni quadragesimo secundo, Imperii Romani decimo quarto, Salutis verò humanæ octingentesimo, & quinto decimo, Ludovico Pio Regni & Imperii ipsius potente.

CAP. VII.

De Ludovico Pio, Caroli filio, Lothario, Carolo Calvo, & Ludovico Bavarorum Rege primo, & Ludovico Secundo Lotharii filio.

Ludovicus à clementia morum, & Religione Pii cognomentum adeptus, etsi multa præclara liberaliter, & sanctè gesserit, haud tamen ad eandem vitam ussum filios traducere potuit, singulare inconstantis & lubricæ fortunæ ludibrium. Nam sub Patris mortem ab Aquitania Aquisgranum contendens, diversarum gentium Legationibus auditis, Concilium ibidem congregans, Episcopos novarum rerum auctores, mitius cum eis agendo, cœnobii inclusos vita donavit. Tandem à filiis captus, tanquam in Carolum natu juniorem propensior esset, Imperium ejurare cogitur. Sunt qui prodigalitatem illius in causa fuisse dicant. Alii Judith uxoris suæ impudicissimæ adulterium inculant. Quicumque igitur novercantis fortunæ insultu concuteris, hujus Regis calamitate attenda, patientiæ facilius studebis, quem maximum Imperatorem & Regem omni Virtute nobilitatum, cum conjugis adulterium, tum filiorum summa impietas immodicè sugillavit. Verum quod ignis auro, id tribulatio præstat viro justo. Virtus etenim in infirmitate perficitur. Eveniunt item plerumq; maximi æstus, ut gratior subsequens habeatur serenitas. Tandem tumultuante optimo quoque, Ludovicus à filiis facti penitentibus, è custodia liber dimissus, honori & auctoritate restituitur. Quibus non multò post functus, partito prius filiis Imperio & Regno, anno Imperii 27. Moriguntia vita migravit, Metis sepultus, cujus mortem solis deliquium, accometes, præcessisse dicitur. Tres superstites liberi huic Ludovico fuere, Lotharius natu maximus, quem vivens adhuc Pater, Imperii locum sibi deligens, præter Italia & Romanum Regnum, ea Austriasia Regni portione, quæ Mosæ ac Vosagæ interiacet, potitur, quam à suo nomine Lotharingiam vocavit. CAROLUS natu minimus à Mosæ flumine usque ad mare Gallicum Francigenis imperat: LUDOVICO tota Germania, Suevia scilicet, Bavaria, Carinthia, Styria, Austria, Carniola, Misnia, Thuringia, Hassia, Moravia, Bulgaria, Saxonia, & Selandia, usque ad mare Lybizenfè hereditati cesserunt. Neve ullus ipsorum Regio titulo careret, conventum est inter eos, ut Lotharius Romanorum Imperator, & Carolus Francorum Rex, Ludovicus verò Germanorum, seu Bavarorum Rex diceretur: item quòd posthac futuris temporibus, qui Gallia Celtica dominaretur, Francorum Regio nomine gauderet. At eam quippe ætatem soli Francorum, id est, Teutonicorum ac Germanorum Reges eo titulo gloriabantur, quod Francorum &

Germanorum vocolæ re ipsa nil discordabant; iidem enim Germani, qui & Franci. Celta præterea, si exactius rem intueri voluerimus, non Franci, sed & Francigena nominentur. Unde legentes, Sigebertum Francorum Regem, Divi Galli Monasterium erexisse, Gallum quendam id egisse arbitrantur, cum tamen is Germanus, & Germanorum Francorum Rex fuerit. Ludovicus primus & ultimus Rex Bavarorum, nulla prole auctus moriens, Lotharium Regni sui instituit heredem, qui in complures Principatus, Marchionatus, Landgraviatus, & Comitatus eas terras (ut hodie cernitur) dividens, divortio ab uxore sua Himelgarde in pago Erstein sepulta separatus, Monachali habitu, tædio rerum adversarum (ut opinantur) affectus diem clausit extremam. Ludovicus II. Imperator, Lotharii filius, viventi Patri consors Regni Imperiique efficitur, quare defuncto genitore cum fratre suo Lothario, cui ex Patris testamento Austrasiæ pars, quæ Lotharingia dicitur, obediebat, Imperii gubernacula administrantes, quum sine liberis discederent, Carolum Calvum patrum Francorum Regem habuere Imperii successorem.

CAP. VIII.

De Carolo Calvo Imperatore, Ludovico Pii Calvi filio, Balbi cognomento, Ludovico nil faciente, ac Carlone, Carolo Grosso Imperatore, Carolo Simplicis, Ludovico sine prole, illius filio, Lothario, & Ludovico Francorum Regibus.

Ludovicus II. mortuo, summa Imperii ad Carolum Francorum Regem, minimum Ludovici Pii natum, redierat quanquam Ludovici Bavarorum quondam Regis filii, hunc bello lacescentes, sibi Imperium vindicare conarentur. Quibus contritis, Carolus Calvus à Joanne Pontifice coronatus, veneno à Sedechia Medico Judaici sanguinis dato, obiit anno Regni Francorum 34. Nobilitatur hic Carolus multorum extructione Monasteriorum, quæ in Divini cultus augmentum sparsim in Galliis & Italia sumptuosè erigi curaverit. Ludovicus Calvi filius: Patre fati tublato, Francorum Regni habenas obtinuit, qui Balbus à linguæ impedimento dictus est. Is apud compendium naturæ concedens anno salutis octingentesimo octogesimo, relictis duobus filiis, Ludovico nil faciente, & Carlone, quos ex honesta puella, sed non ex justo matrimonio susceperat. Hujus Ludovici interitum secuta est varia Francorum, seu Francigenarum mutatio, tumultuantibus hinc atque illinc diversarum partium studiosis. Ludovicus etenim & Carlone Ambiani convenientes, paternum Regnum inter se partiuntur: Ludovico Francorum Regnum cum omni Neustria, Carlone Burgundia cum Aquitania concessa est, Ludovicus post aliquot bella Turonis morbo correptus, sine liberis moriens, fratrem Carlone Regni habuit successorem. Quo regnante Normanni ex Germaniis Campaniam invadunt, multis urbibus ac templis direptis ac incensis. Quibus incommodis indignatus Carolus Imperator ejus nominis tertius, cognomento Crassus adversus hos barbaros & Christiani nominis hostes, ex Wormatia, ubi Palatium Regium habebat, insurgit, & egregio nixu prælians, Normannos sternit, occidit, fugatq;. Carlone ab humanis exempto, filius ejus Ludovicus paternum decus accepit, hunc ab inertia, nihil facientem appellabant.

Nulla

Nulla enim re insignior habitus est, quam quod Vestalem Virginem, cujus amore deperibat, ex cœnobio quodam abductam, uxorem accepit. Cujus inertissimi Regis ætate, Normanni denuo Franciam crudeliter invadunt, quæ causa fuit plerisque Sacerdotibus, & Viris religiosis oratoria sua relinquendi, & aliò transferendi. Hoc Ludovico mortuo, *Carolus Simplex* Regio Francorum Diademate insignitur, quem nonnulli jam dicti Ludovici filium fuisse asserunt, alii ex Ludovico Balbo genitum affirmant, qui, *quum sine fuce & fallaciis viveret, Simplicis cognomentum meruit.* Hic Alginam, Anglorum Regis filiam, uxorem ducens, ex ea Ludovicum suscepit. *A Rollone Normanno Deorum cultore bello lacesitus, obtulit ei Stilla filia matrimonium ea conditione, ut ab armis discederet, & dogma Christianum susciperet. Accepit Rollo conditiones pacis, & in dotem Neustriam, qua mox à Normannis colonis, Normannia dicta est.* Francorum Regno tot, tamque atrocibus incursionibus desolato, *Proceres Regni* Regis inertiam, ac pusillanimitatem accusantes, ac ab eo deficientes, quasi Regem non haberent, *de alio eligendo consulunt.* Eligitur *Radolphus Burgundia Ducis filius.* Carolus Simplex ab Heberto in vincula conjicitur. Ludovico Caroli Simplicis filio, cum Algina matre ad Anglos confugientibus, Carolus Simplex in carcere moritur: *Radolpho* item, postquam duodecim annos regnasset, *è vita migrante, Franci Ludocum, Caroli Simplicis filium, ad Regni gubernacula revocant,* redemptem Regiis fascibus adornant. Qui *Otonis Romani Imperatoris* primi ejus nominis, filia uxorem ducens duos ex ea suscipiendo *liberos, Lotharium & Carolum* varjis bellorum agitatedus procellis, raro prosperam fortunam sentiens, *Remis extremum diem clausit,* Anno Salutis humanæ 1460. superstitibus, quibus dixi filiis. Quorum Carolus privatam vitam Bruxellis egit. *Lotharius, qui nihil illa persona dignum gessit, nisi quod contra Normannos, & Otonem avum profectus, reduxit exercitum parum decore, moritur nulla prole auctus, ac Remis in eadem æde, qua Pater, sepelitur.* Robertus Gaguinus Lothario filium fuisse, Ludovicum nomine, adstruxit, Patrique in Regno successisse, brevi tamen sine liberis mortuum. Quocirca *Carolus, jam dicti Lotharii frater, Regni gubernacula, tanquam legitimus hæres, recuperare tentavit; sed ab Hugone Capeto custodie munitus, proposito frustratur,* nec aliquis post Lotharium ex Carlingorum stirpe, Regio Francorum sceptro admittitur: Hugone Abbate, cum cæteris Regni Proceribus, in Nobilium Francorum Germanorum stirpem, quæ ad annos ferme quingentos & septuaginta bellicosissimos, ac victoriosos, Divini honoris cælatores Reges & Principes Gallis ediderat, conspirantibus. *Hic Hugo animi magnitudine, & rebus potens, & natione Gallus (quem Parisiorum Comitum fuisse ajunt) quum nemo conatus suos reprimeret, animo tumens, ut peculiare Gallorum ingenium est, vi atque armis Regni se Diademate insigniri extorsit, primus Francorum Regum natione Gallus.* Quotquot enim hunc præcesserunt, ex Francorum Germanorum stirpe originem, veluti diximus traxere. *Hunc Hugonem, quidam Abbatem cognominarunt, quòd cum Roberto Parisiorum Comite, primus relicta Monachis & Santimonialibus prædia, proventusque occupaverint, ea sibi, suisque militi-*

bus attribuentes, seque Abbates appellantes, atque impertientes Monachis, prout volebant, adhibito victus ac vestitus, moderamine. Quod ingenium in Gallis quibusdam, nec hodiè deesse audivimus, cum aureis & argenteis Divorum statuis, calicibus, cæteris præterea preciosis vasis, sacro usui deputatis, belli tempore parcatur nusquam, omnia in æs conflantur, quo Martialis populi stipendiis satisfiat. Absit procul hæc tyrannis ab inclyta Germanorum natione, quorum invictissimi Imperatores, ac Reges, Dei cultum potius augere, quam diminuere satagentes, Magnificentia, Pietate, Clementia, Equitate, ac Fortitudine Romanum Imperium à Grecis translatum, posthac perpetuo habere meruerunt. Quod suæ ditioni nemo Gallus armis, auro, seu favore adipisci confidat. Sit Galliarum Rex suis limitibus contentus, ne plus æquo petenti, quemadmodum Æsopino cani contigerat, quod habuerat, auferatur. *Liberum namque & ferox Germanorum ingenium servitutis impatiens, Regiam Gallorum tyrannidem sustineret nunquam.*

CAP. IX.

Testimonia pro supradictorum approbatione.

Sed ne Siculis gerris, aut Persicis nugis vaniora scripsisse videamur, dictorum nostrorum testes citabimus haud repellendos. Favet in primis sententiæ nostræ Lupoldus in eo, quem de Imperii juribus scripsit, libello, Francorum Reges Germanos fuisse, testimoniis persuadens luculentissimis. Nec desunt opinioni nostræ Eusebius, Rhegino Abbas, Gotefridus, Francorum annales, Platina, Sabellius, Robertus Gaguinus, & quotquot Francorum Germanorum meminere. Firmissimo demum munimento nobis futurus Christianus ille Maro Mantuanus Baptista, quem Cyclopediam absoluisse nemo dubitat, cui quoque nihil non Historiarum perfectissimum fuisse liquidò constat, qui in Divi Dionysii vita de Francorum Germanis Regibus ita cecinit:

*Postquam Roma diu Gallos possederit, arma
In nova jurabunt Franci, Germanica proles,
Sigenus inspicias hominum, Trojana propago:
Regnaq; transmissio venient in Gallica Rheno.
Hos inter Regale decus Pharamundus habebit
Primus, & hinc veniet series longissima verum.
Quintus ab hoc Clodovenus erit, qui falsa relinquens
Numina, nostrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cæli cui mittet ab alto
Cerulei breve vas olei, quo tempora Regum
Gallia profundat, Pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis venturi Regibus ævi.
Quartus ab hoc magna tibi religione superbum
Ponet opus, nomen Regi Dagobertus, & amplis
Sumpribus educet cælo sublimia templa.
O quantos olim, qualesq; habitura triumphos
Ista sub Imperio Christi Germanica proles,
Semper clara quidem, sed dum clarissima, quando
Regia Pippinus sumens insignia, priscos
Excludet Regnis Ephoros, & liber habenas
Pacis & armorum plena ditione tenebit.
Carolus hinc, cui Majestas non Regia solum,
Sed titulis augusta novis, cui nomine Magno
Major erit Virtus, cui summa potentia, & ingens
Religio, qui res hominum clementer, & aqua
Lance gubernabit.*

Et reliqua carmina, quæ in Caroli Magni laudem eadem pagina scribuntur, sedulus Lector requirat. *Libro* item III. ejusdem carminis Hugonem Capetum Gallorum stirpe creandum, electum iri prædicit:

Sed tamen hæc Regum series insecta redibit

Ad Gallos tandem, cum sceptrâ receperit Hugo,

Non genus à Francis dicens, sed originæ Gallus,

Illuc usq; dabit tellus Germanica Reges.

Quid hoc carmine proposito nostro accomodatius? quo manifestatio omnes Francorum Reges usque ad Hugonem Capetum Germani fuisse perhibentur. Nec suspitionis alicujus Mantuanum facile argues, cum Italus Gallo & Germano æquè faveat, nudæ veritatis assertor.

CAP. X.

Encomium Sacræ Romanæ Regiæ, ac Catholice Majestatis, Illustrisq; Romani Imperii Principum Electorum.

Quis igitur tam secors, adeoque consilii inops, qui Illustres & Nobilissimos Sacri Romani Imperii Electores, non habere aurum, sed habentibus imperare petentes, Germanæ libertatis amantissimos, ea vel impudentia, temeritate, aut inconsideratione arbitretur, ut nullis pollicitationibus, pecuniis, aut favore corrupti, jurisjurandi sacramento posthabito, quempiam Gallum suffragiis suis vacanti præficiant Imperio? Genuinum certè Alemannorum in Gallos odium vehementius renititur. Nobilius insuper Germania, multo cruore jam pridem assertæ libertati assuetæ, servile Gallorum jugum subit nequaquam. Quantam etenim crudelitatem hæc Gallorum gens in victos exercent, Asia olim sub Ludovico Delphino experta obliviscetur nunquam. Quæ insuper injuria victores Galli victos afficiant, multi Germanorum sub ejus gentis stipendio militantium perdidicere. Sunt præterea Germanis Illustrissimæ, ac Generosæ Domus Principum, ac Comitum sæcundissimæ, è quibus Romani Regni vacantis Regem deligere queant, quas & prioribus sæculis Augustos non pœnitendos dedisse, Germanorum ephemerides indicant. Quis Archiducalem Austriacorum Principum sobolem hac Majestate indignam censet? quæ à Rudolpho ex Comitibus de Habsburg, ejus familiae primo Romanorum Rege, non paucos Teutonibus augustissimos, & Imperatores & Reges proferens, Divum quoque Maximilianum nuper, non citra totius Germaniæ singularem luctum, terris ereptum, ad triginta ferme tres annos Romani Sceptri Gubernatorem enixa est, cujus obitum gravius ferendum censeremus, ni Illustrium Principum, Sacri Romani Imperii Electorum, Germanæ Republicæ optimè consulentium, solerti prudentia & integritate, divino inspirante Numine, Potentissimum Dominum Carolum Archiducem Austriæ, &c. dum hæc scriberemus, in avi paterni Regium decus electum, accepissemus, cujus Regni ut Potentiarum, ac divitiarum amplitudini nemo Christianus Rex conferatur. Quem toto Christiano orbe pacato, & Romanæ Ecclesiæ monstroso statu in melius reformato, ferocissimam immanium Turcarum gentem oppressurum, ac Christianæ Religionis suavissimo jugo facile subditurum dubitamus minimè, modò nec veneno, nec alio quovis

morbo immatura morte (quod Dii prohibeant) inimicorum insidiis hominem exuat. Cui procul dubio Caroli Magni vestigiis innixuro, totus Orbis olim acclamabit: Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria, cujus in Romani Regni solium sublimationi nemo Germanorum non congratulatur, quod ab avita probitate ipsum nequaquam degeneraturum speremus. Magno itaque præconio Sacri Romani Imperii, Illustris Principum Electorū adamantina fidei integritas toto Orbe extollatur, qui ambientis Gallorum Regis, auro, & pollicitationibus posthabitis, Germanæ libertatis memores, Teutonici sanguinis Principem, Romano [ur deicit] præfecerunt Imperio, cujus nutu, auspiciis, & remigio Christianæ Ecclesiæ, jam aliquot annis variorum fluctuum procellis agitata, tutissimo nunc portu succursum iri nihil hæsitamus.

CAP. XI.

Nantuantes, Helvetios, Rauracos, Tribotes seu Alsatias, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Ubios, non Gallos, sed vere Germanos esse.

Non deerunt scio Germaniæ mastiges, nasum Rhinocerotis in morem torquentes, cur Gallos Reges tam procul à Romani Regni fascibus abigendos clamitemus oblatraturi, primariis trium Archiflaminum Sacri Romani Imperii Electorum sedibus, Nantuantibus item, Helvetiis, Rauricibus, Tribochiis, Nemetibus, Vangionibus, Moguntiacis, & Ubiiis satis amplâ Romanæ ditionis portione Galliarum nomini subjectis. Indignum quippe videri, Gallum Regem usque adeo à Gallis contemni. Quorum frigidiuscula argumenta, probatissimorum Scriptorum testimoniis circumsepti, facile diluents, præfatos Moguntiacos, Ubios & ceteros non Gallos, imò vere Germanos esse ostendemus, quando omnes Germanica lingua nentes, semper Germanos fuisse, apertissime indicat Agathius, asserens illos Galliarum maximam possedisse partem; non propriam, sed vi, & in posterum occupatam. Transulerunt igitur Teutones Galliam in Germaniam partim submotis, partim occisis habitatoribus, quod Divus quoque Hieronymus in epistola ad Gerontiam, his verbis testatur: Remorum, inquit, urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum, Morini, Tornacæ, Nemetes, Argentoratius, translati sunt in Germaniam. Ad stipulatur Divo Hieronymo Eutropius, qui Atrebatæ, Ambianos, Menapios, Veromandos, Condüenses, Eburones suo ævo Germanos fuisse affirmans, Augustum quadringentas captivorum chiliades ex Germania transtulisse, & supra ripam Rheni in Gallia collocasse, testatur. Cui rei majorem fidem conciliavit, quæ in II. belli Gallici libro Cæsar in literas retulit: Germanos, dicens, cis Rhenum Belgis vicinos, & plerosque Belgas ortos esse à Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Subscribit opinioni nostræ Strabo IV. Geographiæ suæ libro: Tribochi inquit, natione Germani, relicto natali solo, Rhenoque trajecto sedes posuerunt. Imperator præterea Agrippinenses, qui & Ubii, in Germania inferiori dicit Italici juris esse, ut est apud Jurisconsultos l. 1. ff. de censibus. Amianus item Marcellinus Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem esse in Germania refert.

Hocitem de Treveris, quam domicilium Principum appellat. Insuper & in prima Germania, præter alia municipia Moguntiacos, Vangiones, Nemetes, & Argentoracos locat. Demum Cornelius Tacitus de situ Germaniæ, Tribotes, qui & Alfaræ, Germanis interserit, quibus Nemetes, hodiè Spirenſes; Vangiones, hodiè Wormatienses, Ubios quoque, nunc Colonienſes annectit. Quod si minus apud quosdam verba mea habuerint locum, Doctissimorum ac Integerrimorum Virorum Jacobi Wimpliclingii, Præceptoris nostri Germaniam, sermones item convivales de mirandis Germaniæ antiquitatibus Conradi Peutingerii pellegant, procul dubio nisi desipiant, scriptis nostris assensuri.

CAP. XII.

Unde primum Gallia dicta: Germanos quoque Gal-
lorum nomine olim comprehensos fuisse.

Non nescimus veteres Romanos, communi Gallo-
rum nomine, cum Germanos, tum Gallos com-
prehendisse, ad Galata Regis domitium fortasse re-
spicientes, quem Hercules Ægyptius aliquot seculis
antè Trojanum excidium bello adversus Gerio-
nem moto, in Celticam veniens Alesia civitate ibidem
condita, genuit, qui Galata adultior jam factus cor-
vos tuos tam animi Virtute, quam viribus, exce-
dens, virilem ætatem ingressus, paterno Regno susce-
pto plures, propinquas oras sibi subdidit, sicque præ-
claris rebus gestis, omnes à suo nomine Galatas ap-
pellavit: Unde & omnis ea Regio illi subiecta, Ga-
latia dicta est, quam Romani figuratè, at, syllaba in-
tercepta, Galliam dicerent. Testis est Diodorus Sici-
lus lib. VI. ubi & magnos fluvios per Galatiam id
est, Galliam labentes enumerans, nominatim Da-

nubiiac Rheni meminit, quasi in Galatiam proflu-
vium. Hujus Galatarum Regis Berofus quoque in
XV. libro mentionem facit. Herodotus præterea
Danubium in Celtis oriri scribit, quem tamen ex
supremis Hercyniæ sylvæ montibus derivari con-
stat, quod Græci Celtarum vocabulo Germanos, &
Gallos indiscriminatim nominaverint, quæ tamen
contra nos contorta jacula, ut ininus validæ, rejici-
mus, quod in nostris lucubratiunculis, vetusta &
abolita illa Galliarum appellatione rejecta, de ea
duntaxat loquamur, quæ Rhehò flumine, cæterisque
limitibus, à Divo Julio præscriptis contenta, Ger-
maniam à se discretam habens, in tres partes, Aqi-
taniam videlicet, Celticam, & Belgicam secatur,
pro vulgi opinione, quo quot Gallias inhabitant, ac
illorum duntaxat lingua utuntur, Gallos appellan-
do quorum neminem Germanis unquam imperâsse
jam dudum probavimus. Studeat igitur summo
conatù hæc Gallia, bellicosum Germaniæ popu-
lum, sine quo nihil gloriosæ victoriæ unquam ex
hoste retulit, maxima benevolentia suscipere, nulla
verborum contumelia, veluti & hæctenus Sacræ
Cæsareæ Majestati, felicissimæ recordationis, &
Germanæ plebi, mendicitatis probrum crebrius
objectum, vit, exacerbare, seque de illorum vel Im-
perio, vel Regno nihil prorsus ingerere, ne ocula-
tissimi pavonis, invictissima Jovis alitè obumbrati,
dictu; & auspiciis, tota dentio in Germanias trans-
feratur. Hujus quidem potentissimæ Sacræ Roma-
norum Regiæ, ac Catholicæ Majestatis victricibus
aquilæ signis, nihil est, quod obstare possit, modò
Divina Providentia triseclis Sociatica valetudine
nobis superſite.

CONRADI CELTIS

DE

SITU ET MORIBUS GERMANIÆ.

PRÆFATIO.

PER Demogorgoneum memorantur cuncta tui-
multum
Ex veteri prodisse chaos, dum ventre tumeret
Forte senex, totumq; ferens in corpore mundum,
Distendit gravidam maturi ponderis alvum,
Quod fuit æterni conceptum ab origine mundi,
Impatiensq; oneris, cupidusq; reponere tandem
Pondus iners, molemq; rudem se ventre prementem,
Indignatus ait: vacuas te profer in auras
O mundi deforme chaos, superisq; pudendum,
Et vos cunctarum discordia semina rerum,
Ignava in nostris qua tanto tempore membris
Delituisſis, acres facientia sæpe dolores,
Visceribus tumulata meis, dum bellâ moveris,
Ite ite ætatum jubeo, pulchroq; decore
Conditæ lucis sui rutilantia sidera cæli,
Et me jam vestro vacuum præstate tumulitæ,
Dum mundi fabricetis opus, quod pace perenni
Alliget æternus concordia fœdere mundus.
Dixit, & excutens uterum, mox terra polusq;
Et mare fluctu vomum liquidusq; & turbidus aër;
Quig; subest gelidæ Luna nunc proximus ignis,
Exierunt: propriis spacio & disjuncta figuris,
Atq; locunosas ventris liquere cavernas
Moxq; per octavam simulacra micantia spherarum
Ignis suis radiata comis, per quinq; patentes

Zonas se totum subito explere per orbem.
Hinc veruex & libra pares facientia noctes,
Et Caper & Cancer, quæ maxima tempora lucis
Et tenebris referunt, & quæ prolata sub axes.
Signa micant, cursum peragunt mox fixa diurnum,
Bisq; duodenis redeunt redacta per horas,
Donaq; per teneras cæperunt fundere terras,
Et variis radiis lucere per aëra deorsum
Infusa Virtute nova, qua semina rerum
In terra tumulata sinu cæcoque in acervo
Digessit, jussitq; suis distare figuris.
Hinc tellus variis florum redimita coronis,
Arboribusq; suis, fructus frugesq; creavit,
Atq; homines, pecudesq; simul produxit in arvis.
Hinc volucres, aër, piscesq; receperat aquor.
Per mare squamigeris ducentes corpora pinnis.
Hinc etiam octavo qua sunt contraria mundo
Astra suis variis cæperunt currere cyclis,
Saturnus, totumque regens qui Jupiter orbem,
Et Mars, qui miseris immittit fydere clades.
Et Phæbus Veneri socius, cytharag; repertor
Mercurius, gelidæ Lunaq; novissimus orbis
Quæ nunc retrogrado properantia tempora motu
Impediunt, traduntq; vagas procedere causas,
Et rursus statione sua fluitura morantur,
Ut stabili fixoq; meent sua fata tenore,

DE SITU GERMANIÆ
ET MORIBUS.

GENS invicta manet tota notissima mundo
Terra ubi se de vena globo demittit in Arcton,
Solis & algoris patiens, durique laboris
Ingrata ignavam vita tolerare quietem,
Indigena, haud alia ducens primordia gente,
Sed caelo producta suo, Demogorgonis alvus
Protulerat patulas ubi cuncta creata sub auris.
Germanos vocitant Itali, Graji sed adelphos,
Quod fratrum soleant inter se vivere more,
Nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris
Pectoribus, similes ingentes corporis artus,
Prodiga cui natura dedit per lactea colla.
Candida proceris tollentes corpora membris.
Flava comu est, flaventiq; oculi, flavoq; colore
Temperie justam retinent sua membra staturam.
Vox habitum mentis, cum gestu, & pectora prodit,
Vox qua nil muliebri sonat, sed tota virilis,
Martia crassiloquo testatur corda palato.
Commune his studium venari, equitare, vagari,
Atq; suum varias victum quaesisse per artes.
Vel Bacchum videns crescentem jungere palis:
Arvaq; quadrijugo profcindere pinguis aratro.
Nec patrio tepuisse solo juvenilibus annis,
Sed mox doctiloqua praecepta adisse Minerva,
Vel vaga veliferas dixisse per aquora naves.
Atque suis terris varias adducere merces,
Nec censere nefas animi unum intendisse rapinis,
Dum fera belligeri meditantur praelia Martis,
Atque illum Regum celsas quasisse per aulas,
Quattuor ad fines, quas Teutonius ora coerçet,
Sive per Hercynia nemorosa cacumina sylva
Dentato; prosternere apros, sylvisq; vagantes
Aëripedes cervos urfosque agitare feroces,
Unguibus accipitres trucibusque jubere rapinas
Tollere, & evulsas dispergere in aethera plumas.
Hinc animus dubiis audens se credere rebus,
Nec segnes timidusque mori, roseumq; cruorem
Pro patria & charis certans effundere amicis,
Atq; avidus cedis si qua ulla injuria laesit,
Quiq; fidem sancto & constanti pectore servat.
Religionis amans, Superumq; & cultor honesti,
Et veri justiq; tenax, mens consona labris,
Picta colorata fugiens mendacia lingua;

De Syderibus Verticalibus Germaniæ.

Qualia ab Herculeis memorantur pectora stellis
Perseo Andromedaq; vago descendere Olympo,
Fortia robustis animare & corpora nervis,
Quiq; sub extremo monstratur cardine Cephæus,
Ultimus argenti quem torquet circulus orbe,
Nocte carens, calidi dum Sol stat sydere Cancræ
Et Bacchi Phœbique decus, rigidusque Bootes,
Eniochusq; suo volitans per sydera curru,
Ursa minor majorq; truce complexa Draconem.
Nunquam caruleas subeunt que Thetys undas,
Sydera Germanas radios jaculantur in oras.

De quatuor Lateribus Germaniæ.

Pulcher ab occiduo, quas claudit limite Rhenus,
Rhenus qui pulchras rapido alveo præterit urbes,
Et tandem externum triplici cadit ore sub aquor

Nosque à Sequanicis disjungit flumine Gallis.
Vistula purpureo sed terminus extat ab ortu,
Vistula Sarmaticis qui famosissimus oris
In Codanum trifidis effundens faucibus ora,
Hic ubi Prutenò clara est Germania portu,
Et capit innumeras Codonæa per aquora naves,
Quæ glessum ejiciunt, quod succinusq; ore Latino
Dicitur, & nostris tantum reperitur in oris.
Danubiusq; rapax & amicta nubibus Alpes,
Austros faciunt fines, metamq; resignant
Italica Illyrica Scythica & contermina genti,
Solutus Germanas ists, sed deserit oras,
Lata peregrinis inducens flumina terras,
Germano concepta solo, quæq; Ungarus acri
Barbarus ore bibit, Metanastag, Teutonius haurit,
Hic ubi nunc pulchro stat Transylvania tractu,
Septenis tandem qua faucibus exit in aquor,
Non Nilo nec Gange minor, quæ maxima toto
Orbis ex aliis memorantur flumina mundo.
Sed mare Codoneum Germano & nomine dictus
Oceanus, fines posuit natura sub Arcton.
Quos ultra tria regna manent gelidusq; Britannus
Orcadibus quæ cincta suis Thyle: Et glacialis
Nuper Hyperboreo qua inventa est insula Regi
Norvegos Dacosq; regens Suedosq; bibaces
Ultima concreti qui cernunt sydera cæli
Æstatis verisq; inopes, hyememq; perennem
Perpetuasq; nives cælo patiuntur inertæ.
Inter quos memorant Lappones nomine dictos,
Qui vitam specibus ducunt, sylvisq; nivosis,
Venantes, Madros & molles pelle Sabellos,
Et nostri fugiunt rigidi commercia mundi,
Congressusq; hominum, nec habentes ore loquelas,
Horrida barbaries rigido darenata sub axe.
Atq; feris similes, quorum cognoscere mores
Et ritus qui forte velit, petat ille libellos,
Quos de Germanis nuper conscripsimus oris.
Talis ab Arctoo nostra est Germania tractu,
Sauromatis vicina feris, Asiaq; potenti,
Hic ubi se Tanais sinuoso littore voluit
Impetuosus aquis rigidis, vastamq; paludem
Et matrem marium ditat glacialibus undis,
Interiora rigat terra sed maximus Albis,
Qui rapidus medium fluvius perlabitur oram,
Et quantum Rhenus, sic Vistula distat ad ortus,
Tandem & Cimbriacum vagus exoneratur in aquor
A Cimbris quod nomen habet, quod proxima Dacis
Chersonesus habet rigidum porrecta sub axem,
Isthmus ubi geminum sua littora pandit in aquor
Oceanum Codonumq; videns, ubi Scandia drues
Halecestoram mittit piscosca per orbem.

De tribus jugis & montibus Germaniæ.

Sed nemus Hercynium montes & ab Alpibus orti
Cum ramis totam se diffundere per oram,
Jamq; sub occiduum tendentes brachia solem
Hinc Austrum Boreamq; petunt, Eurumq; sonorum
Donec in Euxinum procumbant vertice pontum,
Quæq; Bizantinas angustat Bosphorus undas.
Sex tria Germanæ tollunt iuga maxima terra
Verticibusq; suis feriunt vaga sydera cæli,
Impositasq; ferunt nebulosis montibus arces,
Et scabris latebris spumantia flumina fundunt.
Primum est immani dorso quod spectat in Arcton
Germanos Gallosq; videns Italosq; potentes,

Quod Rheni Rhodaniq, parent Eniq, sonantis,
 Quod veteres prisco dixerunt nomine Adulam
 Atq, suis longis ramis nunc procreat Alpes,
 Hic ubi cum rapidis Athesis se concitat undis
 Adriaco miscere salo, Venetisq, superbis
 Dicere, Germano quo dedunt colla tyranno.
 Ast aliud Carpathus habet, qui spectat in Eurum,
 Auspicium nostris, niveo dans vertice terris.
 Quem Suevum in prisca memini dictum esse libellis,
 Qui cuproq, auroq, scatens variisq, metallis,
 Pannoniam largo locupletat munere gentem,
 Hercyniumq, jugum medio Germania tractu
 Erigit, & multis dispergit cornua terris,
 Ex quibus ingenti dorso stans Pinifer, atrum
 Tollit in astracaput, liquidoq, a vertice stillans
 Quattuor ad mundi fundit vaga flumina partes:
 Mœnus in occidentum festinat currere Rhenum,
 Et Sala qui Drusi gestat praclara trophæa,
 Argentes petit albis aquas, it Nabus in Austrum,
 Egra sed Eoos flectit sua cornua in ortus,
 Et secum Hercynium trahit alto vertice sylvam.

De tractu Hercyniæ Sylvæ per Germaniam.

Qua variis porrecta plagis, nunc vasta sub Arcton
 Inq, Eurum, Zephyrumq, suis cum saltibus er-
 rans,

Explicat immensos annofo robore lucos
 Relligione sacros veteriq, ex more verendos,
 Qui Druidum dense per opaca silentia sylvæ.
 Plurima magnificis servant cœnobîa tectis,
 Quæ diti nigris operantur sacra cucullis,
 Vallibus irriguis constructa ubi murmure blanda
 Unda sonans placidos inducit corpore somnos.
 Sed transrhœnanas ubi sylvæ reliquerit oras,
 Tendit ad innumeras Germano sanguine gentes,
 Per Suevos Chaucoq, feros madidosq, Sicambros,
 Algionesq, truces, Rheniq, ad fluminis ortum,
 Perq, lacus geminos candentes præterit Alpes,
 Elvetiis porrecta jugis, durisq, Cheruscis,
 Vindelicos Rhatosq, petens & Noricarura,
 Perq, lacus plures capientium ab alpibus undas
 Bojorum deserta petit, rursumq, sub Arcton,
 Brachia longa jactat, Suevos Francoq, Turogos
 Circuit, Abnobios, montes, quæ particula alpium est,
 Saxoniceq, reducta plagis Frisiisq, bubulcis,
 Vissigothis, Ostrog, Gothis, Cimbrisq, vetustis,
 Donec Germanum propè tangat saltibus æquor.
 Ast ubi spumiferi fontes contexerit Istri.
 Austriacas aditura plagas, Ceciumq, comantem,
 Qui dum nubigeras radicem accepit ad Alpes
 Quas Carnus Sciriisq, tenet, Sclævusq, bilinguis,
 Hic ubi Danubius positurus nomina Ponto
 Proxima Dalmaticæ radit consinia terra.
 Sed longum Austriacas dorsum protendit in oras
 Quod tandem rapido calva fronte imminet Istro
 Unde sibi totum sunt nomina nota per orbem
 Hunc sylvæ obliquis ramis & collibus atris
 Integris, atq, feris foliosa cubilia steris,

Sylviferum caput nemoroso vertice vestit,
 Sylva prius latè Bavarus sed sparsa per oras
 Antè sub Austriacas quàm tendat brachia terras,
 Obliqua ad Vilsis protendens cornua ripas,
 Vilsus in Istriis qui tandem perditur undis.
 Ast ubi per Bavaros ingentia cornua flexit,
 Mox Francos Turgosq, petit Bemosq, feroces,
 Tanquam nativo claudit quos undiq, muro,
 Quos medio nutrit bellax Germania tractu,
 Pingue solum frugumq, ferax, sylvæq, perennis,
 Plurima Germanis quæ emittit flumina terris.
 Albim, Oderam, quæ nigra fuit memorata vetustis.
 Quos ubi deseruit, Carpathi culmina spectans
 Marcômannos Gepidasq, petit Jafgesq, potentes,
 Hic ubi nunc cultus est Transylvania terris,
 Moribus Almaniis gentem linguaq, creavit.
 Inde iterum vasto diffundit cornua flexu,
 Visburgos Sabocosq, petens durosq, Gelonos,
 Quæq, manet pulchro dives jam Prussia portu
 Sarmaticis obducta plagis, quosq, ultimus orbis
 Angulus abscondit, Agyaros limite claudit
 Ad Tanais fontes Rypheoq, in vertice latè,
 Diffusa & fines Europe vasta pererrans,
 Diversasq, feras volucresq, in saltibus abdens
 Per Masovina truces abscondens rura Visontes
 Proinde metalliferos extollens undiq, montes
 Argentiq, auriq, ferax variisq, metallis
 Plurima perpetuis effundens munera venis,
 Fornacesq, cavas rapidus quibus æstuat ignis,
 Quem fovet excussis ventosis follibus aura,
 Quas circum valido se tollit malleus ictu,
 Quem rapidis levat unda rotis & machina molis
 Ingenti sonitu ferit astra volantia cœlis,
 Brontis opus Steropisq, gerens, liquefacta metalla
 Extendit varias ubi ferris lamina formas.

De qualitate telluris per Germaniam.

Terra hominum pecudumq, ferax, quæque ubera
 glæba

Spiciferam Cererem multo cum fœnore reddit,
 Paucua florigeris extendens pingua pratis,
 Ingentesq, lacus, varias vastasque paludes:
 Et fluvios varios sapido qui pisce redundant,
 Collibus apricis agrisq, & montibus alcis,
 Plurima vitiferi qui fundunt munera Bacchi,
 Vicino jam sole novo, qui sydere lato.
 Proximos nostris infundit lumina terris.
 Hinc variis cultus, cultisq, in mœnibus urbes,
 Mitior & populus Germano nascitur orbe,
 Explosa ruditate fera, quam Barbarus olim
 Sylvicola in riguis servabat saltibus ortus.
 Illa superficies Germanis traditur oris,
 Quæ mihi bis quinos fuerat illustrata per annos.
 Quam sylvæ fluviusq, suis & montibus alcis
 Et variis populis vario & discrimine linguæ
 Syderibusq, suis Deus & natura creavit.

F I N I S.

ÆNEÆ SYLVII, GERMANIA,

EXCERPTA EX EO LIBRO, QUO GRAVA-
MINA NATIONIS GERMANICÆ,

MARTINO MEROO JURISCONSULTO MOGUNTINO,

SEDI ROMANÆ OBIECTA, DILVIT:

In qua Urbes, Civitates, Ecclesiæ, Episcopatus, Principatus, & Nobilissimæ Familiæ Germanorum describuntur.

CAP. I.

De Antiquis Germaniæ moribus, ubi Suevia ritum particulatim adfert, ejus gentis feritatem describens, ac eam sub Adriano Cæsare, mitiorem factam esse ostendens.

NUNC tempus est, ut ad id transeamus, quod tu secundo loco affirmas, hoc est, de paupertate Germanicæ gentis, quæ licet olim dirissima & potentissima fuerit, his tamen Rom. Curia moribus seu rapinis ad inopiam summamq; impotentiam deductam esse videri cupis. Adversamur in hac re tibi, nõ minus quàm in cæteris. Nam neque pauper est Germanica natio, neque impotens, neque (ut tute ais) ancilla, neque si sit, Romana Curia culpanda est, tanquam ejus inopiæ causa. Quod ut manifestius declaremus, ostendendum in primis est, quænam fuerit olim Germania, & quæ sit hodie, quo facto liquebit, nunquam Germanici nominis eas fuisse vires aut opes, quales sunt hodie. Repetamus igitur vetusta tempora, non dicimus aut Jani, aut Saturni, aut Jovis. Nec rursus aut Romuli, aut Camilli, vel Alexandri Magni. Quibus regnantibus incompertum nobis est, qualis fuerit Germaniæ facies. C. Cæsaris atatem inspicere libet, cum ille militaret in Gallia, cum jam Christi nova per carnem nativitas instaret, cum plenitudo temporis penè adesset. Quænam tum (oramus) Germanorum opes fuere quæ vixes erant, quæ possessiones? Fateimur, bellicosi, & armis exercitati Teutones habebantur. Cæterum vitam eorum describens in commentariis, Cæsar, Germanos omnes ait in venationibus atque in studiis rei militaris à parvulis institutos fuisse, labori ac dextrici studentes. In fluminibus promiscue, se perluisse, pellibus animalium pro vestibus usos, magnam corporis parte nuda, agricultura non studuisse, majorem partem victus eorum in lacte, caseo & carne fuisse, nec quenquam agri modum certum aut fines habuisse proprios. Sed Magistratus ac Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, quibuscum una coierunt, quantum ei quo loco visum est, agri attribuisse, atque anno post aliò transire coegisse, ad frigora atque aestus evitandos non edificasse accuratius, Civitatibus maximam fuisse laudem quàm latissime circum se vastarum sinibus solitudinem habere, vini usum apud eos incognitum fuisse. Sic Cæsar gravissimus Auctor. Strabo quoque, qui situm orbis terrarum elegantissime conscripsit, cum prius dixisset: Statim igitur Regionem trans Rhenum ad Ortum vergentem Germani colunt, nationem Gallicam paulisper imitantes, & veritatis abundantia, & proceritate corporum & colore flavo. Postea tamen cum interiora Germaniæ de-

scriberet, sic inquit: Suevorum quidem gens amplissima, à Rheno siquidem usque ad Albim pervenit fluvium, eorum portio etiam trans Albim loca depascitur, quemadmodum Eumunduri & Lancosargi. Nunc autem isti trans fluvium, in fugam compulsi, exciderunt. Commune autem est omnibus, qui hunc tractum incolunt, ut alio facile migrent, & propter victus tenuitatem & propter agrorum ignaviam colendorum, & propter pecuniarum inopiam. Cumque in tuguriis habitent in diem habent suppellectilem, plurimam è pecoribus trahunt alimoniam, sicut & Nomades, eorum instar, qui domesticum in carris colentes instrumentum, quocumque fors tulit, & opinio, suis cum armentis convertuntur. Is igitur fuit Germanorum status Strabonis tempore, quem usque ad Tiberium Cæsarem vixisse constat. His ferociora de Germanis scribit Cornelius Tacitus, quem in Adriani tempora incurrisse perhibent. Parum quidem ea tempestate, à feritate brutorum majorum tuorum vita distabat. Erant enim plerumque pastores, sylvarum incolæ, ac nemorum. Cujusmodi vitam inertem ac pigerrimam esse Aristoteles Auctor est. Nec munita his urbes erant, neq; oppida muro cincta, non arcès altis innixa montibus, non templa sectis structa lapidibus visabantur. Aberant hortorum ac villarum delicia, nulla viridaria, nulla confectiones, nulla tempe, nulla vineta colebantur: præbebant largos flumina potus: Lacus & stagna inserviebant lavacris, & si quas natura calentes producerat, aqua. Parum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus usus. Nulla gemmarum pompa, nulla ex ostro vel serico vestimenta. Nondum metallorum investigata minera. Nondum miseros in viscera terre mortales truserat auri sitis. Laudanda hæc & nostris anteferenda moribus. At in hoc vivendi ritu, nulla fuit literarum cognitio, nulla legum disciplina, nulla bonarum artium studia. Ipsa quoq; religio barbara, inepta & (ut propriis utamur vocabulis) ferina ac brutalis. Talis tua Germania fuit, usq; ad Adrianum Cæsarem. Quamvis jam cætera orbis provinciæ, exulta artibus ac moribus essent. Sub illo autem Imperatore, tota Germanica natio in potestatem Romanorum facta est, post annos ducentos, quàm Romano primum milite debellari cœpta est. Ex inde mitior facta, civilem cultum accepit. Eratq; tunc longe angustior bi eviorq; quàm modo sit. Si quidem Germania universa, inter Rhenum & Albim, sive ut alii volunt, Oderam sive ut alii rursus autumant, Viscellam ab Occidenti ad Orientem protensa, solù ab Austro Danubii flumina Septentrione, Britannico Oceano & mari, quod Balticum vocant, undiq; claudebatur. Hæc de veteri Germania, te minime ignorasse putamus.

CAP. II.

Veterem cum nova Germaniam comparans, intra Rhenum Danubiumq; antiquam contentam asserit. Quæ ad Germanos defecerunt Regionem enumerat, eamque potius à germinando quam à Gallorum fraternitate forsitam nomen contendit.

Comparemus ergo cum veteri novam, & primum de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus qui quondam Germania limites clausere, nunc medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica Regio, quæ Gallia prius portio tertia fuit, nunc majori ex parte Germania cecit, lingua & moribus Teutonica. Helvetii quoque gens, antea Gallica, in Germanos transivere. Rethia tota & ipsum Noricum, & quicquid Vindelici nominis inter Alpes Italas, ac Danubium fuit, ad Germanos defecit, ita ut etiam Alpes ipsas cælo vicinas, & perpetua nive rigentes, nomen Germanicum penetrans, in Italia quoque sedes posuerit. Brixione, Merane, Bibranoque in valle Athesis occupato. Austria, quæ apud præscos Pannonici juris fuit, & Norici portio in Germanicum nomen conversa est. Stiria, quam veteres Valeriam vocavere, Teutonicum morem atque imperium subiit. Carni quoque, quos modo Carinthianos, Carniolosque nominant, idem fecere, ita ut fontes Dravi Saviq; nominatorum fluminum, Teutonici juris existant. Neque Alpes ullæ inter Italiam atque Germaniam sunt, quarum summa cacumina non possideant. Teutonici, qui ad Orientem non modo Albim, sed Oderam ac Viscellam transmiserunt, & in ipsa quidem occidentali Sarmatia Ulmigerorum, & Gepidarum agros invasere: Nam & Austria trans Danubium, & Moravia & quicquid Slesia ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit soli, quin & in Oceano & Balthico sinu, medias insulas sui juris fecere Teutones: Adeoque vestra natio germinavit, ut nomen vestrum verius à germinando tractum putemus, quàm Straboni contentiamus, qui Germanos quasi Gallorum fratres dictos arbitratus, vos forma & moribus & vivendi rationibus paros illis esse asseruerat, sed tota aberrat via, quando neque similitudo morum, neque ulla vos invicem benevolentia conciliet, qua fratres appellari possitis, & vetustis utrinq; certetis odiis, quamvis circa Rhenum in vestitu tantummodo conformitas quædam existat. Verùm ne longè vagarer, amplior est vestra natio, quàm unquam fuerat, quæ adeo magna est, ut nulli genti cedat, meritoque illud affirmare possit, quia deest gens tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantem sibi, sicut adest Germanico populo Dominus Deus noster, ac tantum de magnitudine nationis recensuisse velimus.

CAP. III.

Faciens Germania præstantiorem multò quàm quondam, omnem amœnitatem etiam in rure Germanis surrepsisse, nonnulla ejus oppida & urbes nominatim describendo dicit.

Faciens autem ornatum quis ignorat longè præstantiorem esse, quàm olim fuit? Nam agros ubique cultos videmus, novalia, vineta viridaria, violaria, pomaria rustica & suburbana, ædificia plena deliciiis, villas amœnissimas, arces in montibus sitas, oppida muris cincta, splendidissimas urbes, quas ple-

rumque maxima præterlabuntur flumina, aut amnes ambiunt limpidissimi, lapideis aut ligneis pontibus permeabiles. Percurramus parum per Germanici nominis memorabiles urbes, & quanta sit hujus nationis gloria, qui nitor, qui splendor manifestius elucebit.

CAP. IV.

De Colonia Agrippina ubi trium Magorum ossa sunt sepulta.

Quid ex Colonia quæ de conjugè Claudii, matre Neronis Agrippina dicta est, & tria Magorum ossibus illustrata? Nihil magnificentius, nihil ornatius, tota Europa reperias. Templis, ædibus nobilibus, populo insignis, opibus clara, plumbo tecta, prætoris ornata, surribus munita, flumine Rheno & latissimum circum agris lascivens.

CAP. V.

De Gandavo. etsi juris Gallici videtur, Germanorum tamen sermonem moresque amplectitur, Brabantia urbes se præteriturum ait.

Transimus Gandavum populosissimam urbem, & totius Occidentis in Brugensi oppido frequentissimum emporium. Quæ licet Gallici juris esse videatur, Teutonico tamen sermone, & moribus vestris utuntur. Transimus nitidas Brabantia civitates, Bruscellam, Mechilineam, Antwerpiam ac Lovanium. Ad Rhenum revertimur.

CAP. VI.

De Moguntia.

Moguntia urbs vetusta, Variana clade insignis, templorum magnificentia privatis ac publicis ædificiis exornata, nihil habet quod reprehendere queas, nisi vicorum arctitudinem.

CAP. VII.

De Wormatia.

De Wormatia quoque etsi non magna amplitudinis est, nitidam tamen, & amœnissimam urbem esse, nemo negaverit. In qua ille Germanorum conventus habitus est, qui Romanæ Ecclesiæ Calixto secundo investituram Episcoporum remisit, cum ab Ottone primo, usque in ea tempora, Germanos Episcopos ipsi Casares investirent. In hac urbe nos Præposituram cum Palatio nobili obtinemus, & ejus causa in Schola Heidelbergensi Cancellariatum.

CAP. VIII.

De Spira.

Nec Spiram quisquam contempserit populo plenam, & magnificis ædibus ornatam. Cujus nobile templum, quamvis anno jubilei conflagraverit, ita tamen postea restauratum est, ut felix incendium illud fuisse videatur. In hoc templo non pauci jacent Casares, inter quos Rudolphus situs est: Is qui Austria familia auctor habetur.

CAP. IX.

De Argentina.

Argentina verò tantus splendor, tantum decus, ut non abs re id nomen ei inditum fuerit. Quæ similitudinem Venetiarum exhibet, multiplicibus divisa canalibus, quæ naves in omnes ferme plateas vehunt, eo salubrior atque amœnior, quòd Venetias falsæ & grave olentes, Argentinam & dulces & perspicuæ percurreunt aquæ, hinc Rheni bra-

brachio, inde tribus aliis fluminibus urbem intrantibus, & triplicem murorum ordinem ambientibus. *Ecclesia Pontificalis*, cui Monasterio nomen est, *secto lapidem magnifice constructa*, in amplissimam fabricam assurrexit, duabus ornata turribus, quarum altera quæ perfecta est, mirabile opus caput inter nubila condit. Sunt & alia Sanctorum Delubra, & Monachorum Cœnobita, & amplitudine & ornatu splendidissima. Prætorium excellens, & civium ac Sacerdotum ædes, quas nec Reges incoluisse piguerit.

CAP. X.

De Aquisgrano, ubi Teutonicorum Caesarum statua visuntur, Indusum Beatae Virginis ostenditur: Ubi & Caroli Magni caput reliquias adjectum.

Omissus *Aquisgranum*, Germanici Regni sedem: ubi *Palatium* illud tota Germania nobilissimum, *Caesarum*, qui ex Teutonicis verè petiti sunt, egregias ex lapide statuas ostentat, & Delubrum insigne in quo Reges unguuntur, *singulis decenniis Beatae Mariae Virginis* interiorem vestem, quam *camisiam* vocant, venerabile sacrum populo visendam exhibet, & *Magni Caroli caput* inter reliquias servat.

CAP. XI.

De Treveri, qua Roma vetustior est, Basilea, quia de ea antea mentio facta est, hic mentionem non facit, pariter & Constantia, cum utraq; à Concilio clara censeatur.

Omissus & *Treverim* Metropolitanam sedem, *cujus auctorem Atrebam asserunt*, Nini & Semiramis filium, & *Roma seniore* trecentis & mille annis affirmant. *Sedente autem Beato Petro salutiferam Christi Religionem inbibisse.* De *Basilea* non est cur verba fiant, quando ejus regendi modestia, & gravitas apud omnes peræquæ gentes in notitia sit. Cum nostra illic tempestate, generale Concilium coactum fuit, quod totam tremefecit Ecclesiam. Pari modo & propter Synodi receptionem nec *Constantia* prætereunda est, inter duos lacus constituta, quos *Rhenus* implet atq; exonerat.

CAP. XII.

Enumerat Helvetia oppida, qua à splendore summo pere extollit, & primo de Berna.

Est memorabile oppidum in *Helvetiis*, quod *Berna* vocant, *cujus Consulat*, quoties in bella progreditur, facile in armis, *viginti millia pugnatorum* exhibet. *Turegum* quoq; & magnum & splendidum oppidum, ad lacum situatum est, quem *Lemanus fluvius* patrem habet. Unde *Alemannos* dictos nonnulli autumant. Hunc *hodie fluvium Limachium* appellant, qui propter balnea tota Germania illustris, in agro *Suitensium* effluens, non longè ab oppido *Lauffenbergio* in *Rhenum* exonerat. *Transimus Campidonam*, & *Memmingam* illustria oppida, *Augustam Vindelicam* (*S. Udalricus* huic præsidet, qui *Papam* arguit de concubinis) ad *Licum fluvium* jacentem. *Haud facile invenies que civitas altera superet, sive nitorem urbis, sive populi & Cleri divitias, & Reipublica formam contempleris.*

CAP. XIII.

Enumerat Bavaria oppida, qua à splendore summo pere extollit.

In *Bojaria* vix oppidum reperias *cujus munditias non magnopere admirare.* *Saltzburga* quæ de fluvio dicta est cui adjacet, *olim Arvina nomen fuit*, *Metropolitica* sede, & *Divi Roberti* vetustissimo templo insignis, nihil est, quod ad splendidissimæ civitatis magnificentiam desideres, sive publica spectes, sive privata opera.

CAP. XIV.

De Ratispona, ubi Divi Dionysii corpus quiescit, & aliis quibusdam urbibus.

Major tamen ea est *Ratispona*, *Beatissimi Apostoli Petri Delubro & ponte*, quo *Danubius* transmittitur, lapideo, & pluribus Sanctorum Ecclesiis memoranda. *Atque in primis S. Emerammi Monasterio*, in quo *Leo Pontifex maximus Beatum Dionysium ex Parisiis pro furto deductum, jacere* affirmat. Et in hac urbe sæpe *Teutonici Cæsares* habuerunt conventus, & *Conradus* cum iturus esset in *Asiam* *Maximus* certè *Monachijitor*, nec minus *Strobungæ*, *Lantzhutæ* quoque, & *Burckhusen* haud facile platearum munditias, atq; ædium magnificentias retulerimus.

CAP. XV.

De Patavia ubi Danubius Oenusq; confluunt.

Pulchra est & amœnissimo sita loco *Patavia*, *hic Oeno*, & *inde Danubio* perfusa. Nam ibi maxima hæc duo flumina invicem conjunguntur, tam pari magnitudine, ut non facile judices, cui victoria cedat, quamvis judicio veterum superior *Danubius* *Oeno* auferat nomen.

CAP. XVI.

Describit Civitates Austria, intra quas Novacivitas primas tribuit. Quamquam clariorem Viennam qua quondam Flaviana dicta mirabile turris sancti Stephani edificium adfert, prænominatq; oppida in nova contineri Germania, per Epilogum concludit.

In *Austria* complura sunt oppida digna nomine, inter quæ *Novacivitas* non infima est, incolatu *Divi Friderici Cæsaris* illustrata. Sed omnium præclarissima est *Vienna*, *prisci Flavianam* appellavere, & hic credimus utas fuisse *Flavianas*, de quibus *Ptolomæus* commemorat. Hæc *Ducum Austriae* vetusta sedes, & palatia digna Regibus habet, & templa quæ mirari Italia possit. Ex quibus *Divi Stephani Delubrum* admirabilius est, quam nostris exprimi verbis queat. *Cujus turrim*, cum aliquando inspexissent *Bosniensium Legati*, & tum artificium, tum altitudinem admirati essent, in eam sententiam verba profuderunt, ut *turrim* illam *pluris constitisse dicerent, quam Regnum Bosnie* venendari posset. Tacemus privatarum ædium splendorem & amplitudinem, quarum non paucas invenias ad excellentiam fastigiatas. *Cæterum hæc urbs, & qua memoravimus oppida extra Germaniam* illam tuam veterem in *nova Germania* continentur.

CAP. XVII.

Procedit ad enumerandas Germaniæ veteris urbes. Primòq; de Uratislavia, Gentianorum miram potentiam & mari & terra enarrat. Toronenſe oppidum his adiungens.

Atque neque Germaniâ ipsa vetus, non illustrata est præclarissimis civitatibus, atque oppidis. Quippe ad Orientem super Oderam Uratislavia jacet, Urbs lateritia, non minus decora quam potens, cuius olim Episcopatum aureum appellavere. Brunna in Moravia nobilior Olomuntio est, quamvis ejus Pontifici pareat. Inter Prutenos notissima Gendani fama est, terra marique potentis oppidi, cuius populum ad prælium exiens, hanc minus quam quinquaginta millia bellatorum educere ferunt. Naves ejus in Balthico pelago complures negotiatorum navigant. Est & Tornetis oppidi haud vulgare nomen, quamvis supra Viscellam ad Sarmatas olim pertinuerit.

CAP. XVIII.

Bohemiâ Imperio Germanorum subesse, ejus urbes describendo probat.

Bohemia quamvis Sclavonico sermone utitur, sub Imperio tamen Germanico sese continet, & moribus utitur Teutonicis, & pauci sunt inter Bohemos saltem nobiles, qui non utramque noverunt linguam, & undique cincta est ea terra Teutonicis plebibus: Illud quoque Germanicam esse Bohemiâ palam ostendit, quod inter Ecclesias Teutonico tamen sermone instruere populum sacerdotibus permixtum est modò in cæmeteriis autem Sclavonico.

CAP. XIX.

De Praga capite hujus gentis, & aliis quas nominatim affert, & de arce Thabor.

In hac provincia Praga est gentis, maxima & pulcherrima urbs, nec Hetrusca Florentia minor, nec difformior, verùm flumine intersecta, cui Muldavi nomen est, multo majori quàm sit Arnus, cuius Regia inter opera Germaniæ admodum excellens: sunt & Colonia & Broda & Lithomericia, & Bilsana & Litomes, Licia & Pudewisa (aliàs Pudicea) inter Bohemos insignes urbes. Præteritus Thabor arcæ hæreticorum munitissimam, & Novam domum, & plurima illius gentis populosa & præstantia oppida: propè Oceani ripam, haud paucas civitates memoratu dignas invenias.

CAP. XX.

De Lubeco & insigni hujus urbis auctoritate.

Sed omnibus præstat Lubecum, altissimis ædibus, templisque munitum ornatissimis, cuius urbis ea auctoritas est, hæc opes, ut ad ejus nutum tria maxima Regna, Dacia, Suecia, atque Norvegia, vel admittere, vel excludere consueverunt Reges.

CAP. XXI.

De Lunenburg, Rostochio, Werdia, & Brunsviga, unde Ottones Imperatores orti, & aliis.

Lunenburgum salinis quondam dives, nunc ad egestatem redactum, nam dum Cleri bona affectas & dilexit, sua amittit. Est Roschavia, & Magnopolis in mediterraneis, civitas Hildesemensis haud contemnenda: Werdia quoq; & Brunsvicum nobile, Saxonum sedes atq; Ottonum quondam Cæsarium patria. Bremis vetus metropolis, & Danorum gentis in Christo mater, non sine laude nomen habet.

CAP. XXII.

De Virginopoli ac Martinopoli, ubi Friderici III. fit mentio.

Virginopolis quoque magna & insignis habetur, & ipsa inter Saxones Archiepiscopalis sedes. Nec Martinopolim quisquam contempserit, quo ex loco Fridericus Barbarossa duos fratres de Regno Bulgariæ dissidentes, cum se arbitrum elegissent, & ad eum in Saxoniam venissent, concordēs domum remisit. Quis enumeret vel Frisiæ, vel Hollandiæ, aut Westphaliæ, quot sint memorabiles urbes.

CAP. XXIII.

De Trajecto & aliis Frisiæ, Hollandiæ, Westphaliæq; oppidis, ubi Sissatem, urbis obsidionem adfert.

Trajectum quidam è Frisiis tradunt, potentem & splendidam urbem. Dodratum excellens oppidum, Hollandini suum dicunt. Westphali Monasterio gaudent, & Osnabruga & Mindensi, & Padelborna, civitatibus minime parvipendendis, & oppido Sissatensi, quod tempestate nostra, cum Ecclesiæ Coloniensi rebellasset magis obsessum copiis, quamvis Saxoniarum Dux Wilhelmus, cum potenti manu Bohemorum, inter oblectores dies noctesque præfens pacisceretur, nulla vi superari seclig, potuit.

CAP. XXIV.

De Erfordia maxima Thuringiæ civitate, & Egra peramœno Terra advocatorum oppido. Quæ Hypotheca Bohemorum facta, Casparem Schlick hominem magna fama celebrat.

In Hassia quoque non pauca oppida commenda-veris, sed plura in Thuringia, quorum & maximum & famosissimum est Erfordia, populo & opibus plena. Nec Advocatorum terra suis laudibus caret, in qua Egra est urbs peramœna, à flumine, quo perluitur, nominata. Quæ quamvis juris Imperii sit, Hypotheca tamen Bohemorum facta, ad Schlickensem familiam devenit, cuius caput fuit Caspar Schlickius, de nobis (ut nosti) optimè meritis, Vir rarissimæ laudis. Nam trium Cæsarium, qui sibi invicem successere, Cancellarius, & quidem acceptissimus fuit, & conjugio Ducali illustratus.

CAP. XXV.

De Franckfordia ubi Rom. Imperatores eliguntur.

In Franconia supra Mœnum jacet Franckfordia, inter inferiores & superiores Teutones commune emporium, & urbs quamvis magna ex parte lignea, pluribus tamen palatiis ornata lapideis, in queis & Reges haud indignè recipiantur. Templâ verò Deo sacra ex secto lapide superbissima visuntur. Et pons saxeus miræ longitudinis partem urbis trans Mœnum minorem majori conjungit. Hic & Prætorium nobile, in quo sæpe Principes Electores, conveniunt, de rebus acturi communibus, & hic, cum vacat Imperium, Cæsarem eligunt: Postponimus Aſchenburgiam Moguntini tui refugium, & omnium molestiarum laxamentum.

CAP. XXVI.

De Herbipoli & Bambergâ, in qua S. Henricus quiescit.

Herbipolis ad ejusdem fluminis ripam sita est, Ducalis & Pontificalis sedis, templis & ipsa nobilibus memoranda, & arce munitissima. Bambergâ quoq; illustris civitas, Delubro & insigni & per-

pervetusto, in quo S. Henricus Imperator ejus nominis Secundus reconditus, & miraculis claret. Transimus Forcheim, ni vero pane famosam. Et Onspachium & Rotenburgam, & alia penè infinita Francorum oppida, quorum neque munitiones, neque ædificia quisquam contempserit.

CAP. XXVII.

De Noriberga, & ejus urbis magnificentia.

Noricorum oppidum flumine Pegnisia interfectum, nam hodie Franconibus datur, prætereire non possumus: Dic rogamus, nam hinc uxorem duxisti castissimam, æquè ac pulchram, quanam facies hujus urbis, qui splendor, quæ amicitias, quæ deliciae, quis cultus, quæ forma Regiminis, quid illi ad civitatem omni ex parte perfectam desiderare quisquam poterit. Quis venientibus Franconia inferiori & procul spectantibus ejus urbis aspectus, quæ Majestas, quod decus ab extrâ visentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditia? Quid Sancti Sebaldi templo magnificentius, quid splendidius Divi Laurentii Delubro? Quid arce Regia vel superius vel munitius, quid fossa, quid mœnibus, illustrius? Quod ibi civium ædes invenies, Regibus dignas. *Cuperent tam egregiè Scotorum Reges, quam mediocres Nürnbergæ civis habitare.*

CAP. XXIX.

Ulmam Suevia Reginam nominat, nonnulla Bavaria, oppida à splendore laudat. Quasdam Italiae urbes nostris antepont. Si tamen natio nationi conferatur non est, unde possint Germanis civitatibus Italica anteponi.

Habent Suevi trans Danubium multas urbes, Regina tamen omnium Ulma est, & ipsa potens, & non immudâ civitas. Bajorii quorum Danubio transmissio Aichstatum & Ambergam & Novum incolunt Forum, & alia non pauca oppida, in quibus multa munditia, multus nitor, quod si quis ad verum loqui voluerit, nullam esse in Europa nationem, cujus urbes mundiores, aut aspectulatiores, quam in Germania sint. Possis forsitan ex Italicis urbibus nonnullas præferre, veluti Venetiam, Genuam Florentiam, Neapolim, quibus summus inest splendor, atque ornatus. *At si nationem nationi conferas, non est quod urbes Italiae Germanicis anteponas. Nova quodammodo Germania facies, & urbes ipsa veluti nudiusquartus constructæ, atque erectæ videntur, quibus ex rebus constat, nationem tuam non esse inopem, neque enim pauperes ædificare magnificè possunt. Quod si verum est, quod ajunt, ibi opes esse, ubi negotiatores, fatearis necesse est, opulentissimos esse Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longè late què provincias pervagatur. Ac sicuti Flaccus ait: l'er mare pauperiem; per saxa per ignes, fugiens; non nisi dives domum revertitur.*

CAP. XXIX.

De montibus & fluviis in quibus auri vena reperitur, disserit. Ex hoc Germania paupertatem tollere nititur.

Adde venas auri, atque argenti (quas ignoravere præci) apud vos repertas. In Bohemia montes Buthni, in Saxonia Ranzbergii, in Misnia Fribergi, vulturni nivalesque montes, inhaustas ostenderunt argenti mineras, Duces Austriae in Oeni & Anasi vallibus, & in Stiria apud S. Leonhardum, non

longè à Wolfpergia argentum effodiunt. Rhenus aureus evolvit arenas; Et in Bohemia fluviis sunt, in quibus ad magnitudinem ciceris aurea granâ Thaborita reperitur: Ferrum & aurichalcum & ætis, magnam vim domi reperitis. Ungaria quoque aurum, quod apud Cremeciam reperitur. Ipsi plerumque contracti magnasque domum refertis opes, quod suppellectiles vestrae demonstrant & onusta auro argentoque menta. Nam quod diversorium apud vos est, in quo non argento bibatur, quæ mulier non dicimus generosa; sed plebeia, non auro nitet? Quid torques equitum, & equorum frena ex auro purissimo referamus, & tot calcaria & vaginas geminis rectas, & annulos, & balthea, & thoraces, & galeas auro fulgentes. Quanta in Ecclesiis pretiosa suppellex? Quot reliquæ, margaritis & auro vestitæ, quis ornatus altarium ac Sacerdotum? Quid sacratiis vestris inveniri ditius potest. *Pauper ipse ingenio fuerit, qui Germaniam pauperem, affirmaveris, est vobis non quæ cupitis omnia suppetant, nam ea paupertas animi, & avaritia potius appellanda est, quam rerum indigentia. Hæc de opibus parce dicta sint. De potentia nationis paululum disseramus.*

CAP. XXX.

Triplicem Germanorum potentiam Principes, & si unum habeant caput, suis tamen liberè imperare. Tres primos Archiepiscopos, quid unicuique officii dignitatisque sit, describit. His Saltzburghensem confert, ejus suffraganeos inserens.

Potentia Germanorum trifariam divisa est. Nam & Prælati, & Principes & civitates, quamvis unum habeant caput, in cujus verba jurant, Imperatorem Romanum, suo tamen arbitrio plerumque moventur, & quasi libertate potiuntur, suis imperant subditis: Inter Prælatos tres sunt, opibus & potentia excellentes, atque inter Electores Imperii honoratiores. Archiepiscopi & Archicancellarii, per Germaniam Moguntinus, & per Gallias, & Regnum Arrelatense Treverensis, per Italiam Colonienfis: Et Moguntinus quidem Electorum Decanus habetur, qui ubi necessitas ingruit, eos convocat. Treverensis vero in Electione Imperatoris primam habet vocem. Colonienfis autem non modo Electoratus honore fungitur, sed etiam Dux Westphaliæ appellatur. His maximæ civitates parent, opulentissima oppida, multi & potentes Nobiles. *Nec minor his Saltzburghensis Episcopus est in sua Provincia Legatus (ut ajunt) natus, qui ut latam dioccesim suam melius regeret, quatuor Episcopatus suo ære fundavit. Gurcensem, Secoviensem, Clemensem, & Lovantinum; hisque curam plebium & sacramentorum commisit; quos ipse sibi assumere & conservare consuevit. Sed Gurcensis ei substractus est, quem Romana Sedes (nostra tempestate) assumpsit. In Provincia vero suffraganeos habet, Saltzburghensem, Ratisponensem, Pataviensem, Frisingensem, & Brixionensem, ex quibus Episcopatibus, Pataviensis ditior, Ratisponensis dignior, Frisingensis antiquior, Brixionensis tutior haberi consuevit. Possident tamen omnes munitas arces, & oppida plena populis, plurimosque Vasallos habent.*

CAP. XXXI.

Prælatem Germaniam cum cæteris Archiepiscopatibus describit.

Nationis vero Germanicæ Prælatem Magdeburgensem Archiepiscopum esse tradunt, & ipsum potens

potentem atque opibus abundantem. *Bremensis sextus Archiepiscopus Germanorum*, & ipse temporali dominio validus. *Septimus Germanica nationis Archiepiscopus inter Bohemos Pragensis* est, qui cum esset olim suffraganeus Archiepiscopi Moguntini, instante Carolo Imperatore, Sigismundi Patre, à Diœcesi Moguntina, ad ejus Metropolitanum sublimatus est. Sed hic nutante Regno, & *Hussitarum hæresim admittente*, ad inopiam deductus, jam pluribus annis pastore caret. Inter Germanos *Episcopus florentissimi sunt Leodiensis, & Trajectensis*, quorum si alter in bellum exeat, non minus quadraginta millibus pugnantium, à subjectis sibi populis, in armis habebit.

CAP. XXXII.

Herbipolensis Ecclesia potentiam, Rudolphi de Scherrenberg, de ea optime meriti, mentionem faciendo, palam facit.

Fuit & *Herbipolensis quondam ditissimus, quem Francones Ducem suum appellavere*. Hodie verò per Rudolphum Episcopum de Scherrenberg ibidem ditatus & gloriosus, qui ultra viginti mille bellatores in armis bellicis, ad prælium ducere potest. Provincia multis Nobilibus, civitatibus, oppidis, castellis, castris, ingentibus, villis ornata. Mœnus flumen, navigiis Regiis per medium rigans, quæ Francia orientalis nuncupata est, magnis & potentibus Vafallis Comitum, militum, plurimorum Nobilium, quasi sine numero, circumsepta est.

CAP. XXXIII.

Bambergensis Episcopatum celebrat: Ultra quinquaginta apud Germanos Episcopatus esse, quibus si Italici comparantur, parochia nuncupanda venient, quasdam Ecclesias à susceptione extollit.

Bambergensis quoque dives Ecclesia quamvis inter Francones sita est, in Carintia tamen haud parvi momenti oppida possidet. Villachum ac Valpergam omitimus, Augustensem, Constantiensem, Hildesemensem, Hestaviensem, & alias complures Ecclesias, ne tædium longitudo pariat. Nam supra quinquaginta Pontificiales Ecclesias, Germani possident. In quibus divites & potentes Episcopi præsident, quibus Itali nostri comparati, plebani potius, quam Pontifices dicendi videbuntur. Adde *Canonicatus, & Prelaturas Ecclesiarum, quot Præposituræ, Decanatus, Archidiaconatus, quot in his VIII Nobiles, quot Juris interpretes, quot Theologi resident*. In Colonia & Argentina, ad primas præbendas non admittuntur, nisi genere illustres. In Moguntina vetusta & magna ei nobilitas probanda est, qui *Canonicatum expetit*: In Leodio supra septuaginta præbendas in majori Ecclesia numerant, in collegiatis Delubris multo plures. *Ursislaviensem Episcopatum aureum quondam appellavere*, sed hunc quoque *Hussitarum vesania extenuavit*. Hic Canonici, dum canonicas horas canunt, rubeis cappis ornati, Cardinalium Romanæ Ecclesiæ morem tenent.

CAP. XXXIV.

Præterit Monasteria, Abbates & Abbatissas Principum fungi honore. Teutonicorum Ordinem Regibus parem dicit.

Præterimus opulentissima Monasteria, in quæ & Monachi uberrimè aluntur, & hospitalitas cuiusvis generis hominum magnificè observatur. Sci-

musque, nonnullos Abbates adeò in Germania potentes esse, ut Principatus honore fungantur, qualem & *Fuldensem & Erberdensem*. Quid dicimus? Abbatissas quoque ejusdem honoris participes novimus, sicut in Stiria & Colonia, ad undecim millia Virginum, in quo Monasterio solum illustres fœminæ admittuntur. Præterimus ditissimas Præposituras, opulentissimos Archidiaconatus, uberrimos Decanatus, & parochiales Ecclesias, Italicis Episcopatibus præferendas. Tacemus *Ordinem Teutonicorum Fratrum, quos Beata Maria vocant*, qui nunc Polonico bello vexantur, quorum potentia par Regibus est.

CAP. XXXV.

Nusquam Illustriores reperiri familias quam apud Germanos, præcipuus enumerando testatur, immaturam Ladislai Ungaria Regis mortem mira vehementia describit, gentis Venetæ inconstantiam, in Franciscum Volscorum collatam ingratitude manifestando, de aucti-

AD Principes laicos imperus festinat orationis. Nam quæ natio sub cælo est, tot clarissimis Domibus, tot Illustribus exornata Principibus, ubi tantam invenias aut nobilitatem aut armorum gloriam, sicut apud Germanos. Relinquimus militares familias, & quæ torneamento dignæ censentur, quorum benè infinitus est numerus, quamvis nulli ad id genus ludi admittantur, nisi vetustissimi Nobiles, quorum progenitores supra memoriam hominum, & opibus & potentia claruerunt. Eas recensere profapias longum est, quæ idcirco dici Imperiales queunt, quoniam ex his sæpe lecti Imperatores fuere, inter eas clarissimæ sunt Australes, ac Bajoarica, vetustissima Brunsvicensis inater Ottōnnm, de Romana Ecclesia optime meritorum. Suecia jam defecit, & Lucemburgensis. Quæ cum Romano Imperio, ditissimum Bohemiæ, Regnum, Stiriensibus inde pulsatis ad se recepit, & ferocissimis Europæ gentibus Ungaris imperavit, insuper ex hoc sanguine nobilissimus adolescens Ladislaus ex filia Sigismundi Cæsaris, & Alberto Imperatore natus. Sed hunc crudelissima lues VIII. Kalend. Decembris, anno superiore apud Pragam, Bohemiæ Metropolim immatura & acerbissima morte præripuit, quo moriente, & nobis simul & multis gentibus obtenebratus est sol. Expectabamus felices nuptias, & orbe toto nobiliores. Jam enim Legati Margaritam accersitum ierant, Christianissimi Regis Franciæ Caroli generosissimi filiam, sed dum alutissimi sanguinis conjugium præstolamur, immaturum (prohdolor) funus extulimus. Eumque Regem sepelivimus, in quo suarum miseriarum unicum solamen, & Ungari & Bohemi, & Australes & Slesitæ, & Moravi reposuerant. Nec Christianus erat, qui non fidelium Reipublicæ multa & magna de tanto Rege promitteret. Sed illi sua mors vita fuit, qui ex obscurissimis tenebris ad candidam lucem migravit. Nobis ejus obitus funestus est, & deflendus, qui tot Regna, tot gentes, tot dominia, suo privata Domino in bello cernimus, & crudelēs strages, sed levius sit patientia, quicquid corrigere est nefas. Nec nos potuimus ei Regi verba non consecrare, quo cum puero diu vixerimus, & à quo fuimus supra meritum dilecti, cum inter scribendum ejus obitus enunciaretur. Insignis hic annus fuit, ex tanti Regis interitu, & Johannis Portugalliæ infantis filii, qui à Rege Cyprio gener ascitus, & in spem Regni assumptus, non sine opinione erepti

erepti veneni diem obiit, simulque *Francisci Foscaris Venetiarum Ducis*, qui cum quinque & triginta annos magna gloria patriam gubernasset, tandem (ut sunt inconstantes populi & nihil nisi presentem utilitatem pensitantes) grandævus senex abire magistratu iussus est, qui ea per motus suorum civium ingratitude, & Palatium simul & vitam reliquit.

CAP. XXXVI.

De Sacri Rom. Imperii Primatibus, Electores & sacros & seculares describendo, Marchionum item adferendo dignitatem, Comites quoque Imperii habentis gubernasse ex quibus Morfatenses præcipue celebrat.

SEd jam reliqua prosequamur, quando & in Regem & in aratorem pat est mortis imperium. Diximus tres Archiepiscopos in Electione Imperatoris vocem habere; sed cum his quatuor alii concurrunt ex Principibus secularibus. Quorum primus est, *Rex Bohemorum*, secundus, *Comes Palatinus Rheni*, qui & unus est ex Domibus Bajoariæ, i.e. Bavariæ tertium *Ducem Saxonia* faciunt, & ultimum *Marchionem Brandenburg*. Et in Curia quidem *Cæsaris*, *Rex Bohemiarum*, *Pincerna officium implet*, *Comes Dapiferi*, *Dux Marscalci*, *Marchio Camerarii*. Præter has, *Ducales Domus* quam plurimæ *Slesia*, *Pomeraniæ*, *Magnipolenses*, *Montenses*, *Cliventes*, *Geldrenses*. Inter *Marchiones* post *Brandenburgensem* clarissimi *Badenses* & vetustate insignes, & opinione justitiæ. *Comitum* quoque claritudo inventa est, ut ex his quoque Imperatores lectos inveniamus. Siquidem *Comites de Nassau*, & *de Nigra civitate imperaverunt*. *Landgravius Hassiæ*, qui hodie vivit (ni recusasset) Imperium obtinisset. Sunt & *Comites Morfatenses* admodum insignes, ex quibus ætate nostra quatuor præstantissimi Principes claruere, *Johannes* qui *Patri Comitatum* administravit, *Theodoricus* qui *Coloniensi Ecclesiæ* jam supra sex & quadraginta præsidet annos, & contra *Susatenses* (qui à se desciverant) multa & magna prælia vario eventu gessit. *Henricus* qui longo tempore *Monasteriensem* gubernavit Ecclesiam, & *Walramus*, qui cum electus ad *Episcopatum Trajectensem* non admittèretur, diuturno bello eam Regionem afflixit.

CAP. XXXVII.

Primas Comitum Germanorum Württembergenses tenere, defecisse Cilienses, Philippum, etsi Gallus, tamen Germanorum oppida obtinere, libertatem Civitatum Imperii effert, quæ proprio Marte Principibus resistere queunt.

SEd omnium Comitum, qui hac tempestate, apud Germanos clarent, potentissimi sunt *Württembergenses*, nec *Marchionibus*, nec magnis *Ducibus* inferiores. *Cilienses Comites* nostro tempore defecerunt. Ipse quoque *Philippus Burgundionum Dux*, quamvis *Franciæ Regio* sanguine ortus, latissimas tamen & divites in *Germania* provincias obtinet, quorum causa Imperii. *Vasallum sese facitur*. Quam igitur & qualem esse horum potentiam Principum, quam formidabilem, quam terribilem putas, si uno in loco se ostenderit. *Civitates* etiam quas vocant *liberas*, quomodo Imperatori solum subjiciuntur, cujus jugum instar est libertatis, nec profectò usquam gentium tanta libertas est, quanta fruuntur hujuscemodo *Civitates*. Nam populi, quos *Itali* vocant *liberos*, hi

potissime servant, sive *Venetias inspectes*, sive *Florentiam*, aut *Senas*, in quibus cives præter paucos, qui reliquos ducunt, lotò mancipiorum habentur. Cum nec rebus suis uti, ut liber, vel dari aut quæ velint, & gravissimis opprimantur pecuniarum exactionibus. Apud Germanos omnia leta sunt, omnia jucunda, nemo suis privatur bonis. *Salva cuique sua hereditas est*, nulli nisi nocenti *Magistratus* nocent. Nec apud illos factiones sicut apud *Italas urbes* grassantur. Sunt autem supra centum civitates hac libertate fruentes. Nam & in *Rheno* & in *Danubio* multæ sunt, & *maxi proxima*, quas appellant *Stagnales*, quam plurimæ, & in *mediterraneis* aliæ, quæ simul fœderatæ injurias Principum propriis armis propulsant.

CAP. XXXVIII.

De Germanorum militari disciplina, & ab eis inventa bellica arma describit. Trium præcipue qui omnium Capitaneorum primates dici merentur mentionem adfert. Tres apud Germ. quibus exercitum in Turcas movendorum provincia tradi potest.

QUanta insuper vel Principum, vel civitatum armorum peritia est, quantus usus, quanta Republicæ disciplina? nati in *Germania* pueri, prius equitare quam loqui discunt, currentibus equis immobiles hærent sellis. Lanceas dominorum longiores ferunt, frigore ac sole durati, nullo labore vincuntur. Nullus inermis, aut *Suevus* aut *Franco* ingreditur, eques. Tam leviter arma quam membra fert *Germanus miles*, non solum *Nobiles*, sed *cives* quoque ex plebe nati, armamentaria in domibus habent, & ad quosvis inopinatos incurfus sive rumores, armati continuo prodeunt. Stupenda res est, ac ferme incredibilis, quanta peritia est equos erigere, flectere, atque in gyrum ducere, quanta sagittandi ars? quantus lancearum usus? qua clypeorum agilitas? qua stringendi versandique gladiorum scientia? qua machinarum, & tormentorum experientia. Rideant necesse est reliquas armorum officinas, qui publica *Teutonicorum* armamentaria viderint, tot ibi majores balistæ, tot catapultæ, tot arietes, tot insolitæ magnitudines aeneæ tormenta visuntur, quas vocant bombardas, quarum & ipsi *Teutones* reperiuntur habentur. Adde singularum copiarum *Duces*, quos nostra ferunt tempora. Quot apud vos claræ militiæ ductores? Quanta est *Alberti Marchionis Brandenburgensis gloria*, sive fortitudinem hominis, sive prudentiam exigit. Is, ab ipsa pueritia in armis educatus, pluribus interfuit bellis, quam alii fortasse legerint. Militavit in *Polonia*, *Slesia*, *Prussia*, in *Bohemia*, in *Austria*, in *Ungaria*, in *Saxonia*, in omni ferme *Germania*, nullus est angulus, quem non calcavit armatus. Duxit exercitus copiosos, prostravit ferocissimos hostes, cum *Nurnbergensibus* novem bella gessit, in octo victor, in uno victus, in quo prodicione deceptus, quamvis penè captus videretur, fortuitum tamen periculum subita superavit industria, primus in congressibus inuit pugnam, victor ultimus excessit. De prælio ad singulare certamen sæpius invitatus, nunquam non stravit hostem, in ludo, quo soli tecti clypeo, acutis sceselantibus imperunt, septies & decies cucurrit, semper victor, & in oppugnationibus urbium, sæpe prius murum ascendit. Qui ex rebus non injuria *Teutonicus* appellatur *Achilles*, nec profectò quenquam novimus

vimus, quem nemo sibi præferat, at ne dicamus, æquet. Neque enim in hoc homine tantum militares artes, & Imperatoriæ Virtutes, singulari quodam modo relucet, sed Nobilitas generis, præcitas corporis, venustas faciei, faevundia linguæ, & virium robur, admirabilem eum efficit: Sunt Wilhelmus Saxoniarum Dux; & Georgius Poggiobracius Bohemiarum Gubernator, quos laborem aut tempus rerum experientia multarum, oculus in rebus subitis perspicacissimus, incredibilis diligentia, solertissima cura, animus inquietus, & nullius ignarus artis, quas bello necessarias ducunt, Alberto proximos faciunt. Nec minor his Joannes Gifcka Bohemus, qui Gubernatorem Ungariæ Joannem Huniatem fama clarum, & magnis fultum copiis, sæpe cum parva militum manu fudit. Incipit & nunc nomen sibi assumere Joannes Comes de Pulchro monte, qui Prutenorum causam Fratrum defendens, magnas per hos dies Polonis strages intulit. Longum esset quoque omnia ejus gloriosa facta recensere. Per Saxoniam, Sueviam Franconiamq; Viri clari sunt, numerosos exercitus ducere, idonei. Siquidem & Fridericus Palatinus Princeps Elector, & Albertus Germanus Imperatoris, & Carolus Marchio Badensis, digni omnium judicio existimati sunt, qui copiis in Turcos educendis præficerentur. Hæc Germaniæ tuæ potentia est Martine, quam si vel parvam, vel contemnendam dixeris non deerunt, qui te contemnunt potius, & parvi existiment esse judicii. Sed quoniam de potentia satis dictum est.

CAP. XXXIX.

In veteri Germania Deo nullum exhibitum cultum, rapinas laudi fuisse dicit, qua etsi unica ex prisca Barbarie remanserint, nulla tamen libertate, sed acerbissimo rotatu puniri, à justiciariis omnia recte ductis legum commendat administrari.

Demoribus ac doctrina non nihil dicendum occurrit, ut liqueat in hac etiam parte novam Germaniam, veterem illam (quam tantopere laudas) haud parum superare. Et mores quidem hominum, duplici via consideramus. Nam & quales homines inter sese ipsi sint, animadvertere solemus, & qualem Deo cultum exhibeant, utramque superius vitam apud veteres Germanos, auctoritate Majorum ostendimus, monstravimusque in natione tua, nec Deo verum cultum exhibitum fuisse, nec Tentones ad civilitatis usum exercitationem habuisse, qui & vana simulacra colebant, liberos suos demoniis immolantes, & rapinis cadib; gaudentes, injuriari vicinis eosq; bonis spoliare, in laudem trahebant. Nunc verò ad vos legitima Dei nostri Sacra deducta sunt, & unum cum sancta Romana Ecclesia verum & unicum Deum Christum colitis. Et quamvis adhuc veterum nonnulla rapinarum vestigia maneant (nam hoc unum est ex prisca barbarie vitium, inter vos relictum) non tamen ea prædarum libertas est, quæ olim fuit, nec civitates vestræ prædonibus, si quando in potestatem earum veniunt, veniam præbent, sed eos acerbissimo rotarum supplicio eneant. Vidimus judicia vestra, & concilia vestris, quæ de Republica gerebantur (ut antè diximus) sæpius interfuimus, omnia & prudenter & graviter administratis, nec facile à recto tramite deflectimini, nec vobis civiles Leges: nec Jura desunt Pontificalia, literæ quoque & omnium bonarum artium studia apud vos florent.

CAP. XL.

Germaniam à publicis literarum Gymnasis commendans, in ea nihil præter sermonem patrium remansisse barbari, hoc dicit.

Scholæ quoque & in quibus Jura & Medicina, & Liberales traduntur Artes, in Germania plures urbes habent, ut Colonia Agrippina, Heidelberg, Praga, Erfordia, Liptzka, Vienna, Rostavia, Basilea, in quibus doctissimi Viri claruerunt, & nostra quoque ætate non inferiores clarent. Suscipiuntur hospites apud vos lato vultu, sed meliore corde. Et primarii urbium cives hospitalitatem exercent, a quod quos nulla suspicio fraudis esse possit. Convivitis humanissime omnibus gentibus, tantusque hodie & hominibus vestris, & rebus nitor interpositus est, ut præter sermonem patrium nihil inter vos Barbarum remansisse videatur. Quod si qui vos amplius appellaverint Barbaros, ipsi verius barbarissimi censendi fuerint, sive Græci sive Latini. Atque utinam terra Macedonia, Thessalia, Achaia, Peloponnesus, Epirus, & illa Italiæ ora, quam olim magnam Græciam vocavere, non minus quam Theutonia barbarizaret. Profectò non est quod præscam Germaniam quovis pacto huic præferas, quam modò videmus. Vellemus, à mortuis aliquis ex illis veteribus resurgeret, aut Ariovistus ille, qui copias ingentes ex Germania ducens, cum Julio pugnavit in Gallia, aut Bannascus, qui Claudio imperante, ferocissimam Cauchorum gentem, contra Romanos armavit, aut Vannius qui Drusi Cæsaris amicitia potens, Suevis præfuit, aut Vangio & Sidio, qui Vulpium Hermundurorum Regem Regno pepulerunt, aut Veritus & Malotiges.

CAP. XLI.

Frisorum ad Neronem Legationem commemorans, Priscos, si reviviscerent nequaquam hanc, qua nunc Germanorum est, terram, suam dicturos natale solum.

Frisi, qui legationem quondam ad Neronem gerentes, cum intrassent Pompeji theatrum, vidissentque quosdam cultu externo inter Senatores sedere, & intellexissent id honoris earum gentium Legatis exhiberi, se Germanos esse, exclamaverunt, ac digredientes inter Patres consedere, ob quam rem ambos Nero civitate donavit. Nam si quis horum nunc audiri posset, audiremus eum profectò Germaniam non esse aspernam terram, quam tam bene cultam videret. Negaret enim quis horum, eo se locum natum, in quo tantum nitoris, tantum urbanitatis atque humanitatis, & in exercitiis Romanorum probatus, item Civilis ille, qui sub Vitellio ac Vespasiano res Germanicas conturbavit. Omnes isti, si modo tumulis excitarentur, fortasse oculos attolentes, cum inde Ursam & Triones & Cynosuram cernerent, primò cælum recognoscerent, & illis sub astris se quondam natos reminiscerentur. At cum terram inspicerent, hinc florentes urbes, inde mores hominum placidos, & agrorum culturam & sacrorum ceremonias inspicerent, negarent suam esse patriam, cujus faciem non recognoscerent. Quæ cum ita sint, audes dicere nationem Germanicam ad inopiam esse redactam, & ancillæ formam induisse, quæ domina gentium fuit, & imbecillum jacere spretam atque contemptam? Non est pauper Germaniam probavimus, non impotens, non contemptibilis.

lis, quæ tam longe lateque dominatur, quæ tot clarissimis urbibus illustrata est, quæ tot Principes habet, armorum gloria potentia sublimes.

CAP. XLII.

Imperii vires non parum defecisse, etsi omnia facile recuperari possent, non nihil auri quanquam Romam mittatur, ad nos tamen redire dicit. Non illic potentiam, ubi auri abundantia lateat, exemplariter deducit.

E Schitia Turcarum originem exiisse dicit.

Sed replicabis sub Carolo Magno, vestri generis Principe, non Germaniam solum, sed Galliam atque Italiam, Hispaniam Teutonibus paruisse, sub Ludovicis, sub Ottonibus, sub Henricis, sub Fridericis, altissime dominati sumus: Nunc extra Teutonicam linguam nihil obtinemus quando nec Italia Juris Imperii certissima Provincia imperata facit, fatemur Imperium vestrum non esse, quod sub Carolo fuit, & potentiam vestram post Fridericos non parum defecisse. Sed nihil est quod Apostolica Sedi possis imputare, nec si velit natio vestra, impediri potest; quin pristinam gloriam recuperet. Tibi persuasum est unicum esse nationis tuæ malum, quod aurum vestrum ad Sedem Apostolicam referatur. Nolumus differere quantum id sit, & quomodo Germanici hodie Romanam curiam sectantes, magnam ejus partem in patriam suam referunt: Testes sunt, Joannes Jovianus Verchius, & Henricus Roscopius, atque alii complures, qui Romæ ditati sumptuosissime domos ædificaverunt. Illud te minus perite arbitratum cernimus, quod in auro Provinciarum excellentiam felicitatemque collocas, & ubi aurum est, ibi credis esse potentiam, atque Imperium. Quod si ita esset, neque Philippum, neque Cyrum opulentissimos Reges Scytharum, pauper superasset exercitus. Neque ditissimum Persen Greci profligassent inopes. Neque Darium aut Porum prostravisset Alexander divitiis inferior. Neque Persen Paulus Amilius captivum abduxisset. Neque Antiochum Scipio Africanus trans montem Taurum repulisset. Strabant falcati currus, e bore atque argento nitentes, & equorum Phaleras cooperiebant gemmæ. Nulla equitis galea, nullus militis gladius, nullus baltheus, non auro splendebat. Quæ cum vidisset Hannibal, satis hæc, inquit, Romanis erunt, etsi sunt avarissimi. Significans aurum ad prædam expositum esse. Nec mentitus est, victo enim statim Antiocho, omnis gaza in Romanorum potestatem deducta est, nec magnum & opulentissimum Regem defendere aurum potuit. *Virtus hominum non pecunia Provinciarum nobilitat, ubi Virtus, ibi & opes ancillantur.* Sunt tamen necessaria pecuniæ, & nervi Reipublicæ appellantur. Memorabile illud est Romani hominis dictum, qui Romanos non auro imperare velle, sed hominibus aurum possidentibus ait. Quod si veterum annales reperamus, invenimus eas plerunque Provincias, atque urbes aliis imperasse, quæ minus auri possederunt. Nam Romani, & Athenienses, & Spartani, & Carthaginenses, non opibus, aut auro, sed armorum peritia & animorum fortitudine imperia paraverunt. Atque idcirco Europæ gentibus, Asiam semper inhabitantes, inferiores habiti sunt. Neque Turci, quos hodie miramur, ex diviti provincia emersere, cum Asiam occuparunt. Sed hispida & pauper Scythia, illis patria fuit, unde & fortissimus ille Tamerlanes erupit, qui nobis puerulis Armeni-

am, Capadociam, Asiam, Bithiniam, Ciliciam, Siriamque vastavit, & nobilissimam urbem incendit Damascum, *Viris fortibus, & animo excellenti præditis, sepius auri copia, quam inopia nocuit.* Siquidem magnas opes, & deliciae & voluptates consequuntur, quæ viros alioquin præstabiles emaculant, & vim omnem Virtutis elidunt.

CAP. XLIII.

Duas Germanorum impotentia causas assignat, voluptatum exuberantiam, & Principum copiositatem, unde ne Casari (Fridericum tertium adferendo) obediatur, exoritur. A Græcis ad Germanos translatum imperium. Quo pacto apud nos servari queat, hoc dicit.

Atque hæc fortasse causa est, quæ vestrum Imperium exinanivit: Nam cum vestri Majores agendo, instando, vigilando, res præclaras egissent, latissimasque Provincias, ac nobilissimas & ditissimas gentes Germanico Regno subjecissent, quo fortuna victoriam impulit, eo & spolia & divitias intulit, communes hominum pestes. Videmus enim Germaniam (ut diximus) argento & auro plenam, omnibusque deliciis affluentem, ita seipsa contentam esse, ut arma foris nusquam afferat. Quod si mos Majorum in hanc usque diem mansisset, vestrosque frequentes exercitus subactæ gentes in oculis habuissent, non esset minor vestra, quam illorum potentia fuit. Siquidem Imperium (testantè Crispo Salustio) iisdem artibus retinetur, quibus ab initio partum est. At Patres vestri, Regni fines armis, non pecunia propagarunt. Armis igitur retinenda Majestas fuit, quibus etsi plurimum valet vestra juvenus, (ut antè relatum est) illecta tamen domesticis voluptatibus, extra Germaniam prodire non audet. Sed est alia major ratio, quæ vestrum Imperium comminuit & ad nihilum rediget, nisi occurretis, pluralitatem Principum Philosophi abhorrent, vos ea gaudetis. Nam quamvis Imperatorem & Regem & Dominum vestrum esse fatemini, precario tamen ille imperare videtur, nulla ejus potentia est, tantum ei paretis quantum vultis, vultis autem minimum, libertas omnibus in communi placet, neque civitates, neque Principes, quod suum est, Imperatori præbent, nulla illi vectigalia, nullum ararium quisque suæ rei moderator & arbiter esse vult. Hinc discordiæ inter vos crebræ, & assidua bella grassantur, ex quibus rapinæ, incendia, cædes, & mille malorum emergunt genera, quemadmodum ibi intervenire necesse est, ubi plura dominantur capita, nam quo pacto aliis dominantur, qui sibi ipsis nesciunt imperare. Nulla unquam civitas, nulla gens, nulla natio, in aliam prostravit Imperium, nisi prius imperium ipsa subivit. Discant suo Principi servire, oportet, qui aliis cupiunt imperare. Quod si vos Germani sic Divo Friderico Casari obediretis, ut vestri progenitores primo Carolo paruerunt, haud dubium quin prisca ad vos gloria rediret. Quando viris, equis, armisque, & rei militaris peritia, non minus quam veteres abundatis. At vos si vera sunt, quæ tua tradit epistola, non solum Imperatori sua reddere jura non cogitatis, sed Apostolica Sedi suam auferre privilegium enitimini, ne majori luminari minus invidet, & utriusque gladio acies desit, sed de hoc postea disputabimus, nunc satis est ostendisse non esse in culpa Romanam Ecclesiam si Germanicum elanguit Imperium, quemadmodum tua scripta videbantur asserere. Nam prima sedes (ut

(ut postea suo loco monstrabimus.) *Imperium ex Græcis ad Germanos transtulit.* Quod si quoquo modo conaretur evertere, suum opus ipsa destrueret & inique ageret, ei nationi nocens, quæ non sine maximis obsequiis id honoris emeruit. Vos tamen si priorem cupitis eminentiam vendicare, præcæ Virtutes, præcæ resumite mores, fortitudinem ignaviæ opponite, liberalitatem avaritiæ, sollicitudinem desidæ, Justitiæ iniquitati. Et (quod est imprimis necessarium) Unitatèr divisioni præferte. Et capiti vestro, tam spirituali, quàm temporali, suos honores, suam obedientiam reddite. Quod si feceritis, haud dubitè, quin vetus nomen recuperantes, multis & magnis gentibus leges dicetis.

CAP. XLIV.

Tres causas inopia Episcopatum Germania assignat.

Verùm, qui nonnullas Ecclesias in Alemannia suis despoliatas possessionibus, & ad mendicitatem penè deductas, non ignoramus, ut *Herbipolensem, Uratislaviensem, Constantensem,* & alias: Respondendum illis est, qui hujus culpam, in Apostolicam Sedem rejiciunt, quæ medio fructus primi anni exi-

gere solet, quod si verum esset, omnes eadem calamitas oppressisset, ex omnibus enim id juris parè modo recipitur. Sed sunt tres potissima causa, quibus *Et Monasteria Et Ecclesie Germanica nationis, è prioribus fortuna exciderunt.*

Prima est, quoniam bellorum turbinibus quàm frequentissimè agitantur, in quibus, si quid victoriæ jure acquirunt, veluti modestiores, evestigio facta pacere sistuere compelluntur. Si quid amittunt, perpetuo apud hostem manet.

Secunda causa est, quòd amicis Et necessitudine junctis, quàm multa Prælati largiuntur, quod nisi faciunt, illi suo ingenio Ecclesiastica bona cõpilant.

Tertia est, quòd omnes, Principum more, equos canesque alunt, & histriones parasitosque nutriunt, neque sine magno comitatu esse volunt. Nec tu aliter quam in aulis Regalibus, apud Prælatos tuos instrui convivia videbis. Quibus ex rebus non ineptè hoc loco dixerimus, quod Hobunsardam Princeps cocorum muros Hierusalem destruxisse legitur, quia venter cui cocorum multitudo deservit, ædificia Virtutum ad solum redigit. Luxuria Et ambitio Germanicas Ecclesias, non Romana curia exhaurit.

GERMANIÆ

ATq; ALIARUM REGIONUM,

QUÆ AD IMPERIUM USQUE CONSTANTINOPOLITANUM
PROTENDUNTUR,

Descriptio.

PER SEBASTIANUM MUNSTERUM

ex Historicis atque Cosmographis,

PRO TABULA NICOLAI CUSÆ INTELLIGENDA

Excerpta.

Item

EJUSDEM TABULÆ CANON.

CONRADO PEUTINGERO Jcto, AUGUSTANO, HISTORICO
atque Cosmographo doctissimo, Sebastianus Münsterus S. D.

Qum nuper Andreas Cartander in *Studioforum utilitatem, publicare stansisset Tabulam Germania, ab insigni illo Mathematico Nicolao de Cusa descriptam, à te vero, Vir ornatissime, pro Germania nostra illustratione redemptam, non inutile visum fuit, Canones quosdam, aut si mavis, succinctam adjicere declarationem, qua simpliciores adjuti, aut verius illecti, avidiori animo nobilissimum Cosmographia complectantur studium, quo ego in mundo desiderabilius non scio, quod scilicet lectoris animum plus capiat, Et quod non mediocrem afferat fructum rerumque peritiæ, Et imprimis Historicorum lectoribus sit necessarium. Sunt hodie multi, qui etiam in Eruditorum habentur numero, quibus domi tam curta in Mathematicis rebus est suppellex, ut etiam ferè ignorent, quam parte cœli quatuor mundi consistant plage, aut unde accidat quòd Aquilonaribus æstivi dies longiores sint Australioribus. Quibus hætenus parum consultum fuit, dum multa passim Geographica figura in lucem prodierunt, sed nulla linearum, circularum, numerorum, atque aliarum id genus rerum, quibus dicta tabula veluti incancellantur, explicare rationem. Ediderunt quidem de hac re optimos Et utiles libros Schænerus Et Appianus, sed qui nullam adjunctam habent Regionum tabulam, Et ob id à multis neglectus dati, quum nullus Mathematicarum rerum expert, hinc emolumentis aliquid sibi acces-*

*surum sperarit. Proinde ego, quum primum decrevissem, tuæ elegantissimæ tabule exiguum adjicere libellum, qui scilicet Regionum longitudines, latitudines, clivata, parallelos, dierum incrementa Et decrementa duntaxat explicaret, mox aliud animus suggestit consilium, nempe non parum me Studiofis profuturum, si veluti manu eos ducerem in Regionem, Et obiter indicarem, quando vel quomodo hac vel illa Provincia surrexerit vel in Comitatum, vel in Ducatum, aut etiam in Regnum, quomodo populus pepulerit populism, Et Regno successerit Regnum, quidque memorabile acciderit, aut quid peculiare inveniatur in hac aut ista terra. Hæc enim Historiarum Studiofis imprimis blandiantur, Et miram quandam secum adferunt voluptatem, ut talium lectione nemo facile satiari possit. In Regno tamen Constantinopolitano, primum à Christianis erecto, Et deinde à fœdissimo Turca usurpato, aliquanto prolixior fui scribendo, quod sciam apud plerosq; Historicos confusionem esse in Turcicarum rerum narratione. Ceterum hoc quicquid est laboris, sub tuo nomine, Vir clariss. tibi nuncupantes, in lucem edidimus, partim, quòd tabulam istam tam egregie pictam Et sculptam nobis Germanis indicaveris, partim quòd jam à multis annis diligenti egeris Antiquitatum Et Historiarum indagatorem, quin Et insignè Geographum, id quod nobilis liber à te editus indicat, in quo Germanos ultrarhenos à Gal-
lis asseris. Vale. Basilea, mense Aug. añ. M.D. XXX.*

GER-

GERMANIÆ UNIVERSALIS ET PARTICULARIS

DESCRIPTIO,

Et primò qualis olim facies ejus fuerit.

Mirari non debes Lector, si hodie Germaniam nostram videas tam variis efferris atque celebrari præconiis, & aliis atque aliis Geographicis depingi figuris. Olim cum ager ejus incultus & squalidus jaceret, agrestiumque hominum patria esset, civitatibus & amœnioribus destituta habitaculis, à paucissimis curabatur: quippe quæ *magis ferarum, quam hominum habitaculum* censeretur: donec Romanorum libidini intolerabile videretur, totum ferè subegisse orbem; & hac solum carere Provincia, non quòd multum utilitatis ex ea devicta sibi sperarint accessurum, quum adhuc inculta, ut diximus, & vasta jaceret, sed quòd universorum dominium, etiam Barbararum nationum, usque adeò ambibant, ut parum se habere arbitrarentur, nisi totum adepti essent. Quamquam autem Ptolomæus, & alii quidam, quos ille sequutus est, nonnulla in Germania signarint loca, cultamque suis temporibus scribant, videntur tamen illa mihi mera esse commenta, è suis conficta cerebris, quum hodie nec unum extet in vera Germania oppidum, quod vetustum illud suum retinuerit vocabulum, quin & apertum sit in Historiis, *omnes insigniores urbes, & quæ vetustiores censentur, citra Caroli Magni ævum extructas, paucis demptis, quæ à Sicambriis, seu Francis, in partibus Saxonie, & juxta Moganum, ante Carolum extructa feruntur.* Adde quòd nec inter Scriptores ipsos convenit de populorum, quos olim Germania habuit, nominibus, imò ut audacius quiddam dicam, non facile licebit ex antiquorum monumentis elicere, ubinam gentium olim Suevorum nominatissima natio habitavit. Sunt qui solum illud quod hodie incolunt, semper eos habitasse affirmant, eademque illam insignem, quæ Augusti Cæsaris contigit temporibus, juxta Licum in Augustensi commissam agro. Alii verò ex Cæsaris commentariis & Taciti Strabonisque monumentis colligunt, Suevos tunc juxta Albim confedisse, ibique Vari stravisse Legiones. Atque ita ferè nihil certi de Germanis, & eorum habitationibus olim Scriptores, quod annotarent, habuerunt, donec tandem à Romanis Imperio subacti fuerunt, quantumlibet quidam libros de Germania conscripserunt. Flagrabant Romani immodico desiderio, scire cupientes, quinam hujus incognitæ & inaccessæ nationis essent mores, qui ritus, quæ vivendi consuetudo, qualis habitaculorum apparatus, qualis terræ interioris cultus, qualisque hominum illorum convictus; sed ingredi Regionem prohibebantur, partim metu terribilis populi, partim intricatis & densis sylvis, quibus includebantur. Atque in hunc modum toties lacessita est, & oppugnata Germania à Romanis Principibus, at interiora ejus non cognita. Circa li-

tora Rheni, Danubii & maris Septentrionalis (nam hi sunt tres veræ Germaniæ termini) continuò Germani à Romanis impugnabantur, & aliquando quidem hostibus superiores fuerunt: sæpe etiam ad loca deserta & paludinosâ fugientes, illos post se trahentes ingressum patefecerunt. Et ut hujus rei aliquando clariorem habeas notitiam, Imperatores illos, & facta eorum tibi brevissimè describam, qui Germaniam ipsam maximis viribus adoriri conati sunt, sibi que subigere satagerunt.

Julius primus Cæsar, Germanos sæpe oppugnavit, sed non expugnavit. Augustus verò licet multos Germanos populos perdomuerit, idque per Drusum, multa etiam millia in Galliam transmiserit, tamen Germaniam non subegit. Gessit quoque post Drusum bella, nempe per Tiberium & Varum; sed quid profecerit, indicat casus Vari, qui cum tribus cohortibus succubuit. *Tiberius post Augustum duobus exercitibus Germaniam impugnavit, sed non vicit. Vespasianus primum sub Claudio, & deinde ipse factus Cæsar, ferè semper in Germanos bella gessit.* Post hunc *Domitianus* gloriam affectans Germanorum, ob quod & sibi nomen Germanici imposuit, *juxta Rhenum Catos domuit, sed non totam Germaniam.* *Trajanus* quoque per Rhenum descendens, *Germanos debellavit, gessit & apud Danubium bella, ultra quem fluvium pontem lapideum extruxisse fertur.* Post eum *Antoninus Pius Marcomannos, & multas gentes vicit.* Deinde *Antoninus Commodus* feliciter contra Germanos pugnavit. Hunc subsequutus *Pertinax*, clarus fuit trophæis Germanorum. Deinde *Maximinus* Imperator feliciter & ipse contra Germanos pugnavit, multa millia occidit, prædam abduxit, domos incendit, & nisi Germani in sylvas & paludes fugissent, subegisset totam Provinciam. Postea *Aurelianus* Germanos armis intactos non dimisit. *Probus* etiam Imperator Germaniam ditioni Romanorum penè subegit, unde literas scripsit Romam hujusmodi: *Dius, Patres Conscripti, gratias habeo, quòd subacta est omnis Germania. Habui quoque multos Reges novos ante pedes meos, imò vestros.* Occidit deinde *Constantinus* etiam multa millia Germanorum, qui rebelles fuerunt, & Galliam vastaverunt. Stravit & *Julianus* Germanos juxta Rhenum apud Argentariam, & Germaniam Romano Imperio iterum restituit. *Valentinianus* denique Saxones devicit, & post eum *Gratianus* Imperator in Germaniam profectus, juxta Argentariam occidit ultra triginta millia Alemannorum, ut scribit Hieronymus in Supplementis. Itaque *ducentis & decem ferè annis Germania tandem victa est à Romanis, qui & ob nullam gentem tanto dispendio laborarunt, quam Germanico bello, de quibus etiam gloriabantur, volentes vocari Germanici, etiam si parum quid egissent contra Germanos.* At Germani ipsi interim non segniter, nec unquam Romanis incruentam reliquerunt victoriam. Et utinam Romani Scriptores Cæsaribus non adeò adulari fuissent. Nam ea ferè solum scripserunt, quæ Cæsares egerunt, Germanorum verò egregia facta plerunque tacuerunt. *Constat autem Cæsarem bis à Germanis succubuisse, inque una fuga crucis percussus. Drusus bello Germanico mortuus est. Augustus duas graves clades in Germania suscepit.* Harum gravior fuit, quando apud Vindelicos (ut quidam putant) tres Legiones amisit, una cum Varo

Quintilio Duce exercitus. *Tiberius in tribus annis quinque Legiones amisit. Antoninus Pius Germanos fregit, sed tanta jactura, ut ararium penè exhaustum.* Quam viriliter putas lector, pugnaverunt fortissimi illi Germani, Majores nostri, ducentis illis & decem annis, contra infatigabilem illam Romanorum constantiam, antequam pei domarentur? nullis defensi aut castris, aut mœniis, aut muratis urbibus, quas nullas aut rarissimas habuerunt; sed ultimum Regium in sylvis, quæ ferè totam obduxerant Germaniam, præsertim nominatissima illa sylva, quam Hercyniam Cosmographi vocant, constituentes, hostes non rarò in ipsorum perniciem in tam retrusa illexerunt loca, ut non citra grandem jacturam illis reditus pareretur. Certè nullibi legis Germanorum aliquas à Romanis fractas, aut castra diruta, sed solum populos in sylvis petitos. Et hinc est, quòd Cornelius tot enumerat Germaniæ populos, nullas autem urbes. *Non enim tunc in urbibus, sed pagis habitabant, quorum pleraque nomina usq; in hunc durant diem.* Vocant enim Germani pagum in vernacula lingua *Gen* / ut est, *Nortgen / Algen / Drisgen / Kreichgen / Weinggen / Heegen* etc. sed temporis successu Romanorum moderatione civiliores facti, insignes urbes extruere cœperunt, ut hodie visuntur Ulma, Nürnbergga, Bambergga, Herbipolis, Erdfordia, Lipsia, Parthenopolis, utraque Franckfordia, & aliæ multæ, quæ omnes recentiores sunt, quam ut vetustatem aliquam insignem præ se ferant, id quod alio quodam vernaculo libro fuisse tradam, in quo Geographiam cum succinctis locorum Historiis describam. Hæc itaque olim Germaniæ nostræ fuit facies. *Carebat urbibus, inculta & squalida jacebat, vinum nullum ferebat, ferè tota dumetis & sylvis obducebatur, erat tristis cœlo, ut Taciti utat verbis, vivebant incolæ ejus caseo & lacte, humi dormiebant, vilis tuguria contra aeris inemperiam erigebant, nullus luxus in vestibus & cibis erat, cum extraneis nulla commercia habebant, & ut semel dicam, simplicissimam vitam vivebant.* Excitabatur propterea multorum curiosus animus, novarum rerum explorandarum nunquam non cupidus, qualemnam gens hæc duceret vitam, quæ usque adeo ab aliis sequestrata erat nationibus, quales haberent mores, leges & ritus, qualeque possiderent solum, unde tanta corporibus proceritas, & intrepidus animus. Erant jam satis cogniti Gallorum, Hispanorum & Britannorum mores vivendique ritus, tantum de Germanis nihil ferè cognosci poterat, quum exterorum non admitterent quenquam. Indicabat septentrionalis maris litus, provinciam multis, hisque egregiis & amœnis irrigari amnis, quum illic omnia Germaniæ flumina, præter unum Danubium, in mare sese effundant, unde facile arguere licuit, Regionem ipsam fœcundissimo patere solo, quanquam Tacitus longe aliud sequutus est judicium, qui ex hominum habitu terram sterilem, horridam tristemque cœlo scripsit, aut certè ex infimarum partium dispositione, quæ in Batavia, Frisia, & interiori Saxonia, paludinosæ plerunque & vastæ inveniuntur, & non rarò maris alluviones patiuntur, totam Germaniam incessabat. Quid putas, hodie scriberet, si Germaniam ipsam lustraret, videretque tam cultam, tamque fertilem, *ut nullam nunc Regio sub solo sit, cum qua non certare in fertilitate & fœcunditate possit?* quicquid etiam spectare velis,

quod humanæ vitæ commodum sit, frumentum, vinum, metalla, pecora, pisces, feras sylvestres, ligna & lapides, homines, urbes, oppida & castella. Non habet tantas ut Hispania solitudines, nec tantos ut Italia calores, caret noxiis animalibus, habet temperatum aërem, abundat frugiferis arboribus, scater multis & saluberrimis thermis, atque aliis potabilibus aquis. Quantam argenti molem jam ex Germania montibus erutam putas? Ubi plus picis ex arboribus colligitur quam in Germania? *Novi hominem non longè ab Argentorato in Nigra sylva habitantem, qui singulis annis ducentas abiegnæ resinæ colligit massas, quas centenarias ponderatores vocant.* Et quid dicam de bysso, quæ circa Ulmam Sueviæ, & item apud Divum Gallum Helvetiæ oppidum annuatim ex terræ fundo colligitur? Certè retulit mihi nuper, quum essem apud Divum Gallum, VADIANUS, homo qui jamdudum eximiam suam Eruditionem in Pomponio Mela ostendit, quique hoc tempore illius loci gerit Magistratum, *annuatim* ex tam angusto terræ solo, nempe cui à tergo Alpes perpetua nive candentes imminet, colligi & parari linum pro ducentis aureorum millibus, id quod mihi penè incredibile videbatur, quum facies illius terræ stuporem quendam præ se ferat, & horrorem intuentium oculis ingerat, nisi id à Viro tam docto & gravi audissem. Sed quid pergo ista profequi, cum nemo sit inter Doctos, qui ignoret quam dissimilis hodie sit Germania sibi ipsi veteri, ut ex squalida eremo paradisi videatur natus, & ex sterili agro *ברמל* quidam prodierit, ut Hebræi vocant fertilissimum agrum. Aspice nunc quæso tabulam, quæ tibi Germaniæ aliquod specimen ob oculos ponit & videbis quem decorem induerit, post antiquam illam deformitatem suam. En quot fluvii & rivuli fœcundatur, quot Principatibus, Ducatibus & Comitatibus hodie floret, quot egregiis urbibus adornatur, quam amœnis & fœcundis montibus sylvisque decoratur, quam pulcherrimum obtinuit situm. A Septentrione clauditur mari, à Meridie Alpibus, ab Occidente Rheno, & ab Oriente Sarmatica sylva, quanquam olim aliis circumscripta fuerit limitibus, quando non linguæ, ut hodie, sed montes & flumina Regionem disternabant à Regione.

Quos terminos olim, & quos hodie habeat Germania.

Convenit inter antiquos, præsertim Strabonem, Ptolomæum & Tacitum, *Germaniam ab Occidente Rheno à Gallia disjunctam*, litusque Rheni occidentale à Julii temporibus magnis excultum urbibus, præsertim Moguntiaco, Argentorato, Vaugionum, Nemetorum & Rauricum coloniis. *Ab Oriente verò quidam magnam Germaniam ad mare usq; Euxinum extendunt*, in quod scilicet Danubius multis ostiis sese effundit, quos & Cufanus noster in hac Germaniæ tabula sequutus est. *Alii verò insula voluerunt Germaniam ab Europea divisi Sarmatia, quæ hodie est Polonia.* Porro à Meridie præscorum Scriptorum consensus Danubio Germaniam separavit à Rhætis, Vindelicis & Noricis, quas etiam partes Romani multis annis subactas tenuerunt, priusquam Germaniam ipsam intrare possent, habentes circà Ratisponam multa & atrocissima bella cum Marcomannis, qui Bohemi vel Moravi putantur,

tur, antequam eos domarent. *A Septentrione* verò Germania ad mare aquilonare patebat, includens simul *Dacos* & *Selandios*, quos olim generali vocabulo *Cimbros* vocabant, quorum robur & sævitiam Romani non sine grandi jactura aliquando sentierunt. Hos etiam terminos Germania ferè hodie habet, nisi quòd ei postquam Romanis subacta est, accessit bona pars ultra *Rhenum*, quam olim *Galliam Belgicam*, & deinde *Regnum Austrasiam* constat vocatam: hodie verò est *Alsatia*, *linea Rheni*, *Eysalia*, *Brabantia*, *Geldria* atque *Hollandia*. Sed & ultra *Danubium* extenditur nostra ætate usque ad *Alpes*, includens *Rhatiam*, *Vindelicam* & *Noricum*, quas partes hodie vocant *Algaviam*, *Lechgaviam* & *Bavariam*, tamen non ignorem quosdam pro *Rhatia* intelligere solum lacus *Podmici*, quem *Pomponius* lacum *Acronium* vocat, qui hodie est *Constantiensis*. Accessit & *Pannonia superior*, qua jam est *Austria* atque *Stiria*. Proinde quum *Bohemia* contineatur intra Germaniæ limites undique piceis cinctæ arboribus atque vallata montibus Germaniæ connumeratur, fuitque olim *Ducatus*, sed *An. Christi M. LXXXVI. Henricus quintus creavit Ducem Vratislavum in Regem*, adiciens novo *Regno Slesiam* atque *Moraviam*. Per populum *Sclavonicum*, qui quondam hanc occupavit Provinciam, lingua *Sclavorum* in ea prævaluit. Nam eadem est lingua *Bohemorum*, *Polonorum*, & *Sclavorum*.

De antiquis Germaniæ populis.

UT supra commemoravimus, Germania olim non fuit in tot scissa Regiones & Provincias seu Ducatus, ut hodie, sed habuit multas familias & populos, inter quos præcipui fuere *Suevi*, qui centum describuntur habuisse pagos: ex quibus multa millia armatorum singulis annis in prælium producebant, & reliquos agriculturæ deputabant. Scripserunt autem de Germanis quatuor Viri non vulgaris in Historiis autoritatis, nempe *Berosus*, qui circiter trecentos annos ante Christum natum in humanis fuit: *Strabo*, qui Christi tempore vixit: *Cornelius Tacitus* & *Prolomæus*, qui aliquot annis, sicut & *Plinius*, post Christum venerunt. Itaque *Berosus* in hunc modum de Germanis scribit: *Tuiscon*, à quo Germania nostra primum *Tentonia* vocata est, postea autem à Romanis *Germania*, habuit hos filios: *Mannum*, *Ingevonem*, *Hermionem*, *Marsum*, *Gambriuvium*, *Suevum*, *Wandalum*, *Hunum* & *Tentanem*. *A Marso* denominati sunt *Thietmarsi* & *Wilmarsi*, qui nostro ævo juxta *Albis* ostia habitant. *A Wandalo* procreati sunt *Rutheni*, *Poloni*, *Bohemi*, *Sclavi* & *Croatii*, qui omnes una utuntur lingua. *A Suevo* *Suevi* descendunt. Sunt etiam qui ajunt *Suevum* Regem fuisse in Germania, idque *Balentis undecimi Regis* *Babylonia* tempore. Porro *Strabo* hos enuenerat Germaniæ populos, qui suo tempore celebriores in ea fuerunt: *Bructeri*, *Suevi*, *Coldni*, *Marcomanni*, *Luii*, *Zumi*, *Butones*, *Mugilonès*, *Sibini*, *Senones*, *Sicambri*, *Catti*, *Gambriuvii*, *Cattuarii*, *Chanbi*, *Cimbri*, *Caulci*, *Campsi*, *Bisurges*, *Cherusci*, *Carisci*, *Ampsi*, *Chenisci*, *Landi*, *Subattii*, *Hermunduri*, *Boji*. *Cornelius* verò ponit *Cattos*, *Usipetes*, *Tencteros*, *Bructeros*, *Frisos*, *Cheruscos*, *Cimbros*, *Longobardos*, *Marcomannos*, *Quados*, & alios multos quos hic omitto. Proinde *Plinius* quinque enarrat Germanorum genera. Primum ponit *Wandalos*, sub quibus continentur *Bur-*

gundiones, *Varrini*, *Carini* & *Guttones*. Alterum *Ingevones*, sub quibus *Cimbri* & *Teutoni* comprehenduntur. Tertium *Istævones*, qui juxta *Rhenum* con-sedis memorantur. Quartum *Hermiones*, sub quibus fuerunt *Suevi*, *Hermunduri*, *Catti* & *Cherusti*. Quintum genus fuerunt *Peucini* & *Baserna*. En quam varios & multos olim Germania habuit populos, etiam priusquam civitas aliqua insignis in ea conderetur. Et quis non miretur horum omnium nomina usque adeo abolita, ut præter *Suevos* & *Bajoarios* ferè nullius populi hodie extet nomen? Torquentur hic mirum in modum & *Historiographi*, & *Geographi* indicaturi, quam quis populus Germaniæ obtinuerit partem, & in quod aliud vocabulum priscum suum nomen abierit. Et quidem conjecturis licebit propè odum deprehendere, qui populi moderni priscis illis successerint familiis. *Cimbri* sunt *Dani* aut *Holsatii*. *Chanxi* successerunt *Frisi*, *Bructeri*, *Westphali*, *Sicambri*, *Geldrenses*, *Sorabii*, *Wundali* vel *Thuringi*, *Tencteri* & *Fiscini*, *Badenses inferiores*, *Cherusci*, *Kreuchgavienses*, vel ut alii putant, *Cherusci* habitaverunt juxta *Albim*. Sunt etiam qui eos *Otonicam* sylvam habitasse putant. *Cattos* plerique interpretantur *Hassones*, *Boji* olim, hodie sunt *Bavari*, qui & *Avares* à veteribus vocantur. *Taurisci* videntur esse *Stiri*, & *Harelungi*, *Brigavi*. *Sclavi* & *Wilzi* sunt *Bohemi* & *Vandali*. *Winos* volunt esse *Pomeranos*, sicut & *Winnos*, *Prutenos*, unde *Longobardi* olim produisse feruntur. *Oboitros*, *Albertus Krantz* intelligit *Meckelburgenses*, & *VVagros*, *Holsatios*. *Batavi* sunt *Hollandi*, & olim *Norici* hodie sunt *Bavari*. *Ubiis* successerunt *Colonenses*, & *Menapii*, *Geldrensis* vel *Clivenses*, qui & pro *Sicambri* aliquando computati sunt. *Raurices* habentur pro *Basiliensibus*, & *Helvetii* pro *Suitensibus*, seu *Confederatis*.

De fluviis Germaniæ.

IN tota Europa vix esse natio aliqua creditur, quæ tot & tantis ut nostra Germania irrigetur fluviis, hisque piscosissimis. Primus atque præcipuus est *Danubius*, ubique terrarum nominatissimus, qui & in *Walachia* per aliquantum terræ spatium *Hister* à Græcis appellatur. Hic originem ducit ex *Suevia*, fontem habens in *Nigra* sylva, in villa quæ *Doneschingen* vocatur, non longè à *Rorwila* oppido noto distans, fluitque solus versus Orientem, in *Ponticum* seu *Euxinum* mare sese exonerans, quum omnes alii Septentrionem versus cursum suum inclinent. Hic maximus inter omnes totius Europe habetur fluvius, quippe qui sexaginta alios insignes amnes priusquam mare ingreditur, in se recipit, unde & mirum in modum augetur, perpetuoque aquosior redditur, donec cursus sui finem facit, id quod tibi tabula *Culana* clarissime ostendit. Sunt ex veteribus, qui errore lapsi, hujus fluvii originem juxta *Rheni* fontes constituerunt, quum ille apud extremos *Rhetos*, hic verò apud *Suevos*, ut diximus, initium sumat. Tenuit olim magnus quidam ardor visendi hujus celeberrimi fluvii fontes, aliquos insignes viros, qui & expensis non parcebant, modò accedere liceret. *Abnobam* montem, ex quo hunc prodire credebant fluvium, & præsertim de *Tiberio* legimus, quum semel ad lacum venisset *Podnicum* nolebat aliò divertere, nisi prius *Danubii* scaturiginem suis conspexisset oculis. Alius insignis Germaniæ fluvius,

vius, apud veteres quoque celeberrimus, est *Rhenus*, qui ex *Curienfibus Alpibus* originem suam trahit. Veteres montem originis suæ *Aduam* vocant. Hic duos magnos lacus mox postquam ab *Alpibus* in planitiem sese effuderit, efficit. Primus hodie vocatur *Constantiensis* & *Brigantinus*, quod hæc & multe aliæ civitates, nempe *Lindoja*, *Buchhorna*, & *Uberlinga* in litore ejus extructæ sint, vulgò verò vocatur *Wooden-See*; hoc est, *Lacus Podmicus*, à *dominis Podmen*, qui ditionem suam & prædia olim illic habuerunt; sic vocatus. A *Pomponio* verò, *Acronius* nominatur, quòd nunquam, vel rarè frigore constringatur. Sunt qui & *mare Germanicum* ipsum vocent, quò in longitudine ferè sex milliaria contineat *Germanica*, & in maxima latitudine, duo. Alius verò lacus, qui mox infra *Constantiam* crescere incipit, *Cellensis* à *Cella* oppido vocatur, & est priori multo minor, trigonam ferè habens figuram, atque in meditullio sui insignem insulam, quam *divitem* vocant, circumscribens. Hinc *Rhenus* *Basileam* versus cursum instituens, continuò ex *Helvetiorum*, quos recipit, *fluviis augetur*, nempe *Tura*, *Reussa*, *Limata*, *Arari* & *Bersa*, qui simul juncti majorem efficiunt rivum, quàm sit *Rhenus* ipse *Constantiæ*, aut juxta *Schaffhusen*. Proinde apud *Argentoratam* adhuc tumidior redditur ex insignibus quibusdam amnibus, qui utrinque accurrunt, nempe *Kintziga*, qui ex *Nigra sylvâ*: *Ilia*, qui ex *Alfatia*: & *Brussa*, qui ex *Vasto Regno* & *Lotharingiæ* profluit montibus. Non longè ab *Heidelbergâ* *Neccarus* quoque in *Rhenum* sese effundit, cujus origo modico intervallo à *Danubii* fontibus distat, alluitque medium *Würtembergense* solum. *Moguntia* *Moganus* ex *Franconiæ* extremis montibus stillatus, atque mediam perlabens *Franconiam*, eamque plurimum fecundans *Rhenum* miscetur. *Bingæ Naba* fluvius ex *Hunorum* præsidio vulgò *Hunsruet* prolans, *Rhenum* intrat. *Confluentia* verò *Mosella*, insignis etiam fluvius, à *Lotharingia* per *Treviros* currens, quem olim *Obrincam* ex *Ptolomæo* vocatum constat, *Rhenum* incorporatur. Cæterum apud *Clivensæ* *Rhenus* profundissimis turgens aquis, in duos scinditur rivus, unus, qui *Occidentem* versus labitur, *Wala* vocatur, alius verò *pristinum* retinet vocabulum. Interjecto deinde exiguo loci intervallo, *Rhenus* rursus in alios duos secatur rivos: quorum unus *Isella* nomen habet, alius autem *Rheni* vocabulum usq; ad mare nunquam amittit. Post *Rhenum*, si *Germaniam* ingrediaris, occurrit *Amasus* fluvius per *Frisiam* currens, & antiquos *Saxones* à *Westphalis* secernens. Hinc venit ad *Visurgim*, qui & alio nomine *Wesera* vocatur, per antiquam fluens *Saxoniam*. Hunc deinde sequitur *Albis*, insignis fluvius, qui ex *Bohemiciæ* montibus filum sui cursus ducit. Rursus ex eisdem montibus scaturit *Suevus*, quem vulgò *Syre* vocant. Et si longius *Orientem* versus progrediare, trajicientib; est *Viadrus*, qui hodie *Odera* appellatur, celeberrimus hodie ab urbe *Francofordia*, litore ejus incumbente. Porro extremus fluvius est *Vistula*, qui olim *Isula*; hodie verò *Beysel* vulgò appellatur, *Sarmatiam* à *Germania* dirimens. Ed hæc sunt *Germaniæ* insigniora flumina. Consulto præterea hic paulò minores amnes, quos penè innumerabiles *Germania* habet: quales sunt *Licus* apud *Vindelicos*, *Isara* apud *Monacum*, *Enno* aqua *Pataviam*, *Anisus* apud superiores *Pannonios*.

Item *Nabus*, *Savus*, *Egra* & *Pegnicus* apud *Nortgavios*, qui omnes ex uno scaturiunt monte, quem vulgò *Fichtelberg* vocant, & propemodum inter *Bohemiciæ* montes connumerari possent. *Lana* apud *Hassones*, *Cochera* & *Jaxus* atque *Tabera* apud *Ottonicæ sylvæ* colonos: *Alemannus*, vulgò *Altmul* apud *Ryrios*, quo nullus *Germaniæ* fluvius insignior habetur optimorum & maximorum cancrorum propagatione.

Germanica Natio hodie in multas & varias est taxata Provincias atque Principatus.

Nesciebas olim *Germania* sectionem aliquam, nisi quòd quidam superiores, alii verò inferiores non secus quàm hodie vocati sunt *Germani*. De *Saxonia*, *Thuringia*, *Hassia*, *Francia*, *Westphalia*, *Misnia*, *Slesia*, atque aliis Provinciis tum nihil sciebatur, quanquam certi quidam populi & familiae in his Regionibus tunc residebant, ut supra indicavimus. At postquam *Germani* limites suos egredi cœperunt, trajectoque *Rhenum* Gallorum viciniores Regionem occupare contenderunt, & item transito *Danubio* *Vindeliciam*, *Rhætiam*, *Helvetiam*, *Noricam* atque *Pannoniam* superiorem sibi usurpaverunt, tunc *Germania* ipsa sensim capit in Provincias varias distrahi, tamen certò sciri nequeat, quando & quomodo id evenerit. Constat equidem apud veteres *Galliam* usque ad *Rhenum* protractam, constat & *Julii Cæsaris* temporibus *Gallicum* illud *Rheni* litus à *Germanis* habitatum. Idem sentiendum de Regionibus ultra *Danubium* sitis. Quas quidem veteres à *Germania* secreverunt, verum & interim legimus *Germanicam* linguam illis in usu fuisse. Hæc duo litora *Romani* facile sibi subegerunt, atque insignibus urbibus & castris, quorum vestigia adhuc hodie visuntur, contra *Germanorum* impetum munierunt, ex quibus & longo temporis tractu *Germaniam* ipsam impugnaverunt, & tandem expugnaverunt, sed non diu subactam tenuerunt. Nam quum paulatim à sua deficerent potentia, *Bajoarii*, proprium constituerunt Regem, & item *Saxones* extraneorum repudiantes gubernaculum, sibi ipsi Principem elegerunt. Sic & *Thuringis* placuit sub proprio vivere moderatore, quem Regem esse volebant. Interim autem gens *Suevica* sui vetusti nominis non oblita, & ipsa quoque nulli alii populo subijci voluit, sed terminos suos usque ad *Thuringos* extendens, pacificè cum illis vivere nequissimè, quapropter *Thuringi* Legatione ad *Sicambros* facta, qui cum à *Duce Franco* *Franci* vocari cœperant, advocarunt illos, & velut marum in *Mogonico* pago inter *Sueviam* & *Thuringiam* illos collocarunt, ampliusque locum concesserunt, quem & hodie possident, *Herbipolim*, vulgò *Würtzburgum* habentes pro Metropoli. Tandem verò quum sub *Carolo Magno* tota ferè *Germania* ad fidem *Christianam* converteretur, Imperiumque ab *Italibus*, vel potius à *Thracibus* in *Germanos* transferretur, *Germania* in varios distracta est Principatus, in Ducatum, Comitatum, Marchionatum, Landgraviatum, Episcopatum, & alia dominia, ut est dies hæc. Ultra *Rhenum* sunt *Hollandia*, *Brabantia*, *Geldria*, *Lotharingia*, *Vastum Regnum*, *Alfatia* & *Helvetia*, quam vulgò *Suitiam* vocant. Et hæc ferè omnes Regionem quondam *Dagoberti Regis* tempore, erant unum Regnum, quod *Austr-*

Austrasiam vocabant. *Alsaciam* sic vocari putant ab *Alsa* fluvio, quem hodie illam vocant. Hæc Regio ab *Ottone Tertio* Imperatore in *Landgraviatum* est subvecta, cujus superior pars, nempe *Sündgavia*, & bona pars *Helvetia* pervenit ad *Comites Habsburgenses*. Et quum sub *Rudolpho* Comite *Habsburgensi*, atque eodem Imperatore, *Austria* seu *Pannonia superior* legitimo vacaret herede, *Electorum Principum consensu* Imperator filio suo *Austria Ducatum*, unâ cum *Comitatu Habsburgensi* concessit: sicque hæc duo dominia in unum coierunt, licet postea ob *Præfectorum avaritiam* multa *Helvetiorum* civitates ab *Austriorum Ducum* desciverint obedientia, quibus & Imperiales quædam civitates paulò post adhæserunt. *Vastum Regnum*, vulgò *Westrych*, sic vocatum quidam putant à *Neultria*, quæ aliquando in *Francia* distinctum & proprium fuit Regnum. Verùm hi toto errant cælo. Mihi potius probatur ab *Austrasia Westrych* denominari cujus pars aliquando fuit, licet *Germani* non *Austrasiam*, ut *Galli*, quibus illud Regnum ab Oriente fuit, sed *Westrasia*, vulgò *Westrych* vocabant, quum *Occidentem versus Regionem* illam contuerentur. Idem habetur iudicium de *Westphalis* & *Ostualis*, & item de *Ostrogothis*, & *Visigothis*. *Geldria* anno *Christi* *DCCCCXXXV.* facta est *Comitatus*, nomen illud ab oppido *Bellern* sortita, vel ut alii putant, à *Comite Gerlaco*: sicut & *Brunsvicum*, seu *Brunonis vicus*, à *Duce* denominatur *Brunone*. Deinde *Anno Christi* *M. CCCXXIX.* factus est ex *Comitatu Ducatus*, idque per *Imperatorem Ludovicum*. *Terra Juliacensis* quondam *Comitatus*, *Anno Christi* *M. CCCXXIX.* erecta est in *Marchionatum*, & deinde post *triginta annos* in *Ducatum*. *Terra Montensis* quondam *Comitatus*, *Anno Christi* *M. CCCLVI.* per *Carolus IV.* facta est *Ducatus*, habetque *Deuselberg* præcipuum oppidum. *Terra Clivensis* anno *Christi* *M. CCCCXVII.* per *Sigismundum* Imperatorem in *Ducatum* promotâ est. *Ducatus Limpurgensis* ab *Imperatoribus Henricis* olim erectus, citò defecit, pervenitque partim ad *Comitatum Celdrensem*, & partim ad *Ducatum Brabantinum*, *Comitatum Hollandinum* putant sub *Carolo Calvo*, *Anno Christi* *DCCCLXIII.* institutum. Hæc terra olim *Battavia* vocata est. Nostro verò ævo *Hollandiam* putant vocari, quod cavum seu cavernosum habeat solum. Cæterum citra *Rhenum* in vera *Germania* invenies hodie ferè innumeras *Regiones* & *Provincias*: ut sunt *Frisia*, *Westphalia*, *Saxonia*, terra *Brunsvicensis*, *Hassia*, *Thuringia*, *Misnia*, *Franconia*, *Suevia*, *Palatinatus*, *Marchia Badensis*, *Marchia Brandenburgensis*, *Pomerania*, *Meckelburgum*, *Schlesia*, *Nortgavia*, *Voilandia*, *Moravia*, *Nigra sylvia*, & ultra *Danubium* *Algavia*, *Vindelicia*, *Bavaria*, *Stiria* & *Austria*. Omitto hic ex *industria* minores *Regiones*, ut sunt *Otonica sylvia*, *Westerwaldia*, *Brifgavia*, *Noricum*, & multæ his similes, quæ tamen insignibus ornantur oppidis, ut *Brifgavia* *Friburgo*, *Noricum* *Nürnberg* & *Amberga*, *Hegavia* *Schaffhusena*, &c. *Marchiam Badensem* *Otto III.* instituit, oppidisque *Badenia*, *Stolhofena* & *Erlinga* dotavit. Postea *Fridericus II.* & alia quædam adjecit oppida. *Suevia* ab antiquo, nempe *Julii*, *Augusti* & *Tiberii* temporibus dicitur habuisse Reges, præsertim *Arivistum*, *Moravinum*, & alios quosdam, sed *Caroli*

Magni temporibus habuit *Duces*, pervenitque ad eisdem posteros is *Ducatus*. Quibus deficientibus multos & varii generis habuit *Duces*, donec tandem *Anno Christi* *M. CCLXVII.* ultimum amisit *Ducem*, *Conradinum* nomine. Tunc civitates quædam illius *Ducatus* ad *Imperium* devolvebantur, & *Comes VVürtembergensis* plurima quoque oppida sua adjecit ditioni. *Anno Christi* *M. CCCCXCV.* *Comitatus VVürtembergensis* surrexit in *Ducatum*. *Palatinatus* ab *Ottone III.* primùm putatur institutus, vocatusque est primus *Palatinus Elector Henricus*, qui *Anno Christi* *M. I.* electioni *Divi Henrici* Imperatoris interfuit. Et quoniam hujus posteritas citò defecit, pervenit *Electura dignitas* ad *Ducem Suevia* *Conradum* nomine, cujus unica filia *Agnes* nomine, *Principatum* hunc ad *Henricum Saxonem*, cui nupsit, transulit. Et quia hic quoque nullum filium, sed filiam, *Getrudem* nomine reliquit, pervenit cum ea *Palatinatus* ad *Duces Bavaria*, *Anno* scilicet *Christi* *M. CCXXV.* Accepit enim maritum *Ducem Ottonem*, qui simul *Dux* fuit *Bavariæ*, & ob uxorem *Palatinus Rheni*. Post quem *Ludovicus* filius ejus, & *Ludovicus* nepos ejus utriusque *Ducatus* præfuerunt, *Domini* scilicet *Bavariæ* existentes, & *Palatini Rheni*. Nam usq; ad *Ludovicum posteriorem* *Palatinatus* conjunctus fuit *Ducatus Bavaria*. Et quum is duos genuisset filios, *Ludovicum* & *Rudolphum*, accepit senior, nempe *Ludovicus*, *Bavaria Ducatum*, & reliquit *Rudolpho* *Palatinatum*, qui tum non admodum ampla pollebat ditione. Ex *Ludovico* descenderunt hodierni *Duces Bavariæ*, & à *Rudolpho* *Palatini* *Duces*. Hæc multo fusiùs descripsi in vernaculo libro, quem de hujusce rebus omnibus, quos potui habere, collegi *Historicis* & *Cosmographis*. *Bavaria*, ut supra memoravimus, olim *Noricum* vocata est, deinde *Bajoaria*, habuitque tempore *Christi*, & aliquot annis post *Reges proprios*. Nam legimus apud *Julium*, *Arivistum Teutoniæ Regem*, quem alii *Suevorum* faciunt *Regem*, duxisse in uxorem sororem *Regis Norici*. Referunt etiam *Historiæ*, *Garibaldum* *Regem Bajoariæ* *Anno Christi* *DXC.* filiam suam *Theolindam* locasse in uxorem *Regi Longobardorum*. Huic *Garibaldo* successit *Tassilo*, post quem *Bavaria* aliquandiu habuit *Duces*. Deinde *Cacanni* *Regium* fastigium iterum aliquandiu assequuti sunt usque ad *Tassilonem*, qui in perjurio deprehensus, à *Carolo Magno* depositus est, & in *Monasterium Laurissinam* detrusus, anno scilicet *Christi* *DCCLXXXVIII.* Quos verò *publicos* *moderatores* *Bavaria* habuerit, post hunc *Tassilonem* usque ad tempora nostra, explicabo in libro vernaculo. *Franconia*, seu *Francia Orientalis*, quondam sub *Thuringorum* existens ditione, *Sicambri* habitanda offertur, *Anno Christi* *CCCXXVI.* Venerunt autem *Sicambri* cum *Rege* suo *Marcomiro*, anno ante *Christum* natum, *CCCCXXXIII.* ex *Scythia* ceterioribus partibus, & primùm quidem condescenderunt ad *Rhenum*, inhabitantes *Regionem* illam ultra & citra *Rhenum*, quæ hodie *Geldria* vocatur. Quumque ibidem multos *Reges* & *Duces* habuissent, assequutus est tandem super eos *Imperium* *Dux* quidam *Francus* nomine, qui ob integerrimam vitam suam, & laudabile Regimen, usque adeo illis placuit, ut maluerint deinceps ab eo *Franci*, quam *Sicambri* denominari. Hæc nominis mutatio contigit ante *Christum*

natum anno circiter XXIV. Ab illo tempore & deinceps magno conatu laborarunt pro Gallia adpione quam & tandem pro majori parte obtinuerunt, Romanos expellentes, & a se Franciam denominantes. Interea verò temporis, quum Thuringi a Suevis non parum molestantur, pacificeque in confinibus vivere nequirent, invitati Franci ab ostiis Rheni, venerunt cum Duce Genebaldo, qui Regis Francorum, nempe Clodomiri frater fuit, & Mogoni pagum, ubi jam est Herbipolis, possidendum & scoldendum acceperunt. Scribit autem Hunibaldus Francorum Historicus, venisse cum Duce Genebaldo triginta millia agricultorum, & duo millia, DCLXXX. artificum; unà cum uxoribus, familia & iumentis, qui omnes veluti murus fuerunt inter Thuringos & Suevos. Contigit autem hæc profectio anno Christi CCCXXVI. Habuit proinde hæc Francia successivè XXI. Duces, & ultimus Hetanus nomine, quum migrasset sine hærede, Pippinus Francia, seu Galliarum Rex donavit Ducatum Burchardo Episcopo, & omnibus suis successoribus, anno scilicet Christi DCCLIII. Legimus tamen post illud tempus & alios Duces fuisse in Franconia, inter quos Conradus, quidam appellatus est, qui in Romanorum Regem electus fuit. Non igitur tota Provincia Franconia primum Episcopo data fuit, sed temporis successu ambitiosi Episcopi ditionem suam mirum in modum ampliaverunt, & præsertim quum ultimus Dux Voilandia sine virili decederet prole. Austria & Stiria olim fuit Pannonia superior, cuius Metropolis est Vienna, quæ olim Flavianum à Flavio ejus restauratore fuit dicta, sicut & Stiria à filia Diocletiani aliquando Valeria dicta fuit. Hujus Stiria populi pro magna parte sunt agrestes & strumosi, adeo quidem ingenti struma, ut ipsis loquelam impediat, & mulier lactans post tergum perinde atque saccum rejiciat, ne infanti impedimento sit. Strumæ causam aqua aëri quæ quibus vescuntur incolæ tribuunt. Fuit autem olim Austria Marchia, vocataque est Marchia orientalis, sed Anno Christi M. CLXX. facta est per Fridericum I. Ducatus, nonnihilq; ademptum est Provincia Bavaria, & additum ditioni Austria. Deinde anno Christi M. CCLXXXII. quum Duces Austria virili destituerentur prole, Rudolphus Romanorum Rex, Comes Habsburgensis, filium suum Albertum fecit Ducem Austria, cujus posterii usque in hunc diem Ducatui illi præsent. Hæssia à monte Hasso, vel ut aliis placet, à Catis sic vocata, olim fuit Comitatus, Thuringorum subditus ditioni, at postea, ut ferè omnibus contigit Provinciis, ad altiorem subvectus est dignitatem, factus Landgraviatus, ut vulgò vocant. Thuringia, vel ut alii scribunt, Doringia, olim habuit populos, qui Sorabi vocabantur, factiq; sunt adeo potentes, ut proprium sibi delegerint Regem, extenderuntque fines suos usque ad Mogonum. Ubi dum Suevorum vicinorum quotidianas molestias ferre nollent, vocarunt ex inferioribus Germaniæ partibus Francos, illisque circa Mogonum locum concesserunt habitationis, quod brevi post tempore illis exitii causi fuit. Nam anno Christi DXXIV. redactum est à Regibus Francia, qui & bonam Germaniæ partem sibi jam subdiderant, Regnum ipsorum in Provinciam. Cæterum Imperator Lotharius primum Thuringia Landgraviatum creavit Ludovicum, cui & filiam suam in uxorem locavit. Deinde, Anno Christi

M. CCXLI. quum ex Landgraviis nulla superesset virilis proles, Fridericus Secundus Thuringia dominum tradidit Marchioni Misnia. Marchia Misnia ab Ottone Tertio instituta putatur, vocaturque Misnia à Metropoli ejus Misna, tamen hodie Lipsia in opulentia & celebritate singula Misnia excellat oppida. Saxonia olim latissima Provincia, comprehendebat Brunsvicum, Westphalia, & eam terram, quæ hodie Saxonia appellatur. Hanc Carolus Magnus triginta annis impugnavit, antequam eam possit subdere fidei Christianæ, usque adeo addicti erant Saxones cum Principe suo Widekindo superstitionibus idolorum. Cæterum temporibus nostris Saxonia dividitur in superiorem & inferiorem. Superior Saxonia vocatur ea terra, quæ est circa Wittenbergam, quæ & insignior habetur propter Electuræ dignitatem. Inferior verò est circa Lüneburgum & Leoburgum, cui & Holsatiani annumerant, quæ olim VVagaria vocabatur, eratque Comitatus, at hodie est Ducatus, cui Regis Dacia primogenitus præsidet non secus, quàm propinquior Regis Galliarum hæres Delphinatus. Brunsvicum, seu Brunonis vicus, Anno Christi DCCCLXVIII. exordium sumpsit. Hujus urbis prima fundamenta jecit Comes Bruno, patruus Henrici Primi Regis Romanorum, brevi tempore urbs mirum in modum crevit in divitiis & potentia. Anno Christi M. CCXXXVIII. Fridericus Secundus ex Comitatu Brunsvicensi, fecit Ducatum. Lüneburgum primum fuit Comitatus per Ottonem primum institutus, atque bonis Meckelburgensibus locupletatus, postea verò, Anno Christi M. CCXXV. Fridericus Secundus ex Comitatu fecit Ducatum. Westphalia olim pars fuit, ut diximus, Saxoniarum. At postquam hægentes cum Longobardis in Italiam profecti fuissent, & postliminio in patriam redissent, barbaro vocabulo Westwalen vocati sunt, ut quidam scribunt. Vocant enim Germani Italos Wasen. Hos quum Carolus Magnus olim in officio Catholica Fidei continere non posset, quin ab ea toties suscepta iterum relaberentur, subornavit quosdam secretos judices, qui fidei fragos & alios facinorosos homines citra omnem prævia accusationem, excusationem & citationem suspenderent, aut alio mortis interficerent genere. Sed auctoritatem istam non levibus, & qui eam abuterentur, concessit personis, ut hodie judicium illud in abusum venisse videmus, sed probis & integris. Terruit hæc res non parum Westphalos atque Saxones, & in fide perseverantes atque constantes continuit. Nam sæpe invenerunt in sylvis magnos quosdam, & etiam medicos viros, suspensio sine prævia excusatione exanimatos. Quumque mortis scrutarentur causam,prehenderunt eos vel à fide descivisse, aut facinus aliquod admisisse. De hoc judicio fufus in vernaculo libro mentionem faciam. Westphalia pro majori parte hodie parit Episcopo Coloniensi, idque à tempore Friderici Primi, qui Ducem Henricum Leonem hinc & ex tota pepulit Saxonia. Frisii putantur olim fuisse Cauchi, qui & postea à Duce quodam Franco Grunes appellati sunt, qui metropolim illius Regionis extruxit, & à se Gruningam denominavit. Parent hodie, quanquam agrè, Episcopo Bremensi. Anno Christi M. CCXXX. inundatio maris penè totam submersit Frisiam. Nam perierunt in illo diluvio supra centum millia hominum.

Marchia Brandenburgensis anno Christi DCCCXX. per Henricum Primum Romanorum Regem instituta est: qui & urbem Brandenburgum gladio obtinuit, & populos ultra Albim habitantes vi ad fidem Christianam coegit. Nam ad tempus usque illud, populi ultra Albim habitantes infideles erant, vocati- que sunt omnes uno vocabulo V Vandali, Christianis infestissimi. Scribunt Historici Brandenburgum extructum ante Carolum Magnum, nempe circa annum Christi CXL. à Brandone Duce quodam Franco; quando Franci partes Rheni inferioris adhuc habitabant; sicut & Fræckfordiam juxta Oderam fluvium eadem tempestate ab alio quodam Franco adificatam voluit. Habuit hæc Marchia intra ducentos annos multos & varii stemmatis Principes. Nam quum anno Christi M. CCCXIX. virili destitueretur hærede; peruenit ad Duces Bavarie, qui rursus eam pro magna summa pecunia vendiderunt Carolo Regi Bohemie: Cujus successores eam etiam vendiderunt, nempe Marchionibus Moravia. Qui & ipsi paulo post eam impignoraverunt pro magna vi pecunie Wilhelmo Marchioni Misnia. Tandem in Concilio Constantiensi obvenerit Friderico Burgravio Nurnbergensi, qui Comes erat a Zolleru; cujus successores eidem usque in hunc diem præsentent.

Meckelburgum, seu Magnopolis, & Megalopolis, olim fuit magna civitas, unde tota Regio denominabatur, hodie verò oppidulum est cum munitissimo castro. Anno Christi M. CCCXLIX. Carolus IV. Albertum & Johannem Dominos hujus terra creavit Duces. Pomerania sub Henrico V. per Ottonem Episcopum Bambergensem primò ad fidem Catholicam conversa est, anno scilicet Dominicæ incarnationis M. CXX. Bugslaus unà cum fratre suo Casmiro sub Friderico I. primi creati sunt Duces. Prussia, sive secundum alios Borussia, quæ olim vocata fuit Halmigeria, est tam fertilis terra, ut si Jovi è cælo esset cadendum, fertiliorem & cultiorem, in quam sese demitteret, vix invenire posset. Haud procul ab ea est insula quædam Glessaria nomine, quam vulgo Sudaun vocant, ubi mare generat succinum seu electrum. Anno à Christo nato M. CCXX. quum Prussi nondum agnoscerent Christum, & Polonis maxima inferrent damna per ignem & gladium, Dux verò Poloniae, qui nondum erat Rex, illis citra externum auxilium resistere nequirit, Fratres Teutonici Ordinis Ptolemaida per Sarracenos pulsati, in armis exercitatissimi, quippe qui terram sanctam multis defenderant annis, à Friderico Imperatore obtinuerunt, ut si gentem Prussorum per arma à sua ferocitate cohiberent, atque Christo lucrarentur, perpetuo illius terra futuri Domini essent. Venientes igitur Fratres Teutonici unà cum Duce Poloniae contra infideles Prussos, tamdiu contra eos pugnaverunt, donec tandem pervicaciam eorum confregerunt, atque vi subjecerunt suæ obedientiæ. Hæc de Germaniæ Regionibus breviter dicta sufficiant. Civitatum & oppidorum, quorumcunque potui, originem in vulgari libro descripsi.

Quomodo & quando Imperium in Germanos translatum sit.

QUum Itali Romanum Imperium fere usque ad annum Christi CCCXXX. tenuissent, translatum est in Græcos per Constantinum Magnum, qui Bizantium, Thraciæ insignem urbem, quæ postea ab eo Constantinopolis est appellata, Imperii sedem constituit, possederuntque Græci orbis Monarchiam annis circiter CCC. Nam anno Christi DCCCLXXVI. Aquila Imperii biceps facta est. Interea verò temporis quum Imperatores Constantinopoli residerent, & solis Græcis Regionibus gubernandis intenderent, male habere capit Occidentalis Ecclesia, & præsertim Italia. Nam undique irruerant acerrimi hostes & lupi rapaces, qui gregem Domini dissipabant, urbes subvertebant, terras in solitudinem redigebant, & multa mala passim nemine resistente perpetrabant, sequè ipsos Italiæ Reges faciebant, inter quos Odoacer Hunnorum Rex primus fuit, qui anno Christi CCCCLXXVI. Italiam intravit, & Augustulum, qui solum per annum & duos menses utcunque regnaverat, expulit. Contra quem missus est ab Imperatore Constantinopolitano Theodoricus Gothorum Rex, devicto que Odoacro factus est ipse Italiæ Rex, & perversus Arrianus hæreticus, qui Catholicis multa irrogavit mala. Post Gothos venerunt Longobardi in Italiam, à quibus totum Romanum Imperium tremuit, præsentiens futura mala, quæ à gente illa feroci passurum erat. Non habebat tunc Italia publicum aliquem Rectorem, nec exercitum aliquem Imperatorium, sed qualibet civitas quantum valuit hostium tyrannidi resistebat. Misit tamen Imperator ex Græcia Longinum quendam, qui tutaretur Ravennam contra Longobardorum insatiabilem cupiditatem, quisque Imperatoris loco esset in Italia, & ablato Regis atque Augustuli nomine, Exarchus vocaretur. Hæc Exarchatus potestas cepit anno Christi DLXX. & duravit usque ad annum Salutis DCCCLVI. Interea verò temporis quum Italia multifariam à Longobardis vexaretur, pertæsi Itali, & præsertim Ravennates & Venetiani, Imperatoris segnitiam & negligentiam, qui usque adeo Italiam perire sinebat, tractare cœperunt cum Leone Papa de Imperatore Constantinopolitano deserendo, & novo, qui Ecclesiæ Occidentali præesset, eligendo. Solicitabantur interim & aliæ multæ Italiæ civitates ad hoc ipsum atque facile consentiebant, videntes quam nihil curarentur & defenderentur ab Imperatore, qui passim omnibus extraneis nationibus prædæ essent. Imperator verò audito hoc rumore indignatus, misit alium Exarchum, nomine Eurithium, qui Italiæ compesceret seditionem, ulcisceretur injuriam suam ubi posset, de Papa & Romanis: Longobardos verò ut amicos tractaret. Itaque Itali videntes Longobardis jam grassandi apertam fenestram, maturandum sibi putantes negotium, mittunt pro Carolo M. qui miser succurrat contra Longobardorum & Imperatoris tyrannidem Italia, atque in suum confugiunt tutamen. Erat a. Carolus jam paulo antè Franciæ & Germaniæ factus Rex, Vir magnanimus, fortis, bellicosus, prudens, justus & Christianissimus, qui quum aliquot annis Palatio Regis Franciæ præfuisset, & Regnum illud felicissime gubernasset, Reges ve-

ro omnino ignavi & effœminati facti, præter Regium nomen nihil, quod Regis esset, haberent, sed totum gubernaculum à Carolo Majore Domus (sic enim vocabatur) penderet, indignum rati Majores Regni ipsum Regio privari nomine, accedente Papæ consensu, Carolum Regem saluant, detrulo in Monasterium legitimo, sed inutili Rege. Quo facto, vocatur Carolus in Italiam contra Longobardos, qui pro libidine sua cuncta vastabant, ut insolentia illorum repressa, Romanæ Ecclesiæ pacem & tranquillitatem procuraret, quæ tot annis, tantis & tam variis subjacuerat calamitatibus, & exterarum nationum incurSIONIBUS. Carolus igitur, qui jam aliquoties feliciter in Hispania contra Sarracenos pugnaverat, cum fortissimo exercitu in Italiam profectus, brevi tempore Longobardorum fregit pervicaciam, sedavitque omnes, quos excitaverant, tumultus, & reddita Ecclesiæ Romana pristina libertate, pro tanto beneficio accepit à Papa Imperialem coronam, assensientibus omnibus, quorum intererat, Italia Primoribus. Hoc itaq; pacto Romanum Imperium, quod jam CCCXXX. annis collapsum in Italia jacuerat, restauratum & innovatum est, anno scilicet DCCCL. Quod quum audisset Imperator Constantinianus se à Romano exclusum Imperio, multis annis contendit amissum recuperare Imperium, sed incassum laboravit. Hic itaque mira exortia est inter Gallos & Germanos contentio, dum illi Carolum suum esse volunt, Imperiumq; in suam translatum nationem; hi vero contra Carolum ex sua ortum velint natione, & sese Imperii putent donatos dignitate. Certè referunt omnes ferè historiæ, Carolum M. in Angelheim patria mea dulcissima, natum, ubi & in hunc usque diem conspiciuntur mira quædam vetustatis monumenta, licet antiqua illa ædificia plerumque jam sint collapsa, & recentia, quæ Carolus IV. in memoriam Caroli Magni instauravit, adhuc supersint, præsertim Monasterium quod ex Caroli palatio fecit. Abductæ sunt meo ævo à Principe Palatino fusiles quædam lapideæ columnæ, quas Carolus Magnus aliquando è Roma adduxit, unâ cum multis aliis columnis, quibus Aquisgrani ornavit templum. Constat præterea ex Historiis, Carolum M. duodecim mensibus & idè duodecim ventis nomina Germanica imposuisse, id quod non potuisset, si Germanus non fuisset. Taceo quod omnia verè Imperialia Comitatus in Germania celebravit, puta Wormatix vel Ratisponæ, vel Aquisgrani, aut in Ingelheimensi Palatio. Quomodo igitur sub Ottone primo, ut Franci ajunt Imperium jamprimum ad Germanos devolutum est? Fuit quidem is Carolus Francia Rex, fuit autem & Germania Rex, quum & Sueviam & Thuringiam, atque Franciam Orientalem, tandemque & Saxoniam audientes haberet. Accessit ultimò & Bavaria, quum Rex Tassilo in Ingelheimensi Principum conventu, morte dignus judicaretur. Sed quoniam hic Carolus originem è Sicambriis, seu Francis illis Rhenensibus duxit, & illi sese partim Gallia, partim Germania insinuaverant, & ob virtutes eximias, quibus conspicui erant, ad Principiatus gerendos rapiabantur, hinc est, quod tam Galli, quam Germani hunc virum suum esse volunt, qui utrorumq; Principem egit. Manserunt autem Imperii fasces apud Divi Caroli posteritatem usq; ad annum Christi DCCCCXIII. tunc deficiente Carolino semine, nova contentio de Imperii usurpatione nascitur, dum Itali id ad se trahere moluntur, & item Galli sibi id deberi putant; Germani vero, in quos jam dudum translatum fuit,

id nequaquam alteri Nationi permittendum arbitrantur, quin & Imperator Constantinopolitanus novas excitat in Italia tragœdias, ut Imperium illud Occidentale postliminio ad se reducat, immissis etiam Sarracenis, qui terram perderent. Et Itali quidem Berengarios Reges in Italia creant, Germani vero Henricum, Aucupem dictum, Saxonix Ducem eligunt in Romanorum Regem, qui quum Imperii coronam à Papa non recepisset, ab Italis in catalogo Imperatorum non recensetur. Porro Galli Germanis Principibus obedite recusantes, proprium insistentibus Regem, nempe Hugonem Capetum, anno videlicet Christi DCCCCLXXXVIII. Succedens vero Henrico Romanorum Regi filius suus Otto I. cognomento Magnus omnibus aliis prævaluit, & Imperium quod exteræ nationes ad se trahere conabantur, potenti manu apud Germanos retinuit. Profectus præterea in Italiam, Berengarium tertium, qui se pro Romanorum Rege gessit, cepit, secumq; Bambergam duxit, ubi & mortuus est. Italiam vero ipsam, Longobardiam, Siciliam, Calabriam & Apuliam, quæ Berengariis obaudierunt, iterum Romano subjecit Imperio. Deinde cum Gallis pugnavit, qui omnes transrhœnanas Provincias Imperio abstulerant, recuperavit iterum Lotharingiam, Brabantiam, & Burgundiam, perpetuoq; Romano subjecit Imperio. Gessit & magna prælia contra Ungaros, inimicos Christiani nominis, quos & insigni clade fudit apud Vindellicorum Augustam, quapropter & Otto Magnus appellatus est. Firmato itaq; per hunc Ottonem Imperio apud Germanos, adhuc Canonica Imperatoris Electio non fuit, sed quem Imperio dignum prior Caesar moriturus designabas, hunc Regni Principes plerumq; instituebant, & hoc pacto filii ut plurimum quasi hereditario jure Patribus successerunt. Qui eligendi modus à Carolo I. duravit usq; annum Christi DCCCXCIII. Nam quum eo anno Otto II. moreretur, molebantur Romani Imperium iterum ad se revocare, turpe ducentes, quod Romanum Imperium potius apud exteram esset nationem, quam in Italia, ubi primo ortum fuisset, & incrementa tanta accepisset, ut etiam toti dominaretur orbi. Volebant igitur deinceps habere pro Romanorum Rege vel civem Romanum, vel Principem aliquem ex Italia, qui universo præficeret Imperio. At Germani contra nulla intercedente mora, elegerunt Ottonem III. Secundi Ottonis filium, in Regem Romanorum, postergatumq; est & hac vice Roman. consilium. Et defuncto Papa Johanne, Imperator Otto propinquum suum Gregorium V. in locum ejus successit, legemq; tulit, seu formam Electionis Cesaris præscripsit, quam & Papa confirmavit, nempe quod deinceps nulli liceret eligere Romanor. Regem, nisi Germanis Principibus, qui ex seipsis, aut exterâ natione Imperio idoneum eligerent, & electus vi electionis mox Cesar & Romanorum Rex appellari deberet, non autè Imp. Augustus, nisi coronam prius à Romano suscepisset Pontifice. Et antequam hanc Electionis formulam publicavit, convocatis Principibus & Primoribus Germania, qui Imperatoris Electioni interesse consueverat, indicavit multos in Electione sæpenumero inventi, qui vel seipsos aut suos permoverent ad Imperii dignitatem, & nisi huic ambitioni via præcluderetur, futurum esse, ut aliquando grandis hinc emergat dissensio & periculosa similtas, & ob id præstare paucos interesse Electioni, qui omnium nomine deinceps vota sua in idoneum, & imperii fascibus dignum conferrent. Videri sibi quoq; aiebat opera precium, si Principes Electores consisterentur ex Imperii Offi-

cialibus, quibus potissimum nota essent Regni negotia & consuetudines. Quum autem hoc Casaris consilium Principibus non displiceret, omnium consensu statutum est, quod deinceps septem duntaxat Principes Romanorum eligerent Regem, nempe tres Imperii Cancellarii: *Episcopus Moguntinus*, Germaniæ Cancellarius: *Episcopus Trevirensis*, Cancellarius Provinciarum, quas Imperium ultra Rhenum in Gallia habet: *Episcopus Colonienfis*, Cancellarius Italiæ: *Palatinus Rheni*, Imperii summus Dapifer: *Dux Saxonie* Imperii summus Enifer, seu Marscalcus: *Marchio Brandenburgensis*, Regni Camerarius: *Rex Bohemia*, Imperii pincerna, qui illo tempore, nempe anno Christi M. I. quum hæc sanctio fieret, adhuc Dux fuit. Fiebant tunc & sequentibus temporibus & aliæ quoque Constitutiones & Ordinationes in Imperio, variisq; Dignitatum gradus statuebantur, nempe quod Imperium pro sua Majestate & dedecore quatuor haberet Duces, quatuor Marchiones, quatuor Landgravios, quatuor Burggravios, quatuor Comites, quatuor liberos, quatuor milites, quatuor civitates, quatuor villas, & quatuor rusticos: quos omnes tibi sigillatim lector explicuisse, ni veritus fuisset hæc tibi molestæ esse. In vernaculo libro hæc omnia fusius expectabis, in quo etiam scribam, per quos Cæsares Imperium usque adedò imminutum est, ut hodie ferè nemo eidem pareat, sed omnes passim cogentur Romanam deplumare Aquilam, & suam privatam augere ditione. Nunc ad alias transeamus Regiones.

Aliarum Regionum, quas præter Germaniam continet Tabula Cusana, succincta enarratio.

Hætenus Germaniæ nostræ Provincias, quoad potui, succincto descripsi stylo, nunc ut reliquarum quoque Nationum adeamus terras, quas Tabula complectitur Cusana, ordo ipse exoptulat, visuri scilicet eas quasi per transennam, & annotaturi, quam brevissime fieri potest, ea quæ suppeditat lectio Historicorum atque Cosmographorum, præsertim ea quæ notatu digniora, & lectioe jucundiora videbuntur. Igitur post Germaniam, Orientem versùs, veteres Sarmatiam descripserunt unà cum Pannonia inferiori, Jazigo, Dacia, Mæsia inferiori & Mæsia superiori, Dalmatia, Epiro, Græcia, Macedonia, & Thracia. Sarmatia hodie est Polonia, Litvania, Livonia, Ruffia, Podolia & Moscovia. Pannonia inferior est Ungaria atque Transylvania. *Jazigum* hodie putant esse *Septem Castra*. Dacia est *Walachia*, *Bulgaria* atque *Rascia*, sicut & Mæsia inferior, in qua Danubius labitur in mare. *Mæsia superior* est *Bosna* & *Servia*, seu *Sirfia*, quæ & *Sagaria* nunc vocatur. Aliqui annumerant etiam *Muldaviam* *Bulgariæ*. *Dalmatia*, *Illyricum*, *Corvacia*, *Croacia*, *Carinthia*, & *Liburnia*, hodie ferè uno nomine *Sclavonia* appellantur. In Thraciam hodie quidam extendunt *Bulgariam*, tamen à quibusdam etiam *Græcia* appelletur. Macedonia quoque nostro ævo aliquid de *Albania* habet, sicut & *Epiros*. Verùm de his nunc singillatim aliquid scribem?

Bohemia.

Bohemia olim habuit populos *Quados*, vel *Marcomannos*, fuitq; pars *Germania*, à Rege *Bohemio* sic denominata, vel ut alii putant, à *Croatino* quodam

viro, qui hanc Provinciam in possessionem accepit, & *Sclavonicam* intulit linguam. Fuit autem à multis annis *Ducatus*, vocatusque est primus *Dux Zechius*, licet alii *Primislaum*, *Pragæ* fundatorem, primum velint esse Ducem. Anno Christi M. LXXXVI, *Dux Uratislavi* factus est ab *Henrico Quinto* primus *Rex*, additis *Bohemia* Regno *Slesia*, *Lusitza* & *Moravia*. Postea *Carolus* *Bohemiæ* Rex factus *Romanorum* Rex, quartus scilicet nomine, supra modum istud ditavit *Rognum*, non sine detrimento *Romani* Regni. Anno Christi M. CCCLX. idem *Carolus* fecit ex *Episcopatu* *Pragensi* *Archiepiscopatum*. Deinde An. *Salutis* M. CCCLXX. instituit *Pragæ* publicum *literarum* studium, quod illic duravit usque ad annum Christi M. CCCCVIII. Tunc ob *Hussiticum* dogma, quod novum videbatur, supra duomillia *Doctorum*, & *Studioforum* adolescentium ad *Lipsiam*, *Misnæ* oppidum, sese transferunt.

Ungaria.

Ungariam olim *Pannonios inferiores*, qui & *Pæones*, inhabitârunt: deinde *Gothi* quoque aliquandiu eam incolerunt, post *Gothos* *Huni*, post *Hunos* *Longobardi*, & rursus post *Longobardos* *Huni*, post *Hunos* tandem *Ungari*, populi *Scythici*, Provinciam hanc usque in hodiernum diem inhabitant. Sicque Regio ista ab antiquis temporibus diversarum nationum diversorium fuit. *Gothos* pepulerunt *Huni*, & *Hunos* excluderunt *Longobardi*. Qui quum XLII. annis eam Provinciam possederent, anhelantes pro *Italiæ* acquisitione, *Hunos* iterum introriserunt. Creantes igitur *Huni* *Attilam* Regem, ferè totam *Europam* ex *Ungaria* pugnaverunt, habueruntque in uno exercitu decies centena millia armatorum virorum. *Attilæ* verò hic erat titulus: *Attila* filius *Bendeucum*, nepos magni *Nimbroth*, educatus in *Engaddi*, gratia *Dei* *Rex Hunorum*, *Medorum*, *Gothorum*, atque *Dacorum*, pavor orbis, & flagellum *Dei*. Quum igitur *Huni* per multos annos omnes in circuitu spoliassent Provincias, & *Ungariam* supra modum exterarum Nationum rapinis ditassent, circumdabant terram suam novem circulis, quos has *Germani* vocant, ex magnis scilicet quernis stipitibus, sive fagineis, distantesq; erant hi circuli viginti milliaribus *Germanicis*, unus ab alio propinquiore. Intra hos aggeres erant vici villarum ita constituta, ut ab una ad aliam vox hominis audiretur, ædificia validissimis muris præmunita. *Tubarum* clangore unus circulus altera cuiusq; rei certa signa dabat. Hunc immanissimum populum tandem *Carolus Magnus* octo annis impugnavit, & expugnavit, non sine immensa humani sanguinis effusione. Interiit enim in illo bello omnis Nobilitas *Hunorum*, & indicibilis thesaurus auri & argenti intra hos circulos, præsertim in *Regia* ipsa inventus est, quem direptis *Germania*, *Gallia*, *Italia*, *Macedonia*, *Illyrico*, atque aliis Nationibus, illuc congesserant. Deletis itaq; à *Carolo* *Magno* *Hunorum Nobilibus*, & fortissimis quibusq; venerunt ex *Scythia* partibus sub *Arnolpho* Imperatore, anno sc. Christi DCCCC. vel propè, *Ungari*, & relictis in *Pannonia* *Hunis* sese junxerunt veluti propinquis suis, ut aliqui putant, & prædecessorum suorum vestigiis inherentes, multis incursionibus vastaverunt *Germaniam*, præsertim *Bavariam*, *Thuringiam*, *Alfatiam* & *Saxoniam*, donec ab *Henrico* pri-

primo cæsi, domi aliquandiu remanere coacti sunt. Sunt autem qui scribunt, ultra Tanaim fluvium in Scythia esse aliam Ungariam, unde primo nostri illi prodierunt Ungari, habentes utrinque unam & eandem linguam, vocantque hodiè Provinciam illam *Juhram*, quæ Moscovitis tributaria esse dignoscitur, solis pretiosis animalium pellibus præparandis occupata. Caret enim auro & argento, atque frugifero solo. Anno Christi DCCCLIV. quum Ungari non cessarent diripere & devastare Germaniam *fusi sunt apud Augustam Vindelicorum* ab Ottone Magno, ingenti atque toto orbe memorabili cæde. Paulo post, anno scilicet Domini M. VI. Divus Henricus Primus Imperator sororem suam *Gisellam*, Ungarorum Principi in uxorem locavit, frater hac spe, quod vir infidelis per mulierem fidelem Christo acquireretur, quod & contigit, nam baptizatus est cum toto Regno suo, vocatusque Stephanus. Omitto hîc, quanta damna & incommoda Tartari & Turcæ intulerint usq; ad tempora nostra Ungariæ, quum hæc passim in Historiis legenda occurrant.

Polonia.

Polonia olim Sarmatia, Regio est vasta & plana, atq; nemorosa. Est & piscinis idonea, atque venatione dives. Habet equos sylvestres, & boves feros, Romani Uros vocant. Mellis copia est illis atque Ruthenis tam ingens, ut non satis loci superfit, quibus illa recondant. Arborea namque omnes & sylva alvearibus nigricant. Habent & salis maximam copiam, quod maximum toti Regioni præstat emolumentum, quo nulla Regi ipsi major in toto Regno gaza extat. Nam sub terra exciduntur ingentia salis saxa, & extra terram aliud sal ex aqua decoquitur. Regni Metropolis est Cracovia, quam scribunt à Craco Rege quinquaginta annis post Christum natum fundatam. Anno salutis DCCCCXIV, eruditus Adelbertus Episcopus Pragensis, Bolislaum Ducem Poloniæ in Fide Catholica, convertitq; ad Christum. Otto Secundus sublimavit Ducatum Poloniæ in Regnum. Sed quum Rex ejus paulo post rebellis esset Imperio Romano, iterum degradatur, & ex Rege fit Dux, sub tributo serviens. Et quum circa annum Christi M. LXXVII. omnes ferè Germaniæ Principes contra Imperatorem Henricum IV. tumultuarentur, Dux Poloniæ mente elevatus, atq; contemnens Imperii jugum, propria autoritate sibi coronam imposuit, inunctus à sui Regni Episcopis. Est autem hodiè Regnum universum in quatuor velut Regiones divisum, quas in orbem Rex quotannis invilit. Singula ternis mensibus alunt Regem Regiumq; comitarum. Et si casu is in una Regione diutius manserit, nihil debetur ipsi ampli. In Cracovia celebri & amplissima urbe Regia, est totius Regni gaza. Cæteræ civitates parum nitidæ sunt, ex macerie domus ferè omnes compositæ, plerq; luto collinitæ.

Litvania.

Litvania Poloniæ connexa, magna sui parte palustris & nemorosa, & ob eam rem difficilis aditu. Hyeme commercia cum Lituanis sunt habiliora, paludibus & stagnis aisa glacie concretis, niveque superfusa fiunt omnia Mercatoribus pervia. Quo fit, ut velut alto mari, quando nulla sit cæta via, aut semita, sidera signent iter. Accolarum divitiæ sunt pecora pellesque multigenarum ferarum. Cæta ac

mellis abundans est terra. Inter se matrone palans concubinos habent virorum permisso, quos concubis vocant adjutores; contra, pellicatus viris probro datur. Solvuntur facillè matrimonia mutuo consensu, & iterum atque iterum nubunt. Sermo genti ut Polonis. Caput Regionis Vilna est, Episcopalis civitas: & est tantæ magnitudinis, quantæ Cracovia cum suburbiis omnibus. Domus tamen contiguae non sunt in ea, sed veluti in rure horri intermediant & pomaria. Tartari quidam circa Vilnam in assignatis pagis habitant, qui agros colunt & merces vehunt, Mahometum & Sarracenorum proficentes sectam, atque Tartarica loquentes lingua. Est Litvania amplissimus Ducatus, plurimum in Aquilonem vergens. Nam elevatur polus Borealis Vilnæ LVII. gradibus. Fuerunt ante aliquot annos Litvani sub Principe Kiovensi, donec Vithen plebis consensu & auxilio seipsium Ducem fecit, & Ruthenis pervicaci animo tributum annum negavit, imò exteros quosdam populos sibi tributarios fecit. Passi sunt Christiani multa damna ab hujus Ducis successoribus usque ad annum Christi MCCCXXXVI. Tunc enim Dux Jagellus baptizatus, & Vladislavus vocatus, accitis quibusdam Episcopis, & aliis religiosis viris, subditos suos omnes ad fidem Christi fecit converti, qui prius ignem, nemora & serpentes adoraverunt. Ipse verò ducta filia Regis Polonia in uxorem, factus est Rex Poloniæ, tradito Litvania Ducatu fratris sui filio, Vitoldo nomine. Qui quum vir esset bellicosissimus brevi tempore adjecit Ducatui suo Ducatum Plescovensem, Ducatum Novogrodiensem, cujus Metropolis vocant Nugardiam, & Ducatum Smolnensem. Ipse verò facta in Regionibus suis pace, proficiscens contra Tartaros, multas turmas secum captivas in Lituaniam duxit illique terræ cultores locavit. Novigrodi urbem, quæ hodie etiam Litvaniæ ascribitur, paulo amplior Roma dicitur esse. Nam forma in suo circuitu habet sex Alemannica miliaria & dimidium: Novigrodi verò complectitur septem Germanica miliaria. Hanc urbem expugnavit Juvan, hoc est, Joannes Moscovita, anno Christi M. CCCCLXXIX. & abduxit trecentos currus, auro, argento, gemmis, & alii pretiosis oneratos mercimoniis.

Livonia.

Livonia non dissimilis est Litvaniæ & Prussia, quibus contermina est. Est enim terra palustris & nemorosa. Patiuntur incolæ ejus multas à Tartaris incursiones & direptiones. Anno Christi M. CC. quidam religiosi & docti viri Livoniam adhuc Christo non credentem adeuntes, prædicaverunt illis Fidem Catholicam, novum etiam instituerunt Ordinem, & vestitum suum gladio signantes: unde & Ensisferi dicti sunt; verum quum parum proficerent, adjunxerunt se Teutonicis Fratribus in Prussia morantibus, & facile quod cupiebant, perfecerunt.

Russia.

Russia & Rutheniæ, quæ & Podolia, olim verò Roxalana, Regio est fertilissima, ut etiam agro obiter culta, frumentoque inperfo, tribus perpernis annis fructum ferat: Nec opus est agrum quotannis invertere, sed inter metendum legite leniter

excussa, alia in sequentem annum sua sponte crescit. Gramen adeo procerum producit, ut pericam transcendat: Unde ibi apum tanta est copia, ut mella nedum in alveariis & arboribus, verum & rupium atque terra cavernis reponant, ex quibus optimus medo, & grandes cerarum fiunt orbes. Non impiscantur ibi piscinae & stagna, sed, ut ajunt, pisces ex caeli succrescunt influenza. Versus Tanaim & Maotim calamo aromatico & reuportico abundat, pluribusque herbis & radicibus aliis alibi non visis. Solo vino carent Rutheni, sed quod aliunde advehitur, nempe ex Ungaria, Moldavia, & Walachia. Quaedam Russia pars protenditur ad Sarmaticos usque montes, cui dominantur Polonia Nobiles, & hujus Russiae Metropolis, insignis urbs. Majoris vero Rutheniae Metropolim ajunt esse urbem Moscoviam, ad annum Moscum sitam, sed hæc regia est Moscovitarum, quorum Regi Russia parat. In Russia inventuntur varia hominum secta. Nam sunt ibi Christiani, Armeni, Judæi, & Græci.

Moscovia.

Moscovia Regio latissima, à Mosco fluvio sic denominata, extenditur in longum quadringentis fere milliariis, habetque proprium Regem cui multi subsunt Ducatus potentissimi, nempe Ducatus Tuvertzka, Ducatus Celmski, Ducatus Rzesen, in quo oritur fluvius Tanais, & provincia Rozanska, quam inhabitant Tartari, parentes tamen Regi Moscovitarum. Utitur Moscovia lingua Sclavonica, & est terra plana, nemorosa, & paludiosa, plena piscibus & feris non secus quam Lituania; sed est frigidior, quum magis in Septentrionem porrigitur, quam Lituania: Unde & pecora minora sunt, carentque cornibus. Frumentum ob nimium frigus raro maturefcit, sed manipulatim in hypocausis torretur. Nutrit terra varia animalium genera, sicut in Prussia, Litvania, & Livonia, quæ ferè uno circūscribuntur climæ, & præsertim habet Uros, quos Bisontes vocant, Alces cervis haud difformis, nisi quod habent carneam promuscidè, & sublimiora crura. Hos vulgò Heleudos vocant. Habet quoque magnos & nigros lupos, nostris aliquando truculentiores. Regia ejus est urbs Moscha, quam alii Moscoviam vocant, habens poli Aquilonaris elevationem LVIII. graduum, distatque CCLXXX. milliariis à Cracovia. Caret hac Regio arboreis fructibus, præter cerasa. Melle verò & cera supra modum abundat. Sequuntur incolæ ejus, Religionem & ritus Græcorum, credentes exutis animabus nihil suffragari vivorum bona opera. Purgatorium quoque, seu humanum figmentum irrident. De his vide Paulum Jovium. Supra Moscovitas sunt multæ aliæ gentes Scythicæ, sed quæ Regi Moscovitarum parent, nempe Perm, Baskird, Ciremissa, Juhra, unde Ungari prodisse scribuntur, Corela & Permska, qui omnes ægrè in Christiana fide à Moscovitarum Principe continentur. Aliæ verò nationes paulò septentrionaliores manent obstinata in suo errore, adorantes solem, stellas, & feras, & quicquid demum ipsis occurrit. Hi agros non colunt, non seminant, nec metunt, nullo vescuntur pane, nec habent usum pecunie, satiantur carne ferina, bibunt aquam, & habitant in densis sylvis sub iuguriis, brutis animalibus non multo prudentiores. Vestitus eorum sunt variæ animalium pelles. Qui verò mari

viciniores sunt, ut Coreli & Juhri, vescuntur piscibus & vitulis marinis, quos Vornolos vocant. Sed longius exspatior quam Tabula nostra sese extendat. Si de his nationibus, & incolarum moribus, plura legere te delectat, consule Matthiam à Michau Polonum, & mirabilia invenies. Nos igitur è Septentrione regredientes, proficiscemur ad Regiones meridionales, præsertim ad eas quas Tabula continet Cusana, ut sunt Illyricum, Dalmatia, & tota Græcia cum suis provinciis.

Sclavonia.

Erant olim inter Pannoniam & mare Adriaticum seu Venetianum duæ insignes Provincie, nempe Illyricum & Dalmatia; sed nostris temporibus Illyricum in multas abiit Regiunculas, nempe in Carinthiam, Corvaciam, & Croaciam. Sunt qui etiam Bosnam Illyrico adnumerent, imò quidam dicunt Illyriam generale fuisse vocabulum, atque complexam non tam memoratas Regiones, quam Stiriam, Serviam, Mæsiam atque Dalmatiam. Ajunt quoque Liburniam hodiè esse Croaciam. Carinthia plurimum est montosa & stagnosa, abundatque aquis fluvialibus, inter quas Dravus primas tenet. Imperium ejus Austriae Principes obtinent. Est hujus Provinciae consuetudo in oppido Klagen, furibus durissima: Si quis in furti suspicionem venerit, è vestigio suspenditur. Postridie de suspicionem judicant: Si fontem inveniunt, pendere sinunt, donec per partes ad terram defluat cadaver: Insons verò repertus sepelitur, & exequia ex publico persolvuntur. Utuntur Carinthii lingua Sclavonica, sicut & Dalmatae, Bosnita, Croacii, Carni, Bulgari, Servii, Mæsi, Poloni, Bohemi, Moscovita, Cassubi, Russi, & aliæ multæ nationes. Unde multi putant, non latiore esse linguam in terris, quam Sclavonicam, quam alii Wandalicam vocant. Bosna olim fuit superior Mæsia, vocaturque; Regia seu Metropolis ejus laica. An. Christi M. CCCCLXI. subegit, Turca hoc Regnum, & in hunc usque possidet diè. Dalmatia olim nominatissima & potentissima fuit provincia, cujus etiam incolæ invictis audebant rebellare Romanis, quinquaginta elegantum castellorum & civitatum freti fiducia, que tamen Cæsar Augustus igne combussit & subvertit. Transit per Dalmatiam mons quidam oblongus, Adrius vocatus, à quo mare putant Adriaticum appellari, qui Provinciam ipsam in duas partitur medietates, unum versus Pannoniam, & alteram versus mare relinquens, in cujus fine Orientem versus, est civitas quædam, Apollonia nomine, juxta mare habens situm, ubi invenitur quædam petra ignem spirans, & subter petram sunt fontes, calidas evomentes aquas, atque bitumen, præsertim quando petra igne rutilat. Non longè ab eo loco foditur è terra æs & metallum, & fovee sic vacuæ relictæ, post aliquod tempus iterum ære replentur. Quod si maxè terra oppleantur, crescit ibidem pro ære bitumen.

Dacia.

Regio illa quæ olim Dacia fuit vocata, hodiè in varias est divisa Provincias, nempe in Transsylvaniam, Rasciam, Serviam, Septem Castra, & Bulgariam. Transsylvania vulgò Sipterland vocatur, habetque trans sylvam situm suum. Sunt qui

Getas olim putent Transylvanos fuisse, & Triballos atque Mœsios Rascianos, qui vulgo diu Regem appellantur. Antè paucos annos Regiones ista omnes fuerunt sub corona Ungaria; jam verò Turca obedire coguntur. Sunt præterea qui dicunt, Dacos populos septentrionales olim urbes occupasse Regiones, & ab ipsis Daciam nuncupatam. Hodie verò possidentur à Germanis, Siculis & Walachis. Germani olim ex Saxonia per Carolum Magnum illuc sunt destinati, vocanturque ab isto tempore Septemburgenses, à septem castellis, quæ ibi extruxisse feruntur.

Walachia.

Walachia à meridie terminatur ad Danubium & à Septentrione ad Roxanes, qui hodie sunt Rutheni, possederuntq; olim eam Regionem Geta, populi in Historiis notissimi. Sed posteaque à Romanis fuerunt devicti, appellata est Regio ipsa à Flacco Duce exercitus Flaccia, quod vocabulum nonnihil sequentibus temporibus immutatum est, dum pro Flaccia Falachia; & à Germanis Walachia legitur. Incolæ ejus usque in hodiernum diem utuntur Romana lingua, quanquam plurimum immutata sit, ut etiam cum magna difficultate Italus Walachum intellegat.

Macedonia.

Est hodie Macedonia pro magna parte Albania, quæ in Epirum quoque porrigitur: vocabaturq; ab antiquissimis temporibus Emathia, à Rege Ematho. Fuit autem Macedonia primò angustum & parvum Regnum, sed Regum Virtute, & vulgi prudentia latissime propagatum est, dum non modò vicinas Regiones suæ subdiderunt ditioni, verum & quæ longissimè semotæ erant, sibi audientes fecerunt. Quum enim Græciæ civitates inter se præliis maderent, & quædam Regem Philippum Macedonem in Ducem elegissent, quo aliis potentiores essent, brevi factum est, ut Philippus tam has, quam illas urbes suo subjiceret Regno, variis usus insidiis & astutiis. Deinde Epirum quoque sibi audientem fecit, expulso ejus terræ Rege. Sed & Regi Scythiæ, cujus ditiò protendebatur ab Aquilone usq; ad eum locum, ubi Danubius in mare sese effundit, inestimabilem abduxit rapinam, tantasq; equitum & militum copias in unum collegit, ut etiam Persiæ Rex sibi timeret, qui Imperium suum ampliaverat usq; ad Ponticum mare. Et quum brevi post tempore percussus moteretur, filius ejus Alexander Magnus Regnum illud Macedonicum propagavit ferè usq; ad Indiam. In Macedonia est Thessalonica, Metropolis Philippensum, quæ modò Salonica vocatur, quam Divus Paulus olim epistola sua honoravit. Est quoque in Macedonia mons Olympus, cujus vertex usq; adeò in altum erigitur, ut putetur cælum contingere. Scribit Solinus, in hujus montis cacumine nullam aëris esse commotionem, quippe qui mediam aëris pertransseat regionem, & ob id nullis affici tempestatibus, id quod probant characteres cineri inscripti, qui post anni revolutionem sub divo adhuc illæsi reperiuntur. Porrigitur autem secundum quosdam hic mons decem stadiis in altum.

Thracia.

Thracia hodie Romania vocatur, & sequitur Macedoniam, à Septentrione Istrum habens, & ab

Oriente Pontum ac Propontidem. Regio est ut Pomponius scribit, nec cælo, nec solo fecunda satis & temperata, nisi ubi mari vicinior est. Frigida est, idè quæ feruntur malignè fert. Rarò usquam pomiferam habet arborem. Vites habet, sed fructus ejus non maturescunt, nisi frigora frondium objectu per cultores arceantur. Homines habet feros & asperos, & numerosos, adè ut si unus imperio regerentur, & idem sentirent, ut dicit Herodotus, inexpugnabiles essent, & omnium gentium validissimi. Sed quia arduum hoc illis est, idè imbecilles sunt. Thraces olim quando tonabat & fulgurabat, in cælum sagittas excutiebant, Deo minitantes. Otiosi & ex rapto vivere, pro re honesta habebant, contra agros colere, pro despiciatissima. Corporum magnitudine omnes homines Thraces antecedunt, truci visu, terrifico vocis sono, annosa ætate. In Regis electione non Nobilitas prevaleat, sed suffragium universorum: populus enim eligit spectatum moribus, & inveterata clementia, etiam annis gravem, sed qui filios non habeat. Etsi fortè dum regnat pignus sustulerit, potestate exiit, maxime enim custoditur, nec Regnum hereditarium fiat. Urbes insigniores olim in Thracia fuerunt Apollonia, Enos, Nicopolis, Calipolis, Perinthos, Byzantium, quæ postea à Constantino Constantinopolis dicta est, & facta Imperii sedes, totiusq; Orientis caput. Hæc primum à Pausania Spartanorum Rege extructa creditur, & per septem annos possessa, deinde variæ victoria, nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium fuit: demum à Constantino primo in novam ampliata, & in regiam urbem exaltata, translataque est in eam omnis Romanæ dignitatis gloria, & dedicata in sedem Romani imperii, atque Nova Roma appellata. Sed evolutis annis circiter CCCCLXVII. divisum est Romanum imperium à Constantinopolitano, ut supra quoque memoravimus, & primus Imperator Carolus Magnus institutus est: quod malè habuit Græcos, meditantem malum imperatoribus Latinis. Unde contigit Ottonis Secundi tempore, quando Græci sciebant Imperatorem occupatum multis bellis, veniebant in Italiam cum multis Sarracenis: quibus Imperator occurrens cum multis legionibus Romanorum & Beneventanorum: initaque pugna fugiunt Romani primum, deinde Beneventani cum magno dedecore: & occisæ sunt ferè omnes copiæ Imperatoris, ut facile Græci tota Italia & Roma potiri potuissent, si victoria uti scivissent. Imperator desertus fugit ad littus, & quum se scaphæ commisisset, à piratis non cognoscentibus eum interceptus, in Siciliam ductus est, ibiq; cognitus, & ingenti pecunia Siculis promissa, ut Romam perduceretur, obtinuit. Transtulit autem Constantinus à Roma Imperii sedem in Orientem, quo Parthiorum compesceret excursiones. Ampliavit propterea antiquam illam urbem, nova mœnia erexit, turribus urbem munivit, adeoque ornavit, ut magis Deorum habitaculum, quam hominum videri posset. Nomen urbi Novam Romam indidit, sed vicit obstinatio vulgi, ut à conditore Constantinopolis vocaretur. Posteri quoque imperatores mirum in modum eam urbem exornaverunt. Erat triangularis formæ, quarum duas alluit mare. Hanc urbem postea Galli cum Venetis quinquagintaquinque annis possederunt: deinde Paleologorum clara familia Genuensium: quod hac occasione accidit. Anno Christi M. CCII.

Alexius filius Isaci Imperatoris Constantinopolitani, fugiens infidias patris sui, venit ad *Venetorum Ducem*, orans, ne se pateretur Imperio fugari, pollicens, si in avitum restitueretur Regnum, magnum auri pondus bona fide persolvere. *Morius Dux* precibus Alexii, & ceteri *Gallia Duces*, qui jam contra Turcam exercitum movebant, venerunt navigio contra *Byzantium*, quibus juncti sunt *Cretenses*, & oppugnant urbem terra marique. Tunc Alexii patruus, rebus desperatis, fugam occupat, & Alexius Imperator salutatur. Et quum idem Alexius animum intenderet, ut Ducibus gratificaretur muneribus, oritur tumultus in civitate contra Alexium, quod pueriliter profunderet pecuniam avaræ genti, quæ inimica esset Græco nomini. Puer timens sibi, mittit ad Bonifacium propinquum suum, pro auxilio in vitæ periculo, ipse verò curaret, ut porta qua intraret, ad tempus pateret. Fuit in his, qui ejus consilii participes erant, *Myrtilus*, ex infima sorte per Alexii Patrem ad dignitatem evehctus homo ambitiosus, & proditor, qui Alexii consilium aperit, & persuadet multitudini, quod in his periculis non opus esset puero, sed viro prudenti & forti, qui res Imperii Virtute & consilio erigeret, & alia blanda verba loquens, obtinuit, ut una pars multitudinis eum Praefectum urbis, alia belli Ducem, tertio Imperatorem declaravit. Tunc ipse confectis stipatus satellitum & propinquorum caterva, proripuit se in Alexii domum, & puerum propria manu jugulavit, deinde constituit Gallos & Venetos armis pellere, sed victa est acies ejus. Tunc *Galli* & *Veneti* fœdus inveniunt, ut quicquid urbium, insularum & locorum ex illo Imperio quereretur, inter se dividerent. Inde urbs est impugnata sexaginta octo diebus, & quum vicina esset captioni, Myrtilus cum uxore & pellicibus, magna que vi auti fugit nocte. Quod videntes cives urbem dederunt, & veniam supplicabant atque pacem. Tunc *Veneti* & *Galli Byzantium* recipientes, creaverunt *Balduinum Flandrensem Imperatorem*, & *Veneti* dederunt urbi *Episcopum*. Deinde omnia loca, præter *Adrianopolim*, cesserunt *Gallis* & *Venetis* armis, & omnia subjiciuntur *Baldino*. *Venetis* data sunt insule præsertim *Creta*, *Eubœa*, quajam est *Nigropontus*, & alia multe parvæ insulae in toto *Ageo* mari. Deinde anno *LVIII.* postquam *Byzantium* à *Gallis* & *Venetis* captum fuit, iterum amittitur, & à *Palzologo* possidetur.

Quomodo & quando fœdissimus Turca imperium Constantinopolitanum sibi subjecerit.

Turca dicuntur ex *Scythia* primo venisse, idque circa annum Domini *D CCLV.* senium illabentes in *Pontum* & *Cappadociam*, habueruntque initio multas pugnas cum *Saracenis*, donec tandem aliquas terras illis abstulerunt. Et ut quieti ab eis essent, Mahumeticam superstitionem assumpserunt. Horum primus Dux fuit *Ottomannus*, à quo omnes posteri *Turcarum Imperatores Ottomanni* appellati sunt, homo infima sortis & abjectus, sed qui apud *Tartarorum Imperatorem* bellis exercitatus & animatus factus, ob levem injuriam sibi illatam cum quadraginta equis fugiens, cepit montes *Cappadocia*, & multos sibi adjunxit raptores, quibus stipatus, & indies perdi-

torum hominum adhesionem furivox factus, subegit *Cappadociam*, deinde *Pontum*, *Bithyniam*, & *Asiam minorem*. Alii dicunt in *Natoliam Armeniæ* castrum fugisse, *Ottoman* nomine, ubi perditorum illorum hominum colluvies primo collecta fuerit, cœperuntque primum *Græcorum villas* exurere, terras diripere, & homines abducere: ac inde potentiores facti, etiam regiones sibi subditas fecerunt, ita ut *Persarum* quoque *Regnum Saracenis* abstulerint, quanquam postea illos secum regnare permiserint, quo quietius alias infestarent regiones. Huic *Ottomanno*, postquam *XXII.* annis imperavit, successit filius ejus *Archanes*, qui partem *Regni* non minuit, sed auxit. Tertius Imperator fuit *Amurates*, *Archanis* filius. Hic notabis lector, quod quum *Imperium Constantinopolitanum* latissime in *Orientem* extenderetur, nempe usque ad fluvium *Tigridis*, qui terminus erat *Occidentalis Imperii Persici*, & limes *Orientalis Regni Byzantini*, & Imperator *Constantinopolitanus* ubique *Regnum* suum tutari non posset, posuit Ducem seu Rectorem quendam in urbem *Trapezuntinam Cappadocia*, qui gubernaret provincias illas orientales, idque fecit annuatim, ut scribit *Haytonus Armenus*. Accidit autem ut quidam ex illis Ducibus Imperatori rebellis factus, retinuerit dominium illud pro se, feceritque se nominari Regem, & postea Imperatorem, quemadmodum etiam usque in hunc diem *Turcarum Imperator* vocat se Imperatorem *Trapezuntinum*, posteaquam urbem illam, & totam *Ditionem orientalem* sibi subjecit, sicut & Imperatorem *Adrianopolitanum*, & item *Constantinopolitanum* se scribit, de quo postea. Quum igitur Imperator *Constantinopolitanus* oppugnaret *Trapezuntinum Ducem*, qui se in Regem elevaverat, vocat *Trapezuntinus* dictum *Amuratem Turcarum Imperatorem*, transmittique ultra *Hellepontum* in *Thraciam*, promittens magnam pecuniam, si Imperatorem *Constantinopolitanum* a se liberaret. *Turca* verò infidus plenus, non tantum studuit *Trapezuntino* suppetias ferre, quantum *Ditionem* suam ampliare, ideoque majorem partem *Thraciæ* sibi subiugavit. Post hunc regnavit filius ejus *Bajazeth*, qui expugnavit *Macedoniam*, *Thessaliam*, *Phocidem*, *Boeotiam* & *Atticam*, *Bulgariam* quoque & *Bosnam* oppugnavit. Deinde *Constantinopolim* quoque obsedit & coangustavit. Interea verò temporis *Tartarorum Imperator* irruens in *Turciam* omnia vastabat, & apprehendens *Bajazeth*, ligavit eum aureis catenis, quem tamen post aliquod elapsum tempus liberum dimisit. Alii verò sic scribunt hanc Historiam. Circa annum Christi *M. CCCC.* *Tamerlanus Rex Tartarorum*, transito *Euphrate*, cum *CCCC.* millibus equitum, & *DC.* millibus peditum in *Asia* minori Regem *Turcarum* superavit, & interfectis aliquot suorum millibus, ipsum cepit, & catenis aureis vincitum in caveam in modum fere, & circumduxit per omnem *Asiam*, ut spectaculum humanarum rerum, prandens verò quasi canem sub mensa suacomedere jussit: & ascensurus equum eo tanquam scabullo usus est. Huic successit *Alpinus*, contra quem profectus *Sigismundus Imperator*, juxta *Danubium* in fugam vertit. Post hunc regnavit sextus *Turcarum Imperator Mahumetes*, qui non parum armis suam ampliavit *Ditionem*. Et hic mo-

riens reliquit filium *Amaratam* nomine, qui celeberrimam *Theſſalonicenſium urbem* ſubvertit, & *Cyprum atq; Aetoliam* expugnavit. Hic *Triballos*, ſeu *Mæſios*, qui ſunt *Servis*, *Sclavos* & *Ungaros* apud *Varnenſium lacum*, non longè à *Bosphoro*, cum multa Nobilitate devicit, anno ſcilicet *Chriſti M. CCCCLIII*. Fuerunt in exercitu *Chriſtianorum Ungari*, *Walachi*, *Poloni*, *Rex Poloniæ*, *Cardinalis Julianus*, & multi *Pontifices Ungariæ*, & circiter triginta millia equitum. Occubuit autem *Rex Poloniæ*, & *Julianus* inſidiis *Chriſtianorum latronum* interfectus eſt. Ex qua victoria elatus, *Peloponneſum* maxima vi aggreſſus oppugnavit, & murum *Iſthmi Corinthiaci* dejecit, qui unicum *Peloponneſiorum* putabatur eſſe præſidium. Poſt hunc regnavit filius ſuus *Mahumetes*, octavus imperator, qui *Chriſtianiſ* innumera & maxima intulit damna. Nam anno *Chriſti M. CCCLIII*. *Conſtantinopolim* urbem diu florentiſſimam quinquaginta diebus oſedit, & terra marique oppugnavit, habuitque in exercitu trecenta millia pugnantium. Et quum *Græculus Imperator* poſceret auxilium ab *Eccleſia Põtifex Romanus* exprobrat ei diſceſſum ab unione *Eccleſiæ*. Habuit autem urbs formam triangularem, duas partes alluit mare, tertia pars, que eſt ad terram, poſt altos muros ingenti clauditur ſoſſa. Et dum *Turca* neque interdium, neque noctu intermittit oppugnationem, pars muri bombardis diſſecta, ſoſſam magna ex parte oppleverat, ita ut *Turcæ* per ruinas ſcandentes pervenerint ad antemurale. Tunc *Imperator Palæologus*, non ut *Regem* decuit pugnando, ſed fugiens in ipſis porta anguſtiſſis cadens, calcatus pedibus obiit. Et quoniam pauci aderant qui *Turcarum* impetum ſuſtinerent, qui autem ſuſtinuerunt, tandem victi occubuerunt, tum ſubito capta urbe in rapinas itur, & omnia miſcentur cædibus & ſtupris, & præ nimia avaritia rapiendi, hoſtes in mutuam perniciem graſſantur: dum quiſque pecuniam vel dona templorum attraheret majore vi. Coacti ſunt ſervi verberibus & tormentis abdita ſerutati ac eruere, inventique ſunt non pauci theſauri, quos cives à principio belli foderant, quibus ſi pro defenſione urbis uſi fuiſſent, ſuam fortaiſſe vitam & patriam ſervaiſſent. Sed avaro in aurum nulla poteſtas. Paulò poſt juſſit tyrannus *Principes* & *Optimates civitatis* captos decollari, & defectum *Imperatoris* caput hafta ſuffixum in caſtris circumfèrtur in contumeliam victorum. Potitus itaque hac urbe & capite *Græciæ*, omnes alias civitates facile in ſuam redegit poteſtatem. Nam *Peloponneſum*, ſeu *Moream* poſtmodum armis devicit; ſic *Achaiam*, *Acarnaniam*, *Epirum*, *Bulgariam*, *Raſciam*, & *Serviam* devicit, *Leſbon* quoque, qua & *Mitylene*, nobilem *Genuenſium* inſulam, cum magna humani ſanguinis effuſione cepit. Hic idem tyrannus anno *Chriſti M. CCCCLVI*. pergit cum *CL. millibus* pugnantium verſus *Albam*, qua olim *Taurinum* dicta eſt, hodie verò *Belgradum*, vulgò *Græchiſch-weiffenburg*, caſtrum munitiſſimum, diſpoſitiſſimè tormentis maximis, priores muros dejecit, inter quos & alios interiores muros, magnum ſpaciū erat, ubi *Chriſtiani* milites tyrannum expectabant. Ingreſſi igitur *Turcæ* per ruinas,

pugnatum eſt ſumma utrinque alacritate, donec pulſi *Turcæ* extra mœnia; ſed inſtigantè *Mahumete* Imperatore, *Turcæ* iterum irrupunt, & acriter pugnant cum *Chriſtianiſ*, quouſque à *Chriſtianiſ* in fugam cæduntur, quos noſtri inſecuti ſunt tandiu, donec cunctæ machinæ & tormenta ſunt nudata cuſtodiis, & capta. Multi *Principes* *Turcæ* occiſi, tyrannus quoque ipſe graviter ſanciatus, cogitur cum magno dedecore redire in ſuum *Regnum*. Ceciderunt autem ex ſuo exercitu quatuor millia *Turcarum*. Anno *Dominici M. CCCCLXXI*. Idem *Mahumetes* cepit *Eubœam*, ſive *Nigropontum*, *Venetorum inſulam*, & plurimam cædem in ea fecit. Deinde occupavit *Aſbenas*, qua nunc *Sethina* dicitur, & alias multas præclaras urbes. Diſipuit quoque *Sinopem* urbem vetuſtam & *Trapezuntiam*, atque earum *Imperatorem* cum incolis captivum abduxit. Et ab hac urbe debellata deinceps ſe *Imperatorem* ſcripſit *Trapezuntinum*, & à *Conſtantinopoli* *Conſtantinopolitanum*, ſicut primò ab *Adrianopoli* *Adrianopolitanum*, ubi prædeceſſores ſui centum circiter annos ante devictam *Conſtantinopolim* ſedem *Imperialem* conſtituerant. Eſt autem *Adrianopolis*, quam alii vocant *Andronopolim*, urbs præclara *Macedoniæ*. Dicitur non poſſe tanta damna hæc teterrima & infernalis peſtis intulerit *Eccleſiæ Dei*. Nam præter dicta loca, quæ *Chriſtianiſ* vi abſtulit, obtinuit quoque munitiſſimum caſtrum *Smederovv*, juxta *Danubium* ſitum, ex quo poſtea plurimas excuſiones fecit in *Sclavoniam*, *Croaciam* & *Stiriam*. Expugnavit etiam urbem *Caffam* una cum tota inſula *Taurica*, qua *Genuenſium* tunc erat. Jacet autem hæc inſula, ut vides in tabula *Cuſana*, in *Meoſidis paludibus*, quam hodie incolunt *Tartari* *Ulani* dicti, habetque tres civitates, videlicet *Solat*, *Kirkel*, *Caffam*, & duo caſtra, nempe *Maukup* & *Azau*. *Solat* vocant *Tartari* *Chrim*. & *Caffa* prius vocata fuit *Theoſoſia*. Porro inſulam jam appellant *Precop*, & *Princeps* ejus vocatur *Imperator Precopenſis*, cujus ſubditi ferè ſingulis annis in *Ruſſiam* vel *Licuaniam*, vel *Walachiam*, vel *Poloniam*, vel *Moſcoviam* irruunt, & prædas abducunt. Anno *Chriſti M. CCCCLXXX*. jam sæpè dictus *Mahumetes* maxima vi aggreditur *Rhœdum* inſulam, cum claſſe ſcilicet centum velocis *LXXXIX*. diebus, cum magna claſſe & ignominia domum revertitur, & præterea in illo anno moritur. Reliquit autem duos filios, *Bajazeth* & *Zyſimi*, quem alii *Zeliab* nominant. Et quum ambo regnare vellent, prævaluit ſenior ſuffragiū populi, & juniorem exturbavit *Regno*. Qui fugiens ad *Sultanum*, obtinuit ab eo exercitum: ſed qui facile à majore fratre ſuperatus eſt. Tunc deſperatis omnibus rebus, *Zyſimi* fugit ad *Chriſtianos*, nempe ad *Rhodiōs*, quos Pater ſuus paulò ante acriter impugnaverat. Suſceptus igitur honorificè à *Magno Magiſtro*, mittitur *Romam* ad *Papam*, qui etiam gaudet, *Eccleſiam* talem naſtam virum, per quem amiſſas *Regiones* recuperandas paſſim cuncti ſperabant. Sed & *Frater* ſuus *Turcarum* *Imperator* non parum ſibi metuit, ſciens plurimos in ſuo eſſe *Imperio*, qui fratri potius quam ſibi optabant *Regnū*. *Papa* igitur quum miſiſſet *Zyſimi* ad *Regem Gallicæ*,

na, ille rursus eum misit Romam, ubi aliquandiu detentus moritur, non sine suspitione dati veneni. *Bajazeth* verò mortuo fratre suo, Christianos ubique oppugnat, præsertim in Moldavia Album castrum, & nominatissimam urbem *Modonam*, quam & obtinuit, quæ tunc ad Venetos spectabat. Huic successit filius suus *Zelembeg*, qui proprium jugulavit fratrem, ne ænulum pateretur Regni, comminatusque est Christianis multa mala, sed à Sopho Rege Persarum hostiliter invasus, propositum suum exequi non valuit. Hunc alii vocant *Solymanum*, qui Sultano infestus, Hierosolymam & Egyptum è sua potestate eripuit. Reliquit autem filium *Solymanum*, qui anno Christi M. DXXXIII. *Rhodum* insulam expugnavit, & paulò post, anno scilicet salutaris M. DXXXVI. Ungariam diripuit, Regemque ejus Ludovicum occidit. Idem tyrannus anno Christi M. DXXI. *Belgradum*, Ungariæ unicum præsidium, expugnavit, non sine magna Christianitatis jactura. Hæc de Turcarum rebus, & Imperii Constantinopolitani amissione breviter annotata sufficiant.

Civitatum quarundam & locorum, quæ continent Tabula, ocularis demonstratio.

A Ge, veni nunc mecum, si placet, & lustremus primò lineam Rheni & loca adiacentia, quo aliquanto familiarior tibi fiat Tabula. Plurimum enim tibi profuerit, si singulorum exploraveris locorum situs, distantias, & mutuos aspectus, hoc est, num hæc civitas illam respiciat ab Occidente vel Meridie, &c. & in his perquirendis, & contuendis egregie te exercueris.

Rhenus igitur, ut vides, originem suam ducit ex *Helvetiorum montibus*, parum supra civitatem *Cotram*, quam vulgò *Chur* vocamus. Hinc sequitur oppidum *Seldfirch*, & lacus *Constantiensis*, olim lacus *Podmicus* vocatus, in cujus littore jacet *Lindoiæ*, & supra eam *Pregantia*, infra verò *Hagenoiæ* insignis villa, *Merspurgum*, *Überlinga*, *Cella*, *Schaffhusena*, quorum nomina adscripta non sunt ob spaciū angustiam, sed locorum duntaxat insignia juxta lacum conspiciuntur. Porro ultra lacum vides *Constantiam*, & situm *Divi Galli*, ubi *Turgadia* scribitur, quod vulgò *Thurgen* vocant. Exprimunt quoque Tabula insigniora *Helvetiorum oppida*, quæ sunt, *Friburgum*, *Berna*, *Lucerna*, *Soloturnum*, *Tigurum*, & juxta ipsum *Badenia*, ubi salubres habentur thermæ, *Flaurana*, quod *Uraniam*, vulgò *Uri*, legendum censeo. Nam apud *Uranenses* initium sumit *Lucernensis lacus* & fluvius ex eo progrediens *Reussa* vocatur, sicut & *Tigurenensis lacus* ex *Limata* colligitur fluvio. Vides quoque originem *Rhodani* fluvii ex *Alpibus Suisensibus* duci, qui & à *Losanna* Episcopali civitate usque ad *Genesoram* urbem, vulgò *Genis* insigne Emporium, magnum efficit lacum, quem veteres *Lemanum* vocaverunt, unde aliqui Germaniam (sed fallò) *Alemaniam* vocatam putaverunt. Quod si cursum *Rodani* ultra sequutus fueris, occurrent multæ insignes urbes, nempe *Lugdunum*, quod vulgò *Lyon* vocatur, *Vienna* in *Delphinatu*, *Valentia*, *Avenion*, *Tarascon*, *Arelatum*, vulgò *Arle*, à quo aliquando *Arelatense Regnum* denominatum fuit. Et ut rursus

redeamus ad *Rhenum*, unde digressi sumus, occurrit nobis *Basilea*, ad dextram habens *Brisgaviam*, & ad sinistram *Sundgaviam* atque *Alsatiam*. Insigniora loca *Sundgavia* sunt *Dann*, Imperiale oppidum, & *Einsheim*. *Alsatia* verò has habet præcipuas civitates, *Colmariam*, *Seletstadium*, *Cæsaris montem*, *Argentiniam*, *Zaberniam*, & *Hagenoiam*. In *Brisgavia* autem sunt *Novumburgum*, *Brisacum*, & *Friburgum*, quibus annumerari potest *Offenburgum*, quanquam illud sit in *Ortnau*. Ad dextram *Hagenoiæ* per tria milliaria est *Badenia* inferior ubi *Marchio* residet *Badensis*, & ubi thermæ habentur exquisitæ, contra varios morbos salubres. Post *Hagenoiam* sequitur *Wyssenburgum*, deinde *Landoia*, inde *Spira*. Parum infra *Spiram* miscetur *Neccarus Rheno*, qui & ipse habet aliquot insignia oppida in ripa sua sita. Primum itaque ascendendo est *Heidelbergæ*, insignis quidem ab universali studio, & Principis *Palatini* residentia. Post hanc sequitur *Wimpina*, & deinde *Heilprunna*, ambo Imperialia oppida. Hinc *Eslinga*, Imperiali quoque oppidum, & *Stubgardia*, locus Residentiæ Principis *Würtembergensis*, à quo si per tria milliaria ascendas, occurrit *Tubinga*, oppidum universali decoratum studio. Hinc unius milliaris spacio emenso, venit ad *Rotenburgum*, ubi *Neccarus* originem suam non trahit, ut hæc Tabula indicat, sed prius ascendendum est ad oppidum *Horbam*, & deinde ferè usque ad *Rotvilam*, *Nigræ sylvæ* præcipuum oppidum, & ibi visuntur prima *Neccari stillicidia*. Porro si à *Spira* per *Rhenum* descendas, occurrit *Wormacia*, & deinde per *Oppenheim* eundo, venies ad *Moguntiam*, vulgò *Wenz*, ubi *Moganus* fluvius absorbetur à *Rheno*. Hic *Moganus* originem suam ferè ducit ex *Bohemie montibus*, habetque insigniora loca, *Franckfordiam*, celeberrimum Germaniæ Emporium, *Miltembergam*, *Wertham*, *Herbipolim*, vulgò *Würgburg*, *Tœttelbachium*, *Kitzingam*, *Hasfurdiam*, & *Bambergiam*, ubi alium recipit fluvium, nempe *Pegnitzam*, qui ab *Amberga* *Norici* per mediam labitur *Nürnbergam*, alluitque mœnia *Forchemiæ* & *Bambergæ*, priusquam *Mogantum* ingreditur. Erratum itaque est in tabula, ubi *Bamberga* ad montes usque *Bohemie* collocata est, quum ipsa & *Nürnbergæ* juxta unius *Pegnitzæ* ripam fundata sit. Sed redeamus ad *Moguntiam*. A *Moguntia* usque ad *Bingam* in dextra parte *Rheni* est *Rhingavia*, seu *Rheni pagus*, terra ab optimo vino, quod producit, etiam apud *Britones* celeberrima. Apud *Bingam* vides ingredi *Rhenum* *Naham* fluvium, qui ex *Hunnorum* præsidio vulgò *Hundsruet* prorumpit, unum habens insigne oppidum, *Crutznacum* nomine, in littore suo situm. Post *Bingam* est *Bachracum*, *Wesalia superior*, *Divus Goarus*, vulgò *Sant Goâr*, *Boparta*, *Landstein*, ubi ex media *Hassia* amnis *Lana* profluens jungitur *Rheno*, habetque multa oppida & villas in ripa sua sitas. Proximum *Rheno* oppidum, & magis præcipuum, est *Limpurgum*. Est & alius quidam locus juxta hunc amnem situs, *Cittis*, vulgò vocatus, qui ob salubres thermas etiam à remotis partibus est cognitus. Post hujus

Fluvii ostia occurrit *Confluentia*, ubi *Mosella* miscetur *Rheno*. Hunc fluvium si ascendas, venies *Treverim*, vetustissimam illam urbem, quam *Abraham* temporibus primo conditam multi asserunt, à *Trebeta Nini Babylonici Regis filio*, Scribit *Aeneas Sylvius*, insignis *Mathematicus*, hanc urbem mille & trecentis annis vetustiore esse *Romanâ*. Inter hanc urbem & *Confluentiam* super rivulum *Mosellæ* habes locum anonymum, patriam scilicet auctoris hujus *Tabulæ*, *Cusam*, quæ tanti Viri ortu celebris facta est. Habet autem situm suum fere in *Eislia*, ubi tamen tabula falsò habet *Eislia*. Mox à *Confluentia* descenditur per *Rhenum* ad *Andernacum*, inde *Bonnam* atque *Agrippinam* *Coloniâ*, Hic ad sinistram habes terram *Juliacensem*, in qua fere est *Aquisgranum*, ubi olim fuit *sylva Ardenna*, ad dextram verò conspicis terram *Montensem*. Sub *Colonia* est *Nusia*, quam ante aliquot annos *Carolus Dux Burgundiæ* tam obstinato oppugnavit animo. Paulò interius est *Wesalia inferior*, ubi *Lipia*, seu ut alii nominant, *Lupia in Rhenum ruit*, cujus fluvii in gestis *Caroli Magni* toties fit mentio. A *Wesalia* descenditur ad *Emricham*, quæ occidentem versus habet oppidum *Clivense*, ubi scilicet *Rhenus* in duos scinditur rivus, *Walâm* & *Rhenum*. Super *Walâm* jacet *Neomagus*, & *Buscum Ducis*, vulgò *Herzogenbusch*, ubi *Mosa* ferè jungitur *Walæ*. Post *Emricham* est *Daventria*, ubi scilicet majusculis literis scriptum est, *CLIVIS*, & paulò post sequitur oppidum *Swol*. Hinc habes insulam *Holandia* cum multis aliis insulis & civitatibus, quarum particularem recensionem brevitate gratia hic omitto. Nunc, si placet, prosequamur etiam lineam *Danubii*, ab origine sua usque ad mare *Euxinum*, ubi fluendi finem facit. *Danubius* igitur in *Nigra sylva*, seu in *Hegavia* (ubi falsò scriptum est *Hegalia*) initium sumit, non, ut *Tabula* perpetam habet, in *Vindelica*, sensimque perlabena oppida *Simringen*, *Reidlingen*, & *Eslingen* augetur, donec veniat *Ulmam* *Sueviæ*, ibi recepto *Blavoanne*, prosequitur cursum suum, alluens mœnia oppidorum *Guntzpurgi*, *Laugingæ*, *Tillingi*, *Werdæ*, *Raina*, ubi recipit *Licum*, qui ex *Alpibus* per *Augustam Vindelicorum* descendit. Hinc fluit ad *Ingolstadtum*, oppidum propter publicum literarum gymnasium passim orbi cognitum, & deinceps pervenit ad oppidum exiguum, quod *Kelheim* vocatur, ubi ex influxu amnis *Altmole*, quem alii *Alemannum* appellant, augetur. Hic amnis ferè originem suam trahit à *Rubro castro*, vulgò *Rotenburg*, Imperiali civitate, quæ juxta amnem *Tuberam* situm habet, sed qui in *Septentrionem* nitens, à *Mogano* prope *Wertham* absorbitur. Porro insigniora loca, quæ juxta *Alemolam* condita inveniuntur, sunt, *Guntzenhusch*, *Huyssenburghum*, & *Eystatia* Episcopalis civitas. à *Keilheim* per *Danubium* venit ad *Ratisponam*, urbem Imperialem & vetustam, ubi *Nabus* & *Rhenus* amnes *Danubium* adhuc majorem reddunt. Hinc passim innumeri affluunt amnes, partim ex *Alpibus*, & partim ex *Bohemie* montibus, inter quos hi duo, *Isara* & *Oenus* insigniores habentur. *Isara* alluit muros *Mofaci*, *Frisingæ*, *Lanshutzæ*, & *Landoiæ*. *Oenus* vero descendit ab *Oenoponte*, vulgò *Insprugi* per *Schwatz*, *Wasserburgum*, *Bru-*

nam & *Scherdingam*, *Bataviæ*que miscetur *Danubio*. A *Batavia* utque ad *Viennam Austria*, ab utraque ripa *Danubii* multæ occurrunt civitates & amnium ostia, præsertim *Peverbachium*, *Lintza*, *Ens*, *Melcha*, *Ipsa* & *Kremsa*. Prò inde à *Vienna* descendas ad *Budam* *Ungariæ*, occurrit primò insignis civitas *Polonium*, vulgò *Presburg*, deinde *Laurinum*, vulgò *Kab*, hinc *Szigonium*, Archiepiscopalis civitas, quæ vulgò *Gran* vocatur, ad cujus dextram est *Alba Regalis*, aliquantulum à *Danubio* remota, quæ vulgò *Stulweissenburg* appellatur, ubi scilicet Reges *Ungariæ* electi coronari solent & inungi. *Buda* verò, vulgò *Ofen*, Regia est *Ungariæ*, ad ripam, ut vides, *Danubii* sita. Hinc si proficiscaris ferè usque ad ostium fluvii *Murz*, venies ad locum, ubi *Ludovicus Rex Ungariæ* anno Christi M. DXXXVI. gladio impiorum *Turcarum* occubuit. Cæterum in *confluentia Sai* fluvii atque *Danubii* vides oppidi cujusdam depictam figuram, quæ indicat situm fortissimi castri & oppidi, quod vulgò *Albam Grecam* vocant, apud *Autores* verò vocatur vel *Taurinum*, vel *Belgradum*, vel etiam *Nonderalba*. Hoc fortalitium, & totius *Ungariæ* propugnaculum *Turca* maximis viribus anno Christi M. CCCCLVII. oppugnavit, sed minime expugnavit. Anno verò *Salutis* M. DXXXI. ipsum obrinuit, non sine grandi jactura *Ungariæ*, imò & *Germaniæ*. Post *Belgradum* sequitur *Galombecium*, oppidum famosum miserabili *Christianorum* strage, qua anno Christi M. CCCCIX. sub *Sigismundo* Imperatore in fugam à crudeli *Turca* cæsi sunt. Hinc venit ad urbem *Nicopolim*, *Bulgariæ* metropolim, quam eadem tempestate *Sigismundus* maximo exercitu *Christianorum* obsedit, sed à fortiore superveniente *Turca* turpiter repulsus est. Nam occubuerunt quasi viginti millia *Christianorum*. Consimilis clades accidit *Christianis* prope locum, qui hodie *Varna* dicitur, distans parum à mari, ubi videlicet supra scalam scribitur *Sagora*, ibi enim *Vladislaus*, *Poloniæ* & *Ungariæ* Rex mortem occubuit una cum *Juliano Cardinali*, anno scilicet *Dominicæ* incarnationis M. CCCCXLIII. Cæsa quoque sunt in eodem bello supra triginta millia *Christianorum*: & huic tantæ stragi occasionem præbuisse dicitur *Cardinalis Franciscus Condemari*, qui quum supermus *Dux belli* navalis esset, sicut *Julianus* exercitus terrestris summum egit *Ducem*, permisit *Turcarum* Imperatorem cum centum millibus armatorum trajicere angustias maris, quas nostro ævo *Bracchium sancti Georgii* vocant, adeoque impie egit cum *Christianorum* exercitu, ut ne quidem præmonerit eos de *Turcico* insperato adventu. Sed quum nunc pervenerimus usque ad mare, relicta terra & terrestribus habitaculis, in aquis quoque aliquantisper vagemur, & quæ scitu digna sunt, commemoremus.

Unum & idem mare diversa habet nomina.

Non secus quam ipsa terra, quæ una est sphaera, & tamen dividitur per maris interruptiones in multas partes, primò scilicet in *Europam*, *Asiam*

am & Africam, & deinde quælibet pars in varias provincias: ita quoque mare quum unum sit, & una aquarum collectio seu congregatio; ut sacra docent; tamen propter varias, quas alluit terras, propter varios sinus, stagna, paludes, figuras angustias, influxus, & etiam ob quosdam eventus, alia atq; alia sortitur vocabula: quanquam prima divisione duo principalia habeat nomina. Est enim vel Oceanus, vel mare mediterraneum. Oceanus circumscribit terram ab Occidente, Meridie, Oriente, & Septentrione. Mediterraneum verò efficitur ab Oceano, qui in Betica, quæ hodie est Granada, apud Gades per angustas fauces, quasi hominum industria intromissus, irrupit, & innoxiam diffunditur latitudinem. Fauces introitus vocant Herculis columnas. Nam sunt ibi duo sublimes montes; unus in Mauritania, quem Abilam vocant: alter ex opposito in Granada, qui Calpe nominatur, quos Hercules fortitudine dissectos Gentium fabulosa prodidit antiquitas. Alii verò ajunt insulas Gaditanas, quæ propè sunt, Herculis vocari columnas, quas aliquando invisit. Mihi verò magis probatur, per diluvii universalis aquas, quæ esse atque rediisse describuntur, Oceanum primum in terram irrupisse, atq; mare mediterraneum constituisse; quum ab initio creationis aquas omnes ad locum unum convenisse Scriptura commemorat. Quanquam contentiosus aliquis aliud ex verbis illis, quæ mox sequuntur, & ad collectionem aquarum vocavit maria, arguere possit. Sed aliis id discutiendum relinquamus. Mare itaque illud mediterraneum Europam disseparat ab Africa, & in utroque litore, præsertim in Europæo, multos & varios efficit sinus; in quibus & plurimæ inveniuntur insulæ: quarum aliquas videre licet in Tabula Cusana, & ab illis varias quoque sortitur mare ipsum denominationes: ut est mare Siculum, mare Creticum, mare Rhodium, &c. sicut & à solidis terris, quas alluit, vocatur mare Hispanicum, Gallicum, Africanum, Germanicum, &c. In Tabula nostra partem exiguam habemus maris mediterranei, id quod apud Massiliam Provinciæ (ubi Tabula perperam habet Massilia) vocatur mare Gallicum: & apud Ligures, qui sunt Januenses, Ligusticum: apud Romanos, seu Latinos & Hetruscos vocatur Tyrrhenum à Tyrrheno, qui ex Lydia coloniam illic collocasse dicitur. A Sicilia verò sinum maximum efficit, qui usque ad Venetos extenditur, & dirimit Italiam ab Illyrico, Dalmatia & Epiro, vocaturque sinus Adriaticus, à monte Adrio, qui per Dalmatiam extenditur, vel ut alius placet, ab oppido Adria, quod non longe à Venetiis in solida terra situm est. Hic sinus hodiè propter Venetorum celebritatem, & ingens dominium, plerunque vocatur mare Venetianum. Si hinc versus Græciam procedas, invenias apud Macedoniam alium sinum, quem facit mare mediterraneum, vocaturque mare Egeum, cujus aliquam partem in Tabula videre poteris. Hinc verò per angustissimas terræ fauces penetrat ad Aquilonem, vocaturque ibidem Hellepontus, sive Græciæ pontus; & mox sinum quendam exiguum efficiens, qui Propontis appellatur, quod pontum ipsum præcedat: apud Constantinopolim iterum in me-

atum arctissimum constringitur, quem hodie, nisi fallor, Brachium Sancti Georgii vocant, & rursus egressum has fauces; in latissimum diffunditur sinum, quem Pontum vocant, & mare Euxinum, in quod Danubius multis ostiis sese exonerat. Sciendum quoque hic est, quod angustie illæ maris apud Byzantium antiquo nomine vocantur Bosphorus Thracius (est enim & alius Bosphorus, nempe Cimmerius, per quem mare ponticum in paludes Maotides apud Tauricam insulam transmittitur) ubi scilicet os pontici maris contrahitur in angustias quatuor stadiorum, angustè fluens per centum & viginti stadia longitudine in Propontidem Euxinum, qui in lato habet circiter quingenta stadia; sed in longitudine triplo est major. Deinde iterum mare angustis excipitur, & vocatur Euripus, seu Hellepontus, septem scilicet existens stadiorum. Habet autem stadium centumviginti quinque passus, & octo stadia faciunt unum milliare Italicum. Sunt præterea qui dicunt, circa ponti ostium in ora Asiæ fuisse locum, quem incolæ Bovem dixerunt, & hinc angustiam illam maris Bosphorum vocant. Alii verò dicunt mare illud sic vocatum à transitu bovis, qui ab uno litore ad aliud natare possit. Est enim ibi, ut diximus omnium angustissimum. Per hanc angustiam Darus Rex Persarum & Medorum fecit pontem per naves, & exercitum DCC. millium equitum & peditum in Europam transmisit. Quod ideo hic commemoro, ut videas quantum patrocinetur Cosmographiæ studium Historiæ lectioni. De angustis Cimmeris hic nihil dicendum statui, quum in hac Tabula videri nequeant, quanquam Tauricam insulam, quæ hodie est Tartaria, ferè integrè videas, juxta quam est Bosphorus alius Cimmerius, per quem mare transmittitur in paludes Maotides, vel ut alii dicunt, paludes Moatides per Bosphorum transmittuntur in pontum. Cæterum mare illud quod in partibus Aquilonaribus, hoc est, circa Daciam, Sueciam, Selandiam vides diffusum, & varias constituit insulas, non est aliud ab Oceano, qui illic in tot secernitur particulares sinus, id quod in typo orbis universali dilucidius videre poteris.

CANON TABULAE


Quomodo Scala Tabulam includentes exprimat Regionum longitudinem & latitudinem.

QUUM terra sphaerica sit figura, unaque superficie convexa contenta nulla potest in ea signari Regio, quæ quadratum constituat reftangulum, sed alterum latitudinis latus altero semper minus est, nisi sub æquinoctiali circulo malueris ponere Regionem, cujus medius limes sit æquator. Nam quum omnes circuli, quos meridianos vocant, ejusdem sint magnitudinis, intersecantque sese in utroque polo, necesse est ut hi circuli eo arctiore intervallo sibi jungantur, quo hinc

vel illi appropinquant polo. Imaginamur autem æquè in terreno globo, ut in cœlesti orbe, polos, æquatore, meridianos, parallelos, & alia id genus puncta, lineas & circulos. Verùm quum paucissimi sint, qui sciant quid sit Regionum longitudo atque latitudo, per figuram id aliquanto clarius explicabo. Intelligas autem oportet per figuram hic descriptam, globum seu spheram, molem terræ repræsentantem, quæ cœlorum & totius mundi occupat medietatem, in nullum deflectens latus, seorsum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum,

In primis autem per circulearem hanc figuram necesse est, ut imaginem corpus aliquod solidum & sphericum, seu globum quendam in plano projectilem, per cuius medium transeat filum aliquod ferreum, in quo globus ipse circumrotari possit: cuius utrinque foramen, ubi scilicet filum intrat & exit, sint literæ a b. Et hæc puncta in terra vocantur *poli terra*, sub *polis cœli directè consistentes*. Linea verò quam ab a ad b transire imaginamur, vocatur *axis terra*: quæ si per medium dividatur, erit punctus illæ divisionis centrum terræ, per quod axis transit. *Æquinoctialis* verò *circulus* est, qui globum terræ in duo æqualia dividit, una scilicet medietate ad Septentrionem relicta, & altera ad Meridiem. Nam æquator ubiq; æquidistat ab utroque polo, unde si posito uno circumpeda in utrolibet polo, alium in medium spheræ extendas & circumducas, æquinoctialem describens circulum. Hic verò in nostra figura circulus ille non potest nisi per depressam signari lineam; quum in plano linea curva elevari nequeat. Tu igitur per jacentem illam lineam imagineris circulearem lineam, quæ in medio per semi circuli arcum sit erecta. Huic lineæ seu circulo ad utrumque polum multos circulos *parallelos* seu æquidistantes Astronomi imaginantur, & præcipuè *tropicum Cancris*, & *tropicum Capricorni*, quorum uterque 23 gradibus & 30. minutis ab æquinoctiali distat, vocaturque hæc distantia *in terris, latitudo in cœlis* verò *declinatio*. Hinc *latitudo Regionis aut civitatis alicujus, nihil aliud est, quam certa distantia ab æquinoctiali*. Capitur autem *latitudo* Regionis, & *elevatio poli pro eodem*. Nam quanta est elevatio poli in aliqua civitate, tanta est distantia ejus ab æquinoctiali. Ut hic Basileæ attollitur polus Septentrionalis 47 gradibus & ferè 30 minutis supra horizontem, & totidem eadem urbs removeretur ab æquinoctiali. Unde duæ civitates dicuntur differre latitudine, quando una est meridionalior alia: ut Basilea & Mediolanum differunt latitudine tribus gradibus, & decem minutis, quæ faciunt ferè 47. milliaria Germanica. Nam latitudo Mediolani est 44. graduum, & 20. minorum. Illa verò loca dicuntur habere eandem latitudinem, quæ præcisè æquè distant ab æquinoctiali circulo, & sub eodem jacent parallelo: ut sunt in tropico cancri duo asterisci, duas repræsentantes civitates. Utraque enim distat ab æquinoctiali circulo 23 gradibus & dimidio, id quod ex numeris utrinque ab æquinoctiali versus polum ab uno ad 90. auctis advertere poteris. Nunc igitur intende Tabulam Cusanam. Habes in ea ad dexteram & ad sinistram scalam numero-

rum, qui utrinque ab 41. usque ad 41. ascendunt, repræsentantque integros gradus, quorum quilibet primò in tres dividitur vigesimas, & una vigesima in quatuor quintas. Facit autem una quinta quinque minuta, quando quidem 60 minuta unum constituunt gradum. Porro unus gradus facit 15. communita milliaria Germanica. Igitur duæ laterales scalæ indicant quorumlibet locorum latitudinem, seu elevationem polarem, quam hoc ingenio licet invenire.




Trahe filum ab una literali scala ad aliam, ita ut utrinque unum & eundem abscindat numerum, & simul locum, cuius latitudinem habere cupis, contingat: tunc numerus per filum sic abscissus indicat tui loci latitudinem, seu poli elevationem. Ut pro Basilea invenies 47. grad. & 30. min. pro Praga verò Bohemix ferè 49. grad. pro Roma 41. grad. & 40. min. Hæc te scire oportet, si velis in nauto, aut plano, erigere stylum aliquem horarum indicem. Sic igitur vides tot ab una scala ad aliam posse trahi lineas parallelas (quæ tamen in terra sunt circuli paralleli) quod singuli gradus habent minuta. Sed inter illos parallelos quidam cæteris in Cosmographia sunt insigniores, qui scilicet climata distinguunt, & maximorum dierum quantitatem ostendunt. Est verò *clima*, *Zona quadam terram ambiens*, hoc est, spatium terræ inter duos parallelos interceptum, in quo maximè diei ab initio climatis ad finem usque est dimidiæ horæ variatio. Ponuntur autem à veteribus septem climata, quæ sua nomina ab insigni aut urbe, aut fluvio, aut monte for-

fortita sunt: quorum per ordinem hęc adicere libuit nomina, tamen Tabula nostra hęc non omnia complectatur. *Primum* transit per *Meroen* Africa civitatem. *Secundum* per *Sienem* Egypti urbem. *Tertium* per *Alexandriam*, Egypti quoq; urbem. *Quartum* per *Rhodium* insulam. *Quintum* per *Romam*, quod in Tabula nostra habetur. In hujus principio maxima dies habet 14. horas, & 45. min. estq; ibi poli elevatio graduum 39. minuti nullius. Et terminatur ubi attollitur polus gradibus 43. minutis 30. ubi maxima dies habet horas 15. minuta, 15. Sextum clima transit per *Boristhenem*, cujus initium sumitur a fine quinti climatis. Porro finis ejus est, ubi poli elevatio est graduum 47. min. 15. Septimum verò incipit a prioris fine, transireque dicitur per *Riphæos* montes, desinens ubi polus elevatur super horizontem gradibus 50. min. 30. Et hic maxima dies 16. horas, & 15. min. Hęc tamen paulò aliter signata sunt in Tabula. Possent autem præter hęc septem climata terra ultra partiri. Latitudo tamen semper magis magisque decreveret. Ad modicam quippe distantiam versus polum dies sensibilibiter augetur. Unde in parallelo, qui transit per gradum 56. habet maxima dies horas 17. & semis, differtque ab æquinoctiali (ubi dies perpetuò duodecim constat horis, & nocti semper æqualis est) quinq; horis & dimidia. In parallelo verò qui transit per gradum 61. porrectissima dies habet horas undeviginti, differens septem horis ab æquinoctiali. Porro ubi polus attollitur 70. gradibus, Sol in media æstate conspicitur duobus mensibus antequam occidat. In parallelo qui per 72. grad. transit, dies una erit trium mensium Sole a medio Tauri ad medium Leonis vagante. Crescent itaque dies paulatim donec ad polum perveniantur. Sub ipso quippe medietas sphaeræ mundi semper supra horizontem relinquitur, altera jugiter occultatur, & æquinoctialis cum horizonte concordat. Quum igitur Sol est in medietate supra horizontem, continuus dies est dimidii anni. Sic Sol si moveretur in medietate sub horizonte, continua nox est dimidii anni. Veruntamen cum ibi Sol ultra signum unum sub horizonte nunquam demergatur, radiis suis superiora semper aequaliter illustrat, & sic quasi semper dies est ibi, nisi quantum aëris grossities, & nebulositas inturbat. Hęc de latitudine Regionum: nunc de longitudine. Longitudo Regionis attenditur ab Occidente in Orientem: ut duo asterisci supra in figura signati solum differunt in longitudine, & non in latitudine, nam æquidistant ab æquinoctiali, sed non ab Occidente. Notandum igitur, qui æquinoctialis circulus dividitur in 360. partes, quas gradus vocant, respondentq; uni gradui æquatoris quindecim milliaria Alemannica communia. Haud dissimiliter omnes alii paralleli dividuntur in tot gradus, sed qui eo minores fiunt, quo paralleli viciniore polo existunt. Unde in parallelo sexagesimo duo gradus unum faciunt gradum æquatoris. Et ut sub æquatore uni gradui respondent 15. milliaria Germanica, ita sub memorato parallelo uni gradui respondent duntaxat septem milliaria & semis, nam proportio est subdupla. Id igitur est quod ad sinistram Tabulæ vides signatum alium & alium numerum milliarium. Sunt autem illa milliaria Italica, quorum sexaginta unum faciunt gradum æquinoctialis, & triginta unum gradum paralleli sexagesimi Longitudinem itaq; duplicibus vides signatam

numeris, sed correspondentibus, in basi scilicet ferè Tabulæ & in capite. Gradus incipiunt a 24. & desinunt usque ad 61. Quorum initium statuit Ptolemæus paulò ultra litora Hispaniæ, quum illic alia terra non appareat, alioqui licuisset initium sumere vel a Pyrenæis montibus vel a Rheno, vel a Græcia, aut alio certo loco, nisi quod commodius visum fuit ibi primum statuere meridianum, ubi terra initium habere putabatur. In cœlis verò Astronomi initium longitudinis statuunt in capite Arietis. Ut autem supra diximus, per singula minuta graduum latitudinis posse describi parallelos, qui locorum distantias indicant ab æquatore, ita quoque per singulos gradus æquatoris & graduum minutias possunt trahi circuli, qui memoratos parallelos ferè ad angulos rectos intersecant, vocanturq; circuli meridiani, & concurrunt omnes in utroq; polo, per quos Regionum addiscimus longitudes, hoc est, quantum distent a primo meridiano, quem Ptolemæus in extremis collocavit Hispaniæ finibus. Exemplum. Vis scire quanta sit longitudo urbis Basilienensis: intra Tabulam, & quære situm ejus & mox videbis eam habere 27. grad. & ferè 30. min. hoc est, dimidium gradum. Item, vis scire longitudinem urbis Constantinopolitanae: Quære eam in Græcia, ubi scilicet majusculis, literis scribitur, PROPONTIS MARE, & illic docebit te scala longitudinis, Byzantium distare a primo meridiano ferè 56. gradibus. Sed dicēs: *Ad quid prodest scire quorumlibet locorum longitudines?* Dicam. Quando duo loca longitudine differunt 15. grad. illa in tempore differunt una hora, hoc est, quum in occidentaliori loco est Meridies, in orientaliori jam ante unam horam fuit Meridies: & eclipfis, sive solis sit, sive lunæ, quæ in occidentaliori loco contingit hora secunda, apparet orientaliori loco hora tertia. Idem sentiendum de conjunctionibus & oppositionibus luminarium, & aliorum planetarum. Vis nunc scire quantum Meridies Constantinopolitanus præveniat Meridiem Basiliensem? Subtrahere longitudinem minorem a majori & relictum, nempe 28. gradus, 30. min. quæ sunt differentia illorum locorum, indicabit tibi Constantinopolitanos propemodum duabus horis nostrum præoccupare Meridiem. Id autem accidit ob terræ rotunditatem, & continuum solis motum. Vocantur autem hi circuli, qui æquatorem & utrumq; polum intersecant, meridiani, quod quum sol suo motu unum illorum apprehenderit, omnes sub eo habitantes simul habent Meridiem: Ut, sub meridiano Constantinopolitano invenies has urbes, Cyzicum in Bithynia, Grössam & Lycostam juxta ostia Danubii, Rigam in Livonia, omnes uno temporis momento simul habere Meridiem atque omnes horas diurnas pariter & nocturnas, præterea eclipfes, oppositiones & conjunctiones. Nec refert quod circuli illi meridiani versus polum semper arctiores inter se fiunt, quia paralleli quantumlibet contracti, per quos transeunt meridiani, æquè pro sua diurna revolutione opus habent 24. horis, ut æquator maximus circulus. Gradus quidem minores fiunt minoribus parallelis, sed tempori ob id nihil decedit. Ut autem omnes qui sub eodem habitant meridiano, simul habent luminarium eclipfes (præsertim Lunæ) conjunctiones & oppositiones, non autem easdem per annum dierum quantitates: ita vicissim qui sub eodem habitant parallelo, sive eandem habent latitudinem,

habent per totum annum æquales dies & noctes, hoc est, quantum æstivo tempore in uno loco crescunt singuli dies, & rursus decrescunt hiberno tempore, tantum quoque in alio loco auferuntur & minuuntur, habent eandem poli, planetarum, & stellarum fixarum elevationem; sed ortum & occasum diei, atque omnes horas diei & noctis difformiter habent. Nunc ubi Tabula nostra, seu potius Germania nostra, locum habeat in terræ globo, tibi ostendam. Adverte igitur superiorem figuram, quæ typum dimidii globi terreni gerit: in hac vides meridianos circulos à polo in polum per æquatorem tractos, quindecim gradibus à se invicem distantes, quorum primus in Occidente à Ptolemæo, ut supra quoque diximus, constitutus est. Parallelos verò ex transverso meridianos secantes, nullos præter æquatorem & utrumque tropicum inscripsimus: quamvis facile inscribi potuissent officio duorum quadrantum seu semimeridianorum, quos vides ab æquatore ad polum arcticum in nonaginta divisos gradus. Germania itaque secundum longum arctatur inter meridianum vigesimum quartum, quem litera c e demonstrant, & sexagesimum, qui notatur literis d f. Secundum latum verò clauditur à Septentrione per parallelum e d: qui sexagesimus est ab æquatore, & per parallelum meridianum e f. qui quadragesimus primus est ab æquatore. En vides nunc *quem locum in terrene globo nos Germani sortiti sumus*, quam longè removemur à medio cœli, hoc est ab æquatore, quam vicini sumus polo arctico, si ve septentrionali, & quam propinqui extremitati terræ ab Occidente, ut *ferè angulum mundi in terra divisione sortiti* videamur. Sed si eam zonam conferas cum habitatione, quæ est sub æquinoctiali, quam *torridam* vocant zonam, multò temperatiorem, & humanæ habitationi commodiorem invenies. Nam non habet tantos æstus, ut illa, *ubi etiam hominum sanguis exurit, & pellis in nigredinem commutatur, & omnia ferè terra nascentia sicciora sunt, quam quæ commodè nutrire queant hominum corpora: & propterea tota illa zona minus populosa est* nostro climate, multas & vastas habens solitudines, quas dracones non homines inhabitant. Sed de his alibi. Ultimo canon quoque ponendus est de locorum distantis, ex Tabula inveniendis, isque hic est juxta Geometricam rationem. Quum duorum locorum, quæ continet Tabula, distantiam scire volueris, extende ab uno ad alium circinum, aut filum aliquod, & ac-

ceptam intercapedinem applica uni ex lateralibus scalis, quæ vice duorum extremorum sunt meridianorum, & interceptos gradus multiplica per quindecim, & prodibit distantia in milliariis Germanicis. Quod si ultra integros gradus adhuc aliqua supersint minuta, accipe pro singulis quatuor minutis unum milliare, & adice prioribus milliariis, quæ ex gradibus elicuiti, & habebis totam distantiam. Exemplum. Cupio scire quanta distantia à Basilea sit usque ad Romam Italiæ Metropolim, & juxta jam expressum modum invenio gradus octo, atque minuta vigintiquatuor. Redigo igitur primò gradus in milliaria, & invenio centum & viginti. Deinde ex vigintiquatuor minutis colligo adhuc sex milliaria, quæ prioribus adjecta constituunt centum viginti sex, quæ Romam usque propiori via sunt. Item, volo scire quot milliariis Germanicis Constantinopolis distet à Venetiis: & primò quidem invenio intercipi gradus sedecim, qui faciunt milliaria Germanica ducenta & quadraginta, & insuper minuta decem, quæ resolvuntur in duo milliaria & semis. Est igitur rota distantia à Venetiis usque ad Byzantium, ducentorum quadraginta duorum milliarium, atque semis. Juxta arithmeticam verò rationem majori opus est labore, quando duarum civitatum, vel quorumlibet duorum locorum intervalla investigantur. Tunc enim primò animadvertendum, an illa loca differant vel latitudine tantum, vel longitudine tantum, aut longitudine & latitudine (ut plerumque fit) simul. Quando latitudine tantum differunt, tunc illa differentia solum redigenda est in milliaria, & habes distantiam. Sin longitudine tantum differant, differentia longitudinis primò vertenda est in gradus æquatoris (nam gradus parallelici minores sunt gradibus æquatoris & meridianorum) & deinde hi gradus resolvendi in milliaria. Quod si longitudine & latitudine differant, differentia longitudinis juxta mediam illorum locorum latitudinem accepta, vertenda primò est in gradus æquatoris, & deinde in se multiplicanda. Similiter autem differentia latitudinis in se duenda est, & productum addendum, numero qui prodit ex multiplicatione differentiarum longitudinis, atque totius aggregati querenda radix quadrata, quæ multiplicata per 15. ostendet locorum distantiam. Et ista quidem aliquando tibi clariora trademus. Hæc pro declaratione Tabulæ Cusanae sufficere putamus.



HISTORIA

ARMINII GERMANORUM
CONTRA ROMANOS
DUCIS.

EX FIDE DIGNIS HISTORICIS ANTE ALIQUOT ANNOS

A GEORGIO SPALATINO,
LINGUA POPULARI CONSCRIPTA,
NUNC IN SERMONEM EORUM, EX
QUIBUS DESUMPTA FUIT,
TRANSFUSA

PETRO KENLERO AUTORE.

CAPUT I.

QUA OCCASIONE ARMINIUS
BELLUM ROMANIS MOVERIT.

OCTAVO Augusto Cesare rerum Romae potente eam partem Germania, qua nunc Ducatus Bergensis dicitur, ab ora Rheni ferè ad Visurgim usque, filius Sigemeri bellica virtute Clarissimus, & ut ex multis colligere licet, antiquorum Saxonum Dux, à Romanis Arminius, à suis verò Hermannus vocatus, tenuit. Cum verò Imperatores Romae contra Germanos maxime Cheruscicos, ad Rhenum, Amisam, Lupiam & Visurgim Tiberio Druso, & Germanico Ducibus, ut ex fide dignis Historiis Cornelii Taciti, Velleji Paterculi, Orosii & Strabonis clarè videre est, bella gererent, Arminii Virtus praeter ceteris ita emicuit, ut cum non saltem libertatem suae patriae, sed & totius Germaniae defenderit, ac Romanis plurimum negotii consilio armisque fecerit, Paterculus eum dignum titulo Liberatoris Germania censuerit, cum hac commemoratione, quòd cum alii non prius arma contra Romanos sumpserunt, quam cum horum potentia inclinari, & imminui cœperit, hic Romanos invadere, eorumque exercitus cedere, cum ipsorum potentia atque Imperium omnium latissime paterent, ausus sit. Temporibus namque Augusti, Imperium Romanum longè amplissimum potentissimumque fuisse, nemini non notum est. At cum, ut Suetonius & Historici omnes, concordi voce testantur, Augustus toto Imperii tempore, quod ad quinquaginta tres annos sese extendit, omnia bello secundo Marte gesserit, atque hostes suos feliciter ac gloriose devicerit, duplicem tamen cladem in Germania accepit, alteram sub Duce Lollio, alteram sub Varo Quintilio contra Cheruscicos, quae tanta fuit, ut etiam Plinius libro VII. naturalis historiae cap. 45. inter maximas Augusti adversitates hanc Vari cladem recenscat, illamque ejus Majestatis fœda suggillationi extitisse scribat.

Strabo Graecus Auctor, lib. VII. Geographiae, cladis hujus causam hanc fuisse commemorat. Sicambri qui nunc Geldrenses vocantur, instinctu Ducis sui Melonis rupta pace, ac fide violata bellum contra Romanos moverunt, cui etiam Cheruscici se socios adjunxerunt. Nam in Cheruscorum terra,

quae partim Marchia Juliacensis, partim Ducatus Brunsvicensis, cum Comitatu Lippensi fuit, teste eodem Strabone, haec clades accidit, scribente, exiguum fidei atque famae suae rationem à Cheruscis habitam Arminio ad tale facinus eos concitante, à qua narratione nec Cornelius Tacitus dissentit. At tamen Vellejus Paterculus & Florus memoriae tradiderunt, Romanorum Ducem Varum Quintilium non penitus culpa ejus cladis caruisse. Eum etenim hominem avarum, parcum, restrictum, elatum, inhumanum ac crudelem fuisse, quiq; Syriam, cui eum Romanus Imperator praefecerat, ita administravit, ut qui eo parvis opibus profectus fuerat, ditatus inde redierit, terra inope atque egente post se relicta, ut Paterculus refert, Ex Floro colligi potest eum libidinosum atq; impurum hominem fuisse. Eane res vel alia Arminium contra Romanos commoverit, affirmare non habeo. Ipse sanè, ut Tacitus, Paterculus, & Strabo commemorat, Cheruscicos eo impulit, ut rebellionem facta contra Romanos arma caperent, eosque publice invaderent.

CAP. II.

Quomodo Arminius Varum Quintilium Romanorum Ducem cum omnibus copiis profligavit.

HÆC clades Druso Cesare, & Cajo Norbano Consulibus accidit. Nam etsi Germanico obdevictos nonnullos Germanos triumphus jam decretus esset, tamen rumore Romam allato de disensione Arminii socerique ejus Segestis, Romani occasione ejus certam indubitamque spem, de ipsis subjugandis, concipiebant. Etsi enim Arminius Segestis gener esset, tamen hic, quod is filiam suam Thuaneldam alteri desponsatam, se invito, rapuisset, ei, perquam exosus erat, ac licet Segestes Varum Quintilium, ut sibi caveret, admonuerat, Tacito & Paterculo Auctoribus, nihil tamen profecit. Nam quemadmodum eorum hic tradit, Varus eam admonitionem sprevit, negavitque se credere à gente, quae antea Romanis fida atque amica fuisset, infesti quid agitari. Quae securitas &

ei, & toti exercitui exitio fuit. Quamvis etiam Segestes, popularium consensu, in bellum contra Romanos tractus esset, in partes tamen Romanorum, quam generi Arminii propensior erat. Veruntamen aliter fieri non potuit, quam accidit. Segestes sapius Varo significarat, rebellionem parari, facile eam opprimi posse, si auctores ejus comprehensi vinciantur. Hoc etenim facto, plebem facile quieturam, nec ausuram quicquam. Verum hæc inania fuerunt, paulo enim ante cladem, Germani ejus loci, cum ex composito lites finxissent, alter alterum injuria provocantes, Varus ad lites sedandas in æstivis sese armavit quidem, sed nihilominus concilium coegit, & in castris jus dicere coepit, quasi violentiam Cerimanorum vel licitoris virgæ, vel præconis voce posset inhibere. At illi, qui jam pridem rubigine oblitos enses Romanorum hebetata arma, inertesq; & marcidos cernerent equos, ac solita armis discerni jure ab ipsis terminari, Duce Arminio arma corripunt, & vi in Romanos irruunt. Cum verò Varo tanta pacis fiducia esset, ut tumultuantes ad tribunal citare, & jurè cum ipsis agere conaretur, tanto impetu undique in eum inlurrexerunt, ut ipsam cum tribus legionibus, totidemq; Legatis, & aliis, ac sex cohortibus magnaque multitudine auxiliarium ad internecionem ferè caderent. Varus graviter in prælio vulneratus, cum perditas res cerneret, eodem eas, quo Cannensem diem Paulus Aemilius, & fato & animo est securus. Accidit verò hæc clades in saltu Teutoburgensi, inter Amisam & Lupiam amnes, ut Tacitus testatur, quamvis Melanchthon & Charion circa Visurgim eam accidisse auterunt. Porro, vera ratione cælorum subducta ingens eorum numerus, nec infra quinquaginta millia fuit, nec Paterculo Auctore, ulla post crassi in Parthis cladem in externis gentibus gravior Romanis calamitas illata est. Justa Historici de eo volumina scripserunt, & Paterculus qui ea ætate vixit, ac parentem in bellis Germanicis Præfectum atque Legatum habuit, integra volumina de ea condere instituit.

CAP. III.

De Augusti Imperatoris consternatione Variana cladis nuncio allato,

Suetonius scribit Augustum Imperatorem nuncio Varianae cladis accepto, tantoperè consternatum, ut Præsidibus Provinciarum, Imperium propagarit, ut à periculis & assuetis sociis conserentur, & excubias diu noctuque per urbem indixerit, metu ne Germani victoria freti Romanis contenderent, eamque diriperent. Ad hæc barbam, capillosq; per continuos menses submiserit, ac caput interdum foribus illiserit, vociferans. *Quintili Vare redde Legiones, diemque cladis mœstum quotannis habuerit ac lugubrem.* Denique quod magnos ludos voverit Jovi optimo Maximo, si Rempub. in meliorem statum vertisset. *Tanta trepidatio Imperatoris victoris totius terrarum orbis illustris, tunc temporis metu Germanorum fuit.*

CAP. IV.

Quam ignominiosè Romani post cladem Varianam à Germanis sint habiti.

Florus memoriae prodidit, id quòd omnino in hac clade horrendum est, Romanos more pecu-

dum trucidatos, nec ullam cujusquam personam, vel Nobilis, vel plebejæ rationem habitam. Cumque Romani sylvarum, paludum, ac lacuum, in quas confugerant, ignari essent, eos in ipsis miserabiliter ad internecionem cæsos, nihil quoque Germanorum insultatione in illa strage intolerantius fuisse, præcipue tamen, ut idem scribit, causarum patroni crudelissime sunt habiti, quorum alius oculi eruti, alius manus sunt amputata, unus os sutum, rescissa prius lingua, quam in manu tenens, Germanus dixit, tandem vispera sibilare desisse. Ipsi quoque Vari corpus, quod militum Pieras humi abdiderat, effossum, cui cum alii, cum Segimerus filius fratris Segestis, ut Tacitus refert, præcipue illudit. Signa quoque & aquilas duas Romani in hoc prælio amiserunt. Tertium signiter, priusquam in manus hostium veniret, evulsit, inersaq; inter balthæi sui latebras gerens, in cruenta palude, sic latuit.

CAP. V.

Cladis Varianae effectus,

Hæc clade ut Florus scribit, factum est, ut Imperium Romanum, quòd in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret, nec Romani ulterius progredi auderent. Adeò dura, molestaq; hæc Arminii victoria ipsis fuit. Ac, ut omnia in pauca conferam, Græci cum Latinis in hoc consentiunt, tres Legiones in Variana clade cæsas, cujus præcipui testes sunt: Strabo, Cornelius Tacitus, Florus, Suetonius, Paterculus & Orosius. Incidit verò hæc clades in annum orbis conditi 3672. A diluvio 2315. ut diligenter annotavit Paulus Phrygio in suis Chronicis. In annum à Christo nato undecimum. Imperii Octaviani Augusti quinquagesimum secundum. Urbis conditæ 762. Ab expulsi Regibus 518. Consulibus Publio Cornelio Dolabella, & Cajo Junio Sylvano, quinque annis ferè ante obitum Augusti. Hic etenim Imperio præfuit annos 56. ut Suetonius, & alii scriptum reliquerunt. *Continuit autem Legio ad minus sex, interdum septem millia civium Romanorum.* Ut verò illustri Germanorum victoria contra Romanos fuerit, non tamen ejus gaudium diuturnum fuit. Nam ut Strabo lib. VII. Geographia scribit: *Paulo post graves pœnas sub Germanico juniore dederunt.* Vellejus Patereulus, qui ut & parens, novem annis sub Tiberio in Germania Præfecti munere functus est, inter cætera scribit, quòd vix, postquam Tiberius ultimam Pannonico ac Dalmatico bello manum imposuerat, ei funestæ ex Germania epistolæ cæsi Vari, trucidatarumq; legionum trium, totidem alarum, & sex cohortium allatæ sint.

CAP. VI.

De moribus Vari, & qua ratione res in Germania administravit, deq; causis acceptæ cladis.

Patereulus monumentis Annalium prodit, Varum Quintilium, virum ingenio mitem ac placidum, moribus quietum, otio magis castrorum, quam bellica assuetum militia, sed pecunia quam par sit, cupidiores fuisse. Eum, cum exercitui Romanorum, qui erat in Germania, præfisset, concepisse, Germanos esse, qui nihil præter vocem, membraq; haberent hominum, quæ gladiis domari non possent, posse jure mulceri. Quo proposito mediam ingressum Ger-

CAP. IX.

*De virtute quorundam Romanorum in
prælio Variano.*

maniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine, traxisse æstiva. At Germanos in summa fertitate versutissimos simulasse fictas lictum series, & nunc se provocasse mutuis injuriis; nunc gratias egisse, quod eas Romana justitia finiret. Cum ergo solita armis discerni, jure terminarentur, in summam socordiam Varum prolapsus fuisse, usque eò, ut se Prætorum Urbanum in foro jus dicere, non in medijs Germaniæ finibus, exercitui præesse, crederet. Id Arminium, *virum sensu celerem, ingenio promptum, Romane militiæ assuetum, ac Civitatis Romana jus, Equestremq; gradum consecutum,* animadvertisse, ac legnitiæ Vari in occasionem sceleratæ rebellionis usum, haud imprudenter speculatum, *neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem.* Primò igitur ipsum paucos, mox plures in locietatem consilii recepisse, suadendo, Romanos opprimi posse, deinde decretis facta junxisse, ac tempus insidiarum constituisset. Hisce idem Paterculus subjungit, exercitum omnium fortissimum disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos principem, marcote Ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventum, ad interfectionem trucidatum esse. Ducem plus ad moriendum, quam ad pugnandum animi fuisse, quippe paterni avitiq; successorem, seipsum transfixisse. Cejonio quoque castrorum Præfecto crimini dat, quod cum longè maximam partem exercitus amisisset, auctor deditiois supplicio, quam prælio mori maluerit. Similiter Volumnium, vel ut alii legendum arbitrantur, Valerium Numerium, Vari Legatum, cætera quietum ac probum, turpe exemplum in eo prælio prodidisse. Nam ipsum suos, qui à Germanis spoliati erant, reliquisse, ac fuga cum aliquot alis Rhenum petiisse. Quod ejus factum Divina ultio exceperit. Non enim desertis superfuisset, sed desertorem in Rheno occidisse.

CAP. VII.

Quam inhumaniter in Vari cadaver servitum sit,

Præter hæc Paterculus tradit, Germanos tam effere atque immaniter in Vari cadaver servasse, ut corpus semiustum lacerarint, caput ejus abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem Tiberium, qui id Centilitii tandem tumuli sepultura honoravit.

CAP. VIII.

De Tiberii profectio in Germaniam post cladem Varianam, & rebus ab eo gestis,

Præterea Paterculus Historiam hanc proficens, subnectit: Cæsarem Tiberium, hisce in Pannonia auditis, ad Patrem Octavianum Augustum, tanquam perpetuum Patronum Romani Imperii revolasse. Missum igitur ab Augusto Tiberium in Germaniam. Et *quamvis Germani post hanc cladem Cymbricam Teuthonicamque Italia minitatis fuerint, nihilominus Tiberium in interiora Germaniæ, ultra Rhenum, penetrasse, limites aperuisse, agros vastasse, domos ussisse, obvius ac resistentes fuisse, maximaq; cum gloria incolum omnium, quos transduxerat numero in hyberna reversum.*

CAP. X.

De expeditione Cæsaris Germanici contra Arminium,

Post Tiberii in Germaniam reditum & abitum, Cæsar Germanicus, Auctore Tacito, contra Arminium ejusq; socios profectus est, & quatuor Legiones, & quinque auxiliarium millia, cum tumultuariis catervis, Germanorum cis Rhenum colentium, Cæcinnæ tradidit, ac totidem Legiones, duplicemq; sociorum numerum ipse duxit. *Cæcinnam contra*

Marfos, qui hodie Bergenses esse existimantur, mittens quos is congregavit, auro prospero praelio cohibuit, ipse expeditum exercitum in Chattos rapuit, L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto. Fuerat animus Cheruscis juvare Chattos, sed exterruit Cæcinna, huc illuc ferens arma.

CAP. XI.

De defectione popularium Segestis socii Arminii, hoc eos ad ipsam impellente.

IN terea populares Segestis instinctu Arminii ab ipso deficientes, ipsum circumsidebant, validiore apud eos Arminio bellum suadente, quam Segeste Romanorum amicitiam spectante. Quare Segeste filium Seigimundum, una cum aliis Legatis, auxilium oraturis, ad Germanicum misit, ut conscientia cunctaretur, quippe qui anno, quo Germani descivere, Sacerdos apud aram Ubiorum creatus, vittis ruptis, ad rebelles profugerat. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, patris mandata pertulit, atque a Romanis benigne exceptus est.

CAP. XII.

Quomodo Caesar Germanicus, Segeste obsidione liberato filiam ejus, Arminii uxorem gravidam, captivam abduxerit.

Germanicus Legatione Segestis audita, Seigimundum filium ejus, cum præsidio Gallicam in ripam misit, ipse agmine converso in obsidentes Segestem pugnavit, eumque magna cum propinquorum & clientium turba, eripuit. Inerant foeminae uobiles, inter quas Arminii uxor, eademque filia Segestis Thuanelda, uterum ex Arminio ferens, inarriti magis quam parentis animo, neque victa in lachrymas, neque voce supplex, compressis in tra sinum manibus, gravidum uterum intuens. Ferebantur & spolia Variarum cladis, plerisque eorum, qui tum in debitorem veniebant, prædæ data. Simul Segestes ipse, ingens visu, & memoria bonæ atque constantis societatis, ad Germanicum deductus, verba in hunc modum fecit: *Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei & constantia dies, ex quo a Divo Augusto civitate donatus sum, amicos, inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patria (quippe proditores etiam eis, quos anteposuit, in visis sunt) verum quia Romanis Germanisque idem conducere, & pacem, quam bellum probabam. Ergo raptorem filia mea, violatorem fœderis vestri Arminium apud Varum, qui tum exercitui præsidebat, rem feci. Dilatus segnitia Ducis, quia parum præsidis in legibus erat, ut me & Arminium & consocios viviret flagitavi. Testis illa nox, mihi utinam potius novissima. Quæ secuta sunt defleri magis, quam defendi possunt. Caterum & injeci catenas Arminio, & a factione ejus injectas perpeffus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis, & quiesca turbidis antebabeo, neque ob præmium, sed ut me perfidia exolvam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si penitentiam, quam perniciem malueris. Pro juvenia & errore filii veniam precor. Filiam necessitate huc adductam fateor. Tuum erit consulare, utrum prevaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est. Cæsar clementi responso, liberis,*

propinquisque incolumitatem, ipsi sedem veterem in Provincia pollicetur. Hæc fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum in vitis aut cupientibus erat spe, vel dolore accipitur. Arminii uxor in Italiam abducta, Ravennæ virilis sexus stirpem, quam Strabo Thumelich vocatam scribit, edidit, quæque ibidem Cornelio teste, educata est.

CAP. XIII.

Quantopere Arminius captivitate uxoris commotus sit, & ejus in selectiva contra Romanos, & Segestem sociorum.

Etsi Arminius natura vehementis ac incitati ingenii esset, tamen super insitam violentiam, rapta uxor, servitioque uterus uxoris subjectus, magis recordem transversumque agebant. Quapropter per Cheruscis volitabat, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens. Neque a probris temperabat: egregium Patrem, magnum Imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam auerunt. Sibi tres Legiones, totidem Legatos procubuisse. Non enim se prodicione, neque adversus foeminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare, cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, qua Divus patrius suspenderit, colere Segeste victam ripam, redderet filio Sacerdotium, hominem Germanos nunquam satis excusaturus, quod inter Albim & Rhenum iurgas, & securas, & togas viderint, aliis gentibus ignorantia Imperii Romani in experta esse supplicia, nesciat tributa, qua quando Germani excuerint, irritusque discesserit ille, inter Numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne sedatiosum exercitum pavescerent: Si patriam parentes, antiquam mallent, quam dominos, & novas colonias, Arminium potius, gloria ac libertatis, quam Segestem flagitiosa servituti ducem sequerentur.

CAP. XIV.

De gentibus per Arminium contra Romanos concitatis.

Conciti hac oratione non modo Cheruscis, sed & conterminæ gentes, tractusque in partes Inguomerus Arminii patris, veteri apud Romanos auctoritate: Unde major Cæsari metus, & ne bellum mole una ingrueret, Cæcinnam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. Equidem Pado Præfectus finibus Frisiorum ducit, ipse impositas navibus quatuor Legiones per lacus vexit, simulque pedes, eques, classis apud prædictum amnem convenere. Chaucci, cum auxilia pollicerentur, in committium asciti sunt. Bructeros sua urentes, expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit, interque eadem & prædam reperit unde vicissimæ Legionis Aquilam cum Varo amissam. Dum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam & Lupiam amnes inter vastatum.

CAP. XV.

Quam honeste Cæsar Germanicus interfectorum in Variarum clade corpora sepultura mandari curavit.

Haud procul Thentoburgensi saltu (is paucis miliaribus Dusseldorpio oppido, Duci Juliae censi,

tenfi, in Marchia Bergenfi, subdito *distat*) reliquæ Vari Legionum quæ insepultæ dicebantur. Igitur cupidus Cæsarem invadit solvendi suprema militibus Ducique, permoto ad miserationem omni, qui aderat, exercitu, ob propinquos, amicos, deniq; ob casus bellorum, & sortem hominum, præmissis Cæcinnæ, ut occulta saltuum scrutaretur, pontesq; & aggeres humido paludum, & fallacibus campis imponeret. Incedunt mæstos locos, visiq; ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu, & dimensis principiis, trium Legionum manus ostentabant, dein semiruto vallo, humili fossa accisæ jam reliquæ confedissee intelligebantur. Medio campi albertia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disjecta, vel aggerata. Adjacebant fragmina telorum, equorumq; artus, simul truncis arborum antefixa ora. Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quos Tribunos, ac primorum ordinum Centuriones mactaverant, & cladis ejus superstites pugnam, aut vincula elapsi, referebant, hic cecidisse Legatos, illic raptas aquilas, primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextra, & suo ictu mortem invenerit, quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captivis, quæ scrobes, utq; signis & aquilis per superbiam illuserit. Igitur *Romanus qui aderat, exercitus, sextum post cladis annum, trium Legionum ossa nulla noscente, alienas reliquias, an suorum, humo regebat, omnes ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mæsti simul & insensu condolebant. Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratisimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caforum insepultorumq; tardatum ad prælia, & formidolosiorum hostium credebatur. Neque Imperatorem auguratum, & vetustissimis ceremoniis prædium, attrectare feralia debuisse.*

CAP. XVI.

De levi prælio inter Germanici & Arminii copias, commisso.

Cum ergo Arminius in avia recessisset, Germanicus cum infecutus, ubi primum copia fuit, *evahi equites, campumq;, quem hostis infederat, eripi jubet. Arminius colligi suos, & propinquare sylvis monitos, vertit repente, mox signum prorumpendi dedit eis, quos per saltus occultaverat.* Tunc nova acie turbatus eques, missaq; subsidiariæ cohortes, & fugientium agminæ impulsæ, auxerant consternationem, *trudebanturq; in paludem, gnaræ vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar, productas Legiones instruxisset, inde hostibus terror fiducia militi, & manibus æquis abscessum. Mox reducto ad Minisiam exercitum, Legiones classe, ut advexerat, reportat. Pars equitum littoræ Oceani petere Rhenum iussa.*

CAP. XVII.

Quid quantumq; negotii Arminius Cæcinnæ regredi volenti exhibuerit.

Postea Cæcinnæ suum militem per pontes longos, quæ maturimè idq;, monitus, ducebat. Angustus is trames, vastas inter paludes, & quondam à L. Domitio aggeratus, cætera limosa, tenacia gravi cæno, aut rivis incerta erant, circum sylvæ paulatim acclives, quas tum Arminius implevit compendius

viarum & cito agmine, onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. *Cæcinnæ dubitanti quoniam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulq; propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus & alii prælium inciperent.* Germani perfringere stationes, seq; inferre munitoribus visi, latelunt, circumgrediuntur, occurrunt, miscetur operantium bellantiumque clamor, & cuncta pariter Romanis adversa, locus uliginè profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loriceis, neque librare pila inter undas poterant. Contra, Cheruscis sueta apud paludes prælia, proceræ membra, hasta ingentes, ad vulnera faciendâ, quamvis procul *Nox demum inclinans tum Legiones adversæ pugna exemit.* Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quieret, quantum aquarum circumfurgentibus jugis oritur, vertere in subjecta mersaq; humo, & obruto, quod effectum operis, duplicatus militi labor.

CAP. XVIII.

Quomodo Arminius Cæcinnam cum suis in fugam compulerit.

Quadragesimum stipendium Cæcinnæ parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumq; rerum sciens, eoq; interritus. Igitur futura volvens, non aliud reperit, quam ut hostem sylvis coërceret, donec faucibus, quantumque gravioris agminis, anteirent. Nam medio montium & paludum porrigebatur planicies, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur Legiones, quinta dextra lateri, undevigesima in lavum, primani ducendum ad agmen, viceimanus adversum secuturos: Nox per diversa iniquies, cum Germani festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subjecta vallium, ac resultantis saltus compleverunt, apud Romanos invalidi ignes, interruptæ voces, atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insonnes magis quam pervigiles, Dicemq; terruit dira quies. Nam *Quintilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum, cernere, & audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse.* Cæpta luce missæ in latera Legiones, metu, an contumacia locum deseruere, capto prope campo humentia ultra. Neque tamen Arminius, quam libero incursu, statim prorupit, sed ut hæretæno fossisq; impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utq; tali in tempore, sibi quisq; proprius, & lenta adversum imperia aures, erumpere Germanos jubet, clamitans: *En Varus, & eodemq; iterum facto, viæ & Legiones.* Simul hæc, & cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. Illi sanguine suo, & lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus dsjicere obvios, proterere jacentes. Plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferri ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcinnæ, dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus, circumveniebatur, ni prima Legio sese opposuisset, juvit hostium aviditas, omisfa cæde prædam sectantium, enisq; Legiones vesperascente die in aperta & solida.

CAP. XIX.

In quantam consternationem Romani fortuito casu conjecti sint.

Necis miseriarum Romanarum finis, struendum erat vallum, petendus agger, amissa magna

gna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cæpes. Non tentoria manipulis, non fomenta faucibus, infectos cæno, aut cruore, cibos dividentes, funestas tenebras, & tot hominum millibus, unum janî reliquam diem lamentabantur. *Fortè equis, abruptis vinculis vagus, & clamore territus, quosdam occurrentium obsurbavit. Tanta inde consternatio, irrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, averla hosti, & fugientibus tutior. Cæcina comperto vanam esse formidinem, cum tamen neq; auctoritate, neq; precibus, neq; manu quidem obsisteret, aut retinere militem quiret, projectus in limine porta, miseratione demum, quia per corpus Legati eundum erat, clausit viam, simul Tribuni & Centuriones falsum pavorem docuerunt.*

CAP. XX.

Quomodo Romani Germanos, castra ipsorum oppugnantes repulerint.

Post hæc Cæcina Romanos contractos in principia, iustosq; dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet: *Unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda manendumq; intra valliam, donec expugnandi hostes spe, propius succederent, mox undiq; erumpendum, illa eruptione ad Rhenum perveniri. Quod si fugerent, plures sylvas, profundas magis paludes, sevitiam hostium superesse, ac victoribus decus, gloriam, quæ domi chara, quæ in castris honesta memorat, retinuit de adversis.* Equos dehinc, orsus à suis, Legatorum Tribunorumq; nulla ambitione, fortissimo cuiq; bellatori tradit, ut hi, mox pedites, hostem invaderent. Haud minus inquietos Germanos, spe, cupidine, & diversis Ducum sententiis agebat. Arminio, sinerent egredi, egressosq; rursus per humida & impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero, & læta Germanis, ut vallum armis ambirent, promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore. Igitur orta die, prouunt fossas, injiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite, & quasi ob metum defixo. Postquam hæserè munimentis, datur cohortibus signum, cornuaq; ac tubæ concinnuere, exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, non hic sylvas, nec paludes, sed æquis locis æquos Deos. *Hosti facile excidium, & paucos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offenduntur, cadebantq; ut rebus secundis avidi, ita adversis incanti.* Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus, pugnam deseruere. Vulgus trucidatum est, donec ita & dies permansit, nocte demum revertæ Legionibus, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere. Pervaserat interim circumventi exercitus fama, & infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina, Cæsaris Germanici uxor, mater Caligulæ, impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant, qui id flagitium formidine auderent. Sed fœmina ingens animi, munia Ducis per eos dies induit, militibusq; , ut quis inops, aut faucius, vestem & fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum Scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes & gratias revertis Legionibus habentem.

De discrimine, in quo Romani adversus Arminium missi, Oceano fluctuum tempestate tumefcente, constituti fuerunt.

Postea Germanicus Legionum, quas navibus vexerat, secundam & quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendos tradit, quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret. Vitellius primum inter sicca humo, aut modicè al labente æstu, quietum habuit. Mox impulsu Aquilonis, simul sidere æquinoctii, quò maxime tumescit Oceanus, rapi, agiq; agmen. Et opplebantur terra. Eadem freto, littori, campis facies. Neque discerni poterant incerta ab solidis, brevìa à profundis. Steruntur fluctibus; hauriuntur gurgitibus jumenta, sarcinæ: Corpora exanima, interfluunt, occurrant. Permissentur inter se manipuli, modò pectore, modò oretenus extantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti. Nec vox, & mutui horatus juvabant. Adversante unda, nihil strentius ab ignavo, sapiens à prudenti, consilia à casu differre, cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enifus, eodem agmen, subduxit, pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut multato corpore, haud minus miserabiles, quam quos hostis circumfideret. Quippe illis honestæ mortis usus, his inglorium exitium. Lux reddidit terram, penetratumq; ad amnem Visurgim, quò Cæsar classe contenderat. Impositæ deinde Legionibus, vagante fama submersas, nec fides salutis, antequam Cæsarem exercitum quere ducem videre. Jam Stertinius ad accipiendum in deditioem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat. Data utrique venia, facilè Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus illuisse dicebatur.

CAP. XXII.

De amulatione Tiberii adversus Germanicum, & colloquio Arminii cum Flavio fratre.

Germanico tertium jam annum in Germania belligerante, ac rebus in Armenia turbatis, Tiberius Germanicum suis Legionibus, perquam libenter abstraxisset. At hic quanto altiora in eum studia militum, & averfa patris voluntas, tanto celerandæ victoriæ intentior, tractare præliorum vias, & bellum contra Arminium continuare, ita ut ad Visurgim perveniret: Quò cum appulisset, ejus in ripa, cum cæteris primoribus, Arminius astitit, quaesitoq; an Cæsar venisset, postquam adesse responsum est, *ut liceret cum fratre colloqui, oravit.* Eratis in exercitu cognomento Flavius, insignis fide, & amisso per vulnus oculo paucis antè annis Duce Tiberio. Tum permissum, progressusq; salutatur ab Arminio, qui amotis stipulatoribus, ut sagittarii Romani pro ripa dispositi abscederent, postulat, & postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem: Illo locum, & prælium referente, quodnam præmium recepisset exquirat. Flavius aucta stipendia, torquem, & coronam, aliq; militaria dona memorat, irridente Arminio vilia servitii pretia. Exin *diversi ordiuntur.* Hic magnitudinem Romanam, opes Cæsaris, & victis graves pœnas, in deditioem venienti paratam clementiam, neque

conjugem & filium ejus hostiliter haberi. Ille fas patriæ, libertatem avitam, penetrales Germaniæ Deos, matrem precum sociam, ne propinquorum & adfinium, denique gentis suæ desertor & proditor, quàm Imperator esse mallet. Paulatim inde ad jurgia prolapsi, quo minus pugnare conferrent, ne summe quidem interjecto cohibebantur, nisi Stertinius adcurrentes, plenum iræ, armaq; & equum poscentem Flavium attinisset. Cernebatur contra minitabundus Arminius, præliumque denunciâns. Nam pleraque Latino sermone interjaciebat, ut qui Romanis in castris Ductor Populatiuum meruisset. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit.

CAP. XXIII.

De levi prælio Germanorum, cum tribus Romanorum Præfectis.

Cæsar Germanorum acie ita instructa, nisi pontibus præsidiiisque impositis dare in discrimen Legiones hand Imperatorum ratus, equitem vado transmittit. Præfuerit Stertinius, & è numero primipilariū Aemilius, distantibus locis investit, ut hostem deducerent. Quà celerrimus amnis Catiovalda Dux Batavorum erupit. Eum Cherusci, fugam simulantes, in planitiem saltibus circumjectam traxere, deinde coorti, & undiq; effusi tridunt adversos, instant cedentibus, collectosq; in orbem, pars congressi, quidam eminus proturbant. Catiovalda diu sustentata hostium sævitia, horratu suos, ut ingruentes catervas globo fringerent, atque ipse in densissimos irrumpens, congestis telis & suffosso equo labitur, ac multi Nobilium circa. Cæteros vis sua, aut equites cum Stertiniū Aemilioq; subvenientes, periculo eximere.

CAP. XXIV.

De pugna inter Arminium & Germanicum commissa.

Cæsar transgressus Visurgim, indicio per fugæ, cognoscit delectum ab Arminio locum pugnæ, convenisse & alias nationes in sylvam Herculi sacram, aufurosq; nocturnam castrorum oppugnationem. Habita indicii fides, & cernebantur ignes, suggestiq; propius speculatores audiri fremitum equorum, immensiq; & inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo summæ rei discrimine, explorandos militum animos ratus, quoniam id modo incorruptum foret, secum agitabat. Tribunos & Centuriones lata sapius quam comperta nunciare, libertorum servilia ingenia, amicis inesse adulationem, si concio vocetur, illic quoq; qua pauci accipiant, reliquos ad strepere, penitus noscendas mentes, cum secreti & incustoditi inter militares cibos, spem aut metum proferrent. Nocte cæpta, egressus augurali, per occulta, & vigilibus ignara, comite uno, contextus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adstitit tabernaculis, fruiturq; fama sui, cum hic Nobilitatem Ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per jocos eundem animum laudibus ferrent, reddendamq; gratiam in acie faterentur, simul perfidos, & ruptores pacis, ultioni & gloriæ maculandos. Inter quæ unus hostium Latina linguæ sciens, acto ad vallum equo, voce magna, conjuges, & agros, & stipendii indices,

donec bellarentur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. Incendit eâ contumelia Legionum iras, veniret dies, daretur pugna, sumpturum militem Germanorum agros tracturum conjuges, accipere omen, & matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare. Tertia ferme vigilia adscultatum est castris sine conjectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remissum sensere. Nox eadem letam Germanico quietem tulit, viditq; se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus avia Augusta accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis vocat concionem, & quæ sapientia prævila, atque imminente pugnæ differit: *Non campos modo militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit, sylvas & saltus. Nec enim immensa Germanorum scuta, enormes hastas inter truncos arborum, & enata humo virgulta perinde haberi, quàm pila, & gladios, & herentia corpori tegmina, densarentur, ora mucronibus quærent, non lorica Germano, non galeam, ne scuta quidem ferro nervoq; firmata, sed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas, primam utcunq; aciem hastatam, cæteris præusta, aut breviora tela, jam corpus, ut visu torvum, & ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia, sive pudore flagitii, sive cura Ducum, abire, fugere, pavidos adversis, inter secunda, non divini, non humani juris memores, si cadio viarum, ac maris sinem cupiant, hæc acie parari, propiore jam Albim, quàm Rhenum, neq; bellum ultra, modo se patris, patruiq; vestigia prementem, iisdem in terris victorem sifterent.* Orationem Ducis secutus militum ardor, signumque pugnæ datum. Nec Arminius, aut cæteri Germanorum Proceres omittebant suos quisque testari. *Hos esse Romanos, Variam exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint, quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus & procellis fractos artus, infensis rursus hostibus, adversis Divi obijciant, nulla boni spe classem quippe & avia Oceani, quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret; sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium, meminissent modo avaritia, crudelitatis superbia, aliud sibi reliquum, quàm tenere Libertatem, aut mori ante servitium?* Sic accensos, & prælium poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, deducunt, is medius inter Visurgim & colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut præminentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. Pone tergum insurgebat sylva, editis in altum ramis, & pura humo inter arborum truncos. Campum & primam sylvarum Germana acies tenuit, soli Cherusci juga insedere, ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. Romanus exercitus sic incessit auxiliares Galli, Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii, dein quatuor Legiones, & cum duabus Prætoriis cohortibus, ac delecto equite, Cæsar, ex in totidem aliæ legiones, & levis armatura cum equite sagittario, cæteræque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adlisteret. Visi Cheruscorum cæteris, quæ per ferociam prærupera, validissimos equitum incurrere latus, Stertiniū cum cæteris turmiscircumgredi, terga ve invadere jubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimam anguriam: Octo

aquilæ petere sylvas, & intrare visæ, Imperatorem advertere: exclamat, irent, sequerentur Romanas aves, propria Legionum numina. Simul pedestris acies inferitur, & præmissus eques, postremos ac latera impulit: Mirumq; dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui sylvam tenuerant in aperta, qui campis adstiterant, in sylvam ruebant. Medii inter hos Cherusci, collibus detrudebantur, inter quos insignis *Arminius*, manu, voce, vulnere sustentabat pugnam. Incubueratq; sagittariis, illa rupturus, ni Rhætorum, Vindelicorumq; & Gallicæ cohortes signa objecissent, nisi tamen corporis & impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore ne nasceretur. Quidam agniti a Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emissumq; tradiderunt. *Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. Ceteri passim trucidati.* Et plerisque tranare Visurgim conantes, injecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium, & incidentes ripæ, operuere. *Quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisq; se occultantes, admodum sagittariis per ludibrium figebantur, alios promptæ arbores adfixere. Magna ea victoria, neq; cruenta Romanis fuit.* Quinta ab hora diei ad noctem cæsi hostes, decem millia passuum cadaveribus atque armis opplevère, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant. Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit, struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus imposuit.

CAP. XXV.

De alia pugna inter Germanos & Romanos in sylva commissa,

Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea species dolore & ira adfecit. Qui modò abire sedibus, trans Albim concedere, parabant, pugnam volunt, arma rapiunt, plebes, primores, juvenus, senes, agmen Romanum repente incurstant, turbant, postremo deligunt locum flumine & sylvis clausum, arcta intru planicie, & humida, sylvas quoq; profunda palus ambibat, nisi quòd latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo à Cheruscis dirimerentur. *Hic pedes adstetit, equitem propinquis lucis texere, ut ingressis sylvam Legionibus, à tergo foret. Nihil ex his Casari incognitum: consilia, locos, prompta, occulta noverat, actusq; hostium in perniciem ipsis vertebat.* Sejo Tuberoni Legato tradit equitem, campumq;. Peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in sylvam aditu incederet, pars in objectum aggerem eniteretur, quod arduum sibi, cætera Legatis permisit: Quibus plana evenerant, facile irrupere, queis impugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus superne ictibus confictabantur. Sensit Dux imparem cominus pugnam, remotisq; paulum Legionibus, funditores libratoresq; excutere tela, & proturbare hostem jubet, missæ è tormentis hastæ. Quantoq; conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus dejecti. Primus Cæsar cum Prætoris cohortibus capto vallo, dedit imperum in sylvas collato illic gradu cerratum. *Hostem à tergo palus, Romanos flumen aut montes claudabant. Utrisque necessitas in loco spes in Virtute, salus in victoria.* Nec minor Germanis animus, sed genere pugne & armorum superabantur, cum ingens multitudo, arctis locis,

prælongas hastas non protenderet, non colligeret, neque ad sultibus, & velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad prælium: contra miles, cui scutum pectori adpressum, & insidens capulo manus, latos Germanorum artus, nuda ora foderet, viamq; strage hostium aperiret, in prompto jam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin & Inguiomero volitantem acie, fortuna magis, quam Virtus deserbat. Et *Germanicus, quò magis agnosceretur, detraxerat tegumen capiti, orabasq; insisterent cadibus, nil opus captivis, solam interneccionem gentis finem bello fore.* Jamque sero diei subducit ex acie Legionem, faciendis castris cætera ad noctem cruore hostium fatiatæ sunt. Equites ambiguo certavere. Laudatis pro concione victoribus Cæsar, congeriem armorum struxit, superbo cum titulo, **DEBELLATIS. INTER. RHENUM. ALBIMQUE. NATIO-NIBUS. EXERCITUM. TIBERII. CÆSARIS. EA. MONUMENTA. MARTI. ET. JOVI. ET. AUGUSTO. SACRAVISSE.** De se nihil addidit, metu invidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse.

CAP. XXVI.

Quomodo classis Germanici in Oceano Germanico periclitata sit.

Aestate jam adulta, Legionum aliz itinere terrestri in hybernacula remissæ, plures Cæsar classis impositas, per flumen Amisiam Oceano invexit, Ac primò placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli, mox atro nubium globo effusa grando simul variis undique procellis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire, milesq; pavidus, & casuum maris signarus, dum turbat nautas, vel intempestivè juvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc cælum, & mare omne in Austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso urbium tractu validus, & rigore vicini Septentrionis horridior, rapuit, disjecitq; naves in aperta Oceani, aut insulas faxis abruptis, vel per occulta vada, infestas. Quibus paulum ægreq; vitatis, postquam mutabat æstus, eodemque quò ventus ferebat, non adhærere anchoris, non exhaustire irumpentes undas poterant, equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera & fluctu superurgente. *Quanto violentior cætero mari Oceanus, & truculentia cæli præstat Germania; tantum illa clades novitate & magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus, aut ita vasto & profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare.* Pars navium hausta sunt, plures apud Insulas longius sitas ejecta, milesq; nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos, & prominentes oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibere amici, quò minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, & secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vestibibus, & quædam à validioribus tractæ, revertere, quas raptim resectas misit, ut scrutarentur insulas, collecti ea cura plerique. Multos Angrivarii nuper in fidem acce-

accepti, redemptos ab interioribus reddere. Quidam in Britanniam rapti, & remissi à Regulis. Ut quis ex longinquo revererat, miraculo narrabant, vim turbinum, & inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum & belluarum formas, visa, sive ex metu credita. Sed fama classis amissa, ut Germanos ad speim belli, ita Cæsarem ad coercendum erexit.

CAP. XXVII.

*Romani de fossam Varianae Legionis
aquilam recuperant,*

Post tale tantumq; periculum Germanicus C. Silius cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattis imperat, ipse majoribus copiis Marso irrumpit, quorum Dux Maloendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco de fossam Varianae Legionis aquilam, modico praesidio servari indicat. Missa ex tempore manus, quæ hostem à fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum, & utrisque adfuit fortuna. Eo promptior Cæsar intorsus, populatur, excindit, non ausum congrèdi hostem, aut sicubi restiterat, statim pulsum, nec unquam magis (ut ex captivis cognitum est) paventem, Quippe in victos, & nullis casibus superabiles Romanos predicabant, qui perditâ classe, amissis armis, post constratâ equorum virorumq; corporibus littora, eadem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero irrupissent. Reductus inde in Hiona miles, lætus animi, quod adversa maris, expeditione prospera pensavisset, additque munificentiam Cæsar, quantum quis damni profusus erat, exolvendo. Nec dubium habebatur, labare hostes, petendæq; pacis consilia sumere, proxima ætas adjiceretur, posse bellum patrari, sed crebris epistolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum, satis jam eventuum, satis casuum, prospera illi & magna prælia, eorum quoque meminisset, quæ venti & fluctus nulla Ducis culpa, gravia tamen & sæva damna intulissent, se novies à Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfecisse, sic Sicambros in deditionem acceptos, sic Suevos, Regemq; Maroboduum pace obstrictum, posse & Cheruscos, ceterasq; rebellium gentes, quando Romana ultioni consultum est, internis discordiis relinquit. Precante Germanico annum, efficiendis cœptis, acrius modestiam ejus aggreditur, alterum Consulatum offerendo, cujus munia præfens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias nomen adsequi imperatorium, & deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea, seq; per invidiam patto jam decori abstrahi intelligeret.

CAP. XXVIII.

De Triumpho Germanici ob dictos Germanos,

Cælio, L. Pomponio COSS. Germanicus Cæsar ad VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis, Chattisq; & Angrivariis, quæq; alia nationes usq; ad Albin colunt, vecta spolia captivi simulâ chramontium, summiun, præliorum, bellumq; quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur, agebat inuentium vitus eximia ipsius species, currusq; quinque liberis onustus. Et quidem Stra-

bone Auctore, libro VII. Germanicus in triumpho duxit aliquot Germania Principes, utpote Sigemundum Sigestis filium, Cheruscorum Ducem, Thuaneldam Arminii, eo tempore adhuc contra Romanos belligerantis uxorem. In triumpho quoque ductum, fert Strabo, Arminii filiolum triennem, nomine Thumelich, & Sestiaach filium Segeneri, & Ramim conjugem, Veromeri Ducis Batavorum filiam: Adhæc Segestes socer Arminii quoque in triumpho ductus est, etsi per honorificentius cæteris, quod cum genero non consensisset, sed in initio belli Romanorum partes secutus esset.

CAP. XXIX.

De bello Arminii contra Maroboduum Suevorum ac Longobardorum Regem,

Deindenovum bellum in Germania exarsit inter Maroboduum Suevorum & Longobardorum Regem, etsi sint qui tradant, anno Christi nati XIX. Imperii Tiberii III. Druso Romanorum Duce, conciliatore pacem inter ipsos factam. Nam Suevi prætendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes: Nam discessu Romanorum, ac vacua externo metu, gentis adsuétude, & tum emulatione gloria arma in se verterant. Vis nationum, Virtus Ducum in æquo; sed Maroboduum Regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modò Cherusci, sociique eorum, vetus Arminii miles, sumptere bellum, sed è Regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones ac Longobardi defecere ad eum. Quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam, quam quia fratris filio juveni, patris senex parere dedignabatur. Diriguntur acies, pari utrinque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incuribus, aut disiectas per catervas. Quippe longa, adversus Romanos militia, insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta Imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo collustrans cuncta, ut quosq; advectus erat, recuperatam libertatem, trucidatas Legiones, spolia adhuc, & tela Romanis direpta, in manibus multorum ostentabat, contra fugacem Maroboduum appellans, præliorum expertem, Hercynia latebris defensum, ac mox per dona & Legationes petivisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, habid minus insensis animis exturbandum, quam Varum Quintilium interfecerint, meminissent modo tot præliorum, quorum eventu, & ad postremum, ejectis Romanis, satis probatos, penes utros summa belli fuerit. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probis in hostem abstinere, sed Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consilii gesta, qua prospere ceciderint, testabatur. Pecoridem, Arminium, & rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas Legiones, & Ducem fraudis ignarum, perfidia deceperit, magna cum clade Germania & ignominia sua, cum conjunx, cum filius ejus servitium adhuc tolerent. At se duodecim Legionibus peditum Duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam servavisse, mox conditionibus equis discessum, neq; permittere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversus Romanos bellum, an pacem incruentam malint. His vocibus instructus exercitus, propriæ quoque causæ stimulabant. Cum a Cheruscis Longobard-

gobardisq; pro antiquo decore, aut recente libertate, & contra augendam dominationi certatur. Non alias majori mole concursum. Neque ambiguo magis eventu, fuis utrinque dextris cornibus. Sperabaturq; rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum periculi fuit, & transfugis paulatim nudatis, in Marcomannos concessit, misitq; Legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est: Non jure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantem in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset. Missus tamen Drusus, ut retulimus, pacis firmator. Ad extremum verò Maroboduus undiq; deserto, non aliud subsidium, quam misericordia Caesaris fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam profluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortuna: nam multis nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam praelulisse. Responsum à Caesare: Tutam ei honoratamq; sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus suis aliud conduceret, abiturum fide, qua venisset. Ceterum apud Senatum disseruit; Non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem viri violentium subjectarum ei gentium, & quam propinquus Italia hostis, suaq; in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in Regnum ostentabatur, sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitq; multum immixta claritate, ob nimiam vivendi cupiditatem.

CAP. XXX.

De Adgandestrio Principe Chattorum, se Arminium veneno sublaturum Romanis promittente.

Arminio armis invicto, prout Cornelius Tacitus, ab eorundem temporum Scriptoribus memoriae proditum refert, Adgandestrius Chattorum Princeps, Romam Senatus literas scripsit, quibus mortem Arminii promittebat, si putanda neci venenum mitteretur: Responsum verò esse: Non fraude, neq; occultè, sed palam & armatum Populum Romanum hostes suos ulcisci.

CAP. XXXI.

De exitu Arminii laudumq; testimoniis, quibus eum Romani Scriptores ornarunt.

Abcedentibus ex Germania Romanis, & pulso Maroboduo, Arminius Regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusq; armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germania, & qui non primordia populi Romani, sicuti alii Reges Ducesque, sed florentissimum Imperium lacesserit, praeliis ambiguus, bello non victus, ut Tacitus ait.

De aetate Arminii, & annis Regni ejus.

Septem & triginta annos vita Arminius explevit. Anno ætatis vigesimo quinto gubernacula suscipiens, duodecim ea annos tenuit, Alexandri Magni serè exemplo, nihilominus tam brevi temporis spacio rebus maximis confectis. Græcorum annalibus, Tacito id perhibente, ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis quoque haud perinde celebris, dum vetera extollunt, recentium incuriosi: Ut ut verò sese res habeat, cladem Varianam maximam, eamque Romanis gravissimam fuisse, vel id indicio est, quod Paterculus scribit, ante se quosdam volumina justa de ea scripsisse, se quoque de ea integra conditurum esse.

CAP. XXXIII.

De Fano seu idolo Irmensuel,

Irmensuel aliqui, & inter hos præcipuè Termarus Episcopus Mersburgensis, qui tempore Henrici I. Imperatoris, mariti Divæ Kunigundis vixit, & Albertus Krantzius eum sequens, scribunt, fuisse Idolum, & quidem Termarus putat, id idolum fuisse Mersburgi, eo in loco, quo postea templum Divæ Petro constructum est. Ceterum Krantzius in sua Saxonia putat dictum Irmensuel, quasi Mercurii statuam, qui Hermes dicitur: Vel quasi Idermansuel, id est, commune profugium & Asylum omnium: eamque statuam in oppido Saxonia Mersburgo, in monte Eresbergo stetit, quam Carolus Magnus in bello contra Saxones paganos subverterit. Ceterum ut alii, sic & ipse certò statuere nequit, an id de Mersburgo Westphalia, an de alio ad Salam sito, accipiendum sit, id quod aliorum judicio relinquo. Mihi postquam Historiam Arminii tractare cœpi, Irmensuel dictum esse videtur, quasi Arminii statuam, quæ in ejus honorem more Romanorum, aliarumque gentium sit erecta, ac initio quidem dictam Arminii statuam, postea tempore progrediente vocem corruptam, atq; in Irmensuel mutata. Id quæ maximè ea de causa, quòd Arminius circiter ista loca bellum contra Romanos gesserit. Erat verò, ut idem Krantzius scribit, armati toto corpore effigies, cujus in dextra signum militare, præferens rosam, cujus breve momentum, & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem facile huc ac illuc inclinantem, pectus in arme ursam præferebat, interritum bellatorum animum insinuans, in clypeo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat. Floribus confito campo, in quo stabat, quod nihil jucundius solet videri fortibus, quàm in acie virtutem ostendere, Id quod, ut aliis occasionem de hac re cogitandi præberem, in fine hujus libelli obiter attingere volui: Deo optimo atque æterno perpetua laus sit.

HISTORIÆ DE ARMINIO,
FINIS.

DE PRISCA AC VERA ALPINA RHÆTIA,

*Cum*CÆTERO ALPINARUM GENTIUM
TRACTU,*Nobilis ac erudita ex optimis quibusq; ac probatissimis Autoribus Descriptio,*

AUCTORE

ÆGIDIO SCHUDO CLARONENSE.

VIRO Apud Helveticos clarissimo.

ÆGIDIO SCHUDO CLARONENSI,

*VIRO Apud Helveticos Consulari clarissimo, omnibusq;
modis ornatissimo,*

SEBASTIANUS MUNSTERUS.

D. S.



Itto ad te, Humanissime Vir, opus tuum, tabulam scilicet Alpinarum Regionum, cum adjuncto libello, sed non sine favore. Te agnoscit Authorem fœtus tuus, qui Herculeæ audacia Alpes inaccessas, montesq; illos horrendos, perpetuo rigescentes frigore, & nive nunquam resolubili candicantes aggressus, submissis humeris eos in universum mundum portare & transferre contendisti, ut etiam extremi nostri orbis habitatores, Britanni scilicet & Hispani, apud se habituri sint Alpes, admiraturi q; giganteum illum animi tui conatum & robur, qui poteris tantorum montium molem, tot valles, tot amnes, tot populos, tot stagnantia maria, tot deniq; civitates & loca in tam exiguam transferre chartam. At scio, & verè scio, in his congerendis & iusta proportione digerendis, tibi non tantum insumptum laboris, quantum exegit indefessum illud tuum studium, dum perpetua lectione sursum ac deorsum per tot Auctores & Historicos, eorumq; quosdam inconditos jactaris, & pugnantem plerunq; sententias componere cogaris, aut certe quem sequaris Auctorem, cuiq; adhibeas fidem, circumspicis: & sic circumspicis, ne rabulis calumniandi occasionem præbeas, & pro gratia convitiari possis. Spero hoc

pulcherrimū tuum studium, quo patriam tuam & vicinam Rhætiam, sic cum perpetua, & nunquam intermoritura nominis tui laude, illustrasti, plurimos incitaturum, ut tui exemplo & ipsi quoq; bene mereri de patriis suis conentur. Ceterum quem ego in hac tabula tua edenda exantlarim laborem, non est quod hic referam. Certe diligentia nihil defuit, dum cogere nunc adesse pictori, nunc sculptori, & nunc typographo, quodq; magis me urgebat, versionem incumbere. Respuebat laborem hunc doctissimus ille tuus atq; meus HENRICUS GLAREANUS, querebaturq; se elegantem illam eloquentia tua venam, in Latina versione assequi non posse. Neque alii hunc laborem subire volebant, quem vir talis ac tantus assumere detrectavit. In his autem omnibus tabula ipsa jam cœpta excidi, & nihil desiderabatur quam libri versio. Adductus igitur ego, majori fortassis audacia quam debueram, imbecilles artes huic labori, quem alii recusarunt, applicui, & pro mea virili librum verti, ut etiam ab Italis, Gallis atq; aliis exteris nationibus legi posset. Notius est, hodie in Orbe Munsteri nomen, quam ut ob meam infantiam a studiosis veniam petere anxie contendam. Sat fuerit, si vel tibi meus labor non displicuerit. Vale Vir ornatissime. Basilea, XXV. Martii.


ÆGIDII SCHUDI CLARONENIS V.

C. APUD HELVETIOS,

*In Librum Alpinarum Gentium,**præfatio.*

Non multis retroactis temporibus, amicele-
ctor, egregia illa facta, memorabiliaque anti-
quorum gesta, quæ in vicinis Regionibus apud
Rhenum & Danubium per Helvetios, Rauracos,
Suevos, Vindelicos, Rhætos, Sedunos, & con-
fines eorum atque Gallos & Germanorum con-
tingerunt, tanta oblivione hodie deleta constat,
ut etiam nomina ipsa, nedum insignium Virorum
per quos, verum & locorum apud quæ hæc gesta
sunt, interciderint, planeque nobis incognita
facta sint. Et hinc factum, ut terrarum illarum
indigenæ vanis plerunque moti conjecturis, fabulis-
que intenti, varias de sua origine conceperint opi-
niones, ineptas insulasque & à veritate alienas de sua
prognatione cudentes Historias. Id autem hinc ad-
verti potest, certa que probari ratione, quod *Germano-
rum lingua intra 750. annos cæpta est scribi, & in
literarum complexionem coarctari.* Quid ergo vetu-
stum apud illos inventi poterit, quando nemo fu-
erit, qui ante memoratum tempus res præclare ge-
stas, annotarit, imò nec annotare potuerit, & nihil,
quantumlibet egregiè factum, in mortalium me-
moria diu manere queat, nisi literis mandetur?
Quòd si dixeris, à Latinis Historicis Germanorum
antiqua facta conscripta, non te audiemus, certi de
hoc, quod apud illos nihil certum de eorum gestis
inventi possit. Somnia ergo sunt, vana & mera
figmenta, quæ sub Historiarum specie passim cir-
cumferuntur, qualia sunt quæ de Hildtprando &
similibus, vana loquacitas excogitavit, posteaquam
apud nos *Germanos omnis bona Eruditio sic extincta
fuit, ut & optimi Auctores, qui passim in Bibliothecis re-
positi fuerant, ab idiotis neglecti, squalore corrosi & ca-
rie vitiatii perierunt.* Nec obstat, apud externos,
puta in Italia, fuisse Viros egregia præditos Erudi-
tione, qui nedum, quæ à suis gesta sunt, annotarunt,
verum & quæ apud exterarum nationes, cum nullis
talium Regiones nostras unquam ingressus, quic-
quam lustrare aut videre potuerit, ut taceam labo-
res propter eas subivisse. Non ergo immeritò prima
laus datur summæ Eruditionis Viro *Henrico Glarea
no Poëtæ, Præceptoris meo colendissimo, atque affini
dilecto, qui primus apud nos, quod sciam, vetusta
nomina in lucem revocavit, quæ tunc ferè omnem
humanam exciderant memoriam, & veluti obso-
leta inusitataque nemini cognita erant. Qua in re
pulchro exhibito exemplo, plurimos bonos Viros,
& felici pollentes ingenio, excitavit, qui vestigia
ejus sectantes, profundius vires ingeniorum suorum
in hujusmodi exercuerunt, pressiusque acri suo ju-
dicio omnia rimantes, non pauca ex tam multis re-
lictis vestigiis, Memoriarum nostrorum facta, veluti ex
tenebris in lucem revocârunt. Ex quibus est *Beatus
Rhenanus Sclerstadianus, Vir incomparabilis doctri-
næ & eruditionis, Bilibaldus Pirkheimerus, Gerar-
dus, Noviomagus, Joachimus Vadianus à Sancto Gallo,
& ego novissimus, qui & ipse quædam antiquorum
gesta ex locorum verisimilibus conjecturis & pro-**

batis Autoribus atque Historicis, pro incolarum ce-
lebritate excerpti & in unum collegi, potissimum,
quæ hujus superioris Germaniæ & Alpinarum Re-
gionum, mentionem facere, visa sunt,



A U T O R U M,

Quibus sequens Rhætiæ Historia
est excerpta. Catalogus porro sub quo Impera-
tore, & quo tempore, ante, vel post Chri-
stum natum, quisque vixerit, suis no-
minibus & numeris ex-
pressimus.

Polybius Græcus. Hic fuit Scipionis Africanus
Præceptor, qui vixit ante Christum, an-
nis 439.

Cajus Julius Cæsar, qui floruit ante Christum, an-
nis 43.

Horatius Flaccus Poëta, qui fuit ante Christum, annis 8.
sub Augusto.

Titus Livius Patavinus.

Strabo Amasinius Græcus.

Publius Vellejus Paterculius.

Trogus Pompejus, cuius Historiam Justinus in epitomen
redegit.

Historiæ res sub Augusto & Tiberio, eo tempore quo
Christus in humanis egit.

Pomponius Mela.

Cajus Julius Solinus. } Sub Vespasiano, annis
Cajus Plinius Secundus. } à Christo nato 80.

Publius Cornelius Tacitus, sub Trajano. 100.

Cajus Suetonius Tranquillus, sub Trajano. 110.

Claudius Ptolemæus Alexandrinus, sub Marco An-
tonino. 175.

Julius Capitolinus.

Ælius Spartianus.

Flavius Vopiscus Syracusanus. } Sub Diocle-
tiano. 292.

Eusebius Cæsariensis, sub Constantino Magno. 330.

Ammianus Marcellinus, sub Constantino & Valen-
tiniano. 360.

Eutropius, sub Valentiniano. 380.

Antonius Augustus, qui fuit post tempora Constanti-
ni Magni, qui Byzantio novum nomen impo-
suit, cujus ipse mentionem facit annis 400. vel
circiter.

Claudius Claudianus Poëta, sub Honorio. 412.

Sidonius Apollinaris Poëta, sub Valentiniano III.
459.

Agathias Græcus, sub Iustiniano. 560.

Paulus Diaconus Aquileiensis, sub Constantino VI. 742.

Eginhartus Caroli Magni scriba & Notarius. 809.

Ratpertus Sanctigallensis. 880.

Regino Abbas Prumiensis. 907.

Nokkerus S. Galli, sub Ottone primo. 950.

Luitprandus Ticinensis Levita. 970.

Ekkardus Sanctigallensis. 1036.

*Hermannus Contractus, sub Henrico II. 1040.
Abbas Urspergensis, sub Philippo Imperatore anno
Domini 1202.*

CAP. I.

Quomodo Thufci, qui deinde Rhati, hodie verò Churenenses, ex Italia venerint ad Alpes cum Duce suo Rhato; item de quibusdam familiis eorum,

ANno ante Christum D.LXXXVII. regnante apud Romanos Tarquinio Prisco, Gallia populi primam in Italiam fecerunt profectionem, id quod certò constat, sub Duce Belloveso, paucisq; elapsis annis, urbes Mediolanum, Comum, Bressiam, Veronam, Bergomum, Tridentum atq; Vincentiam construxerunt: quo tempore Thufci in Italia magnum habuerunt Imperium, quod ab infero mari usque ad superum extendebatur, magnaque fertilitate exuberabat. Habet autem Regio illa has inclytas civitates, Pisas, Senas, Lucam, Florentiam, &c. & usque in hunc diem cultores Regionis illius Thufci appellantur, quorum dominium aliquando ultra Padum fuit propagatum. Postquam autem Galli Italia penetralia ingressi sunt, Thufcos bello vicerunt, patriisq; sedibus pepulerunt. Et quanquam Thufci armatis viris, locisque natura & arte munitis plurimum valerent, victi tamen à Gallis, cedere potentioribus coacti sunt, amissaque patria, Duce Rhato ad Alpes concesserunt, & montana loca incolentes, Ducis sui nomine & posteritatem & Regionem illam toto orbe memorabilem reddiderunt. Versantes autem in asperis illis montibus, & Regione illa squallida atque inculta, temporis succellu facti sunt & ipsi efferi & inculti, nihil ex priori retinentes civiliorivita, præter linguæ aliquantulam modulationem, sed quæ & ipsa plurimum apud eos vitari cepit. Hæc hæcenus recitata, conscribit Livius, Justinus & Plinius. Livius *decad. I. lib. V.* sic scribit: *De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Prisco Tarquinio Roma regnante, Celtiarum, quæ pars*

tertia Gallia est, &c. Et paulò post: Fufis acie Thufcis haud procul Ticino flumine, cum, in quo confederant, agrum insubrium appellari audissent, &c. Idem in eodem lib. Thufcorum ante Romanorum latè terra marisq; opes patuere, mari supero inferoq;. Idem de Thufcis expulsis eodem lib. Alpibus quoq; ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhetis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum lingua, nec eum incorruptum retinerent. Justinus lib. XX. Thufcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam condiderunt. Idem eod. lib. Thufci quoq; Duce Rhato avitis sedibus amissis, Alpes occupaverè, & nomine Ducis gentem Rhatiorum condiderunt. Plinius lib. III, cap. 10. Rhatos Thufcorum prolem arbitrantur à Gallis pulsos Duce Rhato.

Thufci itaq; isti, avitis pulsi sedibus, & intra Alpium aspera confidentes, loca, haud vulgares infimeq; sortis homines fuere, sed omnium Thufcia incolarum, & genere & opibus præstantissimi. Id enim usi venire cognovimus, cum Regio aliqua expugnata fuerit, ut plebs infima ferè semper victoris gratiam obtineat, atque casam & prædiolum suum retineat, quippe quæ nec potestate ulla aut opulentia fulcitur, potentiores verò, & quibus facultates superant uberior, viresque rebellandi non desunt, longè à patria arcentur sede, quod hi victorem ante allecutam victoriam sua infestant fortitudine, habeantque opes multas & prædia amplissima, quæ hostis in suam rapit potestatem. Unde cum Livius hæc dicat, loca ipsa hosce Rhatos efferos reddidisse, nequid ex antiquo retinuerint, satis indicat, extorres illos Thufcos non vulgares & rusticis moribus præditos, ut nunc sunt, sed potentes & spectata Virritus Viros fuisse. Quin & in hunc usque diem Rhatii, incolæ Alpium, jactitant sese descendisse à Nobili familia, qui tamen hodie passim habitant in vallibus asperis atque aliis agrestioribus locis, suæ etiamnum Nobilitatis ostentantes insignia, antiquitatis suæ monumenta.

Istæ familiæ olim floruerunt, & hodie quoque quædam adhuc inveniuntur.

Comes à Metsch.	De Amasia	Amasius
Barones à	Rhatuns	Rhatius
	Bell mont	Bellus mons
	Montalo	Mons altus
	Vaz	Varius
	Saz	Saccus
Comes à Monfort	De Monte forti	Mons fortis
Comes à Sargus	De Saruneganno	Sarunetius
Baro à Flumbs	De Flumine	Valerius
Baro à Valeren	De Valerius	Amisius.
Emps	De Amisio	Amedius
Emps supra Curiam	De Amedes	Capellus
Capell	De Capello	Sontius
Suns	De Sanzo	Castellus
Castels	De Castello	Castrisus
Castris	De Castritio	Valentiniannus
Valendans	De Valendiano	Bello fortis
Belfort	De Bello forte	Bisus
Bissen	De Bissis	Bovitus
Buvvix	De Bovviga	Balconus
Nobles de	De Balcono	Panitus
Balckain	De Panisio	
Panigada		

Nobles

Nobi-	Trimis	De Trimontib	Trimontius
les de	Plantairo	De Plana terra	Plana terra
	Marschlitz	De Marsilino	Marsilius
	Fontenaus	De Fontenasio	Fontenatus
	Marmels	De Marmoreo	Marmoreus
	Mont	De Monte	Montanus
	Lumbarius	De Lomareno	Lumbarinus
	Juvalt	De Juvalto	Juvaltius
	Castelmur	De Castelmuro	Castimurus
	Tumben	Tumba	Tumba
	Pessellen	Passello	Passellus
	Planten	Planta	Planta

Sunt & aliæ plurimæ hujuscemodi familiæ, ex quibus nonnullæ penitus interierunt, quædam adhuc superstites inveniuntur, quas tamen hic brevitate causa omittendas censui. Sunt proinde in valle Lugnitza multi talium Nobilium, id quod clarum indicium est vitæ posteritatis, alioquin si vallis illius proventus spectes, vix ibi nutriri possent duo Nobiles, more Nobilium impensius vitantes. Isti verò laboribus gravioribus assueti, jam occalluerunt ad quæcumq; opera quantumlibet difficilia; nec pudet illos laborum, minimeq; arbitrantur ob labores ipsorum obscurari Nobilitatem, & rectè quidem: Non enim inopia aut victus manibus parvus, sed morum perversitas & facinora, infamem atq; degenerem reddunt Nobilitatem. Gloriantur autem isti pauperes Nobiles, quorum jam meminimus, quod ex Nobilissima descenderint prosapia; quodque Majores ipsorum è Roma aliquando fuerint pulsi; sed in hoc errant, quandoquidem originem à Thuscis, ut jam diximus, traxerint, qui illo tempore clariorès Romanis fuerè; quorum vicini extiterunt. Loquuntur ut inexperti, & qui neque antiquitatum neque Historiarum cognitionem habent, hoc tantum verè scientes, Majores ipsorum advenas fuisse ex Italia. Ob ista tamen non inferiores se judicant Germanicè Nobilibus, etiamsi illis longè impares sint, si phaleras caballorum & cataphractorum spectes, aliorumque ornamentorum luxum, quibus hodie Nobiles exornari solent; isti autem ea nec habent nec facile habere poterunt, ob Regionis eorum infœcunditatem. At propter istorum defectum, non putant quicquam decedere Nobilitati suæ. Hoc in primis curant, ut piè & justè vivant, execrantes omne id, quod iniquum est, quippe qui nunquam non cogitant à quam Magnificis Viris originem duxerint, id unica illis est gloriandi ratio, non obstante incivilitate eorum, quam ab inculto agro, velut abem quandam, contraxerant. Præterea est & id obiter hic commemorandum Rhætos, tempore Livii, haud secus quam hodie moratos fuisse, id quod ex verbis ejus adverti potest, quando scribit: Rhætos nihil ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinuisse. Hac Rhætica lingua utuntur usq; in hunc diem Rhætia incolæ, potissimum quicquid Curiam habitant, quos nos Germani Churwelschens id est, Curense Italos, ipsi autem Romanos sese appellant, fortassis ob istam rationem, quod Romani & Thusci olim una usi fuerunt lingua, hodie autem Thusciana lingua communiter pro Italica habetur. Cæterum Rhætica lingua intra 150. annos plurimum apud Rhætos interit. Germanica indes invalescente, ut hodie nedum Curense; verum & qui remotiores sunt Germanicè loquantur, qui haud longè supra ævum nostrum Italicè loquebantur, si modo corruptissima eorum lingua Italica est

consenda, quæ & olim tempore Livii, & hodie usque adeo depravata est, ob hominum illorum rusticam & incompositam vitam, ut Thusciani, qui adhuc sunt in Italia, eos loquentes minimè intelligant, quantumlibet unius sint Nationis & ab una descenderint prosapia. Sic si horum Nobiles conferas cum Thuscianè Nobilibus, rectius rusticos esse, quam nobiles dixeris. CAPUT II.

Quare Rhætica lingua scribi non possit.

Rhætica lingua tam perplexa & impedita est, ut scribi nequeat: unde omnes litera ab antiquis confecta, Latine scripta sunt; & quas hodie parant, Germanicè scribi procurant. Ratio alia hujus perplexitatis afferri nequit, quam quæ data est de moribus, in tantam rusticitatem depravatis. Cum enim ab initio sua ex Italia fuga, asperiores & agrestiores terras longo tempore manuum suarum indefessis laboribus mitiores reddere cogentur, unde sibi necessarium pararent victum; pueros autem literis instituendos minimè curarent, unde usum legendi & scribendi acquirerent, sed perpetuò tractarent ligones, furcas, ferras & alia rustica instrumenta, quibus sylvestrem & lapidosam terram repurgarent & pastinarent, tandem factum est, ut cum rustico labore, rusticos quoque induerint mores, neglectoq; cultiori sermone, indes linguam suam depravarent, id quod in hodiernum usque diem, in Germania fieri videmus; quam hi qui solitarii in sylvis extra frequentiam hominum habitant, destituti scribendi & legendi institutione, rudes & inculti evadant, linguam nativam corumpant, & cæteris ejusdem Regionis hominibus prorsus dissimiles efficiantur.

CAP. III.

Situs verus antiquissimorum Rhætorum.

Vera & antiqua Rhætia locum habet in Lepontis Alpibus, juxta utraq; Rhæni originem, includens omnes circumjacentes valles & montes, quorum multi descendunt & procurunt usque ad eum locum, ubi uterq; Rhæni rivus in unum coalescit fluvium. Est autem inter hos duos Rhæni rivos, haud procul ab eo qui posterior vocatur Rhænus, supra verò utriusq; mixturam, spatium pedestris itineris, quod media hora confici potest, campus quidam pulcher, cui imminet collis in suo vertice arcem gestans celebrem & per vetustam, nomine Rhætiam, quod hodie Germanicè vocamus Nâqung; & conjectura prægnans est, illud olim à primis extructum Rhætis, sicut & intra sexaginta annos adhuc aliqui fuerunt ejus arcis possessores, ex clara Rætuns familia descendentes, Barones potentes, quippe qui à parentibus suis in illa Regione, quam vulgò vocant Ober Graubund, id est, superior Grisea, aut Caniciei Confœderatio, amplissimam acceperunt ditionem, habentes subjectos homines, possidentesq; Castra & Regalia. Ulimus ejus familia Dominus fuit Udaticus à Rætuns, & is obiit anno

Domini 1459. Sabbatho ante Matthiæ, & successore in hæreditatem Comes Iodocus à Zollern, & Baro à Lympurg. Memoratam verò arcem cum ditione ejus possident jam pignoris loco Domini à Marmels. Vulgus tamen Regionis illius ex consuetudine appellat possessores domini illius, quantumlibet extra familia sint, Dominos à Ratzuns. Fuit & alia perverusta arx in Regione illa, sed quæ modò in ruinis jacet, appellata olim *Rhætia alta*, hodie autem corrupto vocabulo vocatur *Realt*, distatque à Ratzuns itinere pedestri duarum horarum & dimidiæ, sita juxta posteriorem Rhenum, in ulteriori fluminis ripa, in edito loco, supra villam Germanicè Tussis appellatam, quam Rhæti barbara sua lingua vocant *Tuscianam*, quæ villa una est ex præcipuis Griseæ illius Lige villis, & verisimile est nomen illi contigisse à primis Rhætis, posteaquam Tusciam reliquerunt (est enim vocabulorum magna allusio Thuscæ & Tussis, sicut & arcium Realt atq; Ratzuns) à primo Duce Rhæto: ut hîc taceam quid incolæ Regionis illius veluti per manus acceperint, ut ipsi aiunt, à majoribus suis, quod olim Rex quidam aut Princeps Regionum illarum habitavit in arce Realt. Hunc ego puto Dominum fuisse Rhætorum, qui tunc adhuc Rhætiam sibi subjectam habuit. In ista arce adhuc videntur reliquæ quædam fortissimarum turrium & murorum. Præterea inter memoratas duas arcès Realt & Ratzuns, intercipitur *campestris quædam vallis*, quam nostrates *Tumlesch*, Barbari autem *Tomiliacam* appellant, supra illam est Realt, & infra Ratzuns, intermedia verò vallis mediocriter frugifera, potissimum in pomis, frumento & vino, etiam si supra Regionem illam, nullum crescat vinum. Hunc itaque ego arbitror Rhætiae esse ambitum, unâ cum adjacentibus vallibus, quæ plurimæ sunt in utraque Rheni ripa, etiam ultra juga Alpium, quales sunt Clavena, Brigella, Melaucum, Urfella, &c. His annuero populos habitantes juxta originem Oenilabentis in Danubium, & habitantes juxta fontes Athesis, alluentis mœnia Veronæ, & tandem in mare Adriaticum desinentis. Porro populi juxta Oenum sedentes, hodie appellantur *Engadini* & *Vinslermunni*, qui autem ad Athesim, *Vinsgoii* & *Munstetaleses*, pertingentes usque ad Oeni vallem & Athesis Regionem. Apud ipsos enim initium sumunt memorati duo amnes. Hi semper & ab antiquo sociati & confœderati fuerunt cathedrali Ecclesiæ Curienti, existentes de natione eorum usq; in hunc diem. Loquuntur barbara illa & viciata lingua, quam vulgò *Ehurwâsch* vocant, non Italica, id quod evidens indicium est, illos quoque descendisse à Thuscis; & ex Rhætis prognatos.

CAP. IV.

Historicis, qui hîc citantur plurimi, confirmatur

Rhætos ab initio in Alpibus juxta Rhenum consedisse.

Livius, qui fuit eo tempore, quando Christus Sator noster vixit homo inter homines, scribit de Thuscis expulsis decad. i. lib. 5. *Alpinis quoq; ea gentibus haud dubiè origo est, maxime Rhætis.* Strabo, qui illo etiam tempore vixit, lib. IV. scribit: *Supra Comum ad Alpium radicem Rhæti jacent.* Idem eod. libro: *Rhæti ad Italiam usq; extenduntur, quæ supra Veronam & Comum est.* Et lib. VII. in hunc modum scribit. *Helvetii & Vindelici in montibus campos habitant, Rhæti vero & Norici ad Alpium summam venent.* Horatius lib. IV. Ode 4. sic Rhætis scribit:

*Videte Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem.*

Trogus Pompejus, qui illo quoque tempore floruit, Autore Justino lib. XX. sic scribit de Thuscis expulsis: *Alpes occupavere, & nomine Ducis gentem Rhætorum condiderunt.* Plin. qui tempore Vespasiani vixit, in natural. Hist. lib. 3. c. 19. numerat Rhætos inter Alpinas gentes. Cornelius Tacitus, qui fuit tempore Trajani, scribit in lib. de situ & moribus Germanorum, in hunc modum: *Rhenus Rhætiarum Alpium inaccessio ac præcipui vertice ortus,* Paulus Diaconus Aquilejensis, qui anno Domini 742. vixit, asserit: *Dulces esse Rhætios, & seipsum declarans, ait veros habitare in Alpibus.* Sunt autem hæc verba ejus lib. II. cap. II. Hist. Longobardorum: *Inter Mediolanenses & Sueviam Alemannorum Provinciam, quæ Septentrionem versus sita est, duæ provincie, scilicet Rhætia prima & secunda inter Alpes consistunt, in quibus proprie Rhæti habitare noscuntur.* Ex his vetustis Historicis satis probatum arbitror, Rhætorum nationem in Alpibus juxta fontes Rheni consedisse, atque in asperis illis vallibus construxisse arcès & turres, atque alia id genus propugnacula, ad sui defensionem, quæ in vasta illa solitudine usq; aded aucta fuerunt, & quædam in tam inviis locis sita, ut vehementer mirandum sit, quomodo ibi vel ædificium extrui, vel hominibus habitare potuerint. Id ausim affirmare, neque in Italia, neque in Gallia, aut Germania ullum esse locum, in quo tot arcès & præsidia, ut in isto, inveniantur, præsertim, ubi fundus est tam asper & infœcundus. Quædam præsidia in ipsis Alpium radicibus locata inveniuntur, tamen pleraq; ruinosa hodie jaceant, & solum indicium veteris ædificii ostendent. Necessariò proinde fatendum, extranciam aliquam & divitem gentem, hæc tam multiplicia ædificia fundasse, in locis tam squalidis, non autem indigenas & ibi educatos, qui id minime facere potuissent, cum Regionis illius proventus tanti non sint, ut expensas hujusmodi terre possint. Aliunde igitur suppetiæ illæ ministratæ sunt, nempe ex Thuscia. Nam procul dubio postquam homines illi discedere coacti sunt, qui divites abundarant, secum tulerunt quicquid corradere potuerunt, & ex his quæ necessaria non erant, munitiones in asperis illis locis condiderunt, ubi prius nulla humana fuit habitatio, exceptis Leponiis, qui itinera occupabant, quæ ex Germania & Gallia ultra Alpes in Italiam ducunt, de qua re infra latius dicetur. Jam enim facta, imò tuta erant itinera per Alpes, aliàs Thusci eas minime transcendissent. Ptolemæus, Claudianus, & alii quidam qui longè post memoratos Historicos vixerunt, in quorum sententiam eunt doctissimi Viri B. Rhenanus & Bilibaldus Pyreckheimerus, mentionem faciunt alterius cujusdam & majoris Rhætiae; sed de qua nos hîc non loquimur, infra autem suo loco ejus recordabimur, ubi quoq; dicemus quomodo Rhæti ditionem suam ampliaverint, & indices majora acceperint incrementa.

CAP. V.

Rhæti quomodo ampliaverunt terminos suos.

Postquam Rhæti in memoratis asperis locis aliquandiu consederunt, facti sunt posterierum ex loci asperitate bellicosi, gnâvi & animosi, deposita Majorum suorum ignavia, virilem induentes animum, quo robore propagarunt suam ditionem ultra Alpes, usq; ad Comum, Veronam & Tridentinum: citra autem Al-

Alpes, usque ad lacum *Rivanum*, quem vulgò *Wal-*
leusee vocant, & ad *Brigantium*, ubi initium est *Pod-*
amici lacus, quò ab utraque *Rheni* ripa Alpes ex-
 tenduntur. Non tamen videtur mihi verisimile, to-
 rum hunc tractum *Rhætos* occupasse, sed vallem
Rheni Germani possidentes, extero populo locum
 non cesserunt, nisi forè ditiores & potentiores ex
Rhætiis squalida refugientes loca, & fertiliorem
 quarentes terram, sese in demissiora insinuarint lo-
 ca, & ibi emerint commodiora habitacula, aut alia
 obtinuerint, ut jam commemoravimus. *Castrum*
Manfort & *Comites* ejus ex *Rhætiis* initium habu-
 erunt. Item duo alia castra, haud longè à se distan-
 tia, quæ vocantur *Amisum* excelsum, novum & vetus,
 vulgò *hohen Emys* / ex *Rhætiis* quoque originem
 acceperunt, & eorum familia adhuc extat. Ho-
 rum meminit quoque *Nauclerus* in sua *Chronica*,
 in hunc modum scribens: *Anno Domini 1195. Hen-*
ricus Imperator VI. misit ex Neapoli aliquos captivos
Nobiles, præsertim Regis Tancredi filium, ad Curiam
Rhætorum & ex oculatum, conjecit in carcerem in ca-
stro quodam Amisi nomine, quod est Emys / ibi &
tota vita sua captus mansit. Est & in alio latere *Rheni*,
 è Regione *Montfort*, villa quædam monticulo ro-
 tundo imposita, quam Germani corruptè vocant,
Montiglen, *Rhæti* verò *Monticulum* quæ pristi-
 num retinuit vocabulum & præter ipsum pau-
 ca alia in descensu illius lateris invenias *Rhæ-*
tica vocabula: nam ferè omnium oppidorum,
 villarum, vicorum, montium & vallium no-
 mina, quæ in tota *Rheni* valle visuntur, *Germa-*
nica sunt, qualia sunt *Grünenstein* / *Wartensee* /
Uttstetten / *Xined* / *Marpach* / *Balgach* / *Bern-*
ect / *Rosenberg* / *Monstein* / *Duchberg* / & alia mul-
 ta nomina, quæ hic superfluum duximus recitare.
 Hæc procul dubio à *Rhætiis* ortum non habuerunt,
 fieri tamen potest, quòd illorum locorum habitato-
 res temporis successu *Rhætiis* subjecti fuerint, sicut
 & hodie *Helvetiis* subjecti sunt habitatores *Belli-*
zonæ & *Lugani*, vulgò *Sowers* / & alii multi, qui alia,
 quam *Helvetii* loquuntur lingua: Unde colligitur
 eos ab *Helvetiis* non descendisse, sed dominio
 eorum spontè, protectionis gratia, sese subjecisse.

CAP. VI.

Quomodo Rhæti devastaverint Comum, & terminos
suos extenderint versus Tridentum &
Veronam.

ANno circiter 86. ante Christum natum, cum
 Romanorum Consules essent *Cn. Pompeius*
Strabo, *Magni pater*, & *L. Portius Cato*, & *Rhæti*
 jam annis 501. *Alpium* Regiones occupassent, &
Comum devastassent, fuit oppidum illud rursum
 per *Pompejum* instauratum, de quo *Strabo* lib. V.
 sic scribit: *Comum mediocris erat colonia. Caterum*
Pompejus Strabo, Magni pater, colonos in eam restituit,
quam incumbentes Rhæti vastaverant. Hinc conji-
 cere licet, eo tempore *Rhætos* terminos suos propa-
 gasse, usque ad terras *Tridentinorum*, *Veronensi-*
um atque *Comensium*. Fieri autem potest quòd
 initium hujus belli fuerit eo tempore, quando *Hel-*
vetii pugnantes contra Romanos, percusserunt *Lu-*
cium Cassium Consulem eorum, & tunc *Rhæti*
 quoque, qui vicini erant *Helvetiorum*, cristas con-
 tra Romanos erigere ausi sunt. Sed & *Cimbri* illis

temporibus bellum gesserunt contra Romanos, id
 que juxta fluvium *Athesin*, haud longè à *Rhæto-*
rum terris, quòd fortassis *Rhætos* quoque ani-
 mosiores fecit. De bello *Cimbrorum* & *Roma-*
norum vide *Florum* super *LXVIII.* libro *Livii*, ac
 aliquot præcedentibus.

CAP. VII.

De oppidulo Wallenstat, & lacu ejusdem, & quomo-
do Rhæti, succumbentibus Helvetiis Imperium suum
dilataverint usq. ad Regionem Gastern. Item de con-
finitu Curenfis & Constantiensis Episcopatus, atq.
de Regione Helvetiorum, quam Mar-
cham, vocant.

RHæti, ut jam diximus, ditionem suam extende-
 runt usque ad lacum *Rivanum*, & lacum *Pod-*
amicum id quòd factum videtur eo tempore, quan-
 do *Helvetii* relictis terris suis, incensisque habi-
 tationibus, animum in *Galliam* direxerunt, ut illam
 occuparent. Sed postea à *Cæsare* victi, & fere omnes
 interfecti fuere, paucis salvatis, de quibus *Strabo*
 sic scribit lib. IV. *Cæsar reliquos ad millia octo sal-*
vos emisit, ne Germanis finitimis desertum agrum si-
neret: hoc est, ne Germani occiduum Rhæni latus
 quoque occuparent. Scribit tamen *Cæsar*, reli-
 quas majores superuisse. Illo tempore *Rhæti* præ-
 dia sua steriliora, quæ habuerant in *Alpibus*, relin-
 quentes, inque subjecta loca se demittentes, quæ
 longè uberiora erant, & jam vacua possessoribus suis
Helvetiis, occupare cœperunt omnia, aut majorem eo-
 rundem partem. Cumque victi *Helvetii* ex *Gallia*
 redire cogerentur, non satis virium fuit eis, ut exclu-
 derent ab antiquis sedibus suis, quas jam occupa-
 verant *Rhæti*, aut certè, quòd verisimilius esse
 videtur, spontè illis donarunt *Regionem* suam, præ-
 fertim cum plurimum in *Gallia* imminuti essent, nec
 sufficerent pro colenda tota terra. In hunc itaque
 modum arbitror, *Rhætos* primum extendisse limi-
 tes suos versus *Galliam*, idq. ante Christum natum an-
 nis 55. Oppidum *Wallenstat*, in superiori parte la-
 cus *Wallenstati* situm, non appellatur *Rhætiæ* *Val-*
listadium, ut *Vadianus* putat, ob id, quòd locum
 habeat in valle littoris illius lacus, sed ob id, quòd
 oppidulo nomen illud olim, quòd occupatum esset & ha-
 bitatum à *Rhætiis*. Tunc etiam *Helvetii*, qui infe-
 riorem lacus illius tenebant partem, utebantur lin-
 gua *Germanica*, & dederunt nomen *Wallenstat*
 memorato oppido, quòd habitatur à *Rhætiis*, bar-
 bara; hoc est, aliena à *Germanica* utentes lingua.
 Vocant enim Germani extraneas gentes, quæ non
 communicant cum eis, in vernacula lingua, *Wal-*
en & *Walchen* / potissimum *Italos* & *Gallos*. Eadem
 ratione lacus ille cum in potestate esset *Rhætorum*,
 à Germanis appellari cœpit, *Walenstati* lacus,
 quòd nomen usque in hunc diem retinet, sed secus
 quam *Regio* *Wallengow* / *Walchengow* / à *Rhætiis*
 illis nomen accepit, de qua infra quoque dicitur.
 Sciendum præterea quòd *Rhæti* lingua sua memo-
 ratum oppidum *Walenstat* nominarunt *Rivam*, id
 est, *Ripam*; lacum autem ipsum, *Rivanum*, id,
 quòd restantur antiquissimæ literæ foundationis
Curiensis. Quo pacto verò *Rhæti* ejusdem la-
 ci ulteriora loca occuparint, adverti potest ex
 nominibus oppidorum, præsertim *Tertzen*,
Quarten, & inferius ab alio latere, *Semes* *Quin-*
ten, in quibus locis custodia fuerunt atque vigilæ,
 per

per quarum stationem ditionem suam ampliaverunt, quo-
 usque terram ultra Setven / wesen / id est, Velenium,
 Schennis, & terram Domini Windes obtinuerunt,
 ubi castra sua fortissima locarunt. Hinc Regio illa ad
 hunc usque diem vocatur Gaster / quod usque ad eum
 locum Rhati castrametati fuerint. Hoc ergo pacto
 Rhati obtinuerunt & denominarunt Regionem il-
 lam, quod scilicet in tractu illo castra sua locassent &
 limitem Regionis suae contra Helvetios posuissent:
 unde & barbaram appellationem Gaster retinuit,
 quod castrorum limitem significat, sicut & Helvetio-
 rum confinium, qui Germanicè loquebantur, Germa-
 nicam retinuit appellationem, nam limes ille terrae eo-
 rum ad Gaster usque pertingens, lingua eorum March
 fuit appellatus, quod latine Regionis alicujus aut age-
 li limitem significat. Limes autem ille Rhatum, Ga-
 stern ab Helvetiorum Marca fecernens, est Limagus
 annis ex Claron descendens. Est & usque in hunc
 diem vera Marca, quam inferiorem vocant, dioecesim
 Constantiensem separans à dioecesi Curienti & est
 efficax argumentum vetustæ illius Regionum distin-
 ctionis. Nam Marca illa & Claronenses, exceptis Rh-
 renge / Niderturnen & Wiltzen / quod etiam ab an-
 tiquis temporibus Schennensium in Gaster est, ad
 Constantiensem dioecesim pertinent, & è diverso la-
 cus Walenset & tota Regio Gaster / excepta inferio-
 re parochia, quæ Oberfisch appellatur, & ubi Rhatum
 Regio finem habet, totum pertinet ad Curientem
 dioecesim. Fuit & tota Regio Gaster etiam intra 500.
 annos annumerata Curientibus, hoc est Rhætis, id
 quod testantur privilegia Cæsarea templo Schennis,
 quod est in Gaster / concessa quorum tenor hic est:

In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Si dignis petitionibus fidelium nostrorum benignum auditum adhibere studuerimus, apud Dominam & homines condignam remunerationem habere non dubitamus. Quapropter omnium Dei nostrique fidelium, presentium scilicet & futurorum noverit industria, qualiter fidelis noster Uadricus Comes, pietatis nostræ clementiam audiens humiliter rogavit, ut Monasterium quod Schennines dicitur, à parentibus suis & à se fundotenus constructum, in honore quoque Sancti Sebastiani Martyris dedicatum, situm in pago Chur / valacha, in Comitatu Eberhardi Comitis, & sanctas Moniales inibi Deo sub Canonica regula servientes, in nostrum mundiburdium, rationem, defensionemque acciperemus, cujus petitioni pium assensum præbenies, ob interventum ac petitionem dilectæ conjugis nostræ Agnetis Regine, præfatum Monasterium cum Ecclesiâ dicimus Ecclesiâ Nuolon, cum curte, ceterisque appendiciis, Ecclesiâ Obnonova, Wala, Retinova, cum curtib: Ecclesiâ verò Mellingen, nec non cætera bona quæ videntur habere in villa Ranchovla, Kisingun, Frovines, Cheizines, Finines, Estones, decimationem in Zizures, Thosteres, cum omni utilitate in Beneduro, dimidia pars curus & Ecclesiâ Falres: Pludenes, Slines, Walastade, Murga, Flia, Mura Winchelen / Chaltebrunn / Malsdole / wivilari: in Rietâ, Smarinchoven / Zuffelichoven / Butinchoven / Barra, Columbari, Wettungun / Goltbach / Suisse, & cum omnibus utilitatibus vel utensilibus ad idem Monasterium pertinentibus, seu quacumque adhuc Divina Pietas illuc augeri voluerit, in nostrum mundiburdium, rationemque suscepimus, nostraque auctoritatis præcepto roboravimus, eo quoque tenore, ut præscriptum Monasta-

rium & Sanctæ Moniales eandem libertatem quam cætera Regales habeant, & perpetualiter in eadem consistant. Decrevimus autem atque constituimus, ut eadem sanctæ Moniales inter se liberam potestatem habeant eligendi Abbatissam, cui à Regia potestate id ipsum committeretur officium. Et ut hæc nostri mundiburdii vel rationis auctoritas stabilis & inconvulsa omni tempore perseveret, hanc chartam inde conscriptam, subiusque manu propria roboratam sigillari jussimus.

Signum Domini Henrici Regis III. invidiosissimi. R.



Theodericus Cancellarius vice Burdonis Archiepiscopi & Archicancellari recognovit.

Data III. Calendas Februarii, indictione XIII. anno Dominica incarnationis M. XLV. Anno autem ordinationis Henrici Regis tertii XVI. Regni verò VI. Actum Turegi feliciter, amen.

CAP. VIII.

De Rhatum versus Podamicum lacum limite.

Habet præterea Rhatum Regio juxta Rhenum & hunc limitem, ut extendatur per Rheni descensum usque ad lacum Podamicum, & non ultra, ubi Rheni nomen una cum Rheno ipso à lacu absorbetur. Unde Strabo libro IV. de Rhætis sic habet: *Ipsi autem ad ea usque loca, quæ Rhenus secat, extenduntur.* Scribit quoque lib. VII. de lacu Rheni in hunc modum: *Ad eum lacum Rhati paululum adsunt, amplius Helvetii (qui hodie sunt Servicere) & Vindelici, quos jam vocamus Linngöwer) & desertâ Bojorum Regio usque ad Pannonios; magis autem Helvetii, & Helvetii in montibus campos habitant, Rhæti verò & Norici ad Alpium summa tenent.* Hinc patet, eo tempore, quo Strabo vixit, tempore scilicet Augusti & Tiberii, ditionem Rhatum extensam fuisse usque ad initium lacus Podamici, & ad Brigantium, & non ultra.

CAP. IX.

De Vindeliciis, & quomodo Rhati atque Vindelici Helvetios & alios populos obruerint: sicut quando Rhati Romanis subditi fuerint.

Quod autem post infortunia Helvetiorum Rhætii ditionem suam ampliaverint, subindicat jam memoratus Strabo in libro IV. sic scribens: *Isti finitimas Italia partes omni tempore, & Helvetiorum & Sequanorum, & Bojorum & Germanorum incursebant.* Porro Vindelicorum Regio situm habet inter lacum Podamicum, Hercyniam sylvam, quam hodie Nigram sylvam vocamus, Danubium & Lycum. Retinuit autem nostro ævo parvus quidam terræ tractus nomen pristinum, licet corruptum, nempe Linngöw / qui à Lindaugia versus Marchdorff & ultra porrigitur, constituens capitulum in dioecesi Constantiensi, quod vocant Capitulum Linngöw. In una Vindeliciæ extremitate juxta Lycum fluvium locatur Augusta, & in opposita Lindaugia, quæ, ut videretur, olim insula Vindelicorum appellata fuit, de qua Strabo quoque scribit, ut infra commemorabimus. Vindelici itaque olim incur-

incurfiones fecerunt in vicinos quosq; populos, præfertim in Sequanos, quos Sunggoienses esse putant, Bojos & alios adjacentes Germanos, sicut & Rhæti moleftarunt vicinos suos Italos & Helvetios: Postea verò tempore Augusti, annos circiter 13. ante Christi incarnationem, sunt & Vindelici atq; Rhæti multifariam impugnati, & magna pars ditionis eorum Romanis subjecta, idq; per strenuos illos fratres Tiberium & Drusum Cæsarum privignum. Unde Eusebius in Chron. Olympiade 191. anno 2. *Tiberius Vindelicos Romanam provinciam facit.* Et Vellejus Paterculus lib. I. *Tiberius Cæsar Rhætiam & Vindelicos ac Noricos, Pannoniamq; & Scordiscos, novæ Imperio Romano subjunxit provincias.* Idem lib. II. sic scribit: *Augustus Cæsar hæc mediocri belli molem per Tiberium Neronem experiri statuit, adiutore operis dato frater ipsius Druso, quippe uterque divisis partibus Rhætos Vindelicosq; aggressi, multis urbium & castellarum oppugnationibus, necnon directaque acie feliciter functi; gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo, quam damno Romani exercitus, cum earum plurimo sanguine, redemerunt.* Hæc ille. At videri possunt ad Principum adulationem hæc scripta. Suetonius in Augusto aliter habet: *Rhætiam, inquit, & Vindelicos ac Salassos gentes Alpinas coercuit.* Conformiter Lucanus: *Indomitum Rhæni caput &c.* Florus in 136. librum Livii prioribus alludens, sic scribit: *Rhætia à Tiberio Nerone & Druso Cæsarum privigno domita.* Causa hujus belli ignoratur, nisi quod conjicitur, Romanos movisse bellum contra Rhætos & Vindelicos, eò quod ipsi bellum intulissent Helvetiis & Sequanis Romanorum Provinciis. Strabo lib. IV. hæc signat rationem, quod Rhæti superioribus annis inopes latrocinati fuissent, & nemini tutum iter permisissent per Alpes: nam inopiâ acti, rapinis operam dederunt. Quapropter Cæsar Augustus eorum volens compescere levitiam, misit privignum suum, qui armata manu illos reprimeret. Et in hunc modum illorum conatibus repressis, itinera rursum tuta reddita sunt. Quod autem Drusus bellum gesserit contra Rhætos, testatur Horatius lib. IV. Ode 4. in hæc verba: *Videte Rhætibus bella sub Alpibus Drusum gerentem.* Et Suetonius in Claudio capite 1. *Drusus Dux fuit Rhætici belli.* Hinc vallis Walgöry per descensum amnis Illi usq; ad Rhenum & paulò ulterius, olim vocata fuit Vallis Drusiana, id quod testantur antiqua monumenta, quæ habentur in cathedrali Curiz Ecclesia. Antea verò coloni ejus dicti fuerunt Estiones, de quibus infra. Fieri etiam potest, quod Drusus cum exercitu suo aliquantam morâ fecerit in illâ Regione, donèc Rhætiam devicit. Interim autem Tiberius Drusi frater & coadjutor, suppressit apud Podamicum lacum Vindelicos, hoc est, Lintzgoios, commodissimè utens insula Podamici lacu, hinc enim navali prælio illos concussit. Unde Strabo lib. VII. de lacu Rhæni: *Is habet insulam, qua velut arce ad invadendos Vindelicos commodissimè usus in navalibus pugnis Tiberius.* Hanc insulam reor fuisse eam, quæ est juxta Lindaugiam, quæ adhuc insula appellatur, & nō insulam Richenau, ut D. Beato Rhænano visum est. Nam non rarò per annum equo & pedelicebit ingredi insulam istam de qua Beatus loquitur. Cæterum post mortem Drusi, Rhæti rursum bello petuntur, idq; per Tiberium, qui plurimos stravit, at illi maluerunt mortem oppetere, quam Romanis cervicem subdere, eorumq; ferrè dominium. De quo Horatius libro IV. Ode 14.

*Major Neronum mox grave prælium
Commisit, immanesq; Rhætos
Aussicis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora libera
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas propè qualis undas, &c.*

Hoc itaq; pacto Rhæti subacti sunt Romanorum dominio. Scribit Strabo libro IV. de Rhætis, quod cum in desertis locis agerent rapinis intenti, ex victus & cæterarum rerum inopiâ, illis interdum parcebant hominibus, qui campos habitabant, ut haberent qui eis suppeditarent: e contra illi resinam, picem, tædam, ceram, caseum, mel, retribuebant, quorum quidem copia eis supererat. Eusebius Cæsariensis in suo Chron. refert, quod Olymp. 133. anno 3. Tiberius de Rhætis, Vindelici, Armeniis ac Pannoniis triumphavit. Sed hic notandum, Romanos sæpe triumphasse, etiam cum quia hostem solum stravisset, & non subjugasset aut domasset, id quod videri licet in Livio deca. 4. de Gallis, quos Romani Cisalpinos vocarunt, & in aliis locis ejusdem Autoris. Sicaliqui putant actum fuisse cum Rhætis. Nam in Suetonio, qui magnæ inter Historicos est autoritatis, non scribitur, domuit, sed coercuit, quasi dicat, cohibuit aut retroegit. Haud secus scribit Lucanus insignis Poëta, & qui nullo Historico inferior æstimandus est, Caput Rhæni indomitum esse, hoc est, homines juxta fontes Rhæni habitantes, indomitos esse. Ex quibus verbis memorati Scriptores putant, superiorem Rhætiam Ligam nunquam fuisse sub Romanis, aut indomitam ab eis, exceptis fortassis illis, quorum habitatio est in locis Rhæni inferioribus, nempe in Tummelsch, e Regione Sürstnau & Curia, quorum opinionem veritati non dissimilem, hic non duximus discutendam. Illis quoq; temporibus Lucius Munatius Plancus, qui sub Imperatore Augusto bis Romanorum Consul em egit, victoriam assecutus est contra Rhætos, & ob id Romæ triumphum habuit, cujus mentionem facit vetustissima lapidis inscriptio, quæ adhuc invenitur in Cajera urbe maritima, in Regno Neapolitano sita.

INSCRIPTIO CAJETÆ.

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON. PLAN-
CUS. COS. CENS. IMP. ITER. VII. VIR.
EPUL. TRIUMPH. EX. RHÆTIS. ÆDEM.
SATURNI. F. DE. MANIBUS. AGROS. DI-
VISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI. IN. GAL-
LIA. COLONIAS. DEDUXIT. LUGDUNUM.
ET. RAURIGAM.

Explicatio.

Lucius Munatius Plancus Lucii filius, Lucii nepos, Lucii pronepos, Consul, Censor, Imperator iteratò, Septuaginta in sacerdotio, Triumphator ex Rhætis, ædem hanc Saturno fundavit ex facultatibus bello partis. Agros Beneventi divisit in Italia, & in Galliam in civitates Lugduni atq; Augustæ Rauracorum (quæ est propè Basileam) novos colonos collocavit.

CAP. X.

Descriptio Rhætiae secundum Ptolemaum.

Claudius Ptolemaus, qui multis annis post Livium, Trogum, Strabonem, vixit, scribit lib. II. cap. 12. tempore suo limites Rhætiae & Vindeliciae hos fuisse: Occidentale latus terminatur monte Adula, qui hodie vulgò vocatur Vogel, & oritur ex eo Rhænus, & linea quæ est inter capita amnium Rhæni & Da-

Danubii. Latus septentrionale terminatur parte Danubii, quæ est à fontibus usq; ad Oeni fluvii scissionem. Orientale verò latus ab ipso Oeno terminatur. Meridionale, Alpium montibus supra Italiam extensis apud Grajas Alpes & apud Pœnas, qui sunt juxta principium Lyci amnis, qui in Danubium exit, & mœnia urbis Augustæ alluit, Rhætiamq; à Vindelicia d'siungit. Secundum hunc Cosmographum, *Augusta in Rhætia, & non in Vindelicia locū habet*, & limites quos ipse statuit, comprehendunt Rhætiam, Vindeliciam, & bonam partem Helvetiæ, potissimum superiorem & inferiorem Thurgoiam, quam fortasse Rhæti suis temporibus, post cladem Helvetiorum supra memoratam, jam tum obtinuerant. Aliisquin secundum hanc Ptolemaicam descriptionem, Helvetii & Vindelici nunquam attigissent lacum Podamicum, cum tamen Strabo scribat: suo ævo totum lacum fuisse intra terminos horum populorum, Rhætos autem modicæ Regionis suæ parte illum contigisse. Unde patet, *Thurgoiam seu Durgeam tunc fuisse Helveticam Rhætiam, quippe quæ à Rhætiis devicta fuit*, haud secus quam hodie *Comers/Lucarus, Mendris in Italia, usq; ad urbem Comum, item Schaffhusia, Eglistow / Stein & Nottwilâ in Germania, Basilea apud Rauracos, Nîssus* etc. apud Sequanos, qui hodie Sunggoienses appellantur, omnes Helvetii appellari poterunt. Quapropter *Rhætia illa subacta, quam campestem vel inferiorem vocant, non habenda est proprie pro Rhætia ipsâ, cum non sit vera Rhætia, quæ situm habet intra, & non extra Alpes, unde & in hunc usq; diem appellantur Cani populi, & ab percussis factus, Confederati cani*, quo vocabulo datur intelligi, illos esse seniores in natione illa, præsertim cum Autores Ptolemæo & alios testes, antiquos Rhætos in Alpibus habitasse, summaq; juga occupasse, & id nedum juxta Rhenum, verum & ultra Alpes versus Italiam valles inhabitasse, quorum limitum Ptolemæus in sua descriptione nequaquam meminit, sed discriminari ait Rhætiam ab Italia Alpium cacuminibus, quæ tamen utriq; Rhætorum sunt. Sed fieri potest, quod eo tempore Rhætia non nihil fuerit alterata, & id per Romanos, exigentibus ita Provinciarum Præfecturis, propterea verò Ptolemaica limitatio in hac & similibus descriptionibus nō videtur imitanda: *nec Ptolemæi insignis illius Cosmographi propositum fuit, quamlibet parvam Regionem aut civitatem per suos limites & terminos præcisè describere, sed totum mundum delineare, & simul ostendere situm cujuslibet loci, limites verò non exactè observare.* Unde factum est, ut nonnunquam civitatem aliquam tribus aut quatuor Germanis milliaribus locaverit à vero suo situ, quem in terra habet. Sed illud nequaquam est curandum, præsertim cum tam mirabile fecerit opus totum mundum comprehendens in circulo, mare, & terram per suos terminos metiens & conscribens, & præterea omnium celebrium gentium & civitatum nomina commonstrans. Quod autem prima & antiqua Rhætia terminos & situm habuerit in Alpibus, ut supra ab initio ostendimus, adverti potest ex supra memoratis antiquis Historicis, qui Rhætorum mentionem faciunt, & omnes testantur, Rhætos fuisse Alpinos populos, & incoluisse Alpes ipsas. Cæterum Regio, quæ est inter Podamicum lacum & ortum Danubii, usque ad commissionem Lyci & Danubii, nullas habet Alpes aut solitudines: ad hoc superior Thurgoiâ à lacu memorato usque ad ostia Thuri flu-

vii, ferax est vini atq; frumenti, & utrumq; littus lacu decoratur multis oppidis, civitatibus, feracitate vini & frumenti, & amœnitate, & tamen non sunt Alpinae gentes, sed optimam terram possident. Strabo verò scribit lib. VII. in hunc modum: *Ad eum lacum Rhæti paululum absunt, amplius Helvetii & Vindelici &c. Rhæti ergo inhabitantur excelsos vertices Alpium, Helvetii verò & Vindelici habuerunt planicies in montibus atq; juxta prædictum lacum.* Idem Strabo lib. IV. sic scribit: *Rhenus magnum in lacum effunditur, quem Cereti & Vindelici propius attingunt.* Et lib. VII. *Lacus Rheni habet insulam, quæ velut arce ad invadendos Vindelicos commodissimè usus, &c.* Hæc omnia clarè demonstrant, majorem partem lacu Podamici & attingentium Regionum, Rhætorum non fuisse, sed portionem aliquam. Nam si illorum terra lacum non contigisset, quomodo Tiberius ex lacu istos invadere potuisset? Præterea si juxta mentem Ptolemæi hæc omnia ad antiquam Rhætiam pertinuissent, habuissent Rhæti majorem & populosiorum Regionem in planicie, quam in Alpibus, immeritoq; à Livio appellati fuissent Alpini populi in asperis habitantes locis, & ex asperitate locorum efferi facti, ut supra diximus: alioquin quomodo potuissent Nobiles illi, quales ab initio fuerunt, in bonis terris, degenerare in tantam feritatem? Loquor autem de Thurgoiâ, Constantiâ, Lindaugia, Buchhorn / Ravensburg / Marchdorf / Mersburg / Oberlingen / Mindelheim / Pfullendorff &c. ubi semper & in hunc usq; diem fuerunt & sunt homines prudentes, negotiationibus intenti, industrii, bonis moribus imbuti, & alieni ab omni rusticitate atque feritate. Unde colligimus, hanc planam & exteram Regionem nunquam sub Rhætorum dominio fuisse, quippe qui asperas duntaxat Alpes, & earum valles inhabitârunt, & inde feritate illam, quam adhuc habent, contraxerunt. Dicit præterea Livius Rhætos linguam suam Tuscanam retinuisse; licet plurimum corruptâ. Non autem invenitur, nec unquam est auditum Regionem inter Danubium & Podamicum lacum atq; Thurgoiâ usas lingua extera, & alia à Germanica, & ob id minimè Rhætiae sunt accensendæ. Nec obstat, si dicas, barbaram illam & externam linguam in civitate Curriæ, & aliis multis locis abolitam, & Germanicam introductam, cum ibi & hinc usq; ad lacum Wallensee ferè omnes villæ, montes, sylvæ, valles, Alpes, flumina, agri & præta, nomina habeant barbara, peregrinæ illius linguæ certa vestigia. Similiter licet invenire quædam oppida in descensu Rheni usq; ad initium lacu Podamici, quæ id testantur. Hinc autem ad Thurgoiâ & versus Danubium nullum penitus tale deprehendes indicium, exceptis quibusdam locis, quæ per Romanos fundata, belli occasione aut castroium locatione, nomen acceperunt, ut est Arbona, seu Arborfex, Constantia, &c. In summa, *latera Constanienfis lacus termini sunt Helvetiorum & Vindelicorum, juxta apertum Strabonis testimonium, & non Rhætorum*, etiamsi non abnuamus, tempore Ptolemæi aut etiam ante, Helvetiam & Vindeliciam Rhætiae subjectas fuisse, sed non diu subjectam tenuerunt, quia Alemanni ex utroq; latere Podamici lacu Rhætos expulerunt, & Regionem sibi vendicarunt. Fuerunt etiam Rhæti ab initio populus à patria expulsus, & absque dubio non multum bellicosus, alioquin non permisissent se tam facile per Gallos à patria sua expellere, & eadem ratione non valuerunt optimam aliquam terram

usurpare, quis enim locum eis dedisset? Verisimile præterea est, bonas Regiones citra Alpes, tam Thurgojam quam tractum ultra lacum usque ad Danubium, tunc habitatas fuisse. Et cum ipsi advena Rheti in exercitum fuerint ad bella gerenda, procul dubio nullum populum incognitum in exteris Regionibus invaserunt, aut vi obruerunt, sed in agrestibus locis mansionem constituentibus, pacem & quietem quaesierunt, præsertim cum tunc Helvetiorum potentia tanta fuerit, ut Gallis Germanisque omnibus, imò Romanis ipsis auderent bellum indicere. Id si verum est, procul dubio non permisissent Rhetos ultra Alpium septa, versus suam ditionem terminos ipsorum dilatare. Postquam verò Romanorum bellis infestari cœperunt, possibile est, tunc Rhetos transgressos limites suos, & novam Rhatiam, hoc est, ampliorem fecisse. Hoc autem non obstante, antiqua & vera Rhætia, ut supra abundè probavimus, obiter attingit lacum Podamicum, idque in superiori ejus parte, ulterius vero Helvetii & Lintzgoii cum lacum contigerunt. Postea tamen modico elapso tempore, Helvetiorum & Lintzgoiorum nomen ferè penitus intercidit, de quo infra. Et tunc Rhetorum limites longè extensi sunt in Regiones Helvetiorum & Vindelicorum, ut etiam lacum Podamicum intra eos comprehenderint, id quod Plinius, Ptolemæus, Solinus & Claudianus testantur. Unde Plin. lib. IX. cap. 17. *Lacus Rhatia Brigantius*. Et Solinus cap. XXIII. de Gallia: *Rhaticus ager optimus & ferax, Brigantino lacu nobilis*. Item Claudianus in victoriam Atalarici:

— *Sublimis in Arcton*

*Prominet Hercynia confinis Rhatia sylva,
Que se Danubii jactat Rhenaq; parentem.*

Sed non diu hanc ampliata ditionem retinuerunt. Nam in tractu illo surrexerunt contra Romanos quædam conspirationes, Alemannorum usurpantes nomen, & Rhetos Romanis subditos coegerunt pedem referre in Alpiam primam mansionem, ut etiam contenderint ultra Brigantium arina in eos movere. Quare motus Constantius Imperator, misit exercitum usque Brigantium, qui cum Vindelicis, hoc est, Lintzgoiis, qui tunc Lentienses appellabantur, & facti fuerant, Alemanni, congregarentur, cujus belli Ammianus meminit lib. XV. in hæc verba. *Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum*. De quo bello & ejus causa infra fusius dicemus. Sic itaque factum est, ut illo tempore Regiones Rhetorum, Helvetiorum & Vindelicorum redierint ad pristinos limites.

Haud dissimilis quædam nota fuit dissensio ante 650. annos, inter Abbatem Monasterii S. Galli, cujus situs est in Thurgovia, in Regione Helvetiorum, & Comitum Lintzgoia, hoc est, Vindelicia, propter oppida quædam Ringoia, id est, Rhætia, conveneruntque ad dirimendam litem illam singularem Communitatum gubernatores, pacataque dissensione, literis sigillatis cautum est, ne in posterum tale quod oriretur dissidium. In hac autem conventionione declaratur, inferiorem Thurgovia marcam Helvetiorum esse, & Ringoiam Rhetorum & in hunc usque diem hæc vera est inferior marca Ringoia & Thurgoia, extensa à Schwargeneck, quæ est in montibus Appencellensium, usque ad ingressum Rheni in lacum Podamicum. Descendit autem Rheni rivus, à latere occidentali, lacu Brigantini, spatio dimidio milliari Germanici, priusquam conversus lacum ingrediatur. Hinc autem sic colligere licet.

Si inferior Helvetiorum marca terminos illos, quos hodie habet ab annis retroactis 650. habuit, absurdum non erit dicere, ante illud tempus hos quoque habuisse limites. Et ut jam memorata de Regionum distinctione declaratio manifestior esset, libuit eam hic de verbo ad verbum inserere, etiam si non omnia in ea contenta, nostro instituto serviant.

TENOR LITERARUM.

Notum sit omnibus, presentibus scilicet & futuris, quod nos fratres de Monasterio Sancti Galli, in pago Ringau de justis & publicis traditionibus atque legibus curialibus talem usum habuimus, qualem unusquisque liber homo de sua proprietate juste & legaliter debet, habere in campis, pascuis, sylvis, lignorumque succissionibus, atque porcorum pastu, pratis, visis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, exiisibus & redditibus. Præterea in usus Monasterii, prout opus erat, ad aqueductus & ad regulas, ligna in prædicto pago succidimus, & ex inde ad Monasterium deferrebamus, & nihilominus navalia ligna ibi succidimus, necessaria nostra per lacum asportanda. Insuper & grex porcorum de Monasterio ad eundem saltum deducebatur ad pastum. Hac omnia de temporibus Ludovici Imperatoris piissimi, & Gosperis Abbatis ejusdem Monasterii, & successorum ipsorum Imperatorum & Abbatum, antecessoresque nostri habuerunt absque peccatione & absque contradictione, & sine ullius potestatis contradictione: similiter & nos eadem omnia potestative & absque contradictione habuimus usque ad tempora Arnolphi Regis, exceptis nemoribus subius adnotatis, quæ in Regio hanno sunt. Postquam autem Rex Arnolphi Udalrico cuidam Comiti de Ringau in prænominatione pago Ringau curiam Eustenan in jus proprietatis dedit, usus omnes quos prius, ut dictum est, in eodem pago habuimus, idem Comes cum sua ditione nobis auferre, & nihil nobis neque in Eustenan neque circumquaque in præscripto pago, nisi sub conditione fruendum voluit concedere. Etiam regulas quas fissas habuimus ad regendam Sancti Galli Basilicam, vobis abstulit, & super domum suam in Eustenan imponere jussit. Tunc venerabilis Salomo Episcopus, & Abbas prædicti Monasterii Sancti Galli, ut futura posteris destruerent jurgia, habito prudenti consilio, omnes Principes de tribus Comitibus, id est, de Durgau, de Ringau & de Rhatia Curienti, cum reliqua populorum multitudine in unum fecit convenire, præsentie Thiercolfo Curienti Episcopo, & prædicto Comite Udalrico, in loco ubi Rhenus lacum influit Podamicum, de universis usibus præscriptis in pago prænotato Ringau, quid potestative legaliterque, quidque sub conditione ad Monasterium, deberes habere Regia autoritate conquisturus. Nam Comes prælibatus & nostris familiis in eodem pago positis, solitos usus interdum detraxit, & ea quibus maxime in Monasterio opus est, voluit denegare. Tunc vero Primates omnes de illis tribus collecti Comitibus, cum juramento & fide data testificati sunt, se vidisse & bene nosse, quod de legitimis curialibus usibus omnes isti, ut prædicti sunt, & nobis ad Monasterium, nostrisque mansis in nostris territoriis, in pago prænuncupato commanentibus, cum illis civibus, absque contradictione essent communes, à rivo Eichbach usque ad Schrensbach, excepto Hermen-

Hermannine, qui specialis terminus est, & exceptis nominibus, id est, Cobolo, Thiotpoldesowa, Thirinesowa & Palaa. Et præterea gregi procorum testificati sunt de Monasterio dicto, in eodem saltu passum habere debuisse. Eodem quippe juramento & Comitatus dividerunt terminum inter Durgem & Ringem / asserentes de Schwargeneck / ubi aqua adhuc ad nos vergunt usq; ad Mauem / in medium gurgitem Rheni, & inde usque ad lacum Podamicum. Acta sunt hac in loco suprascripto, III. Calend. Septembris, anno incarnationis Domini 890. Indictione VII. regnante Rege nostro Arnolfo gloriosissimo, presidente Salemone Episcopo, & Abbate venerabili.

Isti vero sunt qui hoc testificati sunt.

De Durgem.

Othere	Folcheras	Eskirich
Walpert	Luto	Reginger
Ruadpert	Milo	Hildeger
Wilchere	Immo	Windbere
Adolf	Woluene	Tiropold
Wolffkier	Reccho	Wolfrid
Item Willehere	Werinbuc	Lantfrid
Paio	Witto	Adalbert
Item Wito	Koesthegan,	id est, Gortzdegen
Horseolf	Kozpert	Item Adalbert.
Engilram	Nanker	

DE RHÆTIA.

Merold	Ursicinus	Dominus
Andreas	Wanzo	Vigilius
Item Merold		

DE LINGEN.

Ruadman Sigibrecht	Indo	Walpert
Sigibrecht	Hadabert	Wilhelm
Wichere	Adalbert	Kerhart
Adalolt	Alto	Luitpert
Richolf	Meginbere	Bernhart
Item Kerhart.		

CAP. XI.

Situs Rhetia juxta Strabonem.

Strabo lib. IV. breviter complexus est limites Rhetia quibus tempore Augusti & Christi includebatur. *Supra Comum, inquit, ad Alpium radicem Rhetia jacent, & Vennonnes ad orientem versis. Alia ex parte Lepontini & Tridentini & Stoni & alii complures populi parvi, Italiam tenentes. Idem libro IV. sic scribit: Montana pars in Orientem & in Austrum vergens à Rhetia Vindeliciaq; tenetur, Boiis Helvetiisq; confinibus, nam eorum campis imminet. Ceterum Rhetia ad Italiam usq; pertinent, quæ supra Veronam & Comum est. Ipsi autem ad ea usq; loca quæ Rhenus secat, extenduntur. Idem libro VII. Ad lacum Rheni Rhetia paululum adsumi, amplius Helvetii & Vindelici. Magis autem Helvetii & Vindelici in montibus campos habitant. Rhetia vero & Norici usq; ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant, hinc Insucribus, inde Carnis propinqui, & Aquileja tractus. Patet hinc, Rhetos occupare Alpes juxta Rhenum, & extendi eorum terram usq; ad lacum Podamicum, quibus confines sunt ab uno latere Lepontini, qui sua lingua hodie vocantur Liviner: postea Insucri, & hii hodie sunt Ducatus Mediolanensis atque Comensium terra. Idem Verona & Tridentini, quos hodie vulgo vocamus, ab Athesi fluvio Eschlander. Norici vero sunt qui ad Oenum jacent. Tridentinos & Noricos, Vennonnes contingunt, qui etiam inter Rhetos numerantur, apud quos Oenum & Athesis oriuntur.*

Porrò hi hodie sunt Engadini, Vinstermuntii, Munstertalenses & Vinstgoii. A Vennonib. denominata est Munstertal / Latine Vallis venusta, idq; in antiquis literis quæ habentur in Cathedrali Ecclesia Curicensi. Item secundum descensum Rheni usq; ad initium lacu Podamici contigerunt Rhetia ab uno latere Vindelicos, & ab altero latere Helveticos, & istud latus ascendit usq; ad Lepontinas Alpes. Scribit & Plinius lib. III. cap. 23. Rhetos junctos Noricis.

CAP. XII.

Diocesis Curienfis ferè complectitur Rhetiam, ut à Strabone est descripta.

Si conferas Diocesim Curiensem & limites ejus cum Rhetia, ut à Strabone est descripta, invenies circuitum ejus omnino respondere descriptioni Strabonis. Exteditur enim ista Diocesis ultra Feldkirch ad Brigantium atq; lacum ipsum, ab uno Rheni latere & ab alio latere ad Montiglen / id est, Monticulum in Nintal & hinc ad Turtal in Gastern. Item ab Urseren / quæ in Curienfi Diocesi est, descendendo ad Gessinum / quæ est in terra Br. Hoc enim tempore Urseren & Gessinum ad Uros qui & ipsi Helvetii sunt pertinent. Hic itaq; tractus, ut supra quoq; memoravimus, distinguit Diocesim Curiensem à Constantiensi & antiquo Helvetiorum limite. Sed & nomina oppidorum clarè ostendunt ibi defuisse linguam Rheticam atq; Germanicam, ut *Ursella Hospitale Rhetice*, & paululum descendendo, ubi initium est Constantiensis Episcopatus, est *Gessinum*, Germanica vox, & significat *diversorium hospitium*, alludens Hospitali Rhetorum. A Gessino descendendo ad Urorum Regionem, omnia locorum nomina sunt Germanica, ultra autem hospitale sunt Rhetica. Item ascendendo à lacu Brigantino, sunt omnia ferè nomina Rhetica, ut sunt, *Brigant, Brigantium, Camps Amisum, Montfort Monstortis, Nantewyl Ranguila, Frastens Fraxinum, Montajel Montaniculus, Benduren Benedurum, Estimen Estiones, Schan Scana, Radus Vallis dulcis.* Item in valle Rheni, *Montiglen Monticulus*, & in dominio *Vorstege / Sales Saletium, Sax Saxum, Camps Campsum.* In *Werdenberg / Graps Quadrabitum, Wuchs Bougum, Sevosa Sevola.* In *Sanganus, Gressins Grecinium, Fontenaus Fontenatum, Armans Alcimonis, Bill Villa, Ragas Ragatum, Vilters Vilis terra, vel Filtris antiquitus, Mung Plontium, Stuns Fluminis, Verschins Persinium, Prat Pratum, Pernidia Pernidia, Paschara Pascuaria, Pascassia Pascualia, Belfris Belfrisum, Matug Matugium, Escherlach Cernelacum, unde videri potest lacus Walen.* In *Gastern seu Castris, Moss Mellum, Terzen Tertium, Quarten Quartum, Quinten Quintum, Murg Murgum, Sij Flia, Mur Murum.* In summa, totus Curienfis Diocesis circuitus habuit olim usum Rhetici sermonis, id quod testantur memoratorum oppidorum nomina, & major pars nominum mentium, agrorum, prætorum, fluminum, Alpium, &c. Idem asserunt incolæ à majoribus suis sic instructi. Agnoscunt præterea hanc Diocesim hi qui habitant ultra Alpes, ut sunt Engadini, & verius Italiam Masopertal usq; ad Bellizonam: item *Brigellert / Vinstgen* & inferius usq; ad Regionem Athesis, item multæ valles & oppida, quæ pertingunt usque ad Diocesim Tridentinam, Veronensem & Comensem. Quicquid itaque est intra circuitum hujus Episcopatus, totum est Rhetia antiqua, juxta veram Strabonis descriptionem. Colligitur denique ex aliis ratio.

rationibus, quas jam commemorabo, *Dioecesis Curiensem complecti veros limites antiqua Rætia*, nempe ex Metropoli ejus Curia, quæ ut in Episcopatu, ita quoque apud veteres Rætios, summum inter oppida tenuit locum, ubi & Dominus totius Regionis illius, suam habuit residentiam, unde & sermo vulgaris *Churwelsch* / & terra ipsa Rætia Curienfis appellata fuit. Ab initio enim propagati Christianismi, qualibet Regio quàm latè potuit, unum habuit Episcopum, per quem ad fidem incolæ ejus convertebantur. Cùm autem olim Rætii & supremus terræ eorum Dominus Fidei Catholicæ sese submitterent, procul dubio tota Regio illa cœpit parere suo Episcopo, in his quæ de suo erant foro. Quin & *ultimus Rætia Dux* seu Comes migrans hinc sine legitima prole, assignavit *Ecclesie Curienfi magnam terræ illius portionem*, deditq; arma sua atq; insignia, quibus posteris uteretur temporibus. Duravit autem hic Episcopatus circiter mille & quinquaginta annis, id quod colligitur ex descriptione vitæ sancti Fridolini, in *Seckingen* sepulti, cujus descriptionis Autor fuit *Noggerus Abbas sancti Galli*, qui vixit ante 650. annos. In ea autem *Legenda* sic scriptum habetur: Anno Domini 495. venit sanctus Fridolinus ad Episcopum Curiensem, tempore Ludovici primi Francorum Regis, qui etiam Clodoveus magnus vocatus fuit: Hinc arguitur Episcopatum aliquot annis antea fuisse, cum jam ibi Episcopus esset, quem sanctus Fridolinus perhibetur adiisse. *Vivunt etiam Rætii populi choreis singularibus*, quas dosiri vocant *Churwalsch* / & absque dubio majores eorum ex *Thuscia* hoc saltationis genus olim in eam induxerunt Regionem. Nunc de Rætico vino dicendum. Quamvis in terra eorum altissimi & invii sint montes, crescunt tamen in radicibus illorum montium, atque in vallibus, *vina optima & præcipua*, potissimum in *valle Rheni*, prope *Weldtsch* / *Baden* / in *Sarganser* Regione, juxta *Menensfeld* / *Curiam*, *Thumlesch* / *Welslin* / *Eleyen* / &c. Unde *Strabo* libro IV. Vinum Ræticum inter Italica egregiè commendata, non sanè inferius in montanis illorum radicibus nascitur. Item *Suetonius* in *Augustum* capite 77. *Augustus Caesar maxime delatus est Rætico vino. Idem scribit Plinius lib. XIV. cap. 1. 2. 6.*

CAP. XIII.

Quas terras illi, qui sunt de Ana confœderatione, quos & Churwalhen vocant, hodie desiderant ex antiqua Rætia limitibus.

A Memorata antiqua Rætia, quam *(ani confœderati hodie possident, avulsa sunt, Brigentiù, Weldtsch) Bludenz / Walgau / Estnerberg / Baden* / quæ intra limites domus Aultriæ sita sunt. In valle Rheni, *Say / Werdenberg / Turtal / Sarganser* Regio, *Gastern / Brseren* / quæ sunt in Helvetiorum ditione. Item ultra Alpes, in *Vennonum* Regione infra *Engadinos* *Vinstermung* / & infra *Munstertal* / major pars *Vinstgoiz* & *Wasserheid* / quæ loca Aultriæ Dominis parent. Reliquam terram occupant Curienfes, præsertim ultra Alpes, superior & inferior Regio *Engadinorù*, *Münstertal / Mals / Fürstenberg* juxta *Athesim*. Est quoque *Churberg* feudum Cathedralis Ecclesiæ. Item *Bergell / Welslin* / ab origine *Adæ* usq; ad *Comensem lacum*, *Cleven* / & vallis superior, *Masoy / Kussee* & *Galacten* / quæ loca sunt ultra Alpes. Citra verò per descensum Rheni usq; ad *Vadutensium* *Dominium* & usque ad terram *Sarganser*.

CAP. XIV.

De oppidis quæ hodie occupant Rætii, qui Graubündler id est, Cami confœderati appellantur.

Moderna Rætia, quam Germani vocant *Churwalden* & *Graubund* / ipsi autem sese sua lingua appellant, *Grisones*, quàm latè patet, sacramento est conjuncta, dividiturq; in tres confœderationes, quarum primam *(cathedralem ligam seu confœderationem)* appellant, eò quòd Cathedrali Ecclesiæ sit devincta. *Altera* vocatur *superior liga*. *Tertia*, *liga decem judiciorum*. Cathedralis Ecclesiæ liga maxima est in numero hominum, sed quæ constat decem judiciis, minima est. *Harum trium ligarum qualibet habet multas privasas communitates, & serè qualibet parochia proprium judicii Consistorium.*

Prima liga quæ est Curienfis Ecclesia, decem & novem habet Communitates seu Civitates.

1. *Curia* præcipua est hujus fœderis civitas, cujus *Præses* vocatur *Burgemeister* / hoc est, civium *Magister*, & hæc prima est communitas.

2. *Secunda* communitas complectitur has villas, *Bizers / Vis / Trimis* / atq; inferior *Bas* / quarum *Gubernator* vocatur *Bogt* / id est, *Præfectus*.

Haec dux communitates loquuntur Germanicè: sequentes verò quæ sunt de *Fœdere* Episcopali, utuntur lingua Rætica, quam ipsi Romanam vocant, ex *Thuscia* huc allata.

Est & communitas quædam in Regione *Thumlesch* / *Orienstein* / appellata, & hæc quoq; Cathedrali Ecclesiæ est obligata, alioquin libera, quippe qui pecunia sese redemerunt à Domino suo, & *Præses eorum* vocatur *Amman* / quasi *Ampman* / ut intra dicitur.

3. *Tertia* communitas est *Fürstena* / sita in *Thumlesch* / & horum *Moderator* vocatur *Præfectus*. Porro hæc tres communitates jam enumeratæ locum habent in planicie, idq; juxta *Rhenum*.

4. *Quarta* communitas est superior *Bas* / & hujus *Moderator* vocatur *Amman* / & in sua lingua *Ministrat*.

5. *Quinta* communitas est *Neams* / habetq; locum supra *Stein* / *Moderatorem* suum vocant *Præfectum*, & ad ipsam pertinet *Zingen*.

6. *Sexta* communitas est *Zieffencastel* / olim *Imum* castrum vocata, cujus *Præses* vocatur *Amman*.

7. *Septima* communitas est *Grnyffenstein* / cujus *Moderator* agit *Præfectum*.

8. *Ostava* communitas est *Stalla* / quæ & ipsa habet *Amman* pro *Gubernatore*: hæc haud procul abest à monte *Settmer*. Porro olim dictus fuit locus iste *Bivium*, eò quòd ibi duo itinera divaricentur ultra Alpes, præsertim ultra *Settmer* in *Bergel* / & ultra *Julien* in superiori *Engadino*, Rætii ipsi usq; in hunc diem vocant *Bivium* corruptè *Bevio*.

9. *Nona* communitas est *Wels* / habens *Præfecti loco* *Amman*.

Hæc novem jam commemoratæ communitates locum habent citra juga Alpium, versus Germaniam, & ultra juga versus Italiam, locum habent subnotatæ communitates, Episcopali Ecclesiæ confœderatæ.

10. *Decima* communitas est *Bregallen / Underport* / & *Oberport* / versus *Cleven* extensa, habet ista *judicem Præfecti loco*, quem sua lingua vocant *Potestat*.

11. Undecima communitas est Zus in superiori Engadino, & hæc quoque habet Prefectum quem Amman vocant.

12. Duodecima communitas est Sinnada in superiori Engadino gubernaturq; per Amman.

13. Decimatertia communitas est Postlaaf/ olim Pesclaviium dicta, sita e Regione Veltlin / & hi habent iudicem.

14. Decimaquarta communitas est Steinsperg/ in inferiori Engadino, quibus presidet Amman.

15. Decimaquinta communitas est Schuls & inferiori Engadinum: habent autem & ipsi Amman.

16. Decimasexta communitas est Remus/ olim Heremuscia dicta, & Märgnyen / quorum Praeses est Amman.

17. Decimasextima communitas est Münsterthal/ in Athesis Regione, subditi Prefecto Amman.

18. Decimaoctava communitas est Mals infra Gassen in Vintgoia propè Athesim, & his quoque Prefectus est Amman.

19. Decimanona communitas est Schanzen in Vintgoia, etiã infra Gassen / & habent quoq; Amman. Est præterea arx Churberg juxta Athesim in Vintgoia, feudum Curiale.

Item Fürstenberg alia arx juxta Athesim in Vintgoia supra Glurens sita, quæ & ipsa annexa est templo Curiali.

Altera Rhetorum Confederatio, quæ Superius Fœdus nuncupatur, habet XIX. Communitates.

1. Prima communitas est Disentis Monasterium unã cum Zattersch/ Camps/ Surwig/ Models/ &c. habent Ammannum pro Prefecto.

2. Secunda communitas est tota Luginiger vallis, & hi habent Prefectum quem Vogt vocamus.

3. Tertia communitas est Jlang oppidulum, quod ipsi sua lingua vocant Jant/ una cum loco Grub / habentq; Praesidem Amman.

4. Quarta communitas est superior Say/ loquunturque ibi Germanicè, subiecti Ammanno.

5. Quinta communitas est Walterspurg unã cum Audest/ Rubis/ Sept/ Schiang / &c. parentes Ammanno.

6. Sexta communitas est Schlonys/ vivunt autem sub Ammanno, & dominium habet ille, qui est à Monte.

7. Septimam communitatem habent Liberi supra sylvam, nempe qui sunt in Laax/ Sinis/ & per circuitum istorum locorum, habent Ammannum.

8. Octava communitas est Jlyms/ gubernaturq; ab Ammanno.

9. Nona communitas Trumbs & Taminus, habentes Ammannum.

10. Decima communitas est Näsuns/ Bonadus/ Emps/ superior Beldspertg/ &c. presidet illis Ammannus.

11. Undecima communitas est Heingenberg unã cum Euis & Nas/ habentq; Praesidem Ammannum.

12. Duodecima communitas est Schams/ & præ est eis Ammannus.

13. Decimatertia communitas est Rhinwald in Splügen/ & posteriori Rheno, habentq; Ammannum, & loquuntur Germanicè.

14. Decimaquarta communitas est Masox/ & tota Malocenium vallis, unã cum tota Galanfer valle, & hi quoque habent Ammannum.

15. Decimaquinta communitas est Ruffsee presidetq; eis Ammannus. Hæc duæ Jurisdictiones sunt ultra Alpes, reliquæ citrà.

16. Decimasexta communitas est Gassen, olim Stuffania dicta, habent Praesidem Ammannum, loquunturq; Germanicè.

17. Decimasextima communitas est Thannen, & hi quoque habent Ammannum, & loquuntur Germanicè.

18. Decimaoctava communitas est Schopina, habent Ammannum & loquuntur Germanicè.

19. Decimanona communitas est Fals/ & presidet eis Ammannus, loquunturq; Germanicè.

Summa XIX. Judicia seu Jurisdictiones.

Inter hæc sex loquuntur Germanicè, nempe superior Say/ Rhinwald/ Gassen/ Thannen/ Schopina & Fals / reliquæ Rheticè.

Tertium Canum fœdus apud Rhetos vocatur Liga decem Judiciorum, vel Jurisdictionum, habentq; novem hæc subscriptas communitates.

1. Prima jurisdictio est Zafas/ amœna quædam solitudo, quæ & caput existit illius Fœderis.

2. Secunda jurisdictio appellatur jumi Klosterlin/ id est, ad Monasteriolum, cujus situs est in Brettigoia.

3. Tertia jurisdictio appellatur Zenas/ habens situm in Brettigoia, vocatur etiam Casteller Judicium, propter arcem scilicet Castellii.

4. Quarta jurisdictio appellatur Schierè/ & est in Brettigoia. In ea quoq; est Salavers, Burgum fractum. Hæc autem quatuor enumeratæ communitates, partim loquuntur Germanicè, & partim Rheticè.

5. Quinta jurisdictio est Churwald Abbatia & Porpon, & reliqui Convallenses, qui olim fuerunt de Dominio Strassberg/ arcis dirutæ sic appellatæ.

6. Sexta jurisdictio est Alvenan/ olim Alvum novum dictum ubi thermas illic existentes. Ista jurisdictio fuit aliquando ab arce hodie diruta appellata dominium Beelfort.

7. Septima jurisdictio est ad S. Petru in Schanfic.

8. Octava jurisdictio est apud Longum pratum, etiam in Schanfic.

Loquuntur autem jam memoratæ quatuor Jurisdictiones Rheticè.

9. Nona jurisdictio est Malans & Zehins.

10. Decima jurisdictio est Meyenfeld oppidulum, & Flesch.

Et hæc jam memoratæ duæ Jurisdictiones, haud procul absunt à Rheno, loquunturq; Germanicè.

Trium Confederationum, Communitatum & Jurisdictionum finis.

SEQUENTES TERRÆ ULTRA ALPES
verius Italian sitæ, sunt sub dominio trium Confederationum, parentique eis.

Tota vallis & terra Veltlin/ usque ad Cumanum lacum, in qua sunt Tyran oppidum, Sanders/ Morbing/ & alia multa oppida.

Item oppidum Eseven/ unã cum valle & Regione descendente usque ad Cumanum lacum.

Item Plurs, olim Plurium dictum, situm inter Eseven & Bergell.

Item Drypleven, nempe Chiera, Domas, Sürg/ Gravedona/ & Thing/ juxta Cumanum lacum, quæ à Duce Mediolanensi occupata detinentur.

C A P. XV.

Urbs Curia per quem fundata, item quare Rhæti Canini vel Grisei Confoederati dicantur, Lombardice Grisoni, ab Ammiano autem Marcellino Canini.

Curia civitas Rhætiae fuit aliquando Metropolis totius illius terræ, à qua postea tota Rhætiae Provincia Rhætia Curienfis fuit appellata. De fundatione hujus civitatis obtruduntur multa fabula, quæ etiam libris impressis evulgatæ; nihil præter figmenta quædam & naniæ habent, nempe quod Imperator quidam Romanus nomine Curio, à Romanis expulsus, huic urbi nomen dedit. Id certum est apud omnes qui Historiarum vel mediocrem habent peritiam, nunquam fuisse Imperatorem Curionem vocatum; & ab Imperio repulsum. Mihi proinde videtur, civitatem istam temporibus Constantii Cæsaris, qui regnare cepit anno à Christo nato 354. & præcessit Julianum, prima accepisse initia. Antea enim duæ duntaxat munitæ arces ibi supra montem extiterunt, ex quibus una hodie Episcopali Curia dicata est, satis munita fortibus turribus & propugnaculis; altera verò supra eundem sita montem, ruinoso jacet, cujus crassissimi muri adhuc ostendunt, quàm fortis olim fuerit. Sola autem intermedia fossa hanc ab ista distinguit. Ruinosa appellatur Rhætice Spinoila, quod Latine sonat spinam oculorum. Altera verò quæ adhuc inconcussa & integra manet, vocatur Rhætice Marsoila, quod Latine sonat Martem seu bellum in oculis. Hæ duæ arces Spina & Martia, ad terrendum hostem, ut videtur, per Rhætos aut Romanos extructæ sunt, atque sic appellatæ, antequam Curia fundari cœpisset. Postea verò in subjectam planiciem urbs collocata est, in cujus medio priusquam urbs conderetur, vetusta quædam constituta erat munitio, Inburg nominata, in loco ubi jam domus mercantiarum consistit, appellabatur verò à Rhætis Plantaira, hoc est Latine, plana terra, sita enim est plana terra. Ex familia hujus Burgi fuerunt aliqui Nobiles & Barones citra centum annos in Rhætia, dicti Nobiles de Plantaira, nati ab Inburg: hodie tamen omnes morte interierunt. Porro memoratam fundationem urbis Curienfis, tempore Constantii factam, colligo ex his quæ sequuntur. Ammianus Marcellinus lib. XIV. qui floruit tempore Constantii Cæsaris, filii Constantini Magni, & multis sua persona interfuit gestis, scribit in hunc modum de quibusdam bellis, quæ dictus Imperator gessit, anno post Christum natum CCCLVII. contra Alemannos. Postquam Cæsar VII. Consul Roma factus, pugnasset contra Alemannorum Reges Condouidum & Vademarum, facta cum eis pace concessit Mediolanum, hyematurus ibi, atque optata fruiturus quiete, &c. Et prosequens Ammianus Historiam, dicit: Constantium continuo illo tempore egisse Mediolani: & tandem subnectens quomodo rursus bello petierit Alemannos, scribit lib. XV. Paulo post Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum, collimita sæpe Romana latius irrumpentibus (magna enim Rhætia pars eo tempore subjecta erat Romanis) ad quem procinctum Imperator egressus, in Rhætias camposq; venit Caninos, (digestis & diu consiliis, id visum est honestum & utile omnibus, ut eo cum militum parte Arbetio Magister equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantia, pergeret. Protinus barbaris congressuris, &c. Item Sidonius Apollinaris de irruptione Alemannorum in Italiam sub Majoriano Imp. sic scribit:

— Conscenderat Alpes,

Rhetorumq; jugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populatio irux Alemannus,
Perq; Cavi ductos quondam de nomine campos,
In prædam centum novies dimiserat hostes.

Describit etiam jam memoratus Ammianus in dicta Historia ortum Rheni, figuram & situm lacus Brigantini, sed ex aliorum relatione, ut mihi videtur, nam aberrat plurimum à vero. Tandem refert quomodo Constantius post hujus belli finem redierit Mediolanum, reliquam hyemis partem ibi transacturus. Hæc propterea induco, quod Beatus Rhenanus Vir insigniter doctus, putaret per campos Caninos (quos ipse Cavinus appellat) in eo Ammiani loco, intelligendum oppidum Rauffbenren / quod tamen longè aliter habet, id quod ex ipsis Ammiani verbis adverti potest. Quis enim rectè pergens è Mediolano per Rhætiam ad margines Brigantini lacus, faceret hunc circuitum, prius adiret Rauffbenren / quàm lacum ipsum attingeret? cum oppidum, ipsum longè extra iter rectum sit. Is perinde faceret, ac si quispiam à Basilea Lutetiam petiturus, Saxones prius adiret. Ad hoc nulla Regio propinquior est urbi Mediolanensium, unde Constantius profectus est, quàm Rhætia Curienfis, sive Canorum Confoederatorum, sicut & Strabo attestatur lib. VII. sic inquit: Rhæti & Norici usque ad Alpium summa tenent & Italiam versus inclinant, hinc Insubribus, inde Carnis propinqui & Aquilejæ tractu. Per Insubres intellige Mediolanenses. Inter hos & Brigantinum lacum medium locum occupant Rhæti, unde si quis rectè à Mediolano ad Brigantinum lacum proficisci velit, is ætivo tempore eques, duorum dierum spatio attingere poterit Rheni fontes, & inde una die Curiam, atque à Curia, magna sibi opus erit diæta usque ad Brigantium, ubi initium est lacus. Nec est aliud iter compendiosius à Mediolano ad initium Brigantini lacus quàm istud, quod nedum ætate, verum & hyeme frequentatur. Extra verò istud iter Rauffbenren / longissimè abest, quippe quod non in Regionibus intermediis, sed ad ortum solis respectu lacus situm est, ut magnus circuitus sit faciendus, & penitus à recto deslectendum itinere; & tandem regrediendū, si è Mediolano per Rauffbenren ad Brigantinum transitus fiat. Et cum ista tanquam veritati consona tueri velim, ob id nequaquam gloriæ D. Beati Rhenani quicquam decerpere cupio, aut illam obfuscare, quem scio feliciter plurima vetusta & obsoleta nomina ex antiquis Historicis in lucem protulisse, & consonis cōjecturis rationibusque apertis explicasse, in magnam commoditatem eorum quibus Historicorum aridet lectio, id quod hæctenus nemo eo feliciter tentavit, quantum attinet ad nostram nationem: Quod autem ipse Caninos legit, habet ex Sidonio Apollinari, qui prior erravit, quemadmodum ex Latino metro id adverti potest, cum sic scribat:

Perq; cavi ductos quondam de nomine campos.

Habet enim cavus primam brevem, canus autem primam longam: deinde facile error committi potest inter n & u, canus & cavus, quæ ferè eandem scribendo recipiunt formam. Significatio autem eorum diversissima est. Porro quando Ammianus de campis Caninis mentionem facit, habet hunc sensum. Postquam Constantius ex Mediolano profectus contenderet ad lacum Brigantinum, ut Alemannos oppugnaret, propiori via venit in Rhætiam atque in campos Caninos, hoc est, in Curiensem agrum, sicut etiam incolæ illius terræ olim

Olim vocati fuerunt *populi Cani*, & jam ob initum fœdus, *Cani confœderati*, & in sua Rhetica lingua *Grisoni*, quorum terra in rectissimo itinere inter Mediolanum & lacum Brigantinum jacet, & quam occupat urbs *Curia*, una cum Regione superiori & inferiori, qua omnes *Cana Confœderationes* hodie appellantur. Cum autem terræ illius habitatores è longo tempore usque in hunc diem Rhetica lingua appellati fuerint *Grisones*, fieri potest quod *Ammianus* vocabulum illud fugerit tanquam ineptum, & latino sermone incongruum, loquens ejus *Canini* posuerit nomen. Nam *Thulci*, unde *Rhæti* descenderunt, habuerunt olim in usu multa vocabula Latine lingue inconstona. Quare autem *populi illi Grisoni seu Canini* vocati fuerint, ratio ista datur. Cum multas occupassent terras, fuerunt plurimi victi, ob vi-toriam & dominium *Rhætorum*, se quoque *Rhætos* appellabant, abnegantes nomina sua, quales fuerunt quidam *Helvetii*, *Vindelici*, *Notici*, & aliqui ultra Alpes in Italia. Et hinc quoque factum est, ut *Prolemæus* & quidam alii *Rhætiam* tam amplam fecerint. Fieri etiam potest ut dilatio ista facta fuerit per Romanos, auferentes ab aliis terris & *Rhætiae* adicientes, quo ex illa latiore facerent provinciam, in majorem Præfecturæ illius commoditatem, quatenus scilicet populosior esset atque bellicosior. Et cum ista obiecta, & aliunde adjecta terræ non essent ex vera & prima *Rhætorum*, ac eorundem posteriorum natione, retinuerunt antiqui & veri *Rhæti* peculiare suæ vetustatis nomen, appellati *Cani*, quod ipsi a vera & antiqua *Rhætorum* origine descendissent, haud secus quam hodie aliqui *Canones Helvetiorum*, vocantur antiqui confœderationis *Canones*, quod ipsi primi fuerint hujus fœderis sollicitatores & inchoatores. Memorata vero *Rhætia* partes aliunde acquisita fuerunt *Inferior*, *Secunda*, & *Campestrivocata*. Cum autem *Constantius* in campis *Caninis* cum exercitu suo maneret, non fuit in tota Regione illa locus aliquis commodior ubi castra ponerentur, quam fundus ille quem hodie occupat *Curia*, juxta duas supra memoratas arces, ubi & terra vini ceterarumque necessariatuum rerum satis ferax est. Et certe videtur, *Cæsarem* illic aliquantulum traxisse moram, & amenitate loci allectum, curiam suam ibi interim habuisse, quo militiam exercuit contra *Alemannos*. Quares initium fuit civitatis *Curienfis*, quæ postea ibi condita fuit, & antiqua illa *Rhætia* hinc *Curienfis* appellata. Interim autem cum idem *Constantius* in campis *Caninis*, & forsitan in isto loco, cum multitudine populi quiesceret, misit *Arbetionem* unam cum majori parte exercitus contra hostes, & non in propria sua persona illos adortus est, finitoque bello recta rediit *Mediolanum* ad *Iverforium* suum *hybernium*. Prope *Curiam* inter *Rhenum* & civitatem est collis quidam rotundus in pratis, qui etiam ævo nostro habet priscum *Rhæticum* vocabulum, nempe *Tumba de Cavalli*, quod Latine sonat tumbam equorum, & indicium est olim in planicie illa, ubi hodie *Curia* collocatur, magnum exercitum quieti operam dedisse, & fortassis ex *Alpium* superatione, plurimos equos defecisse, ex quo eventu illi colliculo hoc contigit nomen. Est quoque infra *Curiam* itinere pedestri mediæ horæ, antiquæ cujusdam maceræ vestigium, à *Rheno* usque ad montana ascendens, muris & fossis olim diligenter munitum, ut satis adhuc apparet, sed jam penè totum concidit, & hac materia tempore supra memorato munitionis loco videtur exiructa fuisse. Facit proinde *Antoninus Pius* mentionem de hac urbe *Curia* in suo *Itinerario*, scri-

bens 50. milliariis *Italicis* eam distare à *Brigantio*. Hæc autem distantia hodie computatur pro sex & dimidio magnis milliariis, quæ continuo pedestri itinere confici possunt 16. horis. Nam à *Brigantio* duo milliaria & dimidium, quæ confici possunt sex horis, sunt ad *Besdrich*, computantur quatuor milliaria ad *Curiam*, pro quibus superandis opus itinere decem horarum. Porro inter omnes antiquos Scriptores nullus est, qui *Curia* mentionem faciat, præter unum jam memoratum *Antoninum*, qui ut mihi videtur, proximis temporibus post *Constantium Cæsarem* vixit. Hujus enim *Constantii Pater*, nempe *Constantinus*, denominavit a se *Byzantium* in *Thracia* situm, *Constantinopolim*, quod nomen antea non fuit, & *Antoninus* illius *Constantinopolitanae* urbis sæpe meminit, unde colligitur, eum aliquot annis vixisse post illius urbis novam denominationem. Est etiam *Curia* post sui conditionem mox ad *Christianismum* conversa, habens suos *Episcopos*, id quod colligi potest ex *Sancti Fridolini* conscripta *Legenda*, quæ ita habet: *Et tempore quo Clodoveus Magnus Rex Francorum, qui & Ludovicus Primus vocatus est, regnavit in Gallia & Alemannia, atque ut mihi videtur, etiam in Rhætia, venit Sanctus Fridolinus in Rhætia Curiam, & adiens urbis illius Episcopum, mansit ibi donec exiruxit Ecclesiam in honorem Sancti Hilarii, quæ jam ad S. Martinum appellatur, &c.* Post hæc rursum descendit & edificavit monasterium *Seckingen* juxta *Rhenum*, anno scilicet à *Christo* nato 495. Hactenus ex dicta *Legenda*. Ex his patet, a memorato ultimo *Constantii* bello usque ad constructionem *Ecclesiæ* quam *Fridolinus* condidit, intercessisse annos circiter, 138. quo tempore non *Romani*, sed magis *Franci* rebus potiti sunt in *Gallia*, *Alemannia*, *Germania* atque *Rhætia*. Contra ista est rumor quidam popularis, *Curiam* conditam fuisse eo tempore, quo *Sanctus Lucius Rex Britannia*, quæ nunc est *Anglia*, vixit. Hic autem *Rex* anno *Domini* 176. tempore *Eleutherii Papæ*, & *Imperatorum Marci Antonini* atque *Lucii Veri*, relicto *Regno suo*, amore plantandæ *Christianæ fidei*, venisse dicitur in *Bavariam*, eamque ad fidem convertit. Post hæc secedens in *Rhætiam*, transensque colle qui est supra arcem *Gutenberg*, unde & usque ad tempora nostra clio illi nomen mansit, *Sancti Lucii* clius, venit in *Regionem*, ubi jam est urbs *Curia*, una cum sancta *Emerita*, quæ in *Trimis*, loco scilicet à *Curia* unius horæ spatio distante, ob *Christi* fidem prædicatam, supplicium extremum passa est. At *Sanctus Lucius* continuit se aliquandiu in quadam montis caverna supra *Curiam*, prædicans *Christi* fidem, sed qui tandem quoque ab infideli populo & *Præfecto* *Regionis* illius, in arce *Martiola* juxta *Curiam* interfectus fuit. Ubi tamen non indicatur, *Curiam* illo tempore conditam fuisse.

C A P. XVI.

De *Atuatis* *Rhætia* populis.

Strabo insignis ille *Cosmographus*, scribit de *Ætuatis* lib. IV. in hunc modum: *Rheno autem vicina omnium primi colunt Atuati, quibus fluminis origo vicina est in Diaduella monte, quem alii Adulam vocat, & est Alpium pars.* Retinent in hunc usque diem nomen illud incolæ loci illius, præsertim qui superiora habitant loca *Rheni* prioris, qui corrupto vocabulo appellantur *Taverier* vel *Taverscher*. Habet autem *Rhenus* duos diversos fontes, & utriusque rivi appellantur *Rhenus*, in unum convenientes supra *Curiam* spatio unius *Germanici* milliarii. In *Atuatorum* tractu prope

propè posteriorem Rhenum locum habent Rhinwalden/Schamsen/Tulis & Nâging. Juxta anteriorem verò Rhenum habitant Taverscher supra memorati, Abbatia Diserntis, Trans, Nang/Grublid est, fovea, Rhætice Lauoppa appellata, Symfiatque in locis intermediis Stussaffen/ vallis Eugnis/ & superior Gay/ Porro Regio ista pro majori parte tandem appellata est Tuverasca, id est, Tuveratii, corruptio, ut videtur, Ætuatorum vocabulo. Notandum præterea, ab origine prioris Rheni ad originem Rhodani, si Alpium juga & præcipitia recto tramite superari possent, non esse spatium longius, quàm quod itinere pedestri in tribus horis conficiatur. Rectè autem inter has origines ponitur mons Gothardi, olim Summa Alpes nominatus, ex quo prorumpit Ticinus fluvius in meridiem labens, currensque per Lepontinos in Italiam. In opposito verò hujus montis latere oritur Urfa fluvius, quem vulgò Nîsh vocamus, transiensque Regionem Bry/ labitur in lacum, quem rursus egrediens apud Lucernam, rectè Septentrionem petit, donec Rheno miscetur. At Rhodanus à sui primordio fluit in occidentem, & Rhenu anterior ab origine sua usque ad Curiam, plagam Orientalem petit, diffundunturq; hi quatuor amnes per modum crucis in quatuor plagas mundi, ut non ineptè montes illi summa vocatz fuerint Alpes. Indicat quoque lib. IV. ubi scribit de origine Rhodani, fontes Rheni non longè esse ab ea, nec inontem Adulam, ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit. Porro Rheni fluxus hunc tenet tramitem: Ab origine sua currit versus ortum solis, idque donec attingit Curiam, hinc continuò curvat se instar lunæ, ut etiam lacus Podamicus, quem intrat, & rursus exitus Rheni usque dum attingat oppidum Rhinsfelden/ plagam occidentalem respiciat, continuatque cursum illum donec alluerit inœnia urbis Basileæ, deinde rursus reflectitur in Septentrionem, illoque tenore cursum suum tenet donec mare ingreditur, etiamsi in toto cursu suo non nihil à Septentrionis lineâ ad Occidentem deflectat. Quod autem Rhenus anterior à suo fonte per Rhætiam fluens, ac deinde Helvetiam separans à Germania, usque ad Waldshut aut Rhinsfelden semicircularem instar quartæ lunæ habeat rivum seu cursum, deprehenditur ex diametrali itinere ab ejus ortu ad Waldshut ducto: nam numerantur à fontibus ejus usque ad Bry quatuor miliaria, ac inde usque ad Zug tria miliaria, à Zug ad Vindonissam, vulgariter Windisch/ ubi Urfa Arolæ, miscetur, tria miliaria, ac inde ad Confluentiam, quæ proximè est supra Waldshut/ ubi Arola Rhenum ingreditur, unum milliare, & sic totum illud iter recto limite extensum habet undecim magna miliaria Germanica, quæ mediocri pedestri gressu confici possunt triginta horis. At Rhenus ipse à suo fonte longum describit circuitum, & multum esset deflectendum à recto tramite, si illius fluxum velles sequi Basileam usque. Nam ab ortu ejus ad Curiam sex computantur miliaria, inde ad Brigantium rursus sex numerantur cum dimidio, hinc per lacum ad Constantiam, ubi rursus lacum exit, quatuor sunt miliaria & dimidium, hinc per lacum inferiorem usque ad Schaffhusen quatuor miliaria, & hinc rursus ad Confluentiam & Waldshut tria miliaria, quæ omnia simul collecta efficiunt 23. magna Germanica miliaria, quæ pedestri itinere non facillè superari possunt citra 66. horarum spatium: tantù exorbitat Rhenus à recta linea Amnis Rusa oritur apud Rhætos in solitudine Urseren, scaturitque ex monte Gothart, in

Regione Uriensium. Hæc solitudo & habitatores ejus habent pro armis & insignibus usum qui Rhætice vocatur urfella, & inde amnis illic exoritur vocatur quoque Urfa, licet hodie per metathesin literarum r & u, abusive Rusa appelletur.

C A P. XVII.

De his qui Stoyfferin/ id est, punctores vocantur. Injam memorata Regione Ætuatorum, apud Ylantium, Luginium, & in Fovea durat adhuc ista gentilis superstitio, quod certis quibusdam annis conveniunt, & larvis operiunt facies suas, induentes omnis generis arma bellica, accipiuntq; quilibet baculum seu conium, & sicuturmasim proficiscuntur ab una villa ad aliam, saltant sursum & mirabiles exercent gestulationes. Jurant denique sanctè & asserunt, se post armorum depositionem tales, & tantos saltus non posse edere. Concurrent & forti impetu congressi: mutuo sese sudibus & contis percussunt impelluntq;: ut fragor quidam inde resonet. Ob punctiones autem illas vocantur Regione illa Stoyffer/ id est, punctores, faciuntque illud hoc superstitioso animo, ut major frumenti provinciæ copia.

C A P. XVIII.

De Contuantis.

Habitant olim inter Ætuatios Contuantii vel Corvantii, de quibus Strabo lib. IV. sic scribit: Ferocissimi inter Vindelicos Licatii, Clausenatii & Venones censebantur; Rhetorum autem Rhucantii & Contuantii, vel ut quædam exemplaria habent, Corvantii, qui & magis relictis vestigiis responderè videntur. Certè Longobardi & moderni barbari Rhæti, scribunt & appellant civitatem Curia sua lingua Coyro, id est, Corium. Sic enim Paulus Diaconus lib. VI. cap. 6. de gestis Longobardorum scribit: Aspirandus per Coriam Rhetorum civitatem venit ad Theodebertum Bajuvariorum Ducem. Hinc conjicere quidam possunt, Curiam olim Coriam à Coriantis deductam, sicut & Monasterium Chyrwald in valle supra Curiam versus Tasaas situm, Corsantiorum vallis seu Coriovallis dictum putatur. Verum alii sic putent, mihi aliud probatur, quantumlibet in dictis nominibus allusio quædam inveniatur. Mihi inquam aridet ea opinio quam de Imperatoris curia supra recitavi, præsertim cum antiqua Episcopalis sedes, Curiz nomen semper habuerit. Antoninus denique Augustus, qui Paulum Diaconum tempore præcessit, etiam Curiz mentionem facit. Et quamvis certa hujus nominis ratio haberi nequeat, libuit tamen, conjectura ad hoc motus, urbem Curiz intra Contuantiorum terminos collocare, unâ cum tota superiori Regione, usque ad summa Alpium fastigia, ab illo Rheni latere, donec pervenias ad limitem Transalpinarum populorum Bregellensium & Engadinorum. Intra hunc ambitum continetur Tumlesch, in qua sunt Ortenstein/ Fürstnau/ item Bag/ Chyrwald/ Porpon/ Burgunn/ Schansiet/ Tasaas/ Alsenau/ Taisfencasten/ Gryffenstein/ Tingen/ Stalla/ Neams/ Wels/ &c. Potest etiam Tasaas & totus descensus vallis illius juxta Bag usque ad Rhenum, Ætuatis assignari, id enim allusio nominum Ætuatorum & Bag arguere videtur. Est autem intra vallem istam amnis quidam albel dictus, qui in Tumlesch Rheno miscetur. Porro Domini & Barones oppidi Bag seu Vatii, celebres olim fuerunt, possidentes majorem ejusdem vallis partem, & non nihil quoque de terra Tumlesch usque ad Rhenum, quod Dominium hodie appellatur Ortensteinensium Dominium. Ultimus illius divisionis Baro vocatus fuit Donatu à Vaiso, vixitq; anno Domini 1330.

Reliquas autem duas filias, cum illis tota possessio ejus ad aliud translata est dominium. Una enim, Kunigundis nempe, nupsit Comiti Friderico à Toggenburg/avo Comitis Friderici, unde Tasaas/ & quæ circa illam sunt, jure hæreditario pervenerunt ad Toggenburgenses. Alteram vero Ursulam nomine, duxit Comes Rudolphus à Werdenberg/ Dominus in Sargans/ qui abavus fuit ultimi Comitis Georgii. Et hoc pacto ditiones Ortenstein/ Dag/ &c. ad illos Comites pervenerunt. Hoc dominium Ortenstein/ possedit jam ultimo frater noster D. Ludovicus Tschudi à Glaris, miles auratus, sed subditi redemerunt sese à jurisdictione ejus, liberi facti anno Domini 1527.

C. A. P. XIX.

De Rhucantii.

A Ragatio proficiscendo ultra Rhenum, in Regionem Sarganserorum seu Sarunetum, est Rhætorum oppidulum Meienfeld/ olim Lupinum, & non Magavella vocatum, id quod testantur antiqua volumina Curienfis Ecclesiæ, Seniores incolæ Meienfeldenses ajunt, *Mariam Mercurii matrem olim in eo loco honoratam*, à qua Germani locum illum Meienfeld appellaverunt. Supra Meienfeld itinere pedestri unius horæ fluit Langarus; ex Brettigoiâ in Rhenum descendens, & ultra eum fluvium itinere pedestri trium horarum est civitas Curix, infra autem Curiam ab utroque Rheni latere usque montem Nelberg/ qui est è Regione Schalberg/ trans Rhenum, & ubi est fluvius Sara/ fluit paululum supra oppidulum Sargans/ & juxta Schalberg/ in Rhenum labitur, ibi inquam *Rhucantiorum est tractus*, quorum Strabo meminuit lib. IV. in hæc verba: *Ferosissimus inter Rhætos censentur Rhucantii & Corvanti, &c.* Corvantiurum paulò superius mentionem fecimus. Extant adhuc vestigia quædam in ruinosis locis, quæ Rhucantiurum nominis meminerunt, præsertim à latere Rheni, ubi Germani habitant. Nam *haud longè infra Curiam est arx* quædam diruta, quæ superior Rhuchenberg appellatur. Est rursus alia arx non diruta, sed integra, quæ Aspermont/ & Germanicè Rhuchenberg/ vocatur. Item descendendo per latus illud infra Langarum fluvium, occurrit vestigium alterius arcis demolitæ, cujus situs est supra Masans in monte nemoroso, & hæc quoq; vocata fuit Rhuchenberg. Est præterea in loco illo, sed paulò demissiori, alia integra arx, locata supra Gens, quæ ipsa Aspermont nominatur, habens villas quædam, quæ unâ cum arce ipsa vocantur. Dominium Aspermontis, sicut & dominium adhuc extat superioris Rhuchenberg. Cum itaque dominia communiter nomina retinuerint à circumjacentibus populis, & memoratæ arces occupent vertices montium, videtur mihi nomini Regionis additum mont vel berg/ conflatumque hinc nomen, quod nedum arcem ipsam, verum & populum arcis domino subiectum exprimeret. Sic itaque Regio memorata & incolæ ejus Rhucantii dicti, in arcibus & fortalitiis suæ appellationis reliquerunt vestigium. Est autem vallis ipsa adeò frugifera, ut etiam vinum producat. Et fieri potest, quod ante Rhætorum adventum *Germani vallem illam inhabitarent*, appellati Rhuchent/ à quibus Regio nomen istud sortita est, & *supervenientes Rhæti*, arces ibi condiderunt, illis similia nomina, sed in sua lingua, dederunt, pro Rhuchenberg Aspermont transferentes. Supra Langarum

est arx una *Marslinz*, & duæ villæ *Ydis* & *Zizers*, Rhætica habentes nomina. Porro ultra ista loca inter arces Rhuchalpermont/ & superiorem Rhuchenberg/ est villa quædam *Trimu* nomine à tribus monticulis & diruta arce illis imminente sic vocata. Est propè urbem Curix locus quidam ubi leproforum ædes sunt, *Massans* nominatus. Cæterum urbs Curix & Regio, quæ infra ipsam est, versus Valensæ atque versus Podamicum lacum, ad Rhætos spectant, licet hodie loquantur Germanicè. In Sarunetum terra inter *Ragatz* & *Valers* oritur Sara fluvius, de quo supra. Et hucusque omnia loca, quæ ab utroque Rheni latere à Curia ipsa inveniuntur, fuerunt olim Rhucantiurum, alludunt enim nomina ipsa Rhuchenberg/ superior, Rhuchalpermont, Rhuchenberg/ inferior, & rursus Aspermont. Et quamvis *Ragatz*, *Wävers* & proxima valles Saram contingentes, jam ad Sarunetum pertineant terram, habent tamen ipsæ proprium judicii forum, nec utuntur Sarunetum moneta, pondere, ulna & mensura, sed à multis annis adhuc usque diem ponderibus & monetis utuntur vicinorum suorum trans Rhenum habitantium, atque vestigia solvunt de mercantiis suis, his qui habitant in Sargans/ ubi reliqui illius ditioris populi, qui infra Saram fluvium habitant, liberi sunt ab his gravaminibus. Unde probabiliter inferri potest, fluvium Saram olim discrimen fecisse inter duos populos, Rhucantios scilicet & Sarunetes. Rhucantii superiora amius loca, & Sarunetes inferiora occuparunt. Extenderunt se præterea Rhucantii ultra Rhenum in Brettigoiâ, & hinc per descensum Rheni per *Vaduz* usque ad Eltiones.

C. A. P. XX.

Fabarium intra Rhucantiurum ambitum.

Fabarium vulgò *Wävers* celebre est Monasterium Ordinis Divi Benedicti, supra Ragatium in monte, atque intra Rhætiam, & in Rhucantiurum terra situm, sed modò Helvetiis annumeratur. Non procul ab eo, intra montium fauces, & veluti in horrendo barathro sunt naturales *therma*, quæ ut Monasterium, *Wävers* vocantur. Monasterium illud prima *initia sumpsit à Sancto Pirminio*, anno circiter 676. à Christiano nato, eo scilicet tempore, quando Theodericus Rex fuit Galliarum, posseditque Alemanniam, Helvetiam atque Rhætiam. Hic locus hodie *Wävers* à vetustis Rhætis appellatus fuit Fabarium seu Favariæ, habuitque olim privilegia ab Imperatoribus Gallicis, Ludovico, Lothario, Carolo, & aliis multis, qui fuerunt circa annum Domini 820. Porro inscriptio privilegiorum talis fuit: *Abbatii Monasterii Divæ Virginis Dei Genitricis apud Favarias, quod situm est in Rhætia Curienfi, in pago Churw alacha.* Ut autem mihi videtur, Monasterium illud olim initium & incrementa sumpsit per notabiles contributiones Majorum, & ditiorum Rhucantiurum, id quod indicant census, decimæ, redditus, & judicii minoris forum, quæ habet Monasterium per circuitum illius loci. Porro *therma Favariæ intra trecentos annos reperta sunt per venatorem quendam*, qui ex familia sua *Wogler* vocatus fuit, hic insectus pullos corvorum sylvestrium, pervenit in invium desertum, descendensque in profundum montium hiatus, invenit aquas calidas. Est autem dominium illarum thermarum Abbatis Favariæ.

CAP. XXI.

De Rheticone monte, unde vallis Brettigoia appellationem accepit: item de amne Langaro, quem hodie Languari vocant, qui sunt in Rhucantiorum terra.

Vallis Brettigoia in Rhætia, Rhucantiorum quoque est, in qua amnis Lanquart oritur, descenditque per totam vallem illam. Et D. quidem Vadianus in hac opinionem est, ut putet incolas illius vallis habitare juxta montem Rheticonem, unde illa vallis denominata est Brettigoia, nec inepta est allusio. Cum enim Mela mentionem faciat hujus montis, necesse est eum alicubi esse. Scribit autem sic Pomponius lib. 3. cap. 2. *Montium altissimi Taurus & Rhetico.* Nec est alius in Regione illa, qui magis alludat monti Rheticoni, quam dicta vallis. Sunt præterea ibi altissimi montes, & facile fieri potuit populi incuria, ut additione literæ p. ex Rheticone fieret Brettigoia, cum enim Rhæticum sic vocabulum, & vallis illa jam inhabitetur ab hominibus Germanicè loquentibus, quorum consuetudo est, ut Rhaicis & Latinis dictionibus præponant literam p. cujusmodi sunt, fundamentum / fenestra / fenestra / & supradictum Monasterium Favarium Pfäfers / & alia hujusmodi, videtur mihi idem accidisse in Rheticone. Cæterum amnis Lanquart / qui ex Brettigoia fluit, fuit olim Rhætice Langarus appellatus. Unde cum parochia Curiensis diocesis olim distribuerentur in Capitula, usque in hunc diem inferiora amnis Lanquart titulum hunc habent, Capitulum sub Langaro. Est proinde in Brettigoia arx quædam Rhætica, sed diruta, Salaners nominata, in qua superioribus annis Fridericus ultimus Comes ille potens Toggenburgensis natus fuit, qui & defunctus est anno 1436. ultima die Aprilis.

CAP. XXII.

De Sarunetibus.

Sarunetum Regio satis frugifera est, habens etiam Sarris fodinas. Ex valle quadam laterali descendit fluvius parvus Seq appellatus, lustransque Sarunetum Regionem ruit in Walensee / id est, lacum Rhæticum, exordiumque illi facit. Hi populi qui hodie *Sarganser* appellatur, olim *Sarunetes* nominati fuerunt, à Sara fluvio discriminante eos à Rhucantiorum populo, de quibus supra. Facit autem Plin. lib. III. cap. 19. mentionem Sarunetum, asseritque eos habitare juxta fontes Rheni, etiamsi non ignoremus, hanc Historicos plerumque servare consuetudinem, ut omnes populos adnumerent originibus fluviorum, qui vel tridui spatio ab ipsis dissident. Non igitur hæc discrepantia hic magni æstimanda est, potissimum cum à Sara fluvio ad utrumque Rheni fontem non sit ultra unius diei atque dimidii spatium. Siquidem Strabo eos, qui inter cunctos populos viciniore sunt fontibus Rheni, vocat *Ætuarios*, quorum supra meminimus. Videtur ergo mihi Plinius eos populos, qui infra Sarum fluvium habitant, voluisse exprimere nomine Sarunetum, præsertim *Sarganser / Walenstat /* & quicquid Rhæti habuerunt juxta lacum Walen & in Gastern / atque à Sara descendendo per Rhenum ultra Comitatum Werdenberg usque ad Vorsteig. Porro è Regione Werdenberg est arx Baduz / unde olim tractus illius vallis appellatus fuit Vallis dulcis. Citra centum & quinquaginta annos fuit Regio Sarganserorum atque Werdenberg una ditio, sicut etiam

in hunc usque diem appellatur superior & inferior ditio, habens nonnulla ditionis suæ jura. Fuit autem olim per duos fratres in duas secta partes. Cæterum oppidulum Sargans pro *Chypearibus insignibus utitur ansere*, quam Germani vocant *Gans* / à quo & à Sara fluvio conflatur terra illius nomen Sargans. Verustiores tamen literæ, quas ego videre potui, & quæ mentionem faciunt Dominorum à Sargans Comitumque Werdenbergensium, distinguunt Sargans in duas voces, Sarune gans: & quædam recentiores in unam contrahunt, nempe Sarunegans / incuria scilicet quadam ommissa litera r. Tandem penitus est vox ipsa depravata, ut ex Sarunegans / fieret Sargans & Sangans. Sunt tamen qui putant Sargans Rhæticum esse vocabulum, olimque terram illam appellatam Sanam casam, cui sententiæ minime subscribo, cum id nullis literis antiquis Latine vel Germanicè scriptis probari possit, quales ego plurimas legi anno Christi 1530. & 1531. quo tempore egimus prætorum in Sarganserorum Regione, illuc deputati à Septem Concederatorum Cantonibus, & in vetustioribus literis non aliter inveni, quam Sarunegans / ut jam scripsi. Unde colligitur, hujus generis genuinum nomen extitisse Sarunetes, à Sara fluvio sic appellati. Notandum præterea, ante aliquot annos incolas Gastern exposulasse cum Dominis Sarganseris terra, arbitantes, se quoque liberos esse à vectigalibus & telonio pendendis in terra Sargansi. Ab antiquis enim temporibus nemo obligatus fuit ad telonium, qui habitavit inter Saram & lapideum pontem. Sed nec luo tempore exactum à quopiam fuit, &c. His argumentis nihil profecerunt, sed jussi sunt solvere. Finitur autem ad jam memoratum pontem diocesis Curiensis, & ultra ripam parochia quædam est nomine Oberfisch / quæ Galternium quidem est, sed sub Episcopatu Constantiensi, & hæc parochia libera est ab exactione vectigalium. Hæc autem libertas indicium est, olim utrumque dominium unum fuisse.

CAP. XXIII.

De Scala monte.

Inter Sargans & Werdenberg juxta Rhenum est Mons quidam qui Rhætice Scala, Germanicè verò Schalsberg appellatur, ubi aliquando difficilis fuit transitus ob acclivem ascensum, unde & scalæ obtinuit nomen. Septem Helvetiorum Cantones, qui dominantur huic Regioni, fecerunt sculpi magnis impensis, scerper saxosam hujus montis basim, anno scilicet Domini 1503. Suprà Scalam montem, fortalitium & oppidulum Sargans obtinet pinnaculum montis, ubi superior Regio in duas abire valles, quarum una propinquat Rheno, & altera vergit ad lacum Walensem atque ad lacum Tigurinum. Montes quibus memoratum fortalitium imminet, & quibus adjacet oppidulum Sargans / habent ibi in sui initio quandam aciem, aut potius angulum rectum, qui scilicet instar gnomonis in duo extenditur latera: unum descendit ad lacum Tigurinum, & alterum per Rheni descensum vergit ad lacum Podamicum, & ultra. Inter latera verò ista montes sunt magni, & valles non paucæ, sed & Regio Toggenburgensis, Appenzell / & alia Helvetiorum oppida inter ea comprehenduntur. Oritur & in interioribus horum montium, in Toggenburg scilicet, fluvius Tauru vel Duria, alluensque Turgoiam, infra Rhinam miscetur Rheno. Porro fluvius Sittern oritur in Appenzell / & absorbetur à Tauro.

C A P. XXIV.

De Campo, de Rhatico pago, de Alemannico pago, atque de Estionibus, qui hodie sunt Feldkirch / Walgeu / Algeu / & Estnerberg.

Feldkirch oppidum in Rhætia situm, Germanicum habet vocabulum, & non vocatur Romana lingua Vall. circum, ut doctissimus Joachimus Vadianus in commentariis suis supra Melam, unâ cum Ladislao Suntheimensi sentit, propterea scilicet, quod montibus circumscribatur, & intra vallem collocetur. Quin magis olim à Rhætis Campi nomen accepit, & postea cum Christiani fierent, extructa est in campo illo Ecclesia in honorem Divi Petri, & inde obtinuit nomen Feldkirch, quod sonat Latine Campi Ecclesiam, à Curientibus verò & Italiciis Mercatoribus appellatur S. Petro, vel campo S. Petro. Quin & literæ Curientis Ecclesiæ vetustiores, proventuum, qui illic levantur, mentionem facientes, vocant quoque locum illum Campum, Sancti Petri, in his enim sic scriptum inveni. De Ecclesia Sancti Petri ad Campos, id est, Feldkircha, beneficium ad terram, &c. Est autem Feldkirch oppidum parvum, sed elegans, abundans vino, & plures habens Negotiatores, situm juxta amnem Yll, qui sub Estnerberg ruit in Rhenum. Porro supra Feldkirch sunt Rhæticae valles, Walgeu appellatae, quæ quidem à Bludenz & deinceps divaricantur, una vocatur Esferthal, id est, vallis Monasterii, & extenditur usque ad Algoiæ montana, & ad montem Arsenberg appellatum. Alia verò in Montafun vocata, attingit montana Brettigoia, & uterque tractus Walgoia habet denominationem. Per Bludenz & vallem Monasterii itur ultra Arsenberg in vallem Inshat appellatam, ad oppidum Hall, quod iter præcipuè frequentant fallis vectores. In Montafun plurimæ & commodissimæ inveniuntur ferri Fodina. Caterum Walgoia non habet appellationem ab Alemannis, sed à Rhætis, ut nos externos Walen appellamus, haud secus quam Wasastat, de quo supra diximus. Nam cum Feldkirchenfes & alii exteri Rhæti olim valedicerent Rhætica lingua, usurparentq; Germanicam, illi qui valles habitabant, aliquandiu retinuerunt Rheticam suam linguam, & propterea à vicinis, Germanica utentibus lingua, appellati sunt Walen, & vallis eorum Walgeu, sed hodie quoque loquuntur Germanicè. Haud secus Algoia in Vindelicia citra montes Walgoiam contingens, primum propter Alemannos illic adificantes, vocata fuit Almangoia, id quod Vadianus probabiliter ostendit. Et Montafun per Walgoiam juxta Bludenz & Feldkirch descendit amnis Yll, ortus in Brettigoia montibus. In vallibus istis nomina locorum pro majori parte sunt extera atque Rhætica, quippe quarum incolæ à Rhætis descenderunt. Habent tamen quædam castra nomina Germanica, relicta fortassis ab antiquis Germanis habitatoribus, qualia sunt Sonnenberg, Blumeneck, &c. Porro ad latus Feldkirch jacet monticulus quidam admodum frugifer, Estnerberg, id est, Estionum mons appellatus, & est sub ditione Comitatus Sultzensis à Badis, quanquam & peculiari vocabulo nominetur ditio Estnerbergensis. Haud procul à monte illo juxta Rhenum est villa quædam hodie Benden, olim verò Rhætice Benedurum appellata. Est & aliud ibi oppidum quod nostro ævo Estiens appellatur. Meminit autem & Strabo lib. IV. horum locorum, nam appellat habitatores eorum Estiones. Sed & antiquæ Latine literæ, quæ in monasterio Schennis adhuc inveniuntur,

mentionem faciunt Beneduri & Estionum, in quibus scilicet locis dictum Monasterium annuos levavit census & proventus. Certè mihi videtur Estionum primum & summum locum fuisse Feldkirch, ac deinde circumjacentia loca, & valles Bludenz atque Walgeu, omnia ad Estiones pertinuisse. In his partibus, nempe Kängwyl, Feldkirch, Walgeu, &c. pugnavit olim Drusus contra Rhætos, ac inde factum est, ut tota Regio à Rheno usque ad fontes Yll, mutato nomine Estionum, vocata fuerit vallis Drusiana. Germani verò postea appellaverunt eos, qui ultima vallis tenuerunt loca, Walgeu, eos autem qui priora incoluerunt loca, nempe versus Ranquil, vocarunt Nebtgeu. Cum oppidum Feldkirch incrementa acciperet, aboleri cœpit nomen Estionum, successitque ei Comitatus Feldkirchenfis. Porro oppidum ipsum una cum Comitatu per venit ad ditionem Austria anno Domini 1375. vendente ipsum Comite Rudolfo à Werdenberg. Longè ante tempus illud, Estnerberg, pars Walgoia, unâ cum aliis oppidis, hereditario jure, nuptiarum copula & donatione diversimode jactata est atque distracta, quin & Comes à Feldkirch ante multa tempora penitus interierunt, relictaq; est ditio eorum Comitibus à Werdenberg, Sarungans, atque Montfort, qui hæredes eorum fuerunt. Notandum præterea quod moderna Strabonis exemplaria sic habent, quasi Strabo annumeraverit Brigantinos & Estiones Vindelicis, & tunc quidem Rhæti nulla ex parte attigissent lacum Podamicum, cujus tamen contrarium Strabo ponit, ut supra memoravimus. Nam Brigantii supremum lacus tenent locum, quibus ad Meridiem in Rhætia ipsa adjacent Estiones. Unde facile credendum, Strabonem lib. IV. in fine male versum, nisi fortè aliorum illic recitaverit opinionem. Fieri etiam potest ut Græcum exemplar, quo Latinus interpres usus est, corruptum fuerit, atque ex transcriptione originalis exemplaris depravatio aliqua irreperit, & Regionum istarum nomina transposita fuerint ex negligentia aut ignorantia Scriptorum, id quod in multis adverti potest dictionibus, ut pro Helvetii Luetii, pro Adula mons Aduas & Diaduelia, pro Jurassus mons Ocurasius, pro lacus Lemannus Palamena, & alia quædam similia errata, in quibus aliquid vel adimitur vel additur dictionibus. Item lib. IV. aperta quædam invenitur transpositio, ubi scribit, ex lacu Verbano fluere Aduam, & ex Lario lacu Ticinum, cum contrarium fiat, ut ipsemet in aliis testatur locis. Et hæc quidem arbitror accidisse ex depravatione exemplarium, atque ex incitia Scriptorum, non autem ex ignorantia aut oscitantia Strabonis. Meo certè judicio Strabo lib. IV. sic scripsisse videtur. Ferocissimi inter Vindelicos Licatii, Thunicates & Bennones (Aventinus legit Sennones) tenebantur, Rhætorum autem Rhucantii & Corvanti. Estiones verò & Brigantii Vindelicos attingunt, eorum oppidum est Brigantium & Campus (Feldkirch) & Licatiorum veluti arx quædam Danasia. Hæc videtur mihi fuisse Strabonis mens, quia Brigantii attingunt Vindelicos, & similiter Estiones in montibus Walgoia illis confines sunt. Nam Algoia pars Vindelicæ citra montes attingit Estiones. Quando itaque in tali casu etiam Autor iste aut alii Historici confusi deprehenduntur, id quod non ratò fit, incolarum illius Regionis judicium expetitur, quippe qui certius in talibus erratis juvare possunt Autorem, veluti qui experientiam certam habent & de singulis rectè judicare possunt.

possunt. Sic ego non temerè mihi arrogavi descriptionem Rhætiæ & oppidorum ejus atque Alpium, ut qui & enutritus sim in hac terra, & deinde lustrârim & perambularim eam ab utroq; latere, versus Italiam scilicet, Galliam & Germaniam. Non tamen volo me sic jactare, perinde quasi alicubi non potuerim hallucinari, sed si quis certiora atque veriora potest tradere, hunc libenter patiar censorem. Ut autem *vetustiora nomina*, quorum olim in his terris usus fuit, & quorum nos supra meminimus, elucidentur, *opera precium visum fuit, aliqua hic assignare*, quæ expiscati sumus ex vetustioribus Curientis Ecclesiæ literis, confectis super redivitibus, obventionibus atque proventibus levandis in diversis terris, locis & pagis, secundum officiorum & ministeriorum distributionem. Et primùm quidem ponemus nomina, quæ in terra Walgoiæ & circa *Feldkirch*, quæ Vallis Drusiana appellata fuit, adhuc inveniuntur.

Ministerium quod habet Siso in pago, qui dicitur Vallis Drusiana.

In	Puire	Puirs	} In Walgoia.	
	Pludono	Pludens		
	Nezudere	Nuziders		
	Lodasco	Ludâsch		
	Turingis	Turingen		
	Pludassis	Pludâsch		
	Nanzings	Nansingē		
	Balsmingis	Basslingen		
	Scline	Schlyns		
	Frastinas	Frastens		
	Satagnis	Sadains		
	Segavio	Sâvis		
	Campo S. Petri, id est,	Feldkircha <i>Feldkirch</i>		} Infra <i>Feldkirch</i> .
	Rangwila	Rangwyl		
	Pontilles	Bancs juxta Rhenū		
Tunia	Baldunen supra			
	Ranquil			
Sulles	Suls			
Rantina	Rôtis			
Cazzefes	Gerhis			
Senunio	Schnurvis			
Fralum	Frysen monasterium			
Rautenum	Ruti			

Ministerium quod habet Otto in Planis, quod scilicet Rhens planiciem comprehendit, & extenditur ad Wallense.

In	Elstones	Estbens	} In Ditione Vaducensium.	
	Scana	Schan		
	Palazoles	Balsers		
	Meilis	Minor Mels		
	Titulo S. Lucii	S. Lucis steig		
	Flascis	Flâsch		
	Lupino villa	Meiensfeld		} Apud Cō-fœderatos Canos.
	Genuinnes	Genins		
	Malanzes	Malans		
	Ciceres	Zizers		
	Tremontio	Trimmis		
	Amides	Emps		
Vazes	Inferior Bâg			

In	Favares ubi cella est	Wfâvers	} In Sargantiorum terra apud Helveticos.	
	Ragaces	Ragas		
	Filtris	Viltres		
	Sarunegaunis villa	Sarngans		
	Meilis	Meils		
	Perfinio	Berischis		
	Fuminis	Flumbs		
	Riva villa	Walassat oppidum		
	Quarto	Vischeng juxta lacum		
	Ripa Walassat piscatio	Quarten		} In Werdenberg apud Helveticos.
	Sevola	Sevelen		
	Revena	Revis		
	Bougo	Buchs		
	Quadrabitis	Graps		
	Camplo	Camps		

Ministerium supra Curiam secundum tractum Rbemi prioris, in Ilanz, in Grub atque Lugniz. Quod ministerium habuit Mathratus in Taverasca, cum valle Legunitia.

In	Hilliande villa	Ilanz I	} In Taverasca, cum valle Legunitia.
	Vorce	Wurg	
	Rammenis		
	Sexamnis	Schams	
	Scaneus vel Sigannes	Begâns	
	Supercastro	Bertastell	
	Flemes	Flhms	
	Andeste	Adest	
	Fagonio	Feldsperg	
	Cingiaco	Kinckenberg	
	Rhztuanno	Kâsuns	
	Superfaxo	Bersar	
	Castriso	Eâstris	
	Legunitia	Lugniz	
	Luyene	Schlâwis & Schluen	
Cumble			
Pluteno			
Lamarino	Lumarins		
Falaria	Bâlers		
Auna			
Falaruna valle			
Summo vico vel Sanavico	Surwigs		
Rulina	Ruffein		
Stussavia	Savien		
Speluca posteriori	Spitzen apud posteriorem Rhenum		
Speluca, quod dicitur desertum ubi cella est	Dissentis monasterium.		

Reliqua ministeria hic obiter recitabo, omissis oppidis eorum.

Ministerium in Impedinis, id est, in imo pedis Alpium, quod habuit Adhalsis, & est supra Stein per totum tractum usque ad Curiam.
 Ministerium in Tumiliasca hoc est, Thumlesch.
 Ministerium in Bergallia, hoc est, Beraell.
 Ministerium in Endena, quod habuit Richpertus.
 Ministerium in Curisino.
 Ministerium Remedii.

CAP. XXV.

De Rugufcis & Rhegufcis, qui ante aliquot tempora Rhingoi, hodie vero Rhinthal & Emys appellantur.

Rhingoiia fuit olim Comitatus celebris, cujus supra fit mentio in literis super inferiori Marca, quæ est è Regione Thurgoia, confectis. Et hæc est infima antiqua Rhatia pars, ad latius Gallia fca. Attingit autem eo loco Thurgoiam, appellaturque nostro tempore dominium Rhinec vel Rhinthal/ exporrecta à Comitatu Werdenberg usque ad eum locum ubi Rhenus ingreditur lacum Podamicum. Ab alio quoque Rheni lateri, nempe supra Brigantium, terra ipsa olim Rhingoia etiam fuit annumerata, potissimum Eistnau/ & quæ circa eam sunt. Fuit autem hîc Comitatus semper à Germanis habitatus, id quod communia indicant nomina. Populi ejus fuerunt olim à Plinio lib. III. cap. 19. Rugufci, & à Ptolemæo Rhegufcæ appellati.

CAP. XXVI.

De Brigantiis.

Comitatus Brigantiorum, quorum nomen & civitas adhuc manent, infimū antiquæ Rhatia, à latere Germaniæ tenet locum, confinis apud lacum Podamicū Vindeliciis, hoc est, Lintzgois. Supra Brigantium est sylva quædam grandis, atque vallis plena oppidis & villis, vocaturque Brigantiorum sylva, & per eam descendit amnis Dregens/ labiturque juxta urbem ipsam in lacum. Populi per circuitum habitantes, fuerunt olim Brigantii appellati.

CAP. XXVII.

De Vennonibus & aliis vetustis Rhatiorum locorum nominibus.

Vennonibus seu Vallis vennista, sunt hodie Winstgöw/ Winstermünz/ Engadin/ &c. Tridentini, Tridenter & Tyrolenses. Apud eos est Ani ortus, atque Athesis, vulgò Etsch. Item Larius lacus hodie est Cumanus lacus. Lepontini sunt Eiviner. Bormium est Würnz/ in Bestlin. Rhatia juga Germanicè vocantur Würntser Joch/ Rhaticè verò mont Brailio. Aduas vel Aduas fluvius, hodie vocatur Aada. Caput Ani est Engadina. Ticinus Tesin. Camuni est Bass Camunien, sive Camuniertal. Scribit autem Strabò lib. IV. in hunc modum: *Supra Comum ad Alpium radicem Rhati jacent & Vennonibus ad Orientem versis, alia ex parte Lepontii, Tridentini, Stoni, & aliis complures populi parvi Italiam tenentes.* Et rursum eodem libro: *Ferocissimi inter Vindelicos Licatis, Thunicates & Vennonibus.* Plin. quoque lib. III. cap. 19, sic scribit: *Caput Enganeorum Stonos, Rhatiorum Vennonibus Sarunetesq, ortus Rheni amnis accolunt, Lepontiorum, qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu.* Præterea quando recitat Alpinas gentes à Cæsare Augusto superatas, eodem loco enumerat sigillatim hos quoque populos suis nominibus, qui sunt Triumpilini, Camuni, Vennonibus, Venonetes, Hifarci, Breuni, Naunes & Focunates. Et Vindelico-rum quatuor populi, Consvanetes, Virucinates, Licates, Cattenates, Abifontes, Rugufci, Suanetes, Callucones, Brixentes, Lepontii, Juberi, Nantuates, Seduni, Veragri, Salassi, &c. Ptoelmæus verò libro II. cap. 12. numerat Vennonibus inter Rhaticos populos. De Vennonibus populis non per omnia convenit inter me-

memoratos Autores: nam Strabò annumerat eos Vindeliciis, etiamsi quidam in eo legendum putent Sennonibus pro Vennonibus. Id certum est. *Vennonibus esse in diocesi Curiensi,* unde mihi satis probatur, eos olim Rhatibus annumeratos; Dominus Beatus Rhenanus testimonio Plinii putat eos fuisse accolos ortus Rheni; sed secus mihi videtur. Nam Plinius eo loco vult ostendere, qui supremi sint incolæ Enganeorum atque Rhatiorum, scribit enim sic: *Caput Enganeorum (ego intelligo eos qui summum tenent locum) Stoni, Rhatiorum Vennonibus, &c.* Et cum utriusque populi capita describat, mox indicat, qui populi ortum Rheni, atque Rhodani teneant, dicens: *Sarunetes ortus Rheni amnis accolunt, & Lepontiorum, qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu.* Strabò quoque, ut diximus, numerat Vennonibus inter Rhaticum populum, dicitque eos jacere in Alpibus ad Orientem ab opposito latere Italiæ, ubi & Tridentini locum habent. *Illi Vennonibus hodie sunt Engadini,* apud quos *Anus ex Julii Alpibus oritur,* sinitque per Winstermünz in vallem Synthal versus Anipontem, Germanicè Synprutz / ubi finis est Curiensis diocesis, & terminus Rhatia atque Vennonum, quam Rhatia Marcam vocant. Ad eum quoque locum extenduntur Norici & Vindelici, sed quos populos deinceps Anus ipse separat usque ad Danubium. *Propter horum populorum confinia, puto accidisse, ut Historici quidam annumerarent Vennonibus Vindeliciis, præsertim cum Anus & vallis ejus inferior à Vennonibus inhabitata respexerit Vindelicos.* Et hæc quidem scribimus juxta ea Strabonis exemplaria, in quibus scriptum invenitur, inter Vindelicos Vennonibus celebantur. At Johannes Aventinus, ut supra quoque memoravimus, censet ibi legendum Sennonibus, & non Vennonibus. Porro ex alia parte vallis Ani quam Vennonibus inhabitant, Tridentini habitant versus ad Italiam, etiamsi in ea parte Vennonibus quoque juxta Athesim teneant tractum aliquem longum, ut infra latius dicemus. *In Rhatia juga oritur fluvius Aduas, quem hodie vocant Aada,* labensque per Bestlin / ingreditur in Cumanum; olim autem Larium lacum. Porro ab alia parte memoratorum jugorum, versus Athesim Regionem, est Winstertal & Winstgeu. Fluvius qui per hanc vallonem descendit, apud Clurenz jungitur Athesi. Oritur autem Athesis haud procul à Muryders / sinitque per Wasserheid & Winstgeu / versus Clurenz & ultra, ubi scilicet finis est diocesis Curiensis. Sunt itaque Vennonibus juxta Anum & juxta Athesim habitantes, extremi Rhatiorum, versus ad Orientem, & ob id dicit Strabò, supra Comum ad Alpium radicem jacere Rhatos, & Vennonibus ad Orientem versus, ut scilicet Vennonibus confines sint Tridentinis, & Alpini Rhati Lepontii. Nam in prioris Rheni opposita parte juxta Ticinum habitant Lepontini, quos Germani Eiviner / & Rhati Levontinos appellant. A Cumano lacu ascendendo juxta fluvium Aduæ per Bestlin usque ad ortum ejus pervenitur ad Bormium, quod summum locum tenet in Bestlin / ubi mons est, quem Cornelius Tacitus libro 17. in Hist. Augusta appellat Rhatia juga, à Germanis verò propter viciniam Bornii, Wormser Joch / & à Rhatibus mons Brailius vocatur, ubi scilicet Aduas, ut jam quoque diximus, oritur. Per hæc juga Rhatia in hunc usque diem iter compendiosum & tritum est ex Italia atq; à Mediolano ad Danubium & ad Austriam, Proxima Vennonibus vallis, ad quæ à jugis Rhaticis pervenitur, vocatur Winstertal atq; Winstgeu / ad cujus

latus sunt Engadini, & est sub Rhætorum imperio usque ad fortalium Churberg / & juxta tractum Athesis usque ad Fürstberg. Diœcesis Curiensis indicat in eo loco, sicut & alibi, veros antiquæ Rhætiæ limites. *Habent & Duces Austria modicam terra portionem juxta Anum & Athesim sibi subjectam, ex Vinstgöw & Vinstermüing / alioquin tota ferè terra Rhætorum est, nempe superiora loca Vinstermüing / tota Engadina, & in Vinstgöw / Fürstberg / Mals. Inferior Gassen / Schanzen / Einsers / Entsch / Marinen / tota vallis Munstertalensis, & omnia loca quæ sunt supra Churberg & Blureng. Cæterum nomen Engadin natum est ab Ano, quem Germani An vocant. Engadini autem habitant propè ortum illius amnis, alioquin vocantur Vintgoientes atque Vinstermüntzenfes, hoc est, Vennones. Rhætice Engadin sonat En code ino, hoc est, in capite Ani, quæ voces tandem degenerarunt in Engadin. Apud hos in summo loco oritur Anus, & ex opposito latere in descensu vicini montis emergit Athesis, labunturque in diversas plagas: nam Anus petit Septentrionem, fluensque per Vinstermüing & Inthal / tandem exoneratur in Danubium. Athesis verò per Vintgoiam & Erschland ruens, alluit mœnia Veronæ, & tandem desinit in mare Adriaticum. Item Münstertal & omnis superior Regio à Vinstgöw & ab Athesi usque ad Vinstermüing / appellatur unà cum Engadin in vetustis Curiensibus literis, Vallis venusta, antiquum Vennonum nonnihil referens nomen. Errat proinde Strabo lib. IV. ubi sic scribit: *Rheni fluminis origo in Diadrella monte, à quo Aduas fluvius in contrarium fluit, lacum implens Larium.* Et eodem libro sic scribit: *Mons Adalæ ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit, & diversa ex parte Aduas in lacum Larium.* Hæc non satis quadrant veritati: quoniam distantia fontium utriusque fluvii invenitur esse major, quàm quod ab uno scaturire queant monte. Nam si recta ire posses per montium illorum, qui interiacent, præcipitia, opus tibi esset itinere pedestri unius diei & dimidii, hoc est, 24. horarum spatio, à fonte Rheni ad fontem Aduæ. Sed fieri potest quod Strabo eo loco voluerit loqui de amne Lyra, qui in contrariam à Rheno mundi partem fluit, descendens scilicet per Gampolschin & Cläven in Cumanum lacum, unde scilicet Aduas derivatur. Fuit autem antiquorum Historicorum mos, ut designaverint summorum fontium scaturigines, unde celebrer aliquis emanavit amnis. Verus ergo Aduas labitur per Vetslin / oriturque non in Adula monte, sed in jugis Rhætici, quæ hodie Rhætice appellantur *mons Braulius*, ut paulò superius memoravimus. Tanta proinde est memoratorum fontium distantia, ut inter juga Rhætica, unde Aduas profluit, ad montem Adulam, unde Rhenus exit, sint Alpes Juliarum atque Septimarum. Sciendum præterea, Engadinos & Munstertalenses omnes loqui Rhætica lingua, qua & Rhæti Rhenani utuntur, & non Lombardica. Si tamen paululum ab eis te demiseris, occurrunt Intalenses, qui Germanicè, & Engadini, qui Lombardicè, & quidam Germanicè loquuntur. Sic & Plinius Vennones mox post Camunos ponit: confines enim fuerunt, sicut & hodie sunt. *Abundat autem vallis Camunorum aris fodinis, paretq, Venetis, & in hunc usque diem appellatur vallis Camunien, in qua Ollius fluvius oritur.* Strabo lib. IV. Camunos perperam vocat Camulos. Est & Vetslin in hoc terræ tractu, ubi Aduas sumit originem: item Engadin & Vinstgöw / qui*

Vennonnes sunt, omnes, inquam, hæc Regiones & gentes loca illa occupant, montibus duntaxat inter se distinctæ.

C A P. XXVIII.

De Alpibus Julii, de Perninna monte, atq, Pede Falario.

Alpes Julia, quarum Tacitus lib. XIX. meminit, cæteris montibus in Rhætia altiores sunt, summum juxta Engadin & Bregell versus Italiam tenentes locum, citra verò ad jurisdictionem Stallen pertingunt. His quoque olim *Septimus mons* fuit annumeratus. Porro tractus horum montium ab Occidente tangit tractum Adulæ montis, unde Rhenus oritur, ab Oriente verò est vallis quædam profunda inter Engadin & Bregell / jugis Rhætici adhærens, unde Aduas egreditur fluvius, & à Septentrione est mons Albulæ, per quem rectum extenditur iter à Curia ad Engadin. Porro *Septimus mons attingit Julias Alpes, in cujus sublimitate est villa, Stalla vocata, sita in loco deserto, quæ olim Bivium appellata fuit, sicut & hodie à Rhætis Bevio nominatur, quod illic duæ viæ ex una confluant, trans Alpes ducentes, una ad sinistram vergens, & altera ad dextram. Sinistra ducit per Julias Alpes, & dextra per Septimum montem. Juliarum Alpes non semper possunt transcendî, ob nimiam earum celsitudinem & inviam solitudinem. In cacumine earum stetit aliquando columna lapidea, sed quæ modò fracta humi jacet, Putatur olim erecta per Cæsarem aliquem aut ejus Præfectum. In hoc etiam monte oritur Anus juxta lacum quendam parvum, in supremo Engadinæ loco, ad quem ortum pervenitur, quando mons iste perambulatur. Porro ultra Engadin versus Bregell / qui locus est illi contiguus, non sunt admodum magni montes, sed vallis est ibi inter Julias Alpes & montem Perninnam. Hic autem mons jacet inter Engadin & Postlaass / hoc est, Pedem Clavium, ubi scilicet iter ducit in Vetslin / & est mons ille valde altus, tractui jugorum Rhæticorum annexus. Est rursus alius mons inter Engadin & Münstertal situs, quem Germani Pius Falor vocant, olim autem à Rhætis fuit *Pes Falaris* dictus. De Julii Alpibus Livius sic scribit *Decade I. lib. 5. Ex Tricastinis per Taurinos, hoc est, Permundi saltus, Juliae Alpibus transcederunt.* Et ibidem sic quoque scribit: *Alia subinde manus Germanorum Elitonio Duce, vestigia priorum secuta, eodem saltu, favente Bellueso transcendisset. Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt (locos tenuere Libui) considunt.* Videtur autem hic Livius sentire, quasi Juliarum Alpes jaceant in tractu illo, qui est inter Tricastinos & Taurinos, cum mentionem faciat viæ vergentis in tractu illo per Julias Alpes, id quod malè audit apud alios Scriptores, qui tractum illarum Alpium non Julias, sed Cotias atque Graias appellant. Fuisset præterea Germanis montes illos transcendentibus incommodissimum, sic à recta exorbitare viâ, cum longè propinquiori & compendiosiori itinere potuerint superare Alpes, Alpes, inquam, Julias in Rhætia sitas, quæ rectà ex Germania in Italiam viatores transmittunt. Videtur igitur Livius hoc loco depravatus, id quod & doctissimus Beatus Rhenanus deprehendit, qui in sua censura, quam depravato Livio adhibuit, Juliarum Alpibus hoc loco non meminit, sed legit, invias Alpes, quomodo & in aliis locis Livius quarundam Alpium mentionem facit, ut infra dicemus. Deinde veritati quoque consonum est, in eo Livii loco non legendum Germanorum, sed Cænomannorum, id quod affinis noster Dominus Henricus Glareanus in suis Annotationibus*

bus jam novissime in Livium editis, pulchrè ostendit. Horum itaque duorum insignium Virorum testimonio satis puto constabilitam sententiam nostram, qua supra scripsimus Julias Alpes positas inter Rhetiam & Italiam. Fuit mihi memoratus Livii locus semper suspectus, sed non fui ausus illum sine doctiorum Virorum subsidio immutare.

C A P. XXIX.

De Tinnetione, Muro, Summo lacu, atque Septimo monte.

Inter Curiam & Bergell in summis & ferè inviis montibus jacet villa Rheticè Tinnezon, & Germanicè Tingen appellata; cujus & Antoninus Augustus meminit in suo itineralio, scribens Tinnetionem M. p. XX. id est, viginti miliaribus Italicis plus minusve distare à Curia, quod itineris intervallum pedestri gressu confici potest sex horarum spatio. Collocatur autem ex villa in recto itinere, quo transitur à Curia in Bergellensium vallem, ubi scilicet superandus est *Septimus mons*, cum ultra in Bergelliam quis ire contendat, ad cujus montis pedem sita est Stalla, olim Bivium ob itineris sectionem appellata, ut supra quoque retulimus. Meminit & Ekkardus Junior Cœnobita S. Galli hujus montis Septimi. Est autem is mons *portio Juliarum Alpium*, quibus scilicet adhæret. Memorata villa Tingen secundum Antoninum sunt 25, miliaria Italica ad Murum, in quo itinere superandus est Septimus mons. Oppidum Mur in valle Bergellensium situm, usque ad tempora nostra retinuit vetustum nomen, habens à tergo in monte castellum, quod & ipsum subjecti oppidi nomen habet, nam vocatur *Castelmuro*. Fuerunt etiam olim *Comites* qui titulum habuerunt à *Muro*. A Muro supputat Antoninus ad *Summum lacum*, qui est *lacus Cumanus* 20. mil. Italica: extenditur enim vallis Brigellia in Italiam versus hunc lacum. Est autem Brigellia hodie sicut & olim Rhetica, & terra ejus est aspera atque arida. Sunt qui putant illam olim appellatam *Vall Brunnam*.

C A P. XXX.

De Tarvesede, qui locus hodie vocatur S. Jacobus infra Gampolschin in Clavennâ valle.

Est & aliud iter, quod à Curia transmitit ad lacum Cumanum. Nam à Curia itur ad Spelucam, vulgò Splügen, qui locus non procul distat à fonte Rheni posterioris, & deinde ultra montem Adulam, qui ibi *Brßler* vocatur, pervenitur in Gampolschin, in vallem supra Clavennam sitam, ad villam quæ hodie *S. Jacobus* appellatur, quam Antoninus in suo itineralio *Tarvesede* nuncupat, scribens à Curia esse illuc 40. Italica mil. quæ faciunt quinque Germanica: & ultra signat 15. Italica miliaria à Tarvesede usque ad Clavennam, quæ duo efficiunt Germanica miliaria. A Curia verò usque ad Clavennam supputantur 7. mil. Germanica, quæ itinere equestri continuo in 14. horis conficiuntur. Mansit autem apud Rhetos nomen Clavennæ, quod nos *Eleven* appellamus, distatque 10. mil. Italicis, hoc est, itinere pedestri trium horarum à lacu Cumano. Porro memorata loca usque ad lacum Cumanum omnia sunt Rhetis subjecta. Est & hoc hic obiter notandum, octo miliaria Italica facere unum *Helveticum & Germanicum* milliare, quod scilicet duabus horis equestri itinere confici potest, pedestri autem duabus & dimidia. Italicum verò milliare ab equite mediocriter equitante, quarta parte unius horæ superari potest.

C A P. XXXI.

De Adula monte, qui secundum diversas sui partes vocatur Brßler/Vogel / & Euckmannier.

Adula mons inter Julias Alpes, atque summam Alpes ponitur, & ex jugo ejus oritur uterque Rhenus. In opposito latere posterioris Rheni in valle Gampolschin oritur amnis *Lyra*, misceturq; *Maire* fluvio, qui ex *Bergella* venit, ac deinde alluit Clavennam, & tandem desinit in Cumanum lacum. Hunc fluvium Strabo arbitratus est Aduam esse, scribit enim, ex monte Adula ab uno latere Rhenum, & ab alio Aduam in Cumanum lacum desinente, initium sumere, quod tamen verum non est. Nam Aduas ex Bellinur in Cumanum lacum, suntque fontes ejus in jugis Rheticis, *Burnserloch* appellatis, de quibus supra. Consentunt autem Strabo & Ptolemæus de ortu Rheni asserentes illum in Adula monte oriri. *Hic mons* aliquando *Diadulla*, & aliquando *Adualla* appellatus fuit, estq; per eum triplex via satis trita. Nam apud fontem posterioris Rheni duo sunt itinera, unum à Speluca incipit, veigitque per Clavennam ad lacum Cumanum, & mens interpositus vocatur *Brßler*, cujus supra meminimus. Aliud in Speluca in *Masoyer*, seu *Mesaucorum* vallem ducit, per quam *Mucius* amnis fluit, quem nostri die *Mons/Itali la Muesâ* vocant. Fluit autem paulò supra Bellizonam in Ticinum præterfluentem amnem. Mons verò interceptus appellatur vulgò *der Vogel* & Italicè, *Culmen de Olcello*, vel *Culmen de sancti Bernardino*, idque propter villam in initio vallis *Masoyer* ad basim montis sitam. Tercium iter est juxta priorem Rhenum, à *Diserntis* scilicet per vallem *Mebels* ultra montes in vallem *Palensium*, quæ Italicè *Vall Breunia* appellatur. Mons verò inter duas intercepta valles vocatur *Euckmannier*, id est, *Lucumonis* mons, & solum per æstatem peragari potest. In isto monte finitur Adula, incipiuntque *Summæ Alpes*.

C A P. XXXII.

Quando Alpes primum pervia factæ sint, & si qui ante Rhetos Alpes inhabitarent. De Lepontis variis, Oscellanis scilicet, Salassis, & Rhetis de Ugonia, Tauriscis, Oscela, & Ocèla.

Cum Rhetiam attigerimus, operæ precium visum est disserere, num etiam *mores* aliqui inhabitarent Alpes ante Rhetorum ingressum, ac deinde, an Alpes ante Gallorum profectioem, quam tempore *Tarquini* Romani Regis fecerunt, pervia fuerint necne. Et certè Historici, Polybius, Livius, & alii quidam, in his quæstionibus non ejusdem sunt opinionis, etiam si in hoc quidam eorum consentiant, Gallos in jam memorata profectioem tempore *Tarquini* Alpes pervias fecisse, quæ antea clausa fuerant, ingressosq; in Italiam, veluti in novum & incognitum orbem. Sunt alii, qui ajunt Hannibalem Alpes primum superasse, perviasq; reddidisse, sed qui à Polybio lib. II. confutantur. Et quanquam jam memorati Auctores asserant, tempore *Tarquini* primum Alpes pervias factas, colligitur tamen ex scriptis eorum, si diligenter examinentur, illis nihil certi de hoc constitisse, quando per Alpes itinera inventa sint. Id facile credimus eis, profectioem Gallorum tempore *Tarquini* primam inviarum Alpium fuisse apertioem, de qua ipsi audierunt, sed ob id non obstat, quin

antea homines pertransire montes illos poterint. Unde & Livius non contendit, Gallorum profectio- nem primam fuisse, sed ait, continentem memoriam sic esse. Scribit autem sic Deca. I. lib. 5. *Alpes opposita erant, quas inexuperabiles visas haud equidem miror nulla diem via (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum ve- lut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspicere- rent, quamnam per junctâ caelo, iuga in aliam orbem terrarum transirent, &c.* Quid putas certi habuisse istos Autores de Alpibus, quando Romanis Tarqui- nii tempore, Galli fuerint populus ignotus & inau- ditus, ut Livius scribit, etiam cum utraque natio mu- tuam potuisset inire notitiam per mare absque Alpium trajectu, & unus aut alter maris sinus à Latinorum ter- ra ulque ad Gallorum littora fuisset superandus? Et certe eo tempore mortalibus non defuit navigandi usus. Unde igitur Galli fuerunt Italis, praesertim Ro- manis, incogniti? Ob id fortassis, quod illo tempore Romani nondum erant magni nominis, & potentiae, neque dilataverant suae Regionis pomeria, sed longe post Gallorum primum bellum incrementa accipien- tes, Alpes & latas Provincias domantes, cum inter eos Historici emergerent, qui ipsorum egregia facta Al- pium atque aliarum Regionum situm describerent, factum est, ut illis omnino ignotum esset, quan- do & quo seculo Alpes coeperint primum perambu- lari. Id nemo inficari poterit, cum olim populi ab utroque latere Alpium, ab Italia scilicet & Gallia, pro- pinquarent montibus illis, & sedes ibi constituerent, ad- invenerunt procul dubio vias ultra illos, idque longe an- te memoratam Gallorum primam eruptionem. Nisi enim Alpes illæ invix & horrendæ jam pervix factæ fuissent, quomodo ausi fuissent Galli cum tantis co- piis, atque cum tanto armorum strepitu & bellico ap- paratu sese immittere in tam implicatos, nivosos, & horridos montes? aut quomodo arripuissent iter tam perplexum, periculoque sese exposuissent, qui sine difficultate per mare Italiam intrare potuissent? Quin ex Massilia licuisset eis per Liguriam in Genuam ve- nire, ubi nullæ sunt Alpes, nullæque invix solitudines, sed montes humiles, per quos facile ex Gallia veniri potest in Italiam, quæ in confinio illo Gallia Cisalpi- na nominatur. Sunt & Alpes Graia, quæ Minor San- ctus Bernhardus vocantur, apud populos Ceutrones, quorum Metropolis hodie vocatur Tarentasia, & ha- rum unum latus respicit Galliam, & praesertim Allo- broges, alterum autem obvertitur Italiae, contingitque Salassios, qui hodie Dingsfaler appellantur, & Alpes illæ non sunt altæ, nec habent nivem tempore æstatis, atque ideo semper patet per eas tutus transitus, imò major Alpium pars, per quas facta sunt itinera, tempo- re æstatis est sicca & sine nive. Id si verum est, quomodo homines in utroque montium latere habitantes, non transierunt Alpes, nec fecerunt itinera per eas us- que ad tempus Tarquinii, praesertim cum æstivo tem- pore, illis nives obstaculo esse nequierint? De hac itaque re nullus Scriptorum potuit certo pronuncia- re, sed quod illis visum est in re incognita scripserunt, supervenientesque posterius confirmaverunt opiniones priorum. Verum his Plinius non subscribit, qui lib. XII. cap. 1. sic ait: *Produnt, Gallos hanc pri- mam habuisse causam superfundendi sese Italiae, quod Eluco ex Helvetiis, civis eorum, Roma commoratus, si- cum siccam & uvam &c. remeans secum tulisset.* Si Eluco prius in Italia fuit antequam Gallicus exerci-

tus in eam sese fudit, constat Alpes antè pervias fuisse. Scribit item Plin. lib. III. cap. 16, & 19. *Herculem olim permeasse Alpes, & ex comitatu suo aliquos ibi reliquisse, qui sedem in Alpibus collocarunt:* nominat potissi- mum Lepontios & alios populos, qui in Grajis Alpi- bus mansionem fecerunt. Scio tamen Livium hanc Herculis profectioem habere pro fabula, quod hic excutere nolo. Hoc apud me certum est, *Alpes pervias fuisse longè ante Gallorum primam eruptionem*, id quod vel ex hoc adverti potest, quod in plerisque locis supe- rari possunt spatio unius diei, ubi & utrinque opti- mum invenitur solum, quod etiam vinum producit, praesertim à *Tumleschg* Rhætiae ad Clavennam, item à *Tumleschg* ad Bellizonam, à Martenaco, hoc est, O- ctoduro apud Veragros ultra Pœninum ad Augustam, Prætoriam in Salassis, & in multis aliis locis. Hæc cum ita sese habeant, quid quæso obstare potuit, quin incolæ citra Alpes optimo habitantes loco, eos visitarint, qui ultra Alpes etiam optimo loco habitabant, præ- sertim cum illis id licuerit tempore æstivo, & itineris distantia sese non extenderit ultra unam diætam? Non tamen ob id contendo, tot illo tempore fuisse itinera per Alpes, quot hodie inveniuntur. An verò ante Rhætorum primam Alpium inhabitationem in eisdem Regionibus populi aliqui sedem collocaverint, praesertim cum ante Rhætorum adventum Galli perfringerint Al- pes, quando Rhæti scilicet adhuc Thuisciam inhabi- tabant, incertum est. Fieri tamen potuit, quod aliqui Galli vel Lepontii in eisdem montibus commorati fuerint, praesertim juxta itinera in diversis habitan- tes, qui transeuntibus & redeuntibus victum suppeditarent, sed tam multos cultores Alpes tunc non ha- buerunt, quot hodie habent. Verisimile quidem est, Gallos & Germanos tunc in plerisque locis solitos transcendere Alpes propter commercia & negocia exercenda, habuisseque per itinera in vallibus & soli- tudinibus certas mansiones & hospitia, quæ propter commerciorum frequentiam, creverunt tandem in villas & oppida. Et fortassis castella illa, fortalitia, & turres quæ in Rhætia inveniuntur, & usque in hunc diem nomina habent Germanica, reliquæ sunt anti- quitatum illarum, à Celticis Germanicè loquentibus olim extractæ. Nisi magis tibi arriserit illorum opi- nio, qui asserunt, post dissipationem Romani Imperii per Gothos, Longobardos, aut Francos in illis locis fortalitia & castella memorata erecta. Sunt autem hæc diætorum fortalitiorum & artium nomina: supra Curiam usque ad posteriorem Rhenum, *Ortenstein/ Hasenspring/ Schowenstern/ Nietberg/ Firsstnon/ Waldenstein/ Erenvels/ Tarstein/ Berenburg.* Item à Curia versùs Septimum montem, quod & unum ex antiquis itineribus est, *Grussenstein.* Sunt & alia mul- ta: tam in superiori parte Regionis, quam in inferiori, quorum nomina hic omitimus. Hæc inquam fortali- tia juxta publica & antiqua itinera locata, habent sin- gula Germanica vocabula, id quod & vetustissima La- tinæ literæ, quæ in illis Regionibus adhuc inveniun- tur, testantur. Populus verò in vallibus illis & oppidis habitans, ubi fortalitia memorata Germanica habentia nomina inveniuntur, ab eo tempore, quo Rhæti loca illa occuparunt, usque in hunc diem loquuntur Rhætice, hoc est, Italicè, si modò corrupta illa lingua Italica est vocanda. Quæ res satis ostendit, & alios homines ibi habitasse, nempe vel Lepontios vel Go- thos, Germanicè utentes lingua, idque antè vel post Rhætorum adventum. Scribit Cæsar lib. IV. Rheni fontes

fontes esse apud Lepontios. *Lepontii* autem illi, qui habitant juxta Rhenum polteriore, hodie vocantur *Rhinwalder* / loquunturque in medio extraneæ linguæ Germanicæ, nec unquam ipsi aut Majores eorum alia usi sunt lingua. *Habitant in medio Aetuarici populi*; qui & ipsi sunt Rhæti, habentque iter unius diei ad *Curientes*, qui propinquiores Germani sunt. Interpositi verò populi omnes Rhæti sunt, atque loquuntur Rhætice. Isti itaq; *Rhinvaldenses* seu *Lepontii*, procul dubio *Reliquia sunt Gallicorum Lepontiorum*. Potuerunt autem isti, reliquis exturbatis, inanere in Regione illa, quod inhabitarent sumas solitudines, ac deinde, ut necessitas exigebat, itinera publicane abolerentur, aut tempore nivis oblivioni traderentur, reficerent & conservarent, alioquin nemo tutò per hyemè Alpes illas transire potuisset; nisi illi pro publicarum viarum custodia & conservatione relicti in terra fuissent. Nec Romani facile potuissent illuc locare colonos, nisi fundus terræ fertilior fuisset. Nunc autem sterilior & asperior est, quàm ut citra magnū laborem inhabitari possit. Sed *molestia illa ferre possunt, qui ibi nati & educati sunt, id quod ex aliis nationibus nemo facile toleraret*. Porro Plin. lib. III. cap. 19. ostendit originem Lepontiorum, dissimilem quidem origini illi, quam fabulosè de Herculis comitatu prodiderunt. Scribit autem sic: *Lepontios & Salassos Taurisca gentis Cato arbitratur. Fuerunt autem Taurisci isti Galli, quorum natio in antiquissimis Gallorum praliis sedem collocavit ultra Alpes, de quibus Polybius lib. II. de bello Gallico sic scribit: In Alpibus ab utroq; latere loca montuosa habitant, ad eam partem, quæ versùs Rhodanum & Septentrionem spectat, Galli qui Transalpini appellantur; ad eam vero quæ campis imminet; Taurisci, Agones, & alia pleraq; Barbarorum genera à quibus Transalpini non genere, sed differentia loci differunt, ideo Transalpini dicti, quòd trans montes colant, &c.* Isti *Taurisci* postea emigrantes, alia quaesierunt loca, occupaveruntq; Regionem illam, quæ modo Comitatus *Görg* appellatur, ac deinde profecti sunt in *Stiriam*, nomen suum illi terræ relinquentes: significat enim *Taurus* Germanis *Stier*. Fuderunt se quoque in *Austriam* & *Ungariam*, de qua re hic non est locus differendi. *Agones* verò usque ad moderna tempora sedem habent in initio Alpium, haud procul à lacu *Verbano*, inhabitantes magnam elegantem vallem, quæ adhuc *Vallis Agonia*, & lingua eorum *Vall Ugonia* appellatur, contingens vallem de *Oscela*, vulgò *Eschentel* dictam, haud procul à *Lepontii* illis sita, qui *Uros* attingunt. Siquidem omnes valles illæ usq; in *Rhætiam*, & usq; ad ortum *Rhodani*, fuerunt *Lepontiorum*. Refert *Cæsar*, ut suprâ quoque diximus, *Lepontios* habitasse juxta ortum *Rheni*, qui hodiè *Rhæti* sunt. *Plinius* quoq; lib. III. c. 19. asserit juxta fontes *Rhodani* habitare *Lepontios Viberos*, qui hodie sunt *Seduni*, hoc est, *superiores Wallenses* in *Brng* & superioribus locis, loquunturque Germanicè, unde colligitur eos reliquias esse *Celticorum*, qui olim *Germanica* usi sunt lingua, alioquin tota inferior *Valesia* termone utitur *Gallico* & *Sabaudienfi*. *Ptolemæus* ponit *Lepontiorum* civitatem *Oscelam*, quæ hodiè est *vallis Eschentel* / *Italicè Vall de Oscela* dicta, in qua amnis *Tosa* oritur & in cujus inferiori parte adhuc extat civitas *Oscela*, quæ modò propter collegiatam *Ecclesiam*, quæ ibi est, Germanicè *Thum*, *Italicè* verò *Domon de Oscela* appellatur. Caterùm hæc *Oscela* non est oppidum *Ocelum*, quod aliquot diætis distat à limitibus *Lepontiorum*, & cujus mentionem

faciunt *Cæsar* & *Strabo*, situm in *Pemunde*; è Regione montis, quem nos *Montenova*, Itali verò *Mont Geneve* vocant, à latere scilicet montis *Cinesii*, qui à Germanis vocatur *Montanus*. Totus hic tractus fuit olim *Alpes Cozia* dictus. Oppidum verò *Ocelum* collocatur juxta *Duriam* minorem, qui amnis ab Italis sua lingua vocatur *Oulx*, id est, *oculus*. Describit *Strabo* lib. IV. iter ex *Gallia* in *Italiam* *Ocelum*, nempe ex *Ebroduno*, quod jam *Ambrun* vocatur, ad *Brigantium*, quod *Branson* appellatur: hinc ultra montes ad *Scingomagum*, quod jam *Sezanis* appellatur, ubi initium est *Italiae*: inde ad *Ocelum*, ubi finitur *Cotia* regio. Descendendo ab *Ocelo* pervenitur ad *Sejusium*, quod modo *Susa* vocatur, & hinc extenditur iter secundum *Duriam* minoris cursum ad *Thurin*, quod est *Augusta Taurinorum*. *Ptolemæus* semet involuit, quando *Lepontios* & civitatem *Oscelam* ponit in *Alpibus Grajis* atque juxta *Caturiges*, sicut & in situ multorum lacuum, fluviorum & oppidorum hoc loco non raro errare deprehenditur. *Alpes Grajae* sunt juxta *Tarantiam* *Centronum* civitatem, atque juxta *Salassorum* populum, quem modo *Ougstalsensem* appellant. Porro iter quod ultra *Alpes Grajas* extenditur, vocatur hodiè *Minor Sanctus Bernhardus*. *Ptolemæus* recenset solam *Oscelam* *Lepontiorum* civitatem, quod tunc nullam aliam haberent civitatem, ut mihi videtur, quantumlibet latissimam occuparent Regionem. Proinde *vallis* quæ in hunc usq; diem *Lepontiorum* retinet nomen, locatur inter *Bri* & *Wellsen*, ubi scilicet superandus occurrit mons *Gothardi*, paret *Uris*, appellaturq; à Germanis *Eiviner* / à Rhætis verò *Vallis Levontina*. Pertingit autem ad *Meintal* & *Eschentel*, in qua ex summo quodam loco erumpit *Ticinus* amnis. Sic itaq; *Lepontii* occupaverunt valles ultra & citra *Alpes*, præsertim valles *iltas*, *Malox*, *Palens*, *Meintal*, *Eschentel*, *Eiviner*, ubi *Ticinus* oritur, *Urselfam*, ubi *Urfa*, vulgò *die Rus* oritur, fluitq; per *Urorum* regionem. Item loca, ubi *Rhenus* & *Rhodanus* ex terra scaturiunt: hæc enim quatuor flumina originem trahunt à locis non multum à se distantibus. Nemo autem hic miretur & putet, *Lepontiorum* Regionem ob id confusam, informem & à commoda habitatione alienam, quòd induxerimus tot valles & tractus, fluviorumq; origines, ex quibus illa conflatur, quia dictorum fluviorum origines, præsertim *Rheni* anterioris, *Urfa*, *Ticini*, *Tosæ*, & *Rhodani*, ab uno ferè inveniuntur procedere monte, ut si circulo illas circumscribere & comprehendere velles, nullibi distantia esset major duorum milliariorum *Germanicorum*: sed ab uno fonte ad alium rectus transitus fieri nequit, ob invias solitudines & horrendam montium præcipitia, quæ rectum ibi iter fieri prohibent, nos de vagis loquimur recessibus. Et ut semel & in summa dicam, *Lepontii* tenent summa *Alpium* juga, cum adjacentibus vallibus, siti inter *Helvetios*, *Sedunos*, *Salassos*, *Insubres*, & *Rhætos*, citra & ultra *Alpium* montes. Cùm itaque *Cato*, testante *Plinio*, putet *Lepontios* reliquias esse *Tauriscorum*, & eidem *Polybius* quoque non dissentiat, quando sic scribit: *In Alpibus ab utroq; latere loca montuosa habitant, ad eam partem quæ versùs Rhodanum & Septentrionem spectat, Galli qui Transalpini appellantur; ad eam vero quæ campis imminet, Taurisci, Agones, & alia pleraque Barbarorum genera, à quibus Transalpini non genere, sed differentia differunt, &c.* Cùm inquam *Agones* & *Taurisci* à *Gallis* descenderint, habitaverintque propè *Alpes*, ad eam

partem, quæ versùs Rhodanum spectat, & Agones ut supra diximus, incoluerint inferiora loca vallis Oselæ, hi autem sunt Lepontii, & à valle Agonum, quæ hodie vocatur vallis Ugonia, modica sit distantia per vallem Oselæ ad Rhodanum & Valesiam (atingit enim vallis Oselæ superiorem Valesiam, in qua Rhodanus oritur, discriminante hæc ab illa Alpium monte) consequens est, Tauriscos quoq; ibi sedem habuisse, ad eam scilicet partem, quæ versùs Rhodanum est, hi autem Lepontii sunt, ut r. Et Cato dicat *Lepontios reliquias esse Tauriscorum, habitantes passim in montibus & vallibus, & cum omnes isti populi, potissimum Agones & Taurisci Galli fuerint, atque ex Gallia primum secedentes Alpes transcenderint, & novas sedes occupaverint, non autem inveniatur, ubi prius habitaverint in Gallia, licet colligere ex conjectura & locorum consonantia, Agones ex inferiori Valesia, nempe ex Agannis & Veragrii venisse, ubi jam locus est S. Mauriti. Tauriscos autem apud Uros & alios vicinos populos in Helvetia consedisse.* Nam horum duorum populorum nulla fit mentio, ubi describitur Gallorum ultra Alpes profectio. Et fieri potuit, ut mihi videtur, Agones & Tauriscos longè post Gallorum primam profectionem transisse Alpes, præsertim cum vidissent prædecessoribus suis Gallis, profectionem illam non malè cessisse. Fuerunt deniq; Agones isti Tauriscis vicini, nec longa illis erat ultra Alpes faciendæ profectio, & cum trajecissent, occupaverant jam Galli priores optima quæq; loca, nec permiserunt supervenientibus usurpare quæ ipsi voluerunt, atq; ob id sedem coacti sunt collocare in locis montibus vicinis, tamen loca illa pro majori parte optimum habeant fundum, profectio vinum & alia necessaria, potissimum in Ruffee / Welten / Lucarn / Thun / & juxta Verbanum lacum, Consonat etiam nostræ sententiæ, *Uros seu Urnos descendisse à Tauriscis, quod pro clypearibus armis utantur tauro, quamquam non ignoremus, posteris temporibus, Gothos quoq; aliquos in pagis illis consedisse.* Videtur præterea Regio illa hoc nomen *Uri* vel *Bren* sortita à clypeari tauro, à quo & Taurisci olim nomen suum adepti sunt. *Vocant enim Sybentalenses & qui illis vicini sunt, in hunc usque diem tauros, Bren.* Non igitur habet Regio illa, de qua hic loquimur, nomen suum à sylvestribus uris, qui nunquam visi sunt in ea, nec in circumfacentibus Regionibus, sed tauri, ut jam diximus, in his Regionibus vocantur *uren*. Nec conformes sunt sylvestres *uri* taurino capiti, quod Uranus populus in suis pingit clypeis, non obstante quod Cæsar sic scribit lib. VI. *Tertium est genus eorum, qui Uri appellantur, si sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie & colore & figura tauri, magna vis est eorum & magna velocitas, neque homini neque fera, quam conspexerunt, parcunt.* Præterea, cum populus *Iranus* ad bellum proficiscitur, utuntur symbolo loco sono cornu, & is, qui sonum illum reddit, vocatur *Taurus* ab *Uri*, & officio huic deputatus, cogitur interesse bellis. De Gothis quomodo venerint ad pagum *Uri*, non nihil colligitur, ex Procopio, Agathia & Leonardo Aretino, sed nihil certum hinc haberi potest. Itaq; ex his omnibus tandem inferetur, ante Rhætorum in Alpes adventum, aliquos Germanos, præcipuè Gallicos Lepontios, qui Rhætis longè antiquiores fuerunt, Alpes incoluisse, atque ab eis in hunc usq; diem quædam relicta in illa natione Germanica nomina. Alioquin nisi quidam illos montes antea incoluissent, Alpesq; pervias fecissent, quomodo fuissent Rhæti, qui tunc

vocabantur *Tusci*, tam audaces, ut concederent ad loca tam agrellia, aspera, & à nemine prius habitata? præsertim cum fuerint *populus ignavus atq; imbellis, & ob ignaviam suam à patria sua per Gallos expulsi, coactiq; derelinquere terram fugiferam & optimam, qualis fuit Tuscia, & secedere in loca solitaria, in via, atq; nunquam ab hominibus habitata.* Certè mihi sic persuasum est, illos primum non parum horruisse ab Alpibus, vixque auctos fuisse illas transire aut intueri, etiamsi prius in eis habitaverint homines, itineraq; trita & parata invenerint. At posteri eorum bellicosi facti sunt, & viri graves, ex terræ illius squalenti & horrida facie, dilatantes limites suos, & construcentes in diversis locis multa fortalicia, quibus & nomina juxta suam extraneam linguam imposuerunt. Rectè igitur Pomponius Mela scribit: *Rhenum ab Alpibus & deinceps Germaniam dividere à Gallia, sicut & ante Rhætorum adventum divisit.* Sic Strabo lib. VII. scribit: *Prima Germanica Regio partes sunt Rhæno proxima, ab ipsius ferè fontis initio, quoad in pelagus funditur.* Quod autem illi limites hodie non inveniuntur, hoc accidit propter Rhætos, qui in Regionem illam introduxerunt aliam linguam, nempe Italicam, aut ab Italica degenerantem, atque ob id neque Germani dicendi sunt neque Galli. *Vsi sunt autem Galli eo tempore Germanica lingua.* Credendum proinde est, quod postquam Julius Cæsar Galliam domuit, non fuerint Rhæti alicujus magni & clari nominis, cum Cæsar nusquam illorum mentionem faciat, nisi malis per Nantuates, quorum meminit lib. IV. intelligere Rhætos. Videtur enim mihi suo tempore illud Rhæni latus usque ad Alpes, Galliz annumeratum. Appianus Alexandrinus in libro qui Illyrius appellatur, putat Rhætos à Cæsare quoque devictos & subiectos, cum ille Galliam sibi subdidisset. Id quod alii sic intelligunt, quod devicerit seu compescuerit eos, non autem devicerit aut subjecerit, ut supra quoque memoravimus. Adde quod Autores multa scripserunt in favorem Principum, quæ veritati non per omnia consona inveniuntur.

CAP. XXXIII.

De summis Alpibus, quæ vulgò dicitur Gotthart appellantur.

Lepontiorum altissimi montes, unde amnes ipsorum scaturiunt fuerunt olim vocati *Summa Alpes*, de quibus Cæsar scribit in principio lib. III. Videntur autem propterea sic vocati, quod omnes reliquos montes fastigiis suis, præcipuis & asperitate excellunt. *Publica via, & quæ à pluribus frequentatur, quæq; ducit ultra Summas has Alpes, vocatur vulgò dicitur Gotthart.* Ducit autem ab *Urfa* & *Urfellæ* solitudinè Ticinum, qui est in valle Lepontiorum. Est & altera via quæ ducit ab *Urfa*, ex *Urfellæ* solitudine, per alium montem, qui vulgò dicitur *Surcken* appellatur, ad fontes Rhodani in superiorem Valesiam, quæ & ipsa Lepontiorum est, ut præcedenti capite diximus. Sunt præterea & alia via ultra Summas Alpes in Italiam, nempe ex superiori Valesia per montem *Gletscher* in vallem *Quassal*: item ex Valesia ad vallem Oselæ, vulgò *Eschental* & in vallem quæ vocatur *Basl Vechia*, id est, vallis vetula. Porro recentiores Scriptores, qui vetusta nomina in Cæsare elucidare studuerunt, asserunt Summas Alpes esse inter *Sedunos* & *Veragros* juxta *Ostodurum*, quod hodie *Martenach* appellatur, comprehendentes simul montem qui *Major Sanctus Bernhardus* appellatur. Hujus autem opinionis

Fuit Andreas Alciatus, in annotationibus Taciti super XV. lib. sed qui ibi toto errat cœlo. Siquidem Cæsar ab initio lib. III. non refert Summas Alpes propè Octodurum sitas, sed ostendit ibi longitudinem tractus Ætuaticorum, Veragrorum, & Sedunorum, ab imo loco usque ad summum, dicitq; illos à lacu Lemanno, qui est Genevæ, extensos, per Rhodani alucum usque ad Summas Alpes: ubi Cæsar haud clarius potuisset nobis montem Gotthardi, & Regionem Lepontiorum accolarum per Summas Alpes exprimere. Cui enim loco Alpium magis competit vocabulum istud, Summa Alpes, nisi ei, unde in omnem plagam mundi prouunt & diffunduntur amnes? Id autem fit in monte Gotthardi, hinc enim emittuntur versus Meridiem in Italiam Ticinus, Madra, & Toja: versus Occidentem in Galliam Rhodanus, & versus Septentrionem per Helvetios Urfa & Arola: item versus Orientem usq; ad Curiam Rhenus anterior. Ineptissimum itaq; est annumerare montem Sancti Bernhardi Summis Alpibus, qui in imo Valleisæ loco apud Veragros jacet, tota autem Sedunorum Regio supra ipsum est, supra quos Cæsar Summas ponit Alpes, longitudine Regionis à lacu Lemanno accepta, ut jam ex verbis ejus indicavimus. Proximè supra Summas Alpes incipiunt Alpes Pœninae.

CAP. XXXIV.

Castigatio nominum Alpinarum gentium, ab ortu Æni & Athetis usq; ad Montenova in Pemundi, quarum Plinius meminuit cap. 19. lib. III. una cum Germanica eorundem interpretatione.

IN Plinio lib. III. cap. 19. aut secundum alios 20. plurima nomina Alpinarum gentium sunt corrupta, id quod ego arbitror factum ex multiplici transcriptione & exemplarium continua depravatione. Recensebo autem ordine nomina eorum usq; dum perveniam ad Cotias Alpes, annotaboque ea majoris distinctionis gratia majusculis literis. Et primo quidem Plinius recenset octo Alpinas gentes, habitantes à latere Italiæ apud Rhætos & Lepontios, & hæc sunt.

TRIUMPILINI. Qui, ut Plinius eodem capite scribit, reliquæ sunt Euganeorum, vocanturq; hodie Tripletter / sedem habentes juxta lacum Cumanum, quorum terra attingit terram Vestlin / atque Camunos, nisi quod interponitur mons quidam. Oppida eorum juxta lacum sunt, Domasium, Mussium, Glarea, vulgò Eschara / Glabedona, id est, Grauedunen / & Suricum, vulgò Surg / & alia quædam quæ adhuc appellantur Tripletter.

CAMUNI. Apud istos oritur Ollius, & vocantur usque in hodiernum diem Camunen, ut supra quoq; memoravimus. Aserit autem Plinius etiam eos ab Euganeis originem traxisse. Strabo lib. IV. appellat eos corruptè Camulos, & dicit eos natione esse Lepontios, Vindelicios, Noricos atq; Rhætios.

VENNONES. Hi hodie Binstgöwer & Engadiner appellantur, ut supra quoque dictum est.

VENONETES. Hi fortassis postea Ventonini, hodie autem Vetsolini appellati sunt. Sunt qui vallem Telinam & Volturenam, Germanicè velint esse Vestlin / Italicè autem Volkolinam. Tangit hæc Regio Vennonæ ab Oriente, Camunæ à Meridie, & Triumpilinos ab Occidente.

MISAUCI. Hi in Plinio corruptè, ut mihi videtur, leguntur Hifarci, & sunt Lepontii, vocanturque hodie Masoxerthal: & est Comitatus, in quo locantur

Rustee / Latine Rogoretum, & Galanderthal. Fuit quoque olim ex Misauis Bellens / Italicè Bellizona, Latine verò Bilitionum dictum. Vetustiores literæ quæ inveniuntur in Curiensi Cathedrali Ecclesia, vocant memoratum locum Masox, Mesaucum, & vallem ipsam vallem Mesaucam.

BREUNI. Hi juxta vallem Mesaucam in Lepontiiis habent sedem, inveniturque nomen istud in hunc usque diem. Nam vocantur sua lingua, vallis Breunia, Germanicè autem Palenserthal. Ptolemæus mentionem facit Breunorum, sed qui in Vindelicia inter Lycum & Ænum sedem, secundum eum, habent; de istis autem qui in Italia morantur, nequaquam loqui videtur, cum Plinius eorum sedem collocet in eo latere montium, quod Italiam respicit, & postea peculiarem mentionem faciat de Vindeliciis superatis.

NAUNES & FOENATES. Hi inter Lepontios quoque, in tractu Italiæ habitantes, computantur; sed quis locus aut populus illis hodie respondeat, melatet.

Recensuit hætenus Plinius populos Cisalpinos, sedem habentes in latere montium Italiam respiciente, nunc enumerat populos habitantes in opposito latere, incipiensque à Vindeliciis scribit sic: Vindelicia populi quatuor sunt, nempe. 1. CONSUANETES, quos Ptolemæus vocat Consuatas, & Florus Senones, ut Aventinus scribit, habentq; sedem inter Iseram & Ænum, & ut mihi videtur, locus eorum fuit inter Landsbüt / Wasserburg / & Passau / aut circiter.

2. VIRUCINATES, vel, ut Aventinus putat, Thunicates, qui hodie die Tuncta appellantur, habitantes secundum eundem inter Iseram & Raupponam, dicti à Ptolemæo Rhunicates, apud quos & Fruxinum est, Germanicè Frystingen / inter Iseram scilicet & Ambrum fluvios, ubi sedes est Episcopalis in Vindeliciis.

3. LYCATES vel LYCATII, populi sunt juxta Lycum habitantes, appellati Eechgewer / vel die Eechreiner.

4. CATTENATES. Hos quoque Strabo lib. IV. recenset inter Vindelicos, sed vocat eos Clautenates. Hætenus de Vindeliciis.

ABISONTES. Ptolemæus appellat istos Ambisontes, ponitque eos ultra Ænum versus Septentrionem, juxta Danubii fluentia. Hæc tantum de Noricis. Enumerat ultra Plinius quatuor populos inter Lycum & Rhenum habitantes, qui suo & Ptolemæi tempore Rhætis annumerati erant. Horum autem nomina sunt.

1. RUGUSCI, hos Ptolemæus appellat Rheguscas, tenentque Meridiem, & vocantur hodie Rhingöwer & Rhinthaler / de quibus supra diximus. Nostro tamen tempore locum habent citra Rhenum, sed ubi & Rhæti non nihil terræ habuerunt.

2. SUANETES. Ponit Ptolemæus & hos versus Meridiem, videnturq; mihi fuisse Ducatus Suevorum, qui hodie Prefectura est, vulgò Landvogty / coram Ravensburg sita.

3. CALLUCONES, & secundum Ptolemæum Culucones, populi mediterranei, intra memoratos limites, & fortassis sunt Algoienfes.

4. BRIXENTES. Hos Ptolemæus ponit versus Aquilonem juxta Danubium. Hætenus de Rhætis Transalpinis, nunc audi quid Plinius scribat de Lepontiiis Transalpinis.

LEPONTII, de quibus Cæsar scribit lib. IV. morantur

morantur *juxta fontes utriusq; Rheni & in solitudine Krjella*, cujus supra quoque meminimus.

JUBERI. Hos eodem jam commemorato capite Plinius vocat quoque *Viberos*, & dicit eos esse Lepontios, habitantes juxta originem Rhodani, quorum & supra mentionem fecimus.

NAUTUATES. Hos Strabo lib. IV. vocat *Nantuates*, & Cæsar lib. III. *Antuates*. Est autem pagus quidam in Helvetia, qui hodie die *Waat & Bchtlandt* appellatur, incipiens à Rhodano & desinens in Arolam.

SEDUNI. *Horum civitas hodie Sedunum*, lingua sua Sabaudienſi *Seon*, & Germanicè *Sitten* appellatur, & est superior Regio in *Valleſia*.

VERAGRI. Hi hodie sunt inferior *Valleſia*, quorum Metropolis fuit *Octodurus*, ut scribit Cæsar lib. III. modo autem appellatur *Martenach*. Per tractum illum fluit amnis quidam à monte Sancti Bernhardi in Rhodanum, sicut & Cæsar asserit, ibi duos confluere amnes. Sunt qui putant locum Sancti Maurii olim *Octodurum nuncupatum*, sed hi errant, quandoquidem & Historia seu Legenda illius Sancti & sociorum ejus exprimat & clarè ostendat, hos Sanctos primum à montibus descendisse ad *Octodurum*, & inde ad *Aganuum* pervenisse, situm in angustiis Rhodani, atq; ibi martyrii supplicium pertulisse. Oppidum *Aganuum* nominatur nostro tempore *Sanctus Maurii*, locaturque in *Veragris*, & est clausura quidam seu montium porta versus *Antuates*, qui ibi incipiunt, & extenduntur secundum cursum Rhodani, & lacu Lemannici, usque ad iurassum montem & Arolam fluvium, de quibus supra. Ab alio verò latere Rhodani & lacu Lemannici, habitant *Veragri*, extendunturq; ultra Sanctum Maurium, & appellantur *Pays des Gavois*, & illi pertingunt usque ad Regionem *Suisse* / qui Gallicè *Fontceny*, & Latine *Vallis bona* appellantur. Plinius verò lib. III. cap. 4. appellat eos *Bodiontios*, & civitatem eorum *Dinam*, quæ hodie *Donoy* vocatur, collocaturq; juxta Lemannicum lacum, infra quam *Allobrogum* Regio incipit. Scribit præterea Plin. lib. III. cap. 20. memoratos *Octodurenses*, qui hodie sunt *Martenacenses Veragri*, fuisse cives Romanos. Hi autem omnes, videlicet *Seduni & Veragri*, fuerunt postea uno nomine vocati *Wallisseri*, sicut & libellus Provinciarum vocat *Octodurum* civitatem *Vallensium*. Est proinde *Octodurus* sita in provincia *Alpium*, quæ scilicet *Pœnina* appellantur, nam *mons Pœninus apud Veragros est*, sicut & *Livius* dicit lib. I. dec. 3. *eos accolae esse montis Pœnini*. Scribit autem in vertice illius montis olim honoratum fuisse Deum à montanis illis hominibus, quem *Pœninum* appellaverunt, unde & huic monti nomen hæc relictum est, sicut & eadem ratione à quibusdam Latinis mons ille, *mons Jovis* vocatus est. Cum autem incolæ illius Regionis ad Christianismum conversi essent, cœpissentq; detestari dæmonum culturam & idololatriam, quam in monte illo exercuerant, ubi scilicet *dæmonum oracula & responsa accipere consueverant*, advenit *Monachus* quidam, *Bernhardus* nomine, ex civitate *Augusta*, & abegit per exorcismum humani generis inimicum, coegitq; in fœdam quandam illorum montium cavernam, ut tamen incolarum habet, atq; inde aiunt montem illum dictum, *Majorem Sancti Bernhardi* montem, in cuius summo vertice est extractum *Monasterium hospitii loco*. Sunt autem qui montem *Pœninum* alibi statuere conati sunt, quod tamen satis probare nequeunt. Pro

mea sententia est *Strabo* lib. IV. qui claris verbis scribit: *Salassorum ager claudenibus rupibus utrinq; cinctus, Italiam una per eam vallem via est*. Sunt autem *Salassi hodie in valle Augusta*, vulgò *Dugstaler* appellati, inhabitantes vallem longam, ex qua multæ aliæ valles utrinq; in montes segregantur. Tota autem Regio ipsa cincta est rupibus, ut ex Italia seu *Taurinis* angusta quædam via in eam pateat, intrinsecus autem planicies quædam grandis invenitur, quæ Germanicè & Italicè *Wart* vocatur, sicut & olim quoq; *Bardum* appellata fuit. In hac valle crescunt optimi fructus, vinum *Apiannum*, quod *Muscateſſ* vocant, & alia vini genera, vocaturq; *Dugstal* à civitate olim *Augusta Prætoria* appellata, quæ in medio hujus Regionis sita est, id quod indicant *Plinius* & *Ptolemæus*, nostro verò tempore est civitas *Episcopalis*. *Amnis Durias major*, quem hodie vocant, *la Doria*, fluit per *Salassos*, ut *Strabo* quoque scribit. In hanc Regionem & vallem unum duntaxat iter ex Italia per angustias rupium transit, & postea cum ad superiora Regionis loca ventum fuerit, dividitur hoc unum iter in duo itinera, ultra *Alpes*, ut *Strabo* quoque scribit libro IV. in hunc modum: *Inde bifariam dividitur, una per Pœninum, per Alpium summities, jumentis inaccessibilis*. Idem eodem lib. *Alpium Lugduno*, &c. *Pœnino converso, cum Rhodanum trajeceris, lacumvé Lemannum in Helvetiorum campos*. Rursum in eodem lib. *Super Salassos in cacumine Ceutrones, & Caturiges, & Veragri, & Nantuates, lacusque Lemannus, per quem Rhodanus effertur, &c.* Trajecto itaque *Pœnino* monte, in quo tantæ angustia sunt, ut nullum vehiculum illud transire queat, ducit iter versus *Septentrionem* ad *Rhodanum* & ad *Gebennensium lacum*, atq; ad campos *Helvetiorum*, nempe ad locum die *Waar* dictum. Hæc satis probant *Pœninum* montem esse eum, qui hodie vocatur *mons Major Sancti Bernhardi*. Sed & *vallis ipsa* quæ est supra *Augustam* juxta hos montes, omnino altipulatur nostræ sententiæ, quippe quæ à monte ipso vocatur *Vallis Pœnina*, & in lingua incolentium *Vall Pelinna*. Porro *Augustam* illam *Cæsar Augustus* primum fundavit, tranſtulitque in eam tria millia Romanorum, qui urbem inhabitarent. Unde *Strabo*: *Tribus Romanorum millibus Cæsar Augustus missis, urbem Augustam habendam tradidit, quo in loco Varro castra jam habuerat*. Domuerat enim *Varro* ille *Terentius Salassos* in eo loco. Cæterum *Salassi originem duxerunt à Tauris*, ut *Plinius* dicit, potueruntq; octo millia armatorum militum ex se ad militiam destinare, ut *Strabo* scribit. Altera proinde via, de qua *Strabo* scribit, iter illud est priore multò tritior, quippe quæ & palustris permeabilis est, transitq; in *Ceutrones* per *Alpes humiliores*, quæ olim *Alpes Grajæ* fuerunt vocatæ. A *Bardo* quidem ascenditur per unam viam ad *Augustam*, ac inde dividitur illa via bifariam, ad dexteram & sinistram. Unde *Plinius* lib. III. cap. 16. *Salassorum Augusta Prætoria juxta geminas Alpium fauces, Grajas atque Pœninas, &c.* Ad dextram extenditur iter per *Pœninum*, qui major est *mons Sancti Bernhardi*, & ad sinistram itur per vallem, & tandem per *Alpes Grajas*, quæ modo appellantur *mons Sancti Bernhardi minor*, & hæc via ducit ad *Ceutrones*, quorum Metropolis est *Tarentasia* civitas *Episcopalis*, quæ lingua illius Regionis vocatur *Motier*, quod Germanicè sonat *Minster* idq; propter *Cathedralem* ejus *Ecclesiam*. Regio *Ceutronum* hodie appellatur *Tarentasen*, idq; propter Metropolim ejus *Minster*. Unde & liber Provinciarum rectè explicat,

in Provincia Grajarum Alpium, Tarentasiam esse Metropolim Ceutronum sicut in Pœninis Alpibus Octodurus Valesianorum caput censetur. Ex Tarentasiorum valle itur recta ad *Camerinum*, quod hodie *præcipua Subaudia est civitas*. Notandum quoq; hic, in Plinii exemplaribus, ubi recensentur Alpinae gentes, depravata esse quorundam populorum nomina, ut sunt Calassi pro Salassi, & Acetauones pro Ceutrones.

MEDULLI. Meminit Strabo lib. IV. *Meduallorum*, dicitq; locum eorum esse juxta *Isaram* infra Ceutrones, & quod termini eorum extendantur ad Vocontios atque Allobroges. Ptolemæus appellat eos Mendullos.

ICENNI. Hos Strabo vocat Iconios, vel ut quidam libri habent, Siconios, aut secundum alios Ideonnos, suntq; confines Medullis.

CATURIGES. Horum populorum sedes est in Alpibus Cottis juxta Ceutrones in tractu montis Cinesii, quem vulgò vocant *Montanis*. Reliqua nomina intacta relinquo.

CAP. XXXV.

Valles quadam Alpina à latere Italia habent singularia negotia.

Habent valles illa, quæ à Summis Alpibus in Italiam hexcurrunt, præsertim quæ è Regione Valesiæ, Suediæ, & Curientium Rhætorum sitæ sunt, & quarum supra mentionem aliquam fecimus, ferè singula peculiaria quadam negotia, quæ in diversis exercent Regionibus: ut, exempli gratia, apud *Salassos est Dugstal* / vallis scilicet quæ confinis est Valesiæ, in qua ferè omnes sunt instiores. In *Vall Sesia* ubi Sessites originem sumit, communiter habitant *latomi seu cementarii*. Item in *valle Oscela*, vulgò *Eschentahl* habitant *Cuspiniani seu Cuspidum artifices*, & qui per *tornum* fabrefaciunt scutellas. In *valle Veget*, quæ locatur inter *Euggaris & Eschentahl* quæque confinis est valli *Reinthal* sunt omnes incola *sumaris & caminorum repurgatores*, ejusq; rei gratia Regnum Neapolitanum, Siciliam, Franciam, Germaniam, & totam Italiam peragrant. Item in *Galancka* propè *Mesfaucum*, omnes sunt *resmaris & sportarum textores*; at hi plerunq; mendicant per Regiones, ubi reliqui suis artificii sustentantur.

CAP. XXXVI.

Quibus literis olim Galli & Germani scribendo usi fuerint, & quando apud Germanos usus scribendi inoleverit.

Prisca temporibus, duæ dumtaxat lingue per Europam scribi consueverunt, Græca videlicet & Latina, quam & Romanam vocant, quapropter & due illa nationes omnes alios populos, nempe Gallos, Germanos, Pannonos, &c. illiteratos & barbaros appellaverunt, quod scilicet peritiam scribendi non haberent. Postquam verò Græci ex Phocæa urbe Æoliæ Asiaticæ profecti in Galliam, Massiliam, Antipolim, & alias quasdam urbes condidissent, ibiq; sedem collocassent, instituerunt succedente tempore scholas, docueruntq; pueros linguam suam, ut etiam posteris temporibus Romani illuc miserint filios suos, qui ibi discerent Græcam linguam. Sic enim scribit Strabo lib. IV. *Eo tamen tempore Romani nondum erant magni alicujus nominis & potentia extra Italiam, nec lingua eorum apud Gallos & alias exterarum nationes erat cognita. Cumq; Græci jam habitarent in Gallia, viciniq; essent Gallis, cœ-*

pta sunt passim quadam Gallica voces scribi Græcis literis, id quod Cæsar testatur lib. I. se tabulas reperisse in castris, in quibus Helvetii scripserant Græcis characteribus omnia nomina sua, atq; numerum. Similiter lib. VI. de Druidibus scribit, quomodo illi Græca lingua res suas annotare consueverant. Quin & Tacitus in lib. de Germanorum moribus indicat, quomodo in *Rhætia & Germania quadam epitaphia reperta fuerint, Græcis literis insculpta lapidibus.* Usi itaq; sunt Galli antequam Romanis subicerentur, Græcis literis, quas proculdubio ab advenis Massiliæ habitantibus didicerunt; sed ob id non introductus fuit usus communis, scribendi totam linguam suam Græcis literis, quin potius Cæsar domita & devicta Gallia, coegit indigenas derelinquere, nedum Græcas literas, verum & nativam suam linguam. Tenuerunt enim Romani hunc morem, ut cogerent eos quos devicerant, uti lingua sua & Romanis literis, legibusq; suis conformes esse omnes gentes volebant. Et hoc pacto in majorem partem Gallia introducta est lingua Italica, quæ est lingua Latina, sed plurimum corrupta, quam cum Galli homines barbari rectè sonare non poterant, eam usque adeo corruerunt, ut Gallus difficulter intelligat Italum, & e contra. Vocatur tamen ab eis Romana, quod à Romanis eam didicerint. Et cum Galli multò tempore sub Romanorum Imperio egissent, cœperunt quoque usurpare linguam Latinam in causis judiciariis atque literis conficiendis, & tandem ad hoc ventum est, ut tota Gallia atq; vicina Germania cœperint scribere Latine, & quicquid magni ponderis fuit, annotarunt lingua Latina in schedis, voluminibus, atq; publicis instrumentis. Quin & lingua Germanica, quæ antea nunquam fuit scripta, usq; ad tempora Caroli Magni Romani Imperatoris & Regis Galliarum, qui natus fuit apud Germanos in *Jugelheim* pago, duobus Germanicis milliariibus distante à Moguntia, secundum Rheni descensum, anno post Christum natum 801. sub isto, inquam, Imperatore primum cœpta est scribi lingua Germanica, usum ejus introducente industrio illo Cæsare, & singulari Germanicæ nationis fautore. Non tamen mox fuit Germanica lingua usurpata in causis judiciariis, privilegiis & aliis publicis atque arduis negotiis literis demandandis, quod ea tunc non satis idonea & efficax censeretur, sed si quid efficax esse voluissent & perpetuum, usi fuerunt lingua Latina, quæ jam per Romanos & à Romanis Imperatoribus fuerat introducta, duravitq; mos ille scribendi usque ad annum Christi 1200. aut circiter, tunc primum cœpta fuerunt negotia ardua scribi in Germanica lingua: atq; hinc est, quod pauca antiqua litera inveniuntur scripta Germanice. At cum usurpari cœpisset Germanica lingua in publicis condendis literis, paulatim relegata est lingua Latina ex foris & Consistoriis, ut etiam nostro ævo omnes judiciariæ causæ actiones, conventiones, libertates & privilegia in nostra Regione ab Imperatore Rege & Principibus, Germanicè conscribantur. Hic usus inolevit, ut jam diximus, ab anno Christi 1200. non obtante, quod prius ante multos annos Germanica lingua per Carolum Magnum literis & scripturæ fuerit coaptata, quia nullius adhuc fuit efficacæ, nec sigillum fuit ei adhibitum, sed solum profuit ad conscribendum rhythmicos libellos, & quæ quisquam domi atque privatim annotare voluit. Sciendum præterea, Germanos non habere proprios characteres, sed utuntur pro lingua sua scribenda Latinis literis, tamen earum figura, ex abusu quodam, nonnihil corrupta

sint, & in aliam formam detorta, nemo tamen dubitare potest de eis, quin à Latinis sint mutuata. Literam k acceperunt à Græcis. Quomodum autem Germani conati sunt scribere linguam suam, sic Francigenæ idem tentaverunt in lingua sua corrupta: corruptam voco, quod fex sit Latinæ linguæ. Sic quoque Hispani, Angli, Ungari, Bohemi, Poloni, & reliqua Europæ nationes conata sunt linguas suas Romanis & Latinis literis scribere; cum tamen olim Græcis literis tantum Græca lingua, & Latinis Latina scribi consueverint. Notandum proinde hoc loco, antiquam & primam Germanorum scripturam jam vix posse intelligi, non quod lingua ipsa usque adeo sit mutata, sed quod Majores nostri qui primum linguam Germanicam scribere tentaverunt, agrè & cum magna difficultate, potuerunt quasdam difficiles voces & perplexas syllabas literis comprehendere, quæ veram & genuinam exprimerent prolationem, quippe qui in ea re adhuc rudès & inexercitati erant, donec tandem ex continuo usu & longa experientia ingeniosorum hominum diligentia adinvenit, quæ facilitati scribendi & proferendi voces conducerent. Certè veteres Germani nunquam nisi fuerunt litera f, sed loco ejus usi sunt consonante v, ut pro Frau/Frâttel/Fried/froslich/&c. scripserunt vrove, urævele, uride, vrovvellich. In Monasterio S. Galli est codex quidam Evangelicus in membranis ante sexcentos annos scriptus, eo scilicet tempore, quando paulò ante Germanica lingua cœpta est scribi: Est autem Latine scriptus, habens è Regione Germanicam interpretationem, sed in qua ex quinque aut sex dictionibus vix una à nostratibus intelligi posset, nisi collatio fieret Latini sermonis, quantumlibet à majoribus nostris, nostra utentibus lingua, scriptus fuerit. Hi qui Latine sunt docti, poterunt utcunque ex verbis elicere sensum: Hanc linguarum immutationem parit tempus ipsum. Consonantem v nos Germani proferimus corruptè instar f, id quod Itali minimè faciunt, sed proferunt eam ut nos proferre consuevimus literam duplicatam w, quæ genuina esse videtur pronuntiatio consonantis v. Excogitaverunt autem Germani literam w, quæ est v duplicatum, idq; ex Græco & Æolico sermone, in quo fuit duplicatum w, quemadmodum scribit Dionysius Halicarnassæus Historicus lib. 1.

CAP. XXXVII.

De Germanicis Cancellariis.

Cum itaq; nostro ævo Germanica lingua scribi commodè possit, & Latinæ linguæ characteres illam satis comprehendere queant, ad hoc tandem hominum curiositate ventum est, ut Cancellarium & Consistoriorum scriba rursus nobis Latinam linguam in media Germanica lingua oberudere conentur, vix unam lineam sine admixtione Latini alicujus vocabuli scribentes, perinde quasi penuriam vocum habeant in Germanica lingua, sua confusione efficientes, ut multi boni viri Latinæ linguæ pericia delituti, nesciant quid in multis locis intelligere debeant, aut quid significetur per illam aut istam sententiam. Quid quæ so isti aliud faciunt, quam quod linguam nostram solidam, integram, impermixtam, & nulla alia inferiorem, corrumpere, imò contemnere student, aliena introducunt vocabula, cum extranea nationes nostram celebrem linguam non tanti faciant, ut voces ejus suis intermiscant? Hinc fit, ut post labentia tempora ignoretur, quæ vera sit Germanica lingua. Apud veteres Germanos nulla invenitur Latina vox: Germanicæ admixta linguæ, sed modernorum scribarum turba hanc

nobis confusionem facit, plus volentes quam oporteat sapere. Quare non magis scribunt, bezeugen / quam protestiren / Gericht / Zwang / quam jurisdictio, Zug vel Veruffung / quam appellat; ziehen vel beruffen quam appelliren / Kläger quam appellant, Antworter quam appellat, laden quam citiren / Vereinigung / vel Vertrag / quam concordat; Anstoss / quam confin, bewehren / quam probiren / Grundvesti / quam Fundament / widerlegen vel ersetzen / quam restituiren, verheffen / quam arrestiren / Oberkeiten / quam Potentaten / Verpflichtung vel Verschreibung / quam Obligation? & sic de aliis multis, ubi Latina miscetur Germanicis vocabulis, quandoquidem rectius ageretur, si scriberentur vel solum Latine, vel solum Germanicè, quæ scribuntur.

CAP. XXXVIII.

Quod Gallia olim usa fuerit Germanica lingua, potissimum Cælia, hoc est, superiores Germani, ut sunt Helvetii, & inferiores, nempe Belga, qui sunt Colonienses.

Mihi dubio non est, Gallos olim Germanicè locutos, sed quam linguam à Romanis coacti sunt derelinquere nisi quod idiotismos adhuc retinent Germanica lingua, id quod in multis advertere licet sententiis, quales sunt: Quæ a tu fait, was hastu gethan / quæ sententia Latinæ linguæ minimè, responder: nam non dicitur, quid habes fecisti. Sic: Je l'ay fait, ich habes gethan / id est, ego habeo feci. Item: Je l'ay veu, ich habes gesehen. Vien avec moy, tömb mit mir / id est, veni cum me. Meine vie, siirs in Weg / duc viam, pro deducas. Il a chevauché, er hat geritten / id est, ipse habet equitavit, &c. In summa, universa lingua tenet Germanica lingua idiotismos, id quod probat, Gallos olim Germanicè loquutos. Cumq; à Romanis ad Latinam cogentur linguam, non poterant nativos & consuetos deserere idiotismos, id quod & Apostolis contigisse scimus, qui Græcè scribentes non poterant declinare Hebraismos. Sic itaq; Galli hodie habent linguam confusam, & ex multis confusam, constantem scilicet ex reliquiis Latinæ & Germanicæ linguæ. Ex Germanica lingua præter idiotismos habent quoq; adhuc multa vocabula in usu, ut sunt harnois, Germanicè Harnisch / Latine arma: item, bourgeois, Bürger / civis: sia, laisse, last / dimitte: riche, reich / dives: panciere, Panzer / lorica: heume, Helm / galea: curalle, Küris / thorax: esperons, Sporen / calcaria: dague, Degen / gladius: haye, hagi sepi: gerbe, Garben / manipulus: bouc, Bock / caper: esprevier, Sperber / accipiter: escrevisse, Krebs / cancer: bänniere, Banier / vexillum: aveugle, ohn Augen / cacus: banc, Bauck / scamnum: trouble, trüb / turbidum: emble, heimlich / secreta: nonnes, Nonnen / moniales: tailler vel tranchoir, Teller / discus: scire, herren / lacerare: manquer, mätiglen / carere: cuquelin, Ruchlin / passilli: retin, Zytten / mamilla: grater, tragen / fricare: gaigner gewinnen / lucrari: laid, leidi / oder ungeschaffen / deformis: baçin, Beckin / pelvis: cuisin, küssen / pulvinar: sablon, Sand / arena: gloche, Glocken / campana: tue, tödt: occide. Sunt & alia multa similia, omnino Germanicis & non Latinis alludentia vocabulis, vulgus enim rude non potuit ab initio singulas Latinas voces capere, atq; ideo plurimas retinuit ab antiqua Germanica lingua, tamesi illas quoq; lacerent & corrumpant, sicut Latinas, nullam in pronuntiatione rectè sonantes. Nesciunt proinde illas Germanicas esse voces, usq; adeo ab antiqua Gallica exciderunt lingua. Sciendum quoque, Romanos non potuisse id efficere, ut totam Galliam cogent ad suam linguam, quia Helvetii pro majori parte usque in hunc diem retinent suam

antiquam Gallicam linguam, à qua nunquam deflexerunt. Idem iudicium est de tota linea Rheni usque ad inferiora Germaniæ loca; ubi bona pars Galliæ Belgicæ Rhenum contingit, ut sunt *Aquenses, Leodienses, Tungri, Coloniaenses, & alii populi his confines*, qui omnes utuntur antiqua Gallica lingua, quorum linguam nos superiores Germani vocamus *Wattländisch* ob id quod communiter *S* commutant in *T*, & aspirationem mediã in *C*. ut *was/wat/das/dat/sprechen/sprechen/obrest/obrest/ gestanden/ gestanden/ &c.* Retinuit quoque Gallica natio ista discrimina in lingua Romana, tibi coacti sunt Latine seu Italicè loqui, non valentes omnino renuciare suæ locutionis proprietati, raro scilicet utentes litera *S*, tamen illam scribere cogantur propter Latinam linguam, unde vernacula eorum lingua est derivata, sed pronunciant eam ex consuetudine antiquæ suæ Germanicæ linguæ, in qua raro usi fuerat, hæc litera. Exempla: scribunt *hodie vostre*, & pronunciant *votre*. sic pro *noître* *egut* *notre*, pro *maître* *maitre*, pro *estoit* *etoit*, atque in aliis similibus hunc tenent modum. Hæc autem omnia huc tendunt, probantque inferiores Germanos hodie tenere antiquam Belgicam linguam, & Gallos olim locutos Germanica lingua. Refert Cæsar lib. I. apud *Heduos* suo tempore *summum Magistratus officium dictum* Gallica lingua *Vergobret*. Est autem *verg*. Germanicè *verggen* quando scilicet Magistratus causas exequitur & absolvit. *Obret* vero lingua inferiorum Germanorum apud nos est *Oberst* id est, summus seu supremus. Hujusmodi ergo vox Germanica est, & quidem genuina, sicut & hodie in multis locis apud Germanos *Præses* appellatur *Bergger* id est, *executor*, sic *Schaffner* qui *negotium aliquod tractat*: & *Amman* qui *vir est officii*: & *Ammeister* officii *magister*: & *Bürgermeister* *magister civium*, & *Schultheis* *jussor & imperator debitorum seu obligationum*: & *Vergobret* *supremus executor, &c.* Quod autem Helvetii quoque Gallienentur, aliter autem Germanica utantur lingua quam Belgæ, differentia solum est in pronunciando. Deinde Belgæ raro utuntur litera *S*, ut jam diximus, *Celtæ* autem ea frequenter utuntur, habentes linguam *fibulatricem*, sicut & qui Gallicanam inhabitant provinciam, puta circa *Avenionem*, qui & ipsi *Celtæ* sunt, & more suo scribunt atque legunt *vostre*, *maitre*, &c. id quod reliqui *Francigenæ* non faciunt, atque ideo inter hos & istos confurgit discrimen aliquod in una & eadem lingua. Unde & Cæsar lib. I. testatur, *Gallos habere differentiam in lingua sua, in legibus & constitutionibus*. Et Strabo lib. IV. scribit: *Aquitanos*, qui una pars sunt ex tribus *Gallicæ* partibus, habitantque juxta montem vulgò *Rhinoceras* dictum, versus *Hispaniam*, conformiores esse lingua sua & forma *Hispanis* quam *Gallis*. Sed nec reliqui *Galli* ubique locorum equaliter loquuntur per omnia, sed in multis nonnihil inter se differunt, sicut & in gubernatione, moribus, & consuetudinibus aliquantum dissimiles deprehenduntur, hæud fecus quam nostra Germanica lingua hodie multifariam per *Germania* partes discriminatur, tamen una sit lingua. Ubi notandum Germanos, præsertim *Suevos*, in lingua sua plus abundare literis quam Gallos, nam scribunt, *Teutsch* unde & *Teutones* appellantur, *Haus domus*, *grausen* *horror*, *theur* *carus seu pretiosus*, *Steiß industria*, *mein* *meum*, *dein* *tuum*, *auss* *ex*, *maul* *os*,

lauss *pediculus*, *bedeuten* *significare*, *Reuter* *eques*, &c. *Helvetii* vero utuntur paucioribus literis, & inferiores *Germani*, id est, *Belgæ*, adhuc paucioribus, loquunturque cum tanta festinatione, ut *Helvetii* illos intelligere vix queant. *Suevi* vero & reliqui *Germani* longè difficilioribus illos capere possunt, quod utrorumque lingua plus inter se dissidii habeat in literis, quam nostra *Celtica* & istorum *Belgica*. Unde non mirandum, *Ariovistum*, *Suevorum Regem* olim non potuisse bene intelligere linguam *Belgicam*, cum exercitum suum trajecisset in *Galliam*. Nam licet *Hedui* fuerint *Celtæ*, fieri tamen potest, quod in Regione illa, & in ulterioribus illis *Galliæ* partibus, ubi *Ariovistus* bella gessit, incolæ usi fuerint lingua *Belgica*, quam nos *Wattländisch* vocamus, ut supra quoque diximus, quæ lingua in multis *Germanicæ* linguæ est dissimilis, ut (*uff*) (*steb*) *dilectus*: *op*, *uff* (*super*), *neat* (*nacht*), *vox*: *hulp*, *hilff* *auxilium*, &c. Unde refert Cæsar lib. I. *Regem Ariovistum* ex diutino usu didicisse linguam *Gallicam*. Fuit enim ea in interioribus *Galliæ*, velocissima prolationis, juxta *Rhenum* vero & in *Helvetia* tardiorē habuit prononciationem. Porro ultra *Rhenum* in *Germania* ipsa adhuc tardius proferebatur, potissimum in *Bavaria* & *Austria*. Nam illarum Regionum habitatores utuntur literis ad superfluitatem, proferuntque *Germanicam* linguam tardè, latissimè simul oris rictum distendentes. Sic itaque *Germanica lingua versus ortum solis continuo tardiorē habet prolationem*, in *Gallia* autem citissimam habuit olim, & hodie quoque habet, ubi adhuc *Germanicè* loquuntur. Porro ob linguam communionem, quam olim habuerunt *Galli cum Germanis*, appellaverunt *Romani Teutones*, præsertim in *Suevica* Regione ultra *Rhenum* habitantes, *Germanos*, hoc est, fratres, quod scilicet *Gallis* in lingua, moribus & quibusdam ritibus conformes essent. *Beatus* tamen *Rhenanus* putat, *Teutones Germanos dictos à Teutonicis* dictionibus, quasi *garmani* id est, *totus virilis*: verum hanc opinionem rejicit antiquus ille *Geographus Strabo* lib. VII. in hunc modum scribens: *Germani nonnihil imitantur Gallos, excellenti gravitate & magnitudine corporis atque pallido colore, sed & aliarum rerum specie, moribus, consuetudinibus, vitæque conversatione, quapropter Romani justè illis nomen tribuerunt Germania, perinde quasi vocarent eos fratres. Nam genuinos fratres Romani vocant germanos*. Hactenus *Strabo*. Nec obstat nostræ sententiæ quod interdum per *Cæsarem*, *Liivium*, *Suetonium*, *Plinium* & alios quædam nomina *Gallica* virorum aut mulierum aut aliarum rerum commemorantur, quæ jam *Germanicæ* linguæ non videntur esse consona, quapropter quis cogitare posset *Gallos* olim alia fuisse usos linguam, quam *Germanica*: hæc, inquam, neminem movere debent sed hic cogitandum, dictos *Historicos omnes Italos* fuisse, qui non facile potuerunt nomina & verba *Germanica* juxta suam genuinam prolationem scribere & prononciare, addentes semper aliquid aut detrahentes: ut, si *Germanus* jubeat *Italum* proferre *Rnecht*, ille dicet *negt*. Sed & memorati *Italici Historiographi* hoc unum curarunt in *Germanicis* dictionibus, ut terminationes earum formarent juxta morem *Latinarum* dictionum, per quod illæ formam suam naturalem amittentes, obscuræ & imperceptibiles redditæ sunt. Item hæc vox *Rudprecht*, quæ

Germanica est; si jubeatur proferri ab aliquo Italo, ille more suo pronuntiabit Robert; sicut & nomen Robertus hinc derivatum est: nam ille non poterit aliter pronuntiare nomen Rudprecht: Sic ex Adelprecht Italus fecit Albertum, ex Sigprecht fecit Simpertum; ex Wildprecht Philibertum; ex Humprecht Hubertum, ex Lamprecht Lampertum, ex Trutprecht Truperium ex Gosprecht Gospertum, & ita de aliis multis, quæ nomina scimus ortum sumpsisse ex Germanica lingua. Cum autem Germanica nostra lingua Italis & Græcis nihil sonet, illi pro arbitrio suo torquent & formant nomina nostra, ut volunt. Hinc est quod nec Cæsar nec alii poterunt scribere Germanica nomina & dictiones secundum naturam & proprietatem earum, & nos Germani ubi tales dictiones invenimus, cogimur conjectura quadam uti, & ex verborum sensu elicere ipsam Germanicam vocem, Scribit Plin. lib. XVIII. cap. 18. Gallos adinvenisse formam aratri cum rotis, quam in sua lingua vocant plammorate, quæ vox Germanica est, sed male scripta, debet enim esse Pfugrad; vel Pfug mit rad; quas voces Plinius juxta Germanismi proprietatem eloqui nequivit. Rursum idem Plin. lib. III. c. 15. aut 16. dicit pades Gallicæ esse, Latine piccam arborem, quæ scilicet fert picem, ubi ex Pech (sic enim vocamus picem) fecit pades. Ab hac quoque voce fluvius Poy habet nomen Padus, quod juxta originem ejus crescant plurius piciferæ arbores. Scribit tamen Plinius eodem capite, Ligures, qui & ipsi Galli fuerunt, interque Gallos habitaverunt, memoratum fluvium Padum sua lingua, quæ Gallica fuit, nominasse Bodincum, quod idem Polybius testatur lib. 2. sonatque Latine fundo carentem. Fuit, & civitas quædam hinc appellata Bodincomagus, sita juxta fluvium Poy. Fundo autem carere, Germanicè sonat, Boden manglen; quæ voces magnam habent consonantiam cum Bodincomago. Rursum scribit Plin. lib. XVII. cap. 6. Marga Gallicè, esse Latine terræ adipem, Germanicè Erden Marg seu Rym. Et lib. III. cap. 16. idem scribit, Eporedicas in Gallia lingua sonare idem quod Latine bonos equorum domitores, quod Germani vocant, Abrichter der Rossen. En vox ista Abrichter vocatur corruptè à Plinio Italico scriptore Eporediker. Item Suetonius in Galbam c. 3. scribit, Galbam esse vocem Gallicam, sonareque Latine præpinguem. Sic enim in hunc usque diem præpinguis apud nos irrisoriè vocatur Rath; id est, vitulus. Iterum Suetonius in Vitellium c. 18. scribit, Beco esse vocem Gallicam & Tolosanam, signareque Latine rostrum gallinacei, quod nos jam vocamus Schnabel; etiam à beco quoque dicamus Becken; id est, rostro ictum facere, quod avium propriè est. Scribit quoque Polybius, populos Gestatas Gallica lingua sic vocatos, quod mercede conducti in militiam ierint, sicut & in hunc usque diem conducti servi vocantur Bessel seu Bissel; qui pro certo & convento precio ad exequendum aliquid constituuntur. Ex his facile quisque advertere poterit, privatas voces omnes ex Germanico derivatas sermone, Gallicamque linguam olim eandem fuisse cum Germanica. Quod autem Historici eas dictiones plerumque perperam scripserunt, hujus jam reddita est ratio. Quin & Cornelius Tacitus in libello qui intitulatur de Germanorum moribus, annotavit quoque nonnulla Germanica voca-

bula, sed quæ pari modo, ut superiora, lacera & manca inveniuntur. Is enim perpetuò est Italorum usus, ut nostras voces nec scribere rectè, nec eloqui valeant. Hic autem Tacitus scribit baritum pro brech; nerthum pro Erd; frameam pro Pfriemb; &c. Præterea omnes Germaniæ urbes habuerunt procul dubio Germanica vocabula; sicut & hodie habere inveniuntur, ut sunt Nürnberg; Marchburg; Brandenburg; Lünenburg; Magdenburg; Würzburg; Drunschweig; Hildesheim; Stuttgart; Ruttlingen; Franckfurt; Erdfurt; Schweinfurt; &c. Ptolemæus verò Germaniæ celebriora loca recitans, paucorum nomina commemoravit; quæ ulum germanismum resipiant, nisi quod in quibusdā finalem terminationem non mutavit, ut sunt Saciburg; Asciburg; Berg; Tulsfurt; Eupfurt; Wonnogart; at reliqua nomina quæ ponit in nullo resipiunt germanismum. Sunt autem ista, Phileum, Seturanda, Tecelia, Phabinnum, Treva, Leuphana, Lirinitis, Marionis, Cognognum, Cistina, Alistus, Bunitium, Virunum, Rhugium, Scurgum, Eucacadis, Navalia, Mediolannm, Tuderium, Bogadium, Stereuntium, Amisia, Munitium, Mœvium, Aregevia, Galegra, Susudata, Colancorum, &c. & alia quamplura, quæ omnia recensita & ommissa, germanismum resipere debuerant, si rectè & juxta Germanici sermonis proprietatem à Ptolemæo scripta fuissent. Nunc autem cum ipsemet ea nomina non intellexerit, nec certè nec rectè potuit pronuntiare, neque justè literis comprehendere. Sed ferendum hoc est atque connivendum ei, cum Græcus fuerit atque extraneus. Eadem ratio habenda est in Latinis Historiographis, qui mentionem faciunt multorum nominum Germanicorum, civitatum & populorum, sed quæ ab eis pro majori parte perperam scribuntur, nec juxta Germanicæ linguæ proprietatem sunt annotata, id quod accidit ex ignorantia ejus linguæ, ut etiam pleraque sic sint contorta & lacerata, ut nec Germanica sint, nec Italica aut Gallica. Quapropter in Germanica natione, nomina Germanica, quæ passim inveniuntur, magis sunt commendanda & in lucem producenda, quam inaniter versari aut occupari in vocabulis depravatis, & ad Latini sermonis normam detortis, atque ex Germanico sensu in aliam vocem mutatis. Sic enim ex Eageneshogen; quod vocabulum adhuc est in usu, videbis emergere Catos Melibocos, id quod Beatus Rhenanus pulchrè explicavit. Sic Württemberg Intvergi, Barregio Vargiones, Zeringen Caritni qui olim fuerunt Ducatus Carinthia in Brifgoia situs, confinis scilicet Friburgo; id quod dico propter aliam Carinthiam, quam Rernten vocamus, & olim habitatores ejus Carni vocati fuerunt, vicini Pannoniis. Libuit denique hinc & hoc adjicere, quod civitates & populi Germania semper habuerunt nomina Germanica, sicut & in aliis linguis & nationibus, locis nomina fuerunt imposita secundum cujuslibet linguæ tenorem: ut in Italia, Florentia, Bononia, Pisa, Alba, Ostia, Ferraria, &c. Sic in Græcia secundum linguæ illius proprietatem, & item in Judæa invenies nomina locorum esse Græca & Hebraica. Idem judicium est de aliis nationibus. Sunt tamen in Gallia & Germania quadam oppida, à Romanis vel reparata, vel de novo constructa, quæ retinuerunt nomina Romana, ut sunt Colonia Agrippina, Trophæa Drusi, Confluentia,

dia, Augusta Vindelicorum, Augusta Rauraca, &c. Non autem est mirandum, quod Græci vel Latini Germaniæ nostræ loca & nationes non genuinis suis nominibus expresserunt, cum nos Germani idem faciamus in appellationibus suorum locorum. Nam Italica loca plerumque perperam & corrupte exprimimus suis nominibus, ut Rhegium vocamus Rhæg. Bononiam Bolongen/ Mutinam Moden/ Faventiam Stens/ ad Puteum jurn Dusen/ Cæsaream Augustam Saragoßam / Finem terræ jurn sinthern Sternen/ Apuliam Pulten / Brutios Abrusen/ &c. plerumque detrahentes aliquid aut adicientes nominibus. Porro in nationibus nobis vicinis, Italica nomina sunt rectiora, quippe quæ consona sunt illi nationi & linguæ, nostra vero appellatio illis omnino est dissona, & è diverso in Gallia & Germania nomina Germanica sunt genuina, quæ verò à Græcis & Latinis Scriptoribus sunt data, corrupta atque depravata sunt, & ob id incerta, unde Germanica denominatio longe est præferenda Latinæ & Græcæ denominationi, eo quod antiqua Germanica & Gallica nomina, ab Autoribus non fuerint accommodata, locis & proprietati linguæ Germanicæ, sed magis ad Latinarum dictionum normam & terminationem detorta, aut verius depravata. In qua sententia mihi quoque subscribit doctissimus Henricus Glareanus præceptor meus colendissimus. Sed adhibenda sunt exempla. Certè *Cæsar cum reperisset Helvetiorum virorum nomina Græcis literis conscripta, quadam desinebant in x*, Græcam literam, quæ facit ch, eo quod plurima Germanica nomina hæc habeant finalem terminationem, qualia sunt Friderich, Henrich, Dietrich, Adelrich, Ulrich, &c. *quam finalem syllabam Latinus sermo ferre non potest, & propterea fecit Cæsar ex Græco x literam latinam x*, ut patet in his nominibus Orgetorix, Dumnorix, Cingentorix, Ambiorix, Vercingetorix, Eparedorix, quæ Gallica sunt nomina virorum: nam Orgetorix est Horderich vel Erentrich, Dumnorix, Dumerich, Cingentorix, Sinnentrich, Ambiorix, Emberich, vel Heimrich, Vercingetorix Versinrich vel Seersinrich, Eparedorix Fridrich. Scribit proinde non nihil Polybius Græcus lib. I. de quodam Gallo, quem nominat Autaricum, ea autem vox Germanicè sonat houptrich/ & hodie si cogereur Italus proferre vocem Houpt/ pro ea sonaret ou. Scribit & Cæsar lib. V. de quodam Gallo, quem appellat Cativulc, quæ vox Germanica est, nam sonat Gortvolck. Item lib. VII. Cotus inducitur, quæ vox est Gütö. Lib. 8. Cutruatus, id est, Gutrat vel Cunrad. Cicero in Orationibus & Cæsar lib. V. mentionem faciunt cujusdam qui vocabatur Induciomarus. Item Cæsar lib. VII. meminit Viridomari. Et Livius decad. III. libri I. vocat quendam Civilmarum, & decad. IV. libri 8. Combolomarum. Item Florus Epitome II. inducit quendam vocatum Britomarum. Omnes autem isti viri quorum nomina jam sunt citata, fuerunt Galli, & in eam terminationem apud Germanos multa quoque desinunt nomina, ut sunt Othmarus, Volmarus, Colmarus, &c. Putat autem Beatus Rhenanus *syllabam marus significasse olim meyer*, ut Dithmeyer/ Boltmeyer/ Induciomarus Hussmar/ Viridomarus Fridmar/ Civilmarus Einsmar/ Combolomarus Cunvolmar/ Britomarum Hartmar/ &c. Cæsar lib. VIII. Livius dec. 4. lib. 8. mentionem faciunt Lu-

therii, quæ vox est Germanica Luthher/ id est Lotharius. Livius dec. I. lib. V. ponit Belloves, Wasduvns/ Sigoves, Siguvns. Item dec. IV. lib. 8. Ortiago, Nordtaq/ vel heruwig. Cæsar lib. I. Divico Duffwig/ Castigo Gasswig: & lib. 5. Vertico Werdwig. lib. 7. Ollovic Allwig/ Litavic Lurtwig/ & hodie Endwig. Livius dec. V. Cincibilus Zinsubel/ Dec. VII. lib. I. Bituit, id est, Bütvnt. Justinus in Pompejum Trogum lib. XLIII. Senanus Sunmann, Commanus Sunmann/ Caromandus Garmann. Livius dec. IV. Corolamus Curtimann. In hanc quoque syllabam desinunt Hermann/ Hartman/ Gutman. Item Cæsar lib. I. Numerus Nuvmen/ Verodoctus Werdhoch/ Cataman taledus Caltenmantel. Scribit præterea Strabo lib. IV. Celtas in Gallia à sui æstimatione adeptos hoc nomen, quod fortassis reliquis nationibus celsiores æstimati fuerint, & ideo Celtæ appellati. Polyb. lib. IV. & Livius dec. IV. lib. 8. scribunt de quodam Gallo, cujus nomen fuit Brenno: est autem Brenno Germanicum vocabulum. Meminit quoque ejus Strabo lib. IV. asserens eum à quibusdam appellari Præsum: est autem præsum in Italica lingua idem quod brennen/ id est, comburere, in Germanica. Item Livius dec. III. lib. I. Mænicaptus, Mannshoyt vel Menschenkopff. Dec. IV. lib. 8. Lomnorius, Lonherr vel Löwenherr/ unde postea natum est nomen Leonhardus. sicut ex Bernherr/ id est, *urforum Dominus*, olim deductum fuit nomen Bernarius, quod modo nominatur Bernhardus. Sic Erasmus Rot. putat *nomina ab ingenio dicta*, quibus nos aspirationis nimis avidi, h. apposimus, ut,

Löwen	art	Nich	art	Er	art
Bern	art	Gott	art	Kern	art
Wolff	art	Engel	art	Geb	art
Geyr	art	Eber	art		

Meminit præterea Polyb. IV. cujusdam Galli qui Cavarus fuit vocatus: & Cæsar lib. V. etiam mentionem facit Galli, cujus nomen fuit Cavarinus: & lib. VII. Cavarillus, quæ omnia unum sunt nomen, quod in inferiori Germania vocatur Gever/ & in superiori, Gåbert/ & hinc compositum est nomen Gebhardus. Cæsar lib. I. scribit de Anovisto Germanorum Rege, & Polyb. lib. II. scribit de Aneroeste Gallorum Rege: en uterque Autor nequivit ex ignorantia Germanismi rectè proferre & scribere hunc Regem, qui absque dubio fuit *Ernestus*, vulgare in Germania nomen. Antiqui deniq; Gallicum olim in Italiam primam fecissent profectio, condiderunt juxta montem quendam civitatem, quam & à monte ipso Bergomum vocaverunt. Et ut in summa dicam, omnia *Gallica nomina* quæ à vetustioribus Autoribus citantur, plurimum alludunt Germanica lingua: & ob id non frustra asserit Strabo, *Germanos Gallos esse in moribus conformes, esseq; fratres eorum*, id quod probat nomen Germaniæ, lingua ipsa, similis conversatio, morumque conformitas, quæ tanta olim inter utramque nationem fuit, ut parum discriminis licuerit invenire inter hunc & istum populum, ut supra fusius declaravimus. Ostendimus quoque supra, non omnes Gallos acceptasse linguam Italicam, sed quidam manserunt in lingua sua vetusta, puta Germanica, præsertim Helvetii & Cisrhœnani. *Ex Helveti tamen quidam olim acceptarunt linguam Romanam*, potissimum illi, qui habitant in tractu illo, qui à Gebenna

benna extenditur usq; ad Friburgum & Bernam, quæ civitates longè post extractæ fuerunt & hi usque in hunc diem tenent linguam illam à Romanis introductam. Qui verò habitat è Regione Valleisæ superioris, per longum terræ tractum usq; ad Vespian, & hinc per Brig/Maders/ Munster/ Bomsch/ usque ad Rhodani ortum, omnes adhuc tenent avitam suam Gallicam linguam, hoc est, Germanicam, quam nunquam abnegarunt, quantumlibet altissimis cincti montibus, à reliquis Germanis quodammodo sunt sequestrati, nec eos facile possint adire, nisi prius apices Alpium transcenderint, per quos illis aditus patet ad Uranos & Bernates. Habent alioquin intra montes planiciem pulchram, & sunt eis in descensu Rhodani confines alii Valleisæ, cum quibus quotidiana ferè exercent negotia: at illi omnes utuntur in moderna Gallica lingua, ut sunt incolæ Bispach/ Raren/ Siders/ Loug/ Sitten/ & habitatores totius tractus Sedunorum, qui communiter hodie appellatur Valleisæ, & vulgò Vallis. Et si ultra processeris, venies ad inferiores Valleisæ, qui olim Veragri appellati fuerunt, ubi scilicet sunt oppida Gündis/ Martenach/ S. Mauritius, &c. qui omnes hodie Gallica & Subaudiensi utuntur lingua. Scribit Livius decade III. lib. I. quòd suo tempore Veragri jam memorati fuerint semigermani, quantum attinet ad linguam. At in eo loco nemo hodie intelligit Germanicam linguam, neque in superioribus, ut jam quoque diximus. Porro in locis adhuc inferioribus, nulla alia præter modernam Gallicam intelligitur lingua. Elicitur ergò ex Livii verbis, Romanam linguam in illis locis invivisse, Germanicam autem sensim defecisse: quin tempore Livii populi infra Veragros in Gallia partibus habitantes, jam pro majori parte acceptaverant linguam Romanam, eamque extenderant usque ad Veragros, qui sunt Valleisæ inferiores, habitantes juxta montem Pœninum, qui hodie mons Sancti Bernhardi appellatur, ubi scilicet eo tempore Germanismus atque Romanismus commixti erant, & tandem ibi utriusque linguæ limes est factus. Cum itaque Livius Veragros appellet semigermanos, satis indicatur propter linguas eos sic appellatos, & quòd Galli atque Germani unam habuerint linguam, nempe Germanicam, quæ etiam in hunc usque diem utuntur superiores & Præsides qui sunt in Valleisæ, nec unquam illam ablegarunt. Præterea non invenitur, populos illos tanquam colonos illuc aliunde & extra Galliam translatos fuisse. Nec voluit Livius dicere, Veragros natione fuisse Germanos, quando eos vocat semigermanos, cum longè distiterint à Germania, nempe itinere quatuor dierum, tantum enim tempus opus est cursori, qui à Veragris recta petit Rhenum Germaniæ limitem, interposita magna Gallia Regione, puta Helvetia & Rauracorum agro. Sed nec usquam invenitur, tempore Livii, aut ante eum, Germanos in illa Regione ullum habuisse prædium aut possessionem. Scribit Cæsar lib. III. se habuisse exercitum in Veragrorum terra, nempe Ofohuri, qui locus hodie Martenach/ appellatur, qui & aliquandiu ibi perstitit & pugnavit. Item cum Cæsar Helvetios devicisset, misit reliquias domum, hoc est, in Helvetiam, ne scilicet venissent Germani & occuparent eorum loca. En, si Germanis non fuit concessum à Romanis habitationem quaerere in Helvetiorum terra, multò minus licuit

eis nidificare in Valleisæ loco distantiori. Licebit denique à locis petere efficax & elegans argumentum, Gallos olim usos Germanica lingua, à locis, inquam, & oppidis, quæ hodie locantur inter eos, quæ loquuntur vel Italicè vel Gallicè, oppidorum autem illorum habitatores loquuntur sicut & semper locuti fuerunt, Germanicè, ut sunt hi, qui habitant propè originem posterioris Rheni, & qui habitant circa fontes Rhodani. Quin & ultra Alpes apud Insubres, qui hodie Lombardi vocantur, in valle Sesia, in qua amnis Sessites oritur, est magna parochia Presmello appellata, quæ Germanica utitur lingua. Item in valle Oscela, quæ vulgò appellatur Eschenthal est magna parochia, dicta Bonmat/ & pars quædam est in valle Antegoria, ubi omnes habitatores Germanicè loquuntur. In valle quoque quæ vulgò Meintal/ vocatur, est parochia quædam in qua homines Germanica utuntur lingua, etiam cum nullà ex parte limites attingat Germania. Et certe hi omnes reliquæ sunt antiquorum Gallorum, qui olim citra & ultra Alpes habitaverunt, & fortassis ob id à Romanis neglecti fuerunt, & ad Romanam linguam minimè coacti, quòd solitudinibus essent cincti, & nullis publicis itineribus expositi, & propterea in tranquilla possessione dimissi, sicut & bona pars Helvetiorum, qui omnes præscam & nativam retinuerunt linguam. Alioquin unde putas Germanicam linguam ultra Alpes translata, nisi per antiquos Gallos? præsertim cum illarum vallium & locorum habitatores ignorent unde descenderint, & constanter affirmant, se & majores suos semper Germanicè locutos. Afferit etiam Polybius lib. II. paucos olim cum Romani Gallos ex Italia pepulissent, remansisse juxta Alpes Italia, atq; illic collocasse sedem. A Presmello vallis Sesia parochia, ubi omnes loquuntur Germanicè, usque ad Vercellam vel Novariam non est nisi unius diei iter. Est proinde in Lombardia non longè à lacu Verbano, villa quadam nomine Brnavasch/ in qua incolæ quoque loquuntur Germanicè, sed non sunt ex antiquorum Gallorum reliquiis, quin magis intra aliquot annorum centenarios, veluti proscripti ibi sedem fixerunt, cum scilicet quidam Germanus Imperator limina visitaret Petri & Pauli, & illi gratiam ejus obtinissent, tunc, inquam, fuit eis locus ille sub certis conditionibus & legibus concessus, idq; ab Imperatore Otone, si re ad memini, à quo & privilegia habent suæ locationis, id quod mihi retulerunt incolæ illius loci. Sciendum præterea, modernos Gallos interpretem appellare Trutschmann/ quæ vox non est derivata à lingua Latina, cum nihil affinitatis habeat cum voce interpretis, sed magis videtur esse Germanica, significans Trutschchen Mann/ hoc est, Germanicum Virum, relicta inter Gallos à priore sua Germanica lingua. Nam cum Romani aliquos habuerint qui calluerunt Gallicam linguam, ut Cæsar scribit, appellaverunt procul dubio Galli talem interpretem Trutschchen Mann. Habuerunt proinde Galli nomina Teutonica, ut sunt Teutomatus, de quo Cæsar lib. VII. & Teutomalius, cujus meminit Florus in epitome VII. deca. Livii, quæ nomina Teutonismum præseferunt, non quòd velim ex Gallis facere Teutones, sed quòd usi fuerint lingua Teutonica, sicut nec omnes Germani natione Teutones censetur, sed linguæ communione, cum Teutones privatum quendam in Germania occupent tractum, hand secus

secus quam Latini in Italia, & tamen tota Italia olim usa fuit Latina lingua, at propterea non omnes natione censébantur Latini, sed lingua tantum. Scribit denique Polybius lib II. Venetos juxta mare Adriaticum habitantes, olim moribus & vestitu Gallicis in Italia habitantibus fuisse per omnia conformes, excepto, quod in Lingua cum eis non communicarunt, unde colligitur, Gallos tunc aliam habuisse linguam, ut in superioribus jam sæpius commemoravimus.



Clarissimo atq; Doctissimo Viro,

DOMINO

BEATO RHENANO,

ÆGIDIUS TSCHUDUS

à Glarona.

S. D.

BIS reddita sunt mihi literæ tuæ, Vir humanissime, una cum libello gestorum Arminii; sed cum primas accepissem non potui mox respondere, impeditus Gallica legatione quæ & quadrimestri tempore me retinuit. Reversus autem ne deessem amico, volui brevibus respondere, quid mihi in quibusdã locorum & populorum nominibus videretur. Et principio quidem, cum tibi videatur *Lentenses non esse Lintzgoios, juxta lacum Podamicum habitantes, sed magis eos, qui habitant circa oppidum Lengstich* magis mihi tua quam mea arridet opinio, atque ob id libens cedo. Deinde cum scribas, me nimium tribuere Straboni Viro Græco & externo, quando ille dicit, *Germanos sic dictos, quod fratres fuerint Gallorum, ob morum conformitatem, &c.* referam quid me moverit ad credendum huic Græco Autori externoque Viro. Primò, *Strabo diligentius conscripsit Alpes, Alpinas gentes, Rheni ortum, lacum Podamicum, Helvetiorum, Rhætorum, Vindelicorum, Gallorum, Germanorum, Itolorum, atque aliorum populorum Regiones, quam nullus fecerit Latinus Autor*; diligentissime singulorum populorum loca & situs commostrans, non quod sua persona has Regiones omnes lustraverit, sed Germani quidam & Galli hæc omnia sibi suppeditaverunt, aut certè ingeniosi quidam milites, qui bellorum occasione omnes istas lustrarunt Regiones. Vide quæso quam oscitanter Cæsar describat ortum Rheni & cursum ejus, negligens & Rhætos apud quos oritur, & lacum Podamicum quem efficit. Tacitus quoque & Ptolemæus nullam faciunt mentionem de hoc lacu: & Mela obiter meminit nominis ejus. At Strabo diligenter eum describit, referens etiam qui populi & Regiones ad illum usque pertingant. Si ergo Vir ille in minutis his disquirendis tam diligens fuit, quis dubitet eum non diligentorem fuisse in inquisi-

tionem magni illius Germanorum nominis? Et hic quidem nihil ex cerebro suo, sed quod alii experti Viri ei suggererunt, hoc scripsit. Commendanda est igitur hujus Græci Viri diligentia, & magnis præconiis extollenda, & nequaquam tantus Autor contemnendus, quod longè a nobis diffusus fuit. Si in minutis rebus verax deprehenditur, ut jam indicavimus, quis non credat ei in majoribus, præsertim in his, quæ de Germanorum scripsit nomine? Vixit quidem ante Tacitum, & ob id verisimiliora sunt verba ejus, quam Taciti, qui scribit nomen Germaniæ vocabulum esse recens, etiam cum Cæsar & alii quamplures longè ante eum mentionem fecerint Germanorum. Quin & Livius indicat se reperisse apud antiquos Autores, tempore Tarquini Prisci, Germanos in Italiam profectos, &c. Unde igitur est, ut Tacitus ex Germania novum faciat nomen, nisi quod somnium capitis sui scribit, sicut & de origine Judæorum & veneratione Christianorum similia prodidit somnia? ob id Tertullianus in Apologetico cap 16. eum reprehendit, vocatque *vabulam mendacem*, id quod Straboni ab antiquis Autoribus nunquam factum legimus. Verisimile igitur videtur esse id, quod scribit de Germanis, nempe *eos à Gallis Germanicè loquentibus vocatos fratres*, qui usus apud Helvetios quoque hodie invenitur. *Et cum postea Romani Galliam obtinuissem, didicerunt à Gallis nomen illud, transuleruntq; in linguam suam, & vocaverunt fratres illos, Germanos.*

Deinde Tacitus non aperte dicit, neque interpretatus est, *nomen Germania esse Germanicum vocabulum*, ut sit idem quod *Garman* id est, totus vir, cum alioquin Germanica vocabula verterit in linguam Latinam, qualia sunt, *brecht / herd / pfriem / &c.* Quare igitur & præcipuum vocabulum Germanicæ nationis non vertit in Latinam linguam, si est Germanicum? Notata fuisset proinde in Majoribus nostris magna ambitio & præsumptio, si sese hoc ambitioso nomine reliquis nationibus prætulissent, denominassentque *Garman*. Addo & istud, *vocabulum ipsum Germaniæ non sic omnino fuisse extinctum in Germania, si fuisset vox Germanica*, potissimum, cum fuerit summum & præcipuum vocabulum hujus gentis, posteaquam particularium gentium nomina non sint apud vulgares homines oblitterata, qualia sunt *Frisii / Friesen / Suevi / Schwaben / Saxones / Saxon / & alia quædam*, & tamen populi isti solum membra fuerunt totius Germanicæ nationis, sed retinuerunt in vulgari lingua nomina sua antiqua, etiam cum illa nihil significant in Germanica lingua. Quid igitur accidit ut interciderit summum Germaniæ nomen, si fuit compositum ex dictionibus Germanicis significativis, nempe ex *gar* & *Man*? Et certè nullus hodie in Germania invenitur populus, qui in ipsa Germanica lingua nomen retinuerit *Germania*, sed solum apud Latinos invenitur, hanc nationem Germaniam vocatam.

Tertio dicit Tacitus, *quod à seipsis invento nomine Germani vocarentur*, & quidem hæc verba Strabonis sententiam non nihil confirmant,

& non enervant, cum in hunc usq; diem hujus nationis consuetudo sit, à Majoribus veluti per manus tradita, ut sese in bellis fratres compellent, ita ut etiam Duces exercitus, quando milites alloquuntur, eos fratres vocent, quos Romani olim cõmilitones appellaverunt, & aliæ nationes more quoque suo vocant. Nam quum Romani olim tubis aut tympanis milites ad vigiliam adhortabantur, vel aliud quippiam intimare satagebant, dicebant: Audite populi, vel commilitones. Galli verò clamant: O compagnoni, id est, heus socii: & Helveti sic, also ihr Herrn, id est, heus o Domini: alii autem populi suos acclamant more suo. At Germani ab antiquo milites suos sic acclamant: Also ihr Brüder, hoc est, heus o fratres: unde procul dubio ab exteris nationibus & antè multa tempora illis datum est Germaniæ nomen. Et hic quidem mos est Helvetiorum, ut Germaniæ populos fratres vocitent. Consonat quoque sententiæ Strabonis, quod *Romani vocabulum Germanorum populorum semper acceperunt pro fratribus*. Vellejus Paterculus lib. II. ubi mentionem facit de execratione, quæ Consulibus Lepido & Planco triumphantibus fiebat, quorum fratres proscripti erant, ait illis acclamatum: De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Consulibus, ubi loquuntur obscure de fratribus Consulibus, & per iocum incessunt Consulibus ipsos, perinde quasi Germanorum populorum victores fecerint triumphum. Si itaque vox Germanus, fuisset vocabulum Teutonicum *Garman* / minimè quadrasset huic ioco. Dicit proinde Tacitus, *Germaniam frugiferarum arborum esse impatientem*, & quidem fieri potest, quod suo tempore nulla talis arbor in ea plantata fuerit, nihilominus terra ipsa semper fuit, & est hodie in multis locis frugifera feraxque vini, ut in Franconia, juxta Neccarum & alibi. Cum itaque proprios antiquos Autores non habeamus, qui Germaniam ipsam describerint, sed confugere oporteat ad externos, Latinos & Græcos, videtur mihi Strabo omnibus præferendus, qui diligentius cæteris quæque investigavit.

Johannes Aventinus, qui Bavaricæ antiquitates descripsit, & vetusta nomina diligenter elucidavit, in hoc uno mihi non satisfacit, quando scribit: *Augustam Vindelicorum non esse eam, qua hodie locatur prope Licum, quodq; Vindelici circa Licum versus lacum Podamicum nihil dominii habuerint, sed juxta Ptolemæi sententiam habitarent inter Licum & Annum*, id quod omnino est contra sententiam Strabonis, qui scribit: *Vindelicos attingisse lacum Podamicum*. Facile quidem assentior, tempore Ptolemæi & antè, *Vindelicorum tractum inter lacum Podamicum & Licum, jam Rhetorum Regionibus assignatum, & omnes has Regionibus in unam redactas Provinciam*: sicut & apud Helvetios postquam intercidit nomen ipsorum, pars quædam Sequanorum Provinciæ fuit ascripta, nam Ptolemæus ponit *Aventicum inter Sequanos*, quod tamen tempore Taciti *Helvetiorum Metropolis fuisse scribitur*, & pars alia fuit Rheticæ adjuncta, sed quæ postea Alemannis, unâ cum memoratis Vindeliciis, qui sedem habuerunt inter Licum & lacum Podamicum, sese obligavit. Quod vero Aventinus illam terræ portionem contra Strabonis mentem dicit perpetuam Rhet-

tiam fuisse, & Augustam in ea sitam, *Augustam Rhetorum vult esse*, statuens interim *juxta amnem Iseram aliam Augustam Vindelicorum*, nullo fulciri potest Autore. Hoc enim pacto liceret arguere ex Ptolemæo, *Aventicum nunquam Helvetiorum fuisse, sed Cannodurum tantum & Forum Julii, juxta Rhenum atque intra Helvetiorum limites sita*: sic enim Ptolemæi tempora locata deprehenduntur. At ex Antonini Itinerario facile probatur, hanc eandem *Augustam quæ juxta Licum collocatur, Augustam esse Vindelicorum*, quæ & illo tempore adhuc habuit nomen Vindelicorum, non obstante, quod *citra Licum in provincia Rhetorum sita esset*. Nam erant adhuc illius Regionis habitatores *Vindelici, etiam si Rhetica Provincia accenseretur*. Ponit proinde Antoninus duo itinera, unum à ponte Eni Ilinisca 20. M. p. Ambre 32. M. p. Augusta Vindelicorum 27. Aliud à Blodro Quintianis 24. M. p. Augustis 20. Regio 24. Abulnia 20. Vallato 18. Summuntorio 16. Augusta Vindelicum 20. M. p. Describit quoque itinera quædam, quæ ab Augusta Vindelicum ultra progrediuntur, unde facile conjici, imò inferri potest, Augustam ipsam non juxta Iseram, sed juxta Licum sitam. Tantum de nomine Germaniæ.

Emendanda in hoc libro.

Ubi scripsi de *Ostoduro Veragrorum*, qui locus hodie vocatur *Martenach* / opus est castigatione: nam *situs ejus non est juxta Rhodanum, sed nonnihil elongatur ab eo, locaturq; supra amnem quendam, à monte Pœnino derivatum, qui postea quoque miscetur Rhodano*.

In probatione Pœnini, omisi citationem itinerarii Antonini, quod plurimum huic loco conducit.

Distinctionem seu divisionem pagorum Helvetiorum in Mappa, feci secundum conjecturas, incertus num *Bötsland / Friburg / Bern* / & quicquid locorum est juxta *Sanam & Arolam*, olim pertinuerint ad Antuates. *Videntur tamen mihi Antuates olim ea occupasse loca, qua hodie vocantur die Waat. Incipit autem tractus Waat à Verfois juxta lacum Lemannum, & extenditur secundum eum lacum usq; ad Valfesiam, ac deinde recurvat ad lacum. Neuenburgensem, vergens usque ad Murtten / complectens scilicet Yverdon, Stâsis / Milden / Wetterlingen / Wisispyrg / & Murtten / vocaturque Gallicè Pais du vaur. Putant autem Galli per Vaur intelligi vallem, cum tamen nulla sit vallis juxta lacum Lemannum. Est igitur Vaur & Waat vestigium nominis Antuarum, etiam si Galli torqueant vocabulum ipsum, ut in lingua sua aliquid significet.*

De Equestri Colonia, quam Plinius Belgis ascribit, jam nonnihil quoque dicendum. Et quidem Plinius ponit *Juram* / limitem inferiorem *Narbonensis & Belgicæ*. Equestres autem, ut Antoninus aperte dicit in suo Itinerario, sunt citra *Juram juxta lacum Lemannum*. Ptolemæus quoque ponit eos in Belgica, inter Sequanos, sicut & *Aventicum, & dicit Lemannum lacum esse in limite inferi-*

feriori Narbonensis atque Belgicæ, unde infertur *Equestres sedem habuisse in latere illo Lemanni quod Juram respicit. Locus autem ille conjicitur esse Nevidunum*, sicut & liber Provinciarum meminit Neviduni Equestrium, quæ civitas *hodie vocatur Nevis*, in Gallica lingua *Nean*. Sunt autem à Nevis ad Lofannam sex parvæ leucæ, quæ faciunt 22. M. p. poteruntq; equestri itinere superati tempore quinque horarum & dimidiæ, itinere nunquam à lacu deflectente. Et Antoninus ponit ab Equestribus lacu Lausuno 20. M. p. quæ distantia nihil ferè differt ab ea, quæ est inter Nevis & Lofannam. Hoc tamen me hic urget, quòd Antoninus primum commemorat Equestres, ac deinde lacum Lausunum, perinde quasi ab Equestribus trajecerit lacum ad Lausunum, alioquin si prius ad lacum venisset, fecisset illius mentionem, aut si per Gebennam & terram ipsam profectus fuisset, urbem quoque ipsam commemorasset. Hac itaque ratione habita, Equestres sedem habuisse videntur citra lacum circa civitatem Dunoy, quæ vox nomini Neviduni non malè respondet, & tunc nomina Dina atque Bodontii pop. essent in tabula nostra è situ suo expungenda. Non enim parum me movere liber Provinciarum, qui nominat civitatem Neviduni, ubi mihi videtur locus esse Dunoy. Illa enim, si urbis magnificentiam & splendorem spectes, dignior est nomine civitatis quàm Nevis. Habet proinde Regio illa titulum, *Pais du Gauot*, vel *Pais du Chabent*, & terra ipsa vocatur *Chablois*, idq; fortassis à caballo, id est, equo, unde *Et incolæ Equestres sunt appellati*. Neque ineptè poterit civitas Dunoy assignari Sequanorum provincia, quòd scilicet situs ejus sit citra Lemannum lacum, quandoquidem sub Archiepiscopatu Bisantino sit *Episcopatus Bellicensis*, qui Gallicè Belley vocatur, & qui adhuc longius in Meridiem extenditur, infra Tarantios scilicet sedem consecutus. Possibile autem est quòd *Episcopatus ille olim à Dunoy translatus fuerit in Belley*.

Notandum quoque hic, quòd liber Provinciarum ponit quinque civitates in provincia Sequanorum, nempe Metropolim *Vesontium*, vulgò *Dyffans*, ubi est *Archiepiscopatus*; Nevidunum Equestrium, Dunoy vel Nevis; Aventicum Helvetiorum, *Wissispurg*, quòd jam defecit; Noideno lex Aventicus, *Muwensstatt* juxta lacum Gebennensem, aut Lofanna, ubi est *Episcopatus*. Nam utraque civitas situm habet intra limites Antuarium, *Basilea*, *Basel*, &c. Deest itaque diocesis *Aventica*. Posset verò aliquis rursum moveri inscriptio illa quæ est in *Verfois*, qui locus distat à Nevis 2. M. p. Nevidunum idem esse cum Nevis, cum tamen inscriptio illa, ab illo lacu latere à Colonia Equestri, *Quadrumviro à Sissi*, *Valerio Asiatici liberto*, ex Testamento sit erecta. Verùm hæc tuo acri relinquo judicio, cui & libenter subscribam, sciens me crassioris esse ingenii, quàm qui tricam illam dissolvere queam. Porro *Sissi civitas situm habet juxta Rhodanum*, inter Gebennam & Lugdunum.

AUTHORES

Equibus Vetera Hæc Nomina
desumpta sunt.

HELVETII populi, Schweizerland oder Endogenosschaft. *Cæsar, Strabo, & alii.*

Eorumpagi quatuor, ait *Cæsar lib. I.*

J. Rauracum pagus Zurgho. Locus suspectus. Cæsar de ortu Hercyniæ sylvæ, & Solinus cap. 18.

In eo continentur.

Arbor felix oppidum, Arbon. Antoninus Augustus in Itinerariis.

Acronius lacus ex Rheno, der Bodensee. Pomponius Mela lib. III.

Cannodurum civitas Constentis. Locus suspectus. Ptolemaus.

Fines oppidum Pfin. Antoninus Augustus.

Vitudurum oppidum, Wintertshur. Antoninus Augustus.

Venerus lacus ex Rheno, der Undersee / oder Zellersee / Mela.

Forum Tiberi, Zurzach. Ptolemaus, sed potius crederem Zurich esse.

Eremus Helvetiorum, Rlectgöw / Schwarzwalds Anfang und Hegöw. Ptolem. Tacitus.

J. Tigurinus pagus, Zurichgöw und darob gegen Alpen. Cæsar, Strabo.

In eo continentur.

Tugini, die Zuger. Strabo.

Cimbrorum reliquia, Schwyz. Ajunt enim ex Suevia se ortos. Est autem Suevia Cimbrorum insula. Cimbro in Helvetiis inter Tigurinos & Tuginos consedisse, ait Strabo lib. VII.

Thauriscorum reliquia. Dren. Thauricos antiquitus sedes habuisse non longè ab ortu Rhodani, ait Polybius lib. II.

J. Verbigenus pagus, Ergöw. Cæsar.

In eo continentur.

Aquis oppidum, Obernbaden / ex veteri ibidem inscriptione, & Tacitus libro XVII.

Vindomissa civitas, Windisch / ein gebrochèn Statt. Tacitus Antoninus Augustus.

Arola fluvius, die Ar. Regio Prumiensis.

Salodorum oppidum, Solodorn / restatur vetus ibidem inscriptio, & Regino.

Vocetus mons, der Bögberg. Tacitus lib. XVII.

J. Antuarium pagus, die Wat und Bchland. Cæsar, Strabo, Plinius.

In eo continentur.

Aventicum civitas Wissispurg in wältsch Avenzi. Tacitus, Ptolemaus.

Urbs, Deben. Regino.

Lemannus lacus ex Rhodano, der Genffersee. Cæsar, Strabo.

Jura vel Jurassus mons, der Jurten / Pirreport, Eberberg / Howenstein / in wältsch Jurat. Cæsar, Ptolemaus, Strabo & alii.

Trans Rhenum, & Lacum Podamicum.

Insula laci die Insel zu Lindau. Strabo.

Vindelicia, Eingsgöw penes lacum vocatur, extenditur autem usq; ad Lynum & Danubium. Strabo.

Lycus fluvius, der Lech. Strabo, Ptolemaus.

Suaneta populus, Schwaben ben Naadenspurg / olim Ducatus Ptolemaus, Plinius.

Tulingi populus Stüligen ein Landgraffschaft / & Nellenburg. Cæsar.

Danubius fluvius, die Donau. Cæsar Strabo.

Montes Arbona, uff der Bar. Tacitus.

Vargiones populi, Bar Landgraffschaft.

Nicrus fluvius, der Necker.

Hercynia sylva, der Schwarzwald. Cæsar.

Teltosages populus, Teck Herzogthumb. *Cesar.*
Invergi populus, Württemberg Herzogthumb / *Ptolemaeus.*
Carithus populus, Züringen Herzogthumim Drifsgöw. *Ptolemaus.*
Latobrigi populus, Eletgöw ein Landtgraffschafft / lat in clet converfum, ut quondam motis erat, pro Ludovic Elodovic / Hilperic Chilperic / Lothar Elorhar / &c. Erant enim Tulingi, Latobrigi & Rauraci finitimi Helvetiorum, ait *Cesar.*
Rauraci populus, die Bölcker am Rhinstrom zwischen Waldshüt und Basel gelegen. *Cesar, Strabo & alii.*
Augusta Rauraca, Duast / ein gebrochen Stadt. *Ptolemaus, Ammianus libro Provinciarum.*
Basilea, Basel / incertum an Sequani vel Rauraci sint.
Sequani populus, Sunggöw und Burgund / was an der Dubligt. *Cesar, Strabo & alii.*
Abivaldubis, sive Dubis, fluvius die Dub in Burgund. *Cesar, Strabo & Ptolemaus.*
Vesontium oppidum, Bilsanz / *Cesar, Ptolemaus.*
Arar fluvius, die Sona. *Cesar, Strabo & alii.*
Sebusiani populi, die Bölcker im Saffonerland ob Lyon / zwischen dem Rhodan und der Sona / ist die Herrschafft Burgopresso genant. Von diesen Sebusianis haben Sabaudiani den Namen empfangen. *Cesar libro I.*
Allobroges populi, Saffoy. *Cesar & alii.*
Geneva oppidum, Genff. *Cesar & alii.*
Lugdunum civitas, Lyon. *Ptolemaus, Tacitus.*
Bodiontii populi, zwischen Genff und Niderwallis am See. *Plinius* ist Bal Fonteney.
Dina oppidum Bodiontiorum Donoy am Genffer See. *Plinius.*
Centrones populi, Tarenteser Thal. *Cesar, Antoninus Augustus.*
Tarentasia civitas Centronum, in ihr wältsch Motier, das ist Münster genant / von wegen des Bischöflichen Gestifts. *Antoninus Augustus.*
Veragri populi, Nderwallis. *Cesar, Strabo, Plinius.*
Oktodurus vicus, Marenach. *Cesar, Antoninus Augustus, Plinius.*
Agannum, Sanct Maurigen *Regio.*
Seduni populi, Oberwallis. *Cesar, Plinius.*
Rhodanus fluvius, der Rhodan. *Cesar, Strabo.*
Salassi populi, Dugstal. *Strabo, Livius, Plinius.*
Graja alpes, der klein Sanct Bernharts Berg. *Strabo, Plinius.*
Pænina alpes, der groß Sanct Bernharts Berg. *Strabo, Plinius, Regino.*
Montes Jovis, idem Sanct Bernharts Berg. *Luitprandus Ticinensis.*
Augusta pratoria Salassorum, Dugst. *Plinius, Strabo, Ptolemaus.*
Bardum Bart. *Luitbrandus.*
Durius major fluvius, la Doria. *Strabo, Plinius, Ptolemaus.* Sunt autem duo ejus nominis fluvii, ait *Plinius libro III. cap. 15.* Alter ex Cetiis Alpihus labitur.
Lepontii populi, cis & transalpini *Cesar, Strabo, Plinius, Ptolemaus.*

Cis Alpes

Lepontii Viberi, Bölcker bey Ursprung Rhodans. *Plinius.*

Lepontii ad ortum Rheni, Bölcker bey Ursprung Rhing. *Cesar Ammianus.*

Trans Alpes.


Lopontini nomen retinentes Ewinerthal / in ihr Sprach / *Levontina*, sind bey Ursprung *Ticini*.
Lepontini, Eschenthaler / quorum oppidum est *Oscela*, in Welsch / dom. de *Oscela*, zu Teutsch / Züm / dannenher das Thal / *Val de Oscela*, genant / *Ptolemaus.*
Summa alpes, der Gotthard. *Cesar,*
Ticinus fluvius, der Tesin.
RHETII populi cis & transalpini, Eburwalen. *Strabo, Plinius.*
Cisalpini.
Rhenus fluvius, der Rhein. *Cesar & alii,*
Brigantinus lacus ex Rheno, qui & *Acronius* der Bodensee. *Solinus, Ammianus.*
Brigantii, die Bregenzer. *Strabo, Ptolemaus.*
Brigantium oppidum, Bregenz. *Ptolemaus.*
Rugusci. *Plin.*
Rhegusci, *Ptol.* } die Rhingöwer / jetzt Rhinthalser.
Estiones, Estnerberger. *Strabo.*
Sarunetes, Sarnganserland. *Plinius.*
Canini campi, Graupündterland. *Ammianus Marcellinus.*
Rhucantii, Prettigöw und Aspermont. *Strabo.*
Rhetico mons Prättigöwer Burg. *Mela.*
Atnatii, Tanerscher. *Strabo.*
Curia oppidum, Ebur. *Antoninus Augustus,*
Adulamons, der Vogel. *Strabo, Ptolemaus.*
Tinnetio vicus, Tingen. *Antoninus Augustus.*
Julia alpes, der Julien. *Tacitus lib. XVII.*
Septimus mons, der Settmer. *Eckardus Zenobita.*
Enus fluvius, der Yn. *Strabo, Ptolemaus.*
Hi cis & transalpini sunt.
Vennonnes, Binstgöw und Engadin / *Strabo, Plinius, Ptolemaus.*
Venusta vallis, iidem sunt. *Luitprandus lib. V. cap. 12.*
Trans Alpes.
Athesis fluvius, die Etsch / in ihr Sprach / *la Adese.* *Strabo, Plinius.*
Juga Rhetica, Wurmscher Joch. *Tacitus.*
Vennonetes. *Belstin. Plinius.*
Triumpilini, Triplenen. *Plinius.*
Murum vicus, Mur in Bregalien. *Ant. August.*
Clavena opp. Eleven. *Antoninus Augustus.*
Aduas } A. die Aada. { *Strabo.*
Abdua } *Plinius.*
Larius lacus ex Adua, der Chumersee. *Strabo, Plinius.*
Tarvesede vicus, Sanct Jacob in Clavenerrhal. *Antoninus Augustus.*
Reliqua versus Italiam & apud Insu-bres nomina quae hac continentur tabula.
Tridentini, Trienter und Etschländer. *Strabo, Plinius.*
Benacus lacus ex Mintio, der Gardsee. *Plinius, Ptolemaus.*
Mintius fluvius, lo Meinzo. *Plinius.*
Ollius fluvius, Jo Ojo. *Plinius.*
Camuni, Val Camunier. *Strabo, Plinius.*
Sevinus lacus ex Ollio. *Plinius.*
Lamber fluvius, el Lambro. *Plinius.*

Empolis lacus ex Lambro. Lago de Bus-
gnano.

Urbanus lacus ex Ticino: Lago majore, der lang
See. Plinius.

Bibitionum oppidum, Belleng. Paulus Diacon. lib
III. cap. 15. gestorum Longobardorum.

Agones populi, Ugonia, Polybius libro II.
Sessites fluvius, La Scia. Plinius.



DE
ROMANORUM
IN
RHÆTIA LITTORALI
STATIONIBUS,

AC
EX IIS VICORUM,
MUNICIPIORUM ET VILLARUM, QUI HODIE
SUPERSUNT ORIGINIBUS:

JOHANNES HEROLDI HOCHSTATENSIS,
COMMENTARIOLUS.

LOCORUM QUORUM ORIGINES EXPLI-
CANTUR, ET NOVA ET VETUS NO-
MENCLATURA.

Nunc	Olim.
Langingen	Leg. Aug. III. Præsidium.
Prens	Bajennæ.
Fenningen	Bajennæ præsidium.
Gundelssingen	Statio amica Bajen.
Tillingen	Gentilium Cat. in Lit.
Weysenhorn	Vena. Xman. agror.
Fahngen	Bajennæ specula.
Iesheyim	Leg. III. Statio V.
Witteslingen	Vitalior. prædia.
Allenstait	Cont. Naut. in Lit.
Hobstet	Littorale præsidium.
Werd	Confl. Brenitiæ.
Günzberg	Guntienn. transitus.

JOHANNES HEROLD CURIONIBUS, DECU-
RIONIBUS AC MUNICIPIBUS HOCH-
STATENSIBUS, S.

Ivel vitam omnem, causa Reip. Vestra, Patres Optimi, effunderem, quam quod eam à patria dulcissima atq; communi acceptam, tandem reddidissem vobis foretè tanquam nomen non omnino malum alia re vero nulla, commendari possem. Si genti Palatina vera Francorum propacini PPP. NNN. VII, Viro sensu sanctissimo FRIDENRYCHO. ÆTHONI HOHUNDRYCHO bõno, WOLFFGANGO pio, ingenii mei facultates (quantulacunq; sunt) obstrinxerim, quum acervum beneficiorum ingentem consumpserim, granum minimum & id vitiosum referre, reputabor. Ingratus tamen, ne me ipso iudice cadam, cum jam Divina ejus stirpis successiones absolvierim, aliud Opus aggressus, qua per omnem Europam ac alias pla-

Gas, annorum mille spacio fortiter fecit, enumerare conor. Origines autem efflorescentis Germania rimabor penitius. Hac demum mihi causa fuit, ut Vos hoc Commentariolo, ac Vestri nominis inscriptione, Vobiscum unà certificarem, Viciniam illam vestram, de qua in eo agitur quoq; quantum cupiam meam illam Historiam ornamentis Vestris expolitam, quam hanc meam voluntatem, probari vobis intelligam, cum de rebus in fine libelli signatis per GEORGIUM LÆTUM, Virum elegantissimi iudicii, & alios doctos homines, certior à Vobis omnibus factus fuero. Quod ejusmodi erit, ut beneficentia & liberalitatis vestra cumulum rebus meis ingentem accessisse, mihi persuadeam: Vobis etiam, Patres Optimi, cum omnia mea debeam, & id quod non possum, sit debere me velim, efficiet, Valeat.

Roma-

ROMANÆ SIVE PALATINÆ
LEGIONIS III.
ITALICÆ APPELLATÆ,

Ac

AUXILIARIS COMITATENSIS,
QUAM AUGUSTÆAM VOCABANT, STATIVA UBI
OLIM FUERINT, QUIQUE EX HS VICI, QUÆ MUNICIPIA, VEL
VILLÆ RELIQUÆ, IN RHÆTIA LITTO-
RALI EXTENT.

PRÆFATIO.



U. de Repub. Romanorum, jam in
Orientale ac Occidentale Imperium
divisa, scripserunt, ii aperte ostendunt,
orbis illas partes, quas florente Impe-
rio, Provincias appellabant, inclinante eò limitum
vocabulo has interstinxisse. Ad limites verò, Impe-
ratores perpetuò exercitus alebant, ut defenderent,
quæ bello occupata erant. Interduin autem con-
tingebat, quòd ab hoste propinquiori profligati
Romani, limites amitterentur, aut majori vi ingru-
ente denudarentur, quos ut restituerent, Principes
succedentes magnoperè laborabant. Sexta igitur
fuit limitis Rhætici restitutio à Valentiniano &
Gratiano F. AUG. contra Suevos tentata, clari-
que triumphis obtenta. Hanc cum Marianus suis
munerib. ordinibusq; probè depingat, ex illius scri-
ptis, quæ pertinere ad eas res, quas nosse percipio,
pauca attingam, ab ipsius limitis vestigiis initium
sumens.

CAP. I.

*Lauginga municipii monumenta, ac ejus
origines.*

Certum est, Præfectum Prætorio Italiæ inter
alias Provincias Rhætiarum duas disposuisse, unde
erat, quod Proconsul Rhætiarum illi parebat, qui
& *Dux militaris aut Limitans*, dicebatur, nostri
Marcaraven appellant. Huic Ordines Legionis
III. Italicæ Palatinæ, Legionis Augustæ Comita-
tensis, Leg. I. Pseudocomitatensis auxiliaris ambæ:
à Magistro præsentium peditum submittebantur,
Pseudocomitatensium mentionem sequens inscri-
ptio facit:

DEO MERCURIO SIGN.
EX VOTO. JULIUS GALLICUS
ET AUR. SIBULLA. P. L. I.

Sic colligi posse suspicor, ab isto Julio Gallico
Pseudocomitatensi Leg. I. Milite, Mercurii illud
signum positum fuisse, quod à Laugingen transla-
tum, in ædibus Peutingeri Augustæ videtur. Illa
verò inscriptio, quæ cum signo in eisdem ædibus
servatur.

MERCURIO,

CUJUS SEDES A TERGO SUNT.
APIUS CLALATERANUS. XV. VIR.
SACR. FAC. COS. DESIGN. LEG. AUG.
PR. PR. LEG. III. ITAL. US. L. M.

Hæc inquam anno à nato Christo C. C. posita,
subindicat, florentibus Romanorum rebus, *Legio-
nem Augustæam Comitatensem, auxiliariam, prest-
idum eò loci condidisse* (ubi puer olim inter Laugin-
gen & Gundelfingen si rectè meminì, quadrato la-
pide, ingentis ædificii rudera me vidisse puto) ac
ipsum Præfectum Legionis ibidem consedisse. Ac-
cedit Primpili monumentum, quod apud Laugin-
gen extare audio, cujus verba adhuc leguntur in
hunc modum:

DEI APOLLINIS GRANNI. REL.
P. P. DIONYSIUS LEG. AUG. PR. P.
AD KAL. JUNIAS.

*Primpilum verò tanquam caput Legionis, Præfe-
cto præsidii cohabitasse, quid credere verat? Igitur si
is quoque Apollini Religionis ergò, vel signum vel
aliquid tale hoc in loco potuerat, mirandum non
est, quòd in Bajennibus forsitan enutritus, quem Le-
gio III. Palatina colebat Deum, Comitatenfis eun-
dem revereretur. At de Bajennibus postea. Inclina-
nte deinde Imperio, cum ob loci opportunita-
tem, sedes præsidii Augustæ Legionis, ad litus
Danubii transferrentur, ex illa ipsa descriptione
LEG. AUG. qua in marmore absq; distinctione le-
gebatur, Municipio nomen inditum fuisse, mihi pro
certo persuadeo, quod à vulgo, cum ob asperiores
sonum difficulter proferreretur, elisis duabus interme-
dis literis LAUG. retinuerunt incolæ, patriamq; il-
lam vernaculam terminationem, ut in aliis, Ingen
adjecerunt. Sic ex Legionis Augustæ Auxiliaris
præsidio, Laugingen habemus.*

Hic obiter mihi occurrit, fermè loca illa omnia,
que in Ingen terminari scimus, Romanorum exer-
cibus olim infesta fuisse, ut fermè crediderim, ex
illa syllaba LEG. nostris Ingen factum, ac ita Au-
lingen primò, deinde transposita litera Laugingen
pronunciatum esse.

Ad

CAP. II.

*Ad Prentium amnem & pagum Leg. III. Italica
stationem IV. fuisse.*

Bajenibus sive Fajenibus (uno namque interdum hæc duæ atque eodem sono proferuntur literæ) stationem illam quartam Legionis III. Italica, confedis-
disse, notum est ex Mariani codice, cuius nomenclatura depravata. Fœtibus habet, idq; hæc inscriptio aperte testari videtur.

IN. D. H. H. APOLLINI GRANNO
BAIENIBUS. VICTOR, ET BAIENIBUS,
VICTORINUS, FILII EJUS, EX JUSSU
SIGNUM CUM
BASE.

Ex his siquidem elicitur, Legionem illam, cum ex Galliis in Rhætiam traduceretur, eo in ipso loco, quo in hodiernum diem, ejus templi reliquæ visuntur, prima signa firmasse, quæ Bajennius ille præfererat. Cum verò *tabernaculum in quo Aquila recondebantur, asyli instar ab omnibus coleretur*, Legionarii quoque qui ad defendendos limites sese deputatos scirent, diuturnioremq; moram intelligerent, positis jam stativis, ne belli tempore, cum signa in aciem proferenda essent, locus ille primitus bono augurio captatus, prophanaretur, imò ut major quædam Religio accederet, Bajennio, ut Apollini signum ibidem ponat, injungunt, *ipsis stativis, Primipili Bajenni benemeriti, appellationem induunt sic Fajenibus, sive Bajenibus nomen crevit.* De Apolline verò Granno, Granio, Carno aut Carnio disputare hujus loci non est, certè huic festa agebantur Spartæ, quæ militaris vitæ imaginem præ se ferebant, unde etiam *modulos Carnios* legimus. At *Romani semper eos spectabant, ut castra ipsorum fluentis alluerentur*, ostendam igitur *Bajennas ad amnem Prentium positas fuisse*, quod quidem ex hac inscriptione probè convincam.

PRENTIUS A. VE. III. LEG. CIVIS BRIVINES VIXIT ANNIS LXX. MOMUMENTUM FECIT.

Principes milites, constat, eosdem fuisse, qui cum Primipili vocabantur, inter Pratorianos deinde legabantur etiam veterani, fieri ergò facile potuit, ut inclinante Imperio, Aulus hic, veteranus, ac in stativis supremus esset, quem vocant, Aquilifer, idè etiam Princeps appellabatur; sed corrupto vocabulo Prinç aut Prenç dictus, quo vel hodie utimur. Claret enim, Barbarie totam hanc inscriptionem depravatam esse, nec inflexionibus aut constructionibus suis inniti. Aut Prentius civis, aut, Prentio civis fecerunt, dicas oportet. Versus tertio colo positus, stare potest; sed dicam, quod forsitan non finistrè intelligo. Imminuto Imperio, quantum lingua Romana ex solebat, tantum etiam militaris ille fastus evanescere cœpit. Aulus igitur ille forsitan Vir Princeps Provincialibus & colonis tunc præfuit, quem ex vita decedentem ad ripam amnis, juxta stativa (cives Bajennes, qui corruptè hic Brivines vocantur) tumularunt, elogioq; decorarunt patronum benemeritum, ex quo in nominato antea amni appellatione Prentii accessit, æternâ optimi viri memoria. Sic ad vicum, pagum & amnem Prentium qui adhuc extant, Bajenna stativa, id est Præfecti, quarti Legionis III. Italica castra constituisse claret, quod etiam

templi vetustissimi, miranda elegantia, & operis celebri structura testatur, adfirmant idem lapides ab inde Laugingen translati, item monumenta avecta, quæ Augustus in Monasterio Prædicatorum in ædibus Peutingeri visuntur.

CAP. III.

Prætorium stationis Bajenna, ad vicum Fenningen extitisse.

Iam Fajenningen / vel ut nunc proferitur, Fenningen vicum, nomenclaturæ huic propius accedere, aliquis objiciet, *additis enim terminalibus duabus syllabis Ingen / ut ipsa primitiva vox vel depraverit, vel detorqueatur, opus non habet, ipsam licet per diphthongum vel per diæresin pronuncies. Fân, aut Fajen dicas, Fajennige sive Fajningen habebis.* Astipulatur huic nostræ opinioni inscriptio, quæ, ut audio, ibidem habetur.

APOLLINI CRANNIO

SABINUS PROVINCIALIS L. D. S.

Nihil dubito, Comitum vocabulum temporis longitudine ex hoc lapide deletum esse, est autem *Comes provincialis Latinis, qui nobis Landgrave dicitur, quemadmodum igitur Dux limitis, de quo nobis sermo fuit, rei militari atq; defensionis limitum incumberebat; sic Comes juri dicundo. Legio integræ Duci parebat, certus numerus Legionariorum militum Reip. Romanæ expensis, inserviebat Comiti, qui quidem munia belli non subibat, at milites, ne possessori- bus violentia aliqua molesti essent, præcavebat, excipiebat quoq; querelas, quæ sub nomine Stationaris Magistratus, hinc inde ex castris, ad eum deferebantur, tantæ quoque is ordo authoritatis erat, ut ad Palatina officia nonnunquam ex eo sublegerentur, imò ad Consulatum, ad Imperium usque proveherentur nonnulli. Librarius fuit, id est, scriba Cameræ sacræ. Julius Amandus, qui etiam Consulatum gessit, anno à nato Christo, CCC. XXVII. Vestibus sacris earumque spoliatoris titulo, distributioni præfuit Julius Victor. Januarius & Justus fratres. C. Juliani Julii F. Amandi ex fratre Nepotes Consulatum iniere anno Christi CCCXXX. Pater autem Opilii Macrini COS. fuit anno Christi CLVII. cum ipse ad Imperium postea successisset. Horum verò omnium elogia Augustæ ad Prædicatorum, ad D. Udalrici, ad Peutingeri ædes, ex Fenningen translata videmus.*

PERPETUÆ SECURITATI.

C. JULIANUS. JULIUS. DEC. MUN. III. VIRALIS. SIBI. ET. SECUNDINÆ. PRENTIÆ. CONJUGI. CHARISSIMÆ. ERGA. SE. DILIGENTISSIMÆ. FOEMINÆ. RARISSIMÆ. SINGULARIS. EXEMPLI. PUDICITIÆ. QUÆ. VIXIT. ANNOS. XXXV. MENS. VII. DIES. XXI. ET. JULIANIIS. JULIO. JANUARIO. JUCUNDO. ET. JUSTO. FILIIS.

VIVIS. VIVOS.

FECIT.

D. M. JUL. AMANDO. MIL. LEG. III. ITAL. LIBRARI. COS. VIXIT. ANNIS. XXX. JULIA. PATERNA. MATER. FECIT. SIBI. ET. FILIO. PIENTIS. VIVA. EX. PECUNIA. SUA. FECIT.

JUL.

JUL. VICTOR. SPOLIATORI. QUONDAM. VEST. TESTAMENT. EJUS. JUL. CLEMENS. AQUILIFER. LEG. III. ITAL. FRATER. EJUS.

F. F. D. D.

JULIO. MACRINO. QUONDAM. VETERAN. MIL. EX. BI. COS. CONJUGI. CLARISSIMO. SECUNDIA. SERVATA. ET. SIBI. ET. JULIIS. ET. ALPINÆ. FILIIS. BENEVALENTIBUS.

F. C.

Hos igitur in Bajennæ Prætorio honoratos extitisse, quæ recitavimus satis testantur. Quia verò inter arma (ut ille ait) leges silent. Prætorium id præsidio propius, atque castris remotius extitisse, ipsius vici *Senningen* situs explicat. Cæterum memini me puero, de nefcio quibus subterraneis ædificiis, sermonem fuisse multum, quæ thesauris repleta essent, temerarios atque avaros quosdam homines, æris eruendi causa; specus illos horrendos perperis-

CAP. IV.

Navalia sive stationem amnicam fuisse Legioni Ital. III. ubi hodie Gundelfingum oppidum.

Hanc autem Legionis stationem, transvectioni specierum deputatam fuisse, cum Marianus aperte fateatur, ipsa verò stativa, ad X. M. P. à Danubio remota extarent, præsidium in tumulo, prætorium in valle non admodum propinquo, videntum erit, commodè ea, quæ advehebantur, quomodo in castra perferri potuerint, aut inde transvehit quæ exportabantur? Scimus ea loca, quæ ad rivorum aut fluminum exitus, quibus se exonerant, ædificata sunt, Germanicè *Gmund* vocari, quoniam verò *Prentzius* amnis, juxta oppidum *Gundelfingen* in Danubium egreditur, tractumque illum omnem in Bajennæ sedibus, Legionis collocatæ Stationes occupassent, facile fieri potuit, ut ab incolis elisa M. litera, *Gundfatenningen*. Confluentes illi dicerentur, subsequenter autem seculis interjecta L. litera, delicatiori sono *Gundelfenningen*, paulo post *Gundelfingen* pronunciari cœpta sit Statio illa amnica.

CAP. V.

Auxilia Gentilium Leg. III. Itall. Tilligensi municipio nomen dedisse.

Romanos, etsi serò tamen Legionibus suis adjunxisse, constat, *auxilia* illa externa, quæ *Gentiles catervæ*, vocabantur: seligebantur enim ex Provincialibus, qui cum Romanis militibus diutius meruissent, ac promptitudinis & fidei ostenderant experimenta. Eos deinde in stativa, aut alia in loca collocabant, ubi pericula non aded frequentia ingredebant, iis quoque ita in medio Legionum constitutis, machinari aut moliri novi aliquid non licebat, etiam si ratione aliqua fidem eos mutare contingeret. Harum itaque *Catervarum unam*, cum suo Tribuno, ad litus Danubii collocatum invenio, ad illud nempe, quod hodierno die à *Dillingen usq.* ad fluvium illius flexum extenditur, ac etiamnum au der *Ëente* vocatur. Quòd autem Marianus codex *Teriolis* habet, non carer mendo, emendetur itaque, S. in T. mutata, adjecta deinde N. litera, inq; suum ordinem, quæ transpositæ erant collocatis reliquis, pro-

cul dubio genuina vox apparebit, ac IN LITTORE leges. Sedem igitur sibi *Tribunus Gentilium* eo in litore fixit atq; delegit ad II. M. P. à præsidio LEG. AUG. inferiorem. Verum enim verò cum inter alia multa etiam illud Tribuni sit officium, ut in Campicursione, quam vocant, aliisque exercitiis milites suos instruat, sine dubio situm hujus loci, ad scholam Gentilium instruendam, optatissimum suo muneri perspexit. *Militari igitur opere, excisa altiore ripa & suffossionibus complanata, aditum perfecit, qui ad crepidinem arcis hodie visitur, atq; in planiciem eam campig. spatium exit, quod oppidum & fluvium interjacet.* Milites deinde ludicra decursione, in foro illo prætorio defatigatos, fluvius, quia quam in superioribus locis placidior influit, natate volentes, benigniter excipiebat. Erat autem *natatus apud Romanos haud inter illiberales artes deputatus, imò ingenuis & militibus necessarium exercitium habebatur atq; peculiare.* Monumenta autem, præter vetustatem arcis, quòd nulla alia, quantum quidem ego sciam, hîc extant, mirum videri haud debet, quum aut omninò nulli, aut certè perpauca horum militum Romana lingua uterentur, quique ea locuti sint, depravatissimè eam pronunciarent, quo etiam id factum putem, ut priori syllaba GEN abjecta, TILIVM aliquandiu stativa illa dicta, quoad nostratum more, mutata V. in N. abjecta M, & supposita terminali voce GEN, tandem *Tillingen* vocari cœpta sint stativa illa littoralia.

CAP. VI.

Stipendiariam cohortem Leg. Ital. III. oppido Weyssenhorn nomen dedisse.

ERant præterea Cohortès, quarum opera Romano auxiliiarum utebantur. Ex stipendio Romano militabant, has inter nominatissima fuit *Rhetorum*, quæ à L. Valerio Prisco Sexto, Præfecto suo cognomen traxerat, qui cum sepultura publica decoratus fuisset, tale habuit elogium quod Patavii legitur.

L. VALERIO. PRISCO. VI. EMENSI. PRÆF. MIL. COH. DUATERTIÆ. ET. SECUNDÆ. EQUITATUM TRIB. LEG. X. FRETENSIO. PRÆFECTUS. ALÆ FLAVIANÆ. PRÆF. FAB. LOR. SEPULTUR. DD. PUBLICE DATUS.

Vocula una quantum ad nostrum argumentum pertinet, legitur inter alias, errore puto artificiose depravata pro causaria etenim ipsius *Missione Evidenti* habet: altera legitur satis novata, cum pro Sextæ, Duatertiæ positum sit. Sextæ autem *Rhetorum* cohortis aliud *Moguntia* exemplar extat tale.

ATTIO LANI F. MONTANUS ANNO. RUM XLV. MIL. COR. RAITORUM. STIP. XIX. H. S. E.

Hanc igitur cohortem cum suo Tribuno Marianus docet, *Venaxomodo* consedisse, quo hodie in loco *Weyssenhorn* extat. *Majores* etenim nostri, cum Romanorum literis uti jam cœpissent V. sono Græcæ illius literæ β. proferebant: quem nostrum illud VV. pulchrè efflare videtur. *Venaxam* vocem non intelligebant, quid autem ODORO sibi velle, divinare quidem nunquam posuere, quapropter pro *VENAXAM*, *Weyssen* ac pro ODORO, sermone blandiori *Horn* prolatum est, vel, quòd mihi magis arri-

arridet, Latinam aliquam eamque optime distinctam inscriptionem invenerunt, quam in Mariano codicem miserè depravatam legimus. Evendari autem ita eam posse non dubito, si scribatur.

VENA. XMAN. AGROR.

Tractum enim illum omnem, inter agros Decumanos sive Decumates, ut Tacitus habet, *consitum fuisse credo*, qui ut adhuc, inter sylvas, feris abundabat, ob id quoque venationi aptissimus erat. Ut vero milites agrum illum publicæ Venationi deputatum ostenderent, Contubernio Venatorum, elogium illud indiderunt, quod ita.

VENATIO DECUMANORUM AGRORUM

Legi potest, si Romanis solitæ illæ abbreviaturæ observantur, & X. numeralis litera jungatur M & A transpositis, addita N quæ deperierat. Effecit siquidem temporis injuria, ut litera A inferiori ex parte exesa, ita Δ appareret, quam pro O interpretabantur qui legebant, accessit quod G ob affinitatem formæ, quam cum D habet, lectori imponeret & quæ sequebatur R litera supernè tantum integra Omagis quam R referret. Inflexionis autem gratia, ultimum O adjecisse Authorem, nemò est qui neget. Est autem *inter Venationis species, etiam aucupium, quod nostri Weyssen dicunt, deinde extremitates illas collium, ubi se in planicies extendunt. Horn appellare solent. Et meherclè tumuli illi, quibus oppidum Weysshorn cingitur ad Danubii usq; fluentia protenduntur, leniterq; subsidunt.* Præterea cum hinc inde nemoribus obducantur; à pluribus frequentari solent, qui quæstus aut delectationis causa, variis inventis, aviculis illis minoribus; aquatilibus quoque altibus insidiantur. *Nomen ergo à Venatione illa, quam nostri Weyssen, sive ut prius dixeram, Weyssen Stativis illis inditum esse Germanica interpretatione, pene affirmatam. Accedunt ipsa Comitatus & oppidi insignia, quæ buccinis tribus Venatoriis exornantur.*

CAP. VII.

Stablesianos Equites eo in loco, quo nunc Fayngen oppidum situm est, consedisse.

Legionum inter membra etiam Equitatus fuit, qui in ordines atq; discrimina distribuitus, Vexillationes habebat Comitatenfes, quarum unaquæque certum numerum aliquot centum equitum continebat. *Hos inter Stablesiani Italiciani censebantur: qui Juniores Bajennii, corruptè Fæbiani appellabantur: Seniores siquidem Augustanos vocabant. Juniorum igitur societas vel Statio, meo equidem videre, in illa specula collocata fuit, quæ adhuc Fajenna nomen retinet integrum, sed addita Ing voce, atq; elisis superfluis literis Fayngen sive Baitingen appellatur. Alterius sit otii, quæ nonnulli de Bebenhusio hic adducunt, in disputationem admittere, ejusmodi enim ea existimo esse, qualia plerumque hominum conjecturis effingi solent, cum monumentis veterum destituantur, aut in bonorum Authorum depravata scripta incidant.*

CAP. VIII.

Lietzenbeym vicum Leg. Ital. III. quintam fuisse Stationem.

Venio ad Stationem illam quintam hujus Legionis Italica III. quam in litore Danubii locatam

fuisse idem Author ostendit. Eam autem ubi jam vicus Lieshheim reperitur consedisse, rudera illa quæ extant inter vepres & senticeta ostendunt, nihil quoque dubito, si quis eo loci fodere vellet, plures laterum fictiliumque inscriptiones erueret, cum monumenta marmoribus incisa jam olim vel in calcem ab imperitioribus decocta, aut ab antiquariis redempta & ablata sint. Me puero autem, non memini, an ipse viderim, aut ab illis audiverim lateri inscriptum elogium, inter arandum ab agricola quodam erutum fuisse atque inventum, in quo hæc literæ legi potuerint.

LEG. ITALICÆ I. M.

Alia vice, nescio quem, inter occidendum fragmentum lapidis offendisse, cui inscriptum erat, quantum legi poterat.

L. ITALICIANÆ. I. M.

Harum inscriptionum sensum elicies quam primum tibi occurrit. Legionem hanc & Italicam, & Italicianam (forsan rebus jam inclinantibus) appellatam fuisse, *in usu quoque Legionarios milites habuisse, lateribus sua Legionis titulum inscribere, deinde terræ infodere, ut in humanarum rerum variatione, Stationum suarum memoria aliqua permaneret; eoq; diuturnior, quanto minus fictilia illa consumi solent, sed ad rem. Ex hujusmodi inscriptionibus vicui nomen inditum claret, cujus vocabulum à majoribus sic constat puto. Cum Italicianam quam vocem literæ illæ conjunctæ effingunt, proferre minus possent, (gaudent enim nostri vel monasyllabis) abjectis tribus literis A L I, aliquandam Italicianam dixerunt tandem corruptam vocem ad meliorem formam redigunt & breviorem, Italicam enunciant, quoad literarum Latinorum potestas agnosci à nostris incepit, tunc T C in Z commutatis, præfixo E & addita aspiratione Iteshaim prolatum est. Sic tandem Legionis Italica III. vel Italiciana III. milites, quam sententiam conficiunt fragmenta illa, duabus literis numeralibus deperditis, ut fieri solet, à Provincialibus in nomen vici conversa est, quæ Stativorum prius erat indicium. Fuisse autem in eo loco magnam hominum frequentiam conventumq; celebrem, illud ipsum arguit, quod ii qui ex Gentiliis Stativis, superius à me recitatis, stemma deduxerunt Comites Tillingenses, Iustrato templo, quod Mercurio ibidem sacrum fuerat, Vestalibus id ritè captis dicarunt. Ejus verò templi mentio habetur, in lapide illo, qui Augusta ad ades D. Stephani visitur, quæ D. Odalricus ut manibus fratris Theobaldi parentaret, construxit, atq; hunc inter alios lapides, ex Lieshheim translato, muro inseruit, cui hæc verba insculpta leguntur, licet multa ex eo perisse videantur.*

MERCURIO.

AUG. SACRUM M. BASSINIUS VITALIS, U. S. L. M.

Ex Bassinii gente autem superesse apud Hochstetos, quos posteritas Beyssimios ac gentilitia lingua detruncatis posterioribus syllabis Weyssen dixit, non abnuerim: nam ad nostra usque tempora, ordines honoratos, & Republicæ gravissima munia obtinuerunt apud Municipales suos, inter quos ipse Andreas avus meus maternus, sanctæ memoriæ Vir, Curatorem egit, quem Burgimagistrum jam vocant, at hæc quam pro re, jactantius dicta videre possent.

CAP. IX.

*A Veteranis Vitalis, Leg. III. Italica vicum
Witeslingen ortum esse.*

Quod de Bassinio Vitali adduximus elogium, id
me rei, quam sermè præterieram admonet,
ejus tamen, cujus observatio non indigna existi-
manda est, de *Vitaliorum* scilicet posteritate. Gen-
tem etenim hanc, satis numerosam in Germania,
sive hujus Rætiae parte confedisse, multæ inscri-
ptiones ostendunt, quarum una, in urbe Augustana
ad ædes D. Udalrici, portæ Monasterii inserta, ita
legitur.

VITALIUS VIGOR SIBI ET VITALIO
VIRILI, FRATRI VIVOS
FECIT.

Hunc autem lapidem ex *vico Witeslingen* Au-
gustam deportatum affirmaverim, dubium enim
mihi nullum est, addita terminatione *Jngen, Vi-
talsingen loco primum nomen fuisse; quod usus dein-
de, transpositis S & L in Vitalsingen sive Vitalislin-
gen convertit*: hanc etenim literarum transpositio-
nem frequentem Germanis, ipsum ULRICI no-
men declarat, quod apud multos *Brlich* exprimi-
tur. Verisimile quoque est *Vitalios* istos veteranos,
post exantlatam militiam honestam missionem
accepisse, ac *ubi jam vicus ille Witeslingen extat,
sedes suas locasse, retinuisse quoque cultum Mercu-
rii, quem in Stativis Lierzheymentibus didicerant,
quod affirmare videretur illud monumentum.*

MERCURIO.

Q VITALIS QUINTIONIS FIL.
U. S. L. M.

Extant verò alia quædam in vico ipso, quæ anti-
quitatem, atque memorandorum ædificiorum ve-
stigia indicant:

CAP. X.

*Contubernium nautarum V. Stationis Leg. Italica
III. extitisse, quo in loco villa
Altenstat.*

Amnem habebant Legionarii isti, qui sub quin-
to Præfecto Leg. III. Italicæ censebantur, ju-
cta, aut certè haud procul à castris, quem ætas no-
stra *Ferrenbach* corruptè vocat: *Forenbach* enim
dici deberet, à littoreis illis *stativis*, nam ut *detruncata
prima syllaba Lit. non recenseatur, ommissa est quoq;
syllaba finalis, us, LITTOREUS* quippe antea dictus
fuit. *Bach* autem idem esse Germanis, quod Latini-
s *torrens* aut *annis*, quam ut verbis opus habeat,
notius est. Is se in Danubium evolvit, ad cujus exitum,
quandoquidem Legionarii isti, transvectione
specierum se deputatos noverant, *contubernium
nautarum & piscatorum ex ædificarunt*. Hoc enim in
loco, quum pro opinione Danubium profundio-
rem, expansum, satis pisculentum compererant, ra-
tium quoque & annicarum navium patientissi-
mum. Sylvæ adjacentes magnam lignorum copiam
suppeditabant, ex quibus classem annicam instrue-
re in proclivi erat. Pontonibus igitur, speculatoriis
ac cursoriis navibus, cymbisq; & ratibus ex ædifi-
catis, annonæ canonem excipiebant, transveh-
bant, atque in inferiores partes secundo fluvio per-
ferebant: dabant quoque operam piscationi. *Di-
turnitate deinde temporis accesserunt alia ædificia,
paulo post foci firmati, sic pedetentim locus in municipii
formam excrevit. Ardebat enim pratorum pla-*

nitias, glebæ ubertas, ac soli fertilitas, quam felicif-
simam viridaria illa, horti amœni, deinde aquarum
viventium scaturigines summopere commenda-
bant, extant adhuc rerum harum omnium non so-
lum vestigia, sed vivaria piscium, quorum unum in
avitis hortis me puero extabat, supersunt piscato-
rum habitationes frequentes, molæ frumentariæ &
alia, quæ in superiori Statione annica, ad *Sundel-
singen* aut deerant, aut non ita luculenter haberi
poterant. Extant Opimatis sive Administrationis
Parochi vestigium apud vetustissimam illam D.
Nicolai ædiculam, quotannis enim bis annona illa
pistoria publicè dispertitur, sportulæ ac visceratio-
nis veteris argumentum clarissimum. Municipium
autem Romanum fuisse, idq; spaciū omne, quod
littoreū annem, ac littoris tumulum septentriona-
lè interjacet, occupasse, vel puer interrogatus indi-
care poterit. Nam omnibus vocatur *die alte Statt*
in quam deficiente Majestate Romana, Legionarii,
qui in Stativis Lierzheymentibus supereant, se re-
ceperunt, translatis secum Sacris omnibus, Virgini-
busque Deo dicatis.

CAP. XI.

*Pratorium sive præsidium littorale Leg. III. Italica,
sub quinto ejus Præfecto oppido Hochstat
initium fecisse.*

Præfecti pratorium, seu ut aliter dicam, hujus
quintæ Stationis Præsidium, in dextro littoris
cornu, ad flexum Danubii, de quo nobis dictum est
antea, ac ubi modò ponte trajicitur fluvius ille, con-
stitutum fuisse ex eo liquet, quod postea ingruenti-
bus bellis, qui annicum illud contubernium inco-
lebant cultissimis locis derelictis, ac benigniori so-
lo commutato, in tumulum præsidio adjacentem se
receperunt, cum ab Oriente horrendis præcipitiis
fatis tutum locum viderent, quapropter ad reliquas
mundi plagas excitatis aggeribus, fossisq; amplis-
simis profundissimisq; munitissimum reddiderunt,
unica porta, quæ iam cæca est atque obstructa, tunc
admissa, quæ ad Orientem spectabat, atque per cli-
vum ad trajectum deducebat. Statim quoq; com-
binato gentilizio Latinoq; vocabulo, municipio no-
men indiderunt, *Hohstat*, ad discrimen ejus, ex quo
abierant, quod superius *Altestat* appellatum fuisse
indicavimus. At obiter annotandum videretur, vo-
cabulum illud *Stat* à Romanis *stativis* derivatum
esse, atq; in usum Germanicæ linguæ receptum, nam ii
voces suas plerumque abbreviatis scribebant, atq;
pro *STATIVA*, sive *STATIONE* syllabam illam
STAT. exculpere solebant, quod ut assertionibus
multis confirmetur, opus non habet, pauca enim
municipia reperies, paucas urbes, quæ in *Stat* desi-
nant, quas non contingat esse antiquissimas, Romano-
rumq; incolatu nobilitatas, sed de his aliàs. Cæterum à
situ *altiori* syllabam *HOH* huic municipio, sive *Stati-
vis* illis, adjectam, apertissimum est. Hic mihi geni-
tale solum, ac quam nullibi libentius deponam, vi-
tam ibidem vivere incepti. Patria est mea, inquam
hæc, cui me omnia debere fateor. Deus autem reli-
qua providebit.

CAP. XII.

*Barbaricorum Numerum, Legioni III. Italica de-
putatum, Insulam Berniciam nobilitasse.*

Numeros suos Legionis auxiliaris habere ince-
perunt, inclinante jam Imperio. Erant autem
Numeri-

Numeri, societates (ut ita dicam) *eorum militum, qui Legionibus non inerant, suos tamen habebant Præfatos.* Vocabantur etiam *Numerarii*, quod per omnes castrorum munerum numeros, ad summam evasissent, hos autem Ciceroni publicanos vocari credo, qui pro Plancio his verbis utitur: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum populi, publicanorum ordine continetur.* Hi suis cognominibus distinguebantur, erant quoque inter Palatinas vexillationes recensiti, ex iis, qui *Duci Rhætiae adjuncti erant, Barbaricarii vocabantur, quo cognomine Argentarii provinciales exprimentur.* Horum fides, disciplina illa veteri militari, jam olim extincta, publica pecunia, credebatur. *Vestigales agri locabantur, portoria aliq, exactiones committebantur. Miles stipendia sua, pradas atq, pretiosiora omnia apud eos deponebat.* Hi vero invicem nonnunquam inopiam illam numariam, qua Respublica laborabat, sustentabant, ex solutis merentibus stipendiis, quæ tardius ex sacra largitione proferebantur, deposita, credita & permutata bona fide, securitate & celeritate optata, ad Urbem, ac in eos locos, quo quisq; sua destinasset, ut perferrerentur magna inducuntia procurabant, tanta quoq; ipsorum cura & sollicitudine, & amicitias & clientelas, opesq; ingentes sibi parabant apud suos, apud extraneos nomen & famam, quæ cum ad hostes delaberentur, reddebat eos infidiis opportuniore propter mercium & numerorum copiam, quapropter in tutissima illos loca collocandos fuisse, nemo est qui ambigat. *Stativa*, igitur *Barbaricariorum istorum* huic quidem Legioni deputatorum, *in illa ipsa insula quam Bernicus annis, ut hodie extat, fecerat,* constituta fuerunt, hoc quidem innuit Marianus codex his verbis.

PRÆFECTUS NUMERI BARBARICARIORUM, CONFLUENTIBUS, SIVE ERGANTIAE.

Errorem corriges, si sublato *C* transpositam litteram *R* præposueris *E* postea cum *B* magnam cum nostro *W* affinitatem sonus habeat, illa vox eundem tibi suum indicabit, qui hodie *Wernis* dicitur, ac paulo infra insulam in Danubium sese effundit, quod per *CONFLUENTES* significari nemo nescit. Hominem vero Scotum, linguæ Latinæ studiosissimum, idiomatis nostri ignorantia decepit, quod particula illa *SIVE*, subindicare videtur. Cum enim dicat, sive *Brecanitiæ*, *Bergen* quoq; villam vix *CC.* passus ab insula illa abesse, atque in tumultu extare *Wernitiæ* imminenti videamus, ejus temporibus, *Bergwernis* dici potuit. Portorium illic publice institutum, atque nonnullos ex publicanis sive *Barbaricariis* istis confedisse, fidem facere potest *vestigal*, quod nostro hoc tempore ibidem solvitur. Nulla etenim difficultas erat in tanta opum abundantia, quin ditiores loca opportuniore occuparent, firmarentq; artificio & præfidiis, quæ situ amœniora, vel ampliora ipsis videbantur, imò maximo studio ipsos curavisse credendum est, ne hostibus, qui non procul aberant, aliquid sine pensione *vestigali* transmitteretur, vias igitur omnes & itinera obsidere necessum fuit. Similes origines habuisse credendum est, arcem illam verustate & *parricidio*, firmitudine quoque celebratissimam,

cujus rudera adhuc in *Werd* trans *Wernitiæ* extant oppidum, quod insulæ ponte jungitur. Inani etiam opum ostentatione, *subterraneos illos aqua ductus per plusquam V. M. P. in monte tunc excavatos fuisse, crediderim*, visceribus montis, quem *Rosenberg* vocant, excisis, sive id factum fuerit in Insulanorum usum, qui fontanam aquam non habent, sive ut potui gratiores derivarentur fontes in oppidum, quod unam eamq; putealem aquam publice bibit, ac ex puteo illo omnem haurit domesticae culinæ limpham. Hos vero cuniculos, sive formas illas aquarum, cum puer sub Præceptore meo *CONRADO SYBENHAR* memoriae sanctissimæ *Viro*, elementa literarum addiscerem, *pygmæorum* nescio quorum, atque *Wichtelorum* habitationes esse, vulgi fabula narrabat. In hac autem civitate, cum ingenii cultum primum hauserim, eisdem, quicquid accessit, quod per exiguum sentio, me debere non illibenter fateor.

CAP. XIII.

Guntiensem transitum a militibus sive cohorte Ursariensium inhabitatum fuisse III.

Legionis hujus Præfecto subditus.

Inferiori *Barbaricariorum* *Stativa*, quæ ceu latus quoddam sive repagulum *LEGIONIS* hujus, & *Bajennia* & *Littoralia* castra clauisse videntur, nunc me admonuerunt, ut *Stativorum*, quibus illa ex superiore parte cingebantur, mentionem aliquam facerem, de *Guntienfi* scilicet illo *Transitu* omnibus decantato, juxta hunc *Ursarienses* milites, quorum cohortem unam *Comitatensia* illa auxilia submittebant, confedisse ipse *Marianus* testatur. *Annis Guntia*, qui in *Danubium* ruit, cæteraq; ejus loci monumenta præclara, efficiunt, ut minus de situ ipsorum incertus simus, nec nomenclatura in illa litera corrupta exitit, sed a *presidio* appellatione adjuncta, quod ibidem erectum erat, atq; *Burg*, ut cætera *Germanorum* arces vocabantur *Gunsburg* sive *Gunsburg* nomen retinuit. Hæc de quarta & quinta Legionis *Italicae* *III.* Stationibus earumq; appendicibus quibus *Rhætiae* limites *Littoralis* defendebantur, dicta sufficiant, quæ ita interpretentur, cupio, magis ea ad excitanda hominum studiosorum ingenia scripta esse, quam ut ulli detractum aut præscriptum iis aliquid velim. Alterius autem negotii est de primaria, secundaria ac tertia quæ supersunt, hujus Legionis Stationibus disputare, quod quidem tum fiet, cum ipse *Transdanubianum* illum tractum peragravero, sive per amicos, & *Viros* doctos explorata & perspecta mihi communicabuntur. Supersunt quoque multa de Legionibus *VIII.* & *XXII.* in *Mediterranea* *Rhætia* olim constitutis, quæ omnia, ut rimatiora quam cætera, in *Commentarios* nostros *Efflorescentis* *Germaniæ* conferantur, præcipua causa est, quod *Gentilibus* *Francorum* *Palatinorum* nobilissimum, cum iis quæ ditioni eorum parent, ferme universa subjecta olim fuerint. Hunc autem certe *quattiduanum* meum laborem, studiisque meis interversum, etsi satisfacere nonnullis non posse sciam, tamen quæ observavi, non omnino vana, nec inania ubiq; existimo, atq; ejusmodi esse, ut origines ostendant earum rerum, quæ ut diligentissime discutiantur dignæ sunt. Per multum referat licet, scivisse,

quod *Comites Dillingenses in Faingen / Witeslingen / Eieshenm / Hohstat / & Werder administraverint* sub anno Christi DCCXL. Pulchrum sit quoque agnoscere *Fennungenses Comites Guntzburgio præfuisse*, vixisseq; eorum aliquos anno M. C. XX. quæ omnia in Archivis Sacrarum *Ædium Medingen / Anhusen / Witeslingen / Nereshenm / Altenstat / & Echenbrum* / si non fallor, asservantur & exprimentur. Quam fortiter fecerit *Wernherus* ille de *Hohstat* in Syria, anno M. C. L. memorie certè & gloriæ plenum est. Dulce admodum quoq; sci-ville, quod *Ulricus* ille *Gundelfingensis* anno MCC. claruerit, quis verò artectissimis auribus non exciperet, *Laugingam* uno eodemq; tempore, Virum cujus doctrinam totus orbis admiratur *Albertum* illum *Magnum*, *fæminam* denique *Gyselam* protulisse, quæ totius continentis testimonio Venerem ipsam representaret, *Sibyllam*q; XI. (Deo repleta) aut *Auriniam*, *Velledam* *Cambram*, veteres *Druidas* æmularetur vaticiniis, ne dicam de equo, *Alexandri* & *Cæsaris* bucephalis longè anteferendo. Inciderunt hæc in annum M. CC. L. & circa. Quæ omnia quanquam illustria, si quis in promptu habeat, origines autem veras & certas ignoraverit, rerum pulcherrimarum notitia carebit, æquè ac si ea, quæ insecutis temporibus gesta sunt, iisdem in locis nescierit, quapropter *Scriptori Historiarum*, quæ maxime indaganda sint, illa censeo.

Quæ de originibus rerum certiora inquiri possunt.

Antiquitates, locorum situs, monumenta, sedes majorum,

Quo tempore quæq; aut ampliata, aut destructa.

Quorum administrationi, quibus Legibus subiecta fuerint,

Quibus artibus, institutis, homines excellentes quæque Regio protulerit.

Tempora quibus pace floruerint, aut bellis sint afflictares.

Sacris persuasionibus, moribus quibus quoquo tempore usatq; præditi incola.

Quæ loca celebriora extant.


His omnibus lucem maximam adferre Regionum & trajectuum diligentem & accuratam picturam.

DISPOSITIONEM HANC MARIANI, NE, QUOD SALTEM ALIQUO MODO AD HUIUS REI ILLUSTRATIONEM FACERET, OMITTERETUR, ADJECIMUS: CUM ILLA IPSA, DE RHÆTIA SCRIBENDI, NOBIS ANSAM DEDERIT.

SUB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DUCIS PROVINCIAE RHÆTIAE PRIMÆ ET SECUNDÆ.

Equites Stableiani seniores Augustanis. Equites Stableiani juniores Ponteceni, nunc Febianis. Equites Stableiani juniores Submontorio. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, partis superioris castra regina, nunc Vallato. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, partis superioris deputatæ Ripæ primæ Submontorio. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ pro parte media prætendentis à Vimania Cassiliacum usque Cambiduno. Præfectus militum Ursariensium Guntia. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transvectioni specierum deputatæ Fœtibus. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transvectioni specierum deputatæ Teriolis. Præfectus Alæ primæ Flaviæ Rhætorum Quintanis. Tribunus cohortis Novæ Batavorum Batavis. Tribunus cohortis tertiæ Brittorum Abufina. Præfectus Alæ secundæ Valeriæ Singularis Vallato. Tribunus cohortis sextæ Valeriæ Rhætorum Venaxamodoro. Tribunus cohortis primæ Herculeæ Rhætorum Parroduno. Tribunus cohortis quintæ Valeriæ Frigum Pinianis. Tribunus cohortis tertiæ Herculeæ Pannoniorum Cælio. Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ Teriolis. Præfectus Numeri Barbaricorum Confluentibus sive Brecanitiæ. Præfectus Alæ Secundæ Valeriæ Sequanorum Vimania. Tribunus cohortis Herculeæ Pannoniorum Arbore. Officium autem habet idem, Vir spectabilis Dux, hoc modo.

Principem ex officiis Magistrorum militum præsent alium alternis annis Numerarios duos ex utrisq; officiis præsentibus singulos. Commentariensem ex utrisq; officiis alternis annis Adjutorem. Subadjuvam. Regerendarium Exceptores. Singulares & reliquos Officiales.



HELVETIÆ DESCRIPTIO CUM IV. HELVETIORUM PAGIS AD XIII. URBIUM PANE- GYRICO,

ET

OSWALDI MOLITORIS LUCE- RINI COMMENTARIO.

PER

HENRICUM LORITUM GLAREANUM, PATRITI-
UM GLARONENSEM, AC P. L.

D. HIERONYMO A ROLL. SALODORENSI,

NOBILISSIMO ADOLESCENTI

GLAREANUS

S. P. D.



Ndequadagesimus nunc agitur an-
nus, suavissime, ac in primis dilecte
Hieronyme, quando juvenis ego elato
scilicet (ut ætas illa habet) spiritu, pa-
triæ nostræ descriptionem orsus, cum tredecim ci-
vitatum Panegyrico, sequente anno perfectum
opus, Basileæ editum, ac typis excusum, concilio
Helvetiorum, quod Tiguri tum habebatur, obtuli:
Rem ea tempestate mirabilem, quando nemo an-
tea, quod equidem sciam, apud nostrates quicquam
tale tentaverat, imò fortassis, ne cogitaret quidem
(nisi cantilenas vulgò decantatas commemorare
libet) cessit tum feliciter quod cœperam, magnificè
enim exceptus, liberaliter donatus, ac honestius di-
missus ab Helvetiis, magnum momentum nostris
hominibus, & facilem anam majora commentan-
di dedisse videbar. Sed scilicet rerum humanarum
alastores, bella inciderunt, & per seditiosos homi-
nes variæ in Religione opiniones ac sectæ, urbium
ac Principum dissensiones, quæ per hosce viginta
annos universam Germaniam penè pessundèdère,
vicinos Germanis Helvetios mirè afflixère, ut sapi-
us propemodum pigeret, ac potius puderet operæ,
quemadmodum putabam, probè navatæ. Nunc
demum senex reviso, quod mihi olim juveni exci-
disse judicari poterat. Et totum quidem revisi O-
pus, quædam etiam retexui, maxime Geographica,
imò ad regulam D. Ægidii Tschudi affinis nostri
plurimum dilecti, plerisque locos emendavi, ex eo
videlicet libro, quem illa de Rhætia doctissime scri-
psit, quo intra mille annos vix melior in re topogra-
phica prodiit. In eo enim libro multiplex eruditio,
judicium acutissimum, Cælticæ linguæ, qua hodie
Helvetii utuntur, proprietates egregiè expressa, ut
qui eum in Latinam linguam vertere conati sunt,
ridiculos se planè ostenderint. Sed de hoc aliàs. In
hoc nostro Opere duò potissimum tractantur. In
priori parte, est pura locorum descriptio ad Stra-
bonis Geographi morem, qui Geographica cum
Chorographicis sive Topographicis plerumque
miscet. Ea ferè inconcussa manent, lacus, flumina,
montes, valles, viæ per Alpes, ac his similia. In po-
steriore parte, est panegyricon, quod cum temporis
mutatur, secundum illud:

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis.

Arque Helvetii ita à nobis laudati sunt, quales eos
esse vellemus: Majores suos imitentur, maxime è in-
iis quæ ad Religionem, mores, ac gesta inclyta per-
tinent, haud ignarus rerum mortalium, quam sedu-
lo diabolus tanquam leo rugiens obambulet, quæ-
rens quem devoret, ut divus Petrus admonuit. Cæ-
terum, Commentarius in nostrum hunc libellum
fuit Oswaldi Molitoris Lucerini antè annos triginta
editus, cum ego Lutetiæ stipendio Regio fovebar,
in quo multa mutanda fuère ipsi, quòd versus in eo
mutati sunt Opere, & res pleræq; (ut jam diximus)
lucidiores factæ. Sed illud nunc laboris in nos in-
cubuit, postquam ille nuper fato functus, è vivis
cessit, ne quis putet id odio magis, quam ratione fa-
ctum. Sed pluribus non est opus. Ad te redeo, mi
Hieronyme, qui dignus mihi visus es, cui hosce la-
bores dedirem, tum ob tuos, ut apud me aliquot
annos vixisti, probatissimos mores, ac familiam è
qua natus es, honoratam, tum ob amatam tuam
Barbaram à Roll (nihil minus quam barbaram) vi-
duam à Euternau nobilissimam illam Heroinam.
Quæ quasi Helveticæ Judith, quæque singulare
pudicitie exemplum Susanna, inter alias nitet fo-
minas, velut inter igneis Luna minores, ut est apud
Flaccum. De qua non dixero, quòd de Lucretia Va-
lerius, cujus virilis animus, maligno errore fortu-
næ, muliebre corpus sortitus est. Quid enim hoc ad
æternam vitam cum Christo possidendam retule-
rit? Id dicam, cui Deus dedit tantas Virtutes, tanta
naturæ ac gratiæ munera, ut nemo hodie mortali-
um privatus unus ferè vivat, quem vivere magis ad
omnium salutem referat. In ea sanè matrona na-
tus videtur Hippocrates aut Mithridates aliquis, in-
noscendis herbarum Virtutibus. Quot hominum
corpore salubribus, medicamentis pristina resti-
tuit sanitati? Cui agrò non illa vel consultit, vel suc-
currit? Idque non lucri, sed pietatis gratia. Veni-
unt è Germania in Helvetios ad illam tanquam ad
Aesculapium, aut Oraculum Delphicum. O
verè pauperum refugium, divitum solamen.
Quid ego Christianum in ea animum prædicem,
nulla hæretica pravitate inquinatum? Quid Heroi-
cas Virtutes? Spiritus sancti dona? Ineptus planè
sum

sim qui existimem epistolari angustia illius me, cum corporis, tum animi dotes perscripturum: Itaq; desino de illa plura dicere. Unum hoc testatum volo apud posteros, urbem Salodorum, imò universos Helvetios, non minus verè gloriari posse de hac Heroide, quam vel Scythæ de Tomyra, ut est apud Herodotum vel Romani de sua Lucretia, imò tanto justius gloriandum de illa nobis, quanto pluri faciunda est Christiana pietas tragœdiis illis Ethnicis. Tuum est, mi Hieronyme, illius iussis parère, ejus exemplo ac Majorum tuorum ad magna ac honestissima quæq; excitari. Vale felix, unâ cum Johanne Rudolfo fratre tuo dilectissimo. Friburgi Brisgoiæ, anno à Jesu Christi natali M. D. LIII.

OSWALDI MOLITORIS LUCERINI,
IN CLAREANI.

De

HELVETIA CARMEN, COMMENTARIUM.

QUAM difficilem rem sit Poeta noster aggressus, in describenda Helvetia, vel hinc manifestum, quod ducem cujus, vestigia notaverit, habuit neminem. Hactenus enim (ut verum fateamur) parùm apud nostros tributum est literis, quocirca qui illis dederint operam fuerunt paucissimi. Eo modò res omnes, quas & Regio ipsa laudabiles continet, & quæ à viris Helvetiis tum Prudentia, tum Fortitudine, non absq; ingenti gloria sunt gesta, usq; adhuc jacuerunt. Sed quod nulla fermè pars est hodie totius orbis Christiani, qua non fertilis sit ingeniorum, edidit & nobis præter ceteros Helvetia Henrichum Glareanum Virum, de quo dubites doctiorne sit, an melior. Is, inquam, pro ratione Geographica, ejus terra descriptionem suscepit, id quod titulus indicat, adjunctis quatuor pagis, de quibus Casar meminit, atq; Panegyrico laudatissimi pariter & justissimi Helvetiorum fœderis. Cujus quidem descriptionis (ut breviter dicamus) hujusmodi Poeta retinet formulam. Invocat, materiam exponit negotii, Helvetiam à quatuor mundi partibus depingit, atq; totius Europa locum editissimum esse demonstrat, naturam aperit Regionis, & fontes cum adnexis pagis, adjacentibusq; populis: concludens demum, sic Deum ab exordio mundi prudenter, ut omnia, disposuisse. Quid in Panegyrico contineatur, suo loco dicemus. Lector hic obiter admonendus, Helvetiæ vocabulum apud veteres nusquam inventi, sed Helvetios. Neotericis tamen eo utuntur non absurda analogia. Videntur enim nomina in ia, ferè à populorum pluralibus descendere, quemadmodum Italia ab Italis, à Germanis Germania, & mille hujusmodi, quanquam nos minime præterit, non ubiq; id servari. Verum satis nobis est, vel Erasmus hoc nomine usum, ubi dicit: Jam Helvetia nobilior armis, quam literis.

HELVETIÆ DESCRIPTIO PER HENRICHUM LORITUM GLAREANUM, PATRICIUM GLARONENSEM, AC POETAM LAUREATUM.

Pierides Nympha, Bœotia Numina, Muse
Fundite Pegasum per inertia membra liquorum,
Euge chelym Vatis, dulciscq; agitato Camœnas,
Helvetia est cantanda mihi, gens inclita bello,
Gens aquilam, gens terribilis imitata leones.

Pierides Nympha) Invocatio. *Pieris* apud Strab. lib. X, locus *Musarum* est in Macedonia, quem olim habuere Thraces, & à Pomponio lib. II. *Musarum* parens, domusq; vocatur, hinc *Pierides* appellata. Festus putat, à *Pierio monte* dictas. Non igitur à *Pieris filiabus* à Musis cantando victis, ut fabulatur Ovid. lib. V. *Metamorph. Bœotia numina*) à Bœotis cultæ. Appositorie dictum. *Fundite*) Administrate. *Fundite* autem dicit, quia sequitur. *Pegasum liquorum*) Refert Ovid. *Pegasum equum alatum*, ex guttis ortum Medusei capitis à Perseo amputati, fontem unguis aperuisse in *Heliconis monte*, quem *Hippocrenem* dicunt. Hujus fontis aquam Poëta flagitat, hoc est, scientiam, nihil enim aliud aqua significare videtur, ut etiam in Divinis literis ubiq; supernæ legis notat cognitionem. *Inertia*) indocta. *Attenuatio* est. *Euge*) Hortantis est. *Chelym*) Citharam. *Dulciscis agitate Camœnas*) Dulce carmen move. *Camœnas* Musæ dicuntur à *carminibus*, quod antiquorum laudes canunt. *Vel quod sint casta mentis præsidēs*, ut Festus scribit. *Helvetia*) Emphasim habet, quasi dicat, Regio tam nobilis, tam potens, tamq; eximia. *Gens inclita bello*) *Baptista Mant.* contemptores anime, Erasmus Roter. *gentem bello natam* appellat. Illud adjiciendum: *Helvetios* hujusmodi bellatores semper extitisse, ut qui à *Iustitiane latum* (ut ajunt) *digitum abscesserint unquam*. Ne semel quidem (quod sciam) in hostes profecti, nisi dum pacem aliter impetrare nequiverunt (de mercede à Principibus conductis nihil loquimur) Confligentes cum hostibus tam acres se præstiterunt, ut cum quibus conferantur, non facile reperias. Jam post victoriam in victos adeò non saevierunt, ut complures etiam saucios vulneribus ligatis, domum per suos dimiserint. In primis verò militiæ caverunt sacramento, ne rebus Deo sacris inanus violentiæ afferrentur, senibus item, mulierculis, imbelliq; virginum, viduarum ac puerorum turbæ parceretur. Surda igitur aure, tuum est (candidissime Lector) præterire eos, qui nescio quam truculentiam, quam impietatem, quam deniq; plus quam ferinam naturam, Helvetiis adscribunt. Non enim Veritatis ratio, sed invidia tales (nominibus libenter parco, modestiæ Poëtæ nostri memor) stimulat, quæ, quò hominum genus plerumque impellat, te nimirum haud præterit. *Gens Aquilam*) Hæc animalia procul amoto pavore, omnia aggrediuntur. *De aquila* namq; scribit Plin. lib. X. *Ipsam pugnare cum cervis & draconibus*. Erasmus quoque in Scarrabeo suo, hujus avis naturam mirificè depingit. Leoni quanta insit generositas, nemini reor incompertum. Plin. de Leonum natura lege lib. 8. & Solin. cap. 36.

Causam ortus nostri, quis sit quoq; fœderis autor,

Tantiq; Imperii, cur malum fronte pusilli

Invisum certa sigis Guilielme sagitta:

Quod studium, qua sit populi nascentis origo

Non nostris puto carminibus celebranda, nepotum

Officium id, maneat nostros ea cura minores.

Causam ortus nostri] Id est, cur factus Helvetii in-
esperius. Hujus rei causam fuisse palam liquet ty-
rannidem Nobilium, quos comites primùm Hab-
spurgenses, dein Principes Austria, Suetiæ, Uriæ ac
Sylvaniæ incolis præfecerant, postquam volentes in
potestatem se illis dederunt. Nam dum Nobiles
illi à Principè Austria præfecti, sibi, non patriæ gere-
rent

rent imperium, tamque superbe ac truculenter facerent; non quod jus erat; sed quod liberat, penitusque incumberent ad hoc, ut sibi bene, suis autem esset male, non poterat tollerari diutius insolentia, ita omnibus modis imperiosa, quapropter nonnulli, quæ non minima pars fuerant ejusmodi calamitatum, ceperunt consilium, quo & se & suos in libertatem assererent. Huc igitur eventum, ut tyranni exterminarentur, percutereturque fœdus totius communitatis consensu, quod velint libertatem adeptam, quoad valeant Dei subsidio defendere. *Autor*] Primus inceptor, liceat sic dicere. Is autem fuit *Guilielmus Tell Urius*, de quo statim dicemus. *Wilhelmus*, vera scriptura, sed abusus Doctorum evicit *Guilielmus*. *Tanti imperii*] Respectu originis. *Cur malum*] Apostrophe ad *Guilielmum*. *Nosse hoc loco tyrannidem ejus, qui Urius & Suis olim dominabatur, nec esse videtur*. Eo namque vecordia processerat, ut pileum apud *Urios* publico itinere sublatum, tam venerari mandavit, quam si ipse præfens confisteret. *Guilielmus* ille mandatum, ut prorsus iniquum, aliquid neglexit, quare comprehensus tyranno sistitur. Interrogatus temeritatis causam, imprudentia adscribit, petitque veniam. Tyrannus responsi negligens, jubet tacitus *Guilielmi* liberos adduci, & hunc cogit inter hos lectissimo, ex vertice sagitta malum deturbare, hoc tamen prætextu, ut experientia sciret in illo sagittandi artificium, quod toties miris laudibus vehi animadverteret. Jam re feliciter peracta, telum posteriore à *Guilielmo* insertum humerali, tyranno suspicionem injicit; verum causam non prius extorsit, quam vitam pactus est. Tum, inquit ille, reservatum in tyranni exitium, si filiolum confodisset. Indignabundus tyrannus confestim præcepit ligatum conjici in navim, abduci que *Suitiam* ad perpetua vincula. Et jam medium lactis qui quatuor civitatibus communis est, tenebant. Tunc vero tam ingens repente obhoritur tempestas, ut salutem desperarent omnes, acclamarentque uno ore ad tyrannum pro *Guilielmo* solvendo, ut ipsos servaret. Jussu itaque illius solvitur, apprehendit clayum, Vir alioqui robustus, ac nunc in magna constitutus necessitate. Jam navis in vado putabatur. Nec ita multo post, salutis spem concipit, saxo quod in lacum prominebat, & cui hodie adest facellum conspicato, quamobrem famulos tyranni hortatur, remis insurgant, ita enim opus facto. Parent, raditur saxum, *Guilielmus* filiolo arcu & telis arreptis (hæc omnia navis cum eo fuerant injecta) in hoc ipsum repentino saltu infertur, & pedibus puppim quantis potest viribus in altum proculcat. *Cursim* festinat per *Suitiam* in vicum quendam cognomine *Cavum* à *Rüsnach* pago porrectum, ad lacum usque *Tuginum*. Ibi quærit insidias. Interim tyrannus tandem portum offendit. Transeundum erat illac, ubi *Guilielmus* latitabat. Postquam igitur contra insidiarum locum pervenit, ille telo emissio ipsum trajicit, deinde revertitur ad suos, rem totam, ut erat facta, commemorans. *Post hac non longo tempore primum fœdus à paucissimis in initum est*. *Certa*] Malum enim tetigit. Sic certam dicimus manum, quæ quicquid destinat, jaculo contingit. *Quod studium*] Vindicandæ libertatis. Illud quidem quam fuerit vehemens, apparebit facile, superiorem confide-

ranti tyrannidem, atque item ea, quam brevibus jam adjungemus. Fuere enim tyranni, qui uxores atque filias civium violenter abstractas non prius remiserunt domum, quam suæ libidini satisfactum esset, neque quisquam audebat contra impune, ne mussare quidem. Inter istos qui *Sylvanis* præerat, *Landenbergius* genere oculos seni cuidam eruit, omnibusque bonis privavit, quod filius ipsius digitum fregerat famulo *Landenbergii*, qui jussu Domini conatus erat contra jus ex aratro jumenta abducere. At ille idem non multo postea securi in balneo percussus oppetit, dum honestam *Sylvani* cujusdam uxorem adulterio contaminare pararet. Hæc quidem quam maxima crudelitate perpetrata, quem non moverent ad libertatem quærendam? Sunt enim ex quibus alia poteris cognoscere, ceu leonem (ut dici solet) ex unguibus. *Celebranda*] Cantanda. *Nepotum*] Posterorum. *Virg. Seris factura nepotibus umbram. Maneat nostros*) Versus est *Virgilius* ex III. *Aeneid* paululum immutatus, *Maneat nostros ea cura nepotes*.

Illius auspicia, & fama immortalis honores, Quisve typus patriæ, quæ forma, quibusve remensa Limitibus, gracili cordi est mihi ludere versu.

Illius auspicia] Propositio est, quam invocationi postposuit, more *Græcorum* Poëtarum. *Auspicia*] Fortunam *Virg. Mesi fata meis paterentur ducere vitam Auspicis. Typus*] Figura, & ad quantitatis refert descriptionem. τῶρον, formam, figuram, ad umbrationem *Græci* dicunt. *Forma*] Respicit qualitatem seu naturam terræ. *Limitibus*] Finibus, terminis. *Ludere versu*] Secutus est eos, qui ita præcipiunt, *Ludimus minora, canimus majora* *Virgil. Ludere quæ vellem calamo*. Idem *Arma virumque cano*.

Principio antiquos solis contingit ad ortum

Vindelicos, & pugnacis fera castra Brigantis,

Tum Ceretos populos, spaciog, remota parumper

A Lepontinis & Etuatica rura colonis

Trans Rhenum, molles ubi Rhenus pampinat uvas

Bekipotens, etiam si Suanica non regit arua.

Suanica, nostro ævo Hercyniis habitata Suevis.

Hic primos fontes, hic dat duo cornua Rhenus

Monte Diadrella, longeq, effusus in amneis

Acronium & Venetum, Romana ac barbara Regna

In Boream cursans, cursu crepitante diremit.

Principio] Narrare incipit, primum indicans quid *Helvetia* habeat ab oriente. Ponit omnia quæ secundum *Geographos* limitum obtinent rationem, ut gentes, oppida, lacus, flumina, montes, & si qua sunt hujusmodi. Ubi hoc notandum, nomina quædam poni, quorum cognitio haberi non potest, nisi ex conjectura: in causa est vetustas. *Contingit*] *Helvetia*. *Vindelicos*] *Populos*, de quibus *Strabo* lib. IV. sic scribit: *Rhenus quoque, magnas in paludes, lacumque magnum effunditur, quem Cereti & Vindelegi propius attingunt*. Hæc *Strabo*: *Quidam putant Vindelicos in Strabone hoc loco esse legendum; De Ceretis nulla apud alios mentio*. *Brigantis*] Oppidi vetustissimi ad caput lacus Constantiensis. *Ptol.* id adscribit *Rhætis*. *Strab.* vero lib. IV. inquit: *Brigantes pertinere ad Vindelicos. Hodie Bregantium dicitur*. Lacus prædictus nomina quondam ab ipso oppido habuit, nam *Solin.* *Brigantium*, *Ammianus* *Brigantiæ lacum* dixerunt. *A Lepontinis*] *Populis Rhætiae*, teste *Strab.* lib. IV. *Cæsar* lib. IV. de

bello Gallico, Leopontios ad caput Rheni statuit. Ptolem. lib. III. Leopontiorum civitatem Ofcelam ponit in Alpibus ad lacum Larium. *Ætuatica rura colonis*] Rheno autem vicina omnium primi coloni Ætuatici, quibus fluminis origo vicina est, in Diaduella monte; hic Alpium pars est, à quo Abduas fluvius in contrarium fluit ad interiorem Galliam, lacum implens Larium, cui proximum conditum est Comum, dehinc in Padum confluit. Hæc iterum Strabo lib. IV. apud quem est diphthongus *αἰτταῖσι*. Unde Poëta hic U pro consonante accipit, ut sit tetrasyllabica dictio. De illis Tschud. in Rhætia cap. 17. egregiè differit: non sunt autem ultra Rhenum, ut putavit Poëta, sed citra utriusque & Ætuatici & Leopontii in Cænanis hodie Rhætis. Rhætus] *Rhætos supra Comum ad Alpium radices* Strabo jacere dicit, & pertinere ad Italiam usque, quæ supra Veronam & Comum est, Tuscorum prolem, Plinio teste, quidam eos arbitrantur, à Gallis à *Tuscia pulsos, ac Duce Rhæto Alpes occupasse*, ac ita Livius lib. V. ab V. C. Ptol. Rhætiam Adula monte, Danubio, Eno, & Alpium montibus concludit. Vinum Rhæticum inde dictum, quod inter pretiosa vina numeratur. Virg. *Et quò se carmine dicam Rhætica*. Rhætiam uno libro de quo jam testimonium citavimus, elegantissimè descripsit D. Ægidius Tschudus; ut in mille annis nemo melius Poëtae nostri iudicio. Est autem Rhætia prima syllabam cum Æ diphthongo scribenda, ut habent Strabonis codices, & alludit vulgatum adhuc arcis *Κάριν*. *Pampinat*] Decerpit. *Molles*] Alludit ad vini pretium. *Suanica*] Ptol. *Suanitas populos inter Rhætos* ponit. Sed Postea alludit ad Schanau. oppidum hodie non Rhætorum, sed Suevorum. *Herwynus habitata Suevis*] Hoc dicit quod nonnulli Suevi intra eandem sylvam, aliqui extrâ habitant, Auctor Strab. in VII. Caterùm in Suevis, dixeris est, ut apud Luca. in I. *Hic primos fontes* Rhenus apud Rhætos oritur, & ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit Venetum & Acronium, mox diu solidus, & certo alveo lapsus haud procul à mari huc & illuc dispergitur, testis Mela lib. III. eundem describit Cæsar lib. IV. de bello Gallico. *Duo cornua*) Duobus fontibus oritur, propterea hoc dictum est. At Virgilius aliter bicornem appellat propter ostia duo. *Monte Diaduella*) Strabo testis, ut supra diximus. Sed Poëta securus Strabonis codicem, qui etiam in Græcis variat nomen. Multi existimant ubique Adulas legendum, nisi quis putet, eum montem plura habuisse nomina, Adulas, Aduallas, Diaduella: sicut hodie tres transitus per eum insignia nomina habent, *Brselet*, *Boget*, *Lucumonis* mons. Vide D. Ægidium Tschud. in Rhætiae descriptione c. 31. *Longèq; effusus in amneis Acronium & Venetum*) *Acronium lacum hodie Constantiensem* dicunt, *Venetum autem Cellensem*. Dubitatum est aliquandiu Acroniumue tribus syllabis, an Acronium quatuor syllabis dicendum foret. Sed hanc dubitationem facile depulit hodie Joachimus ille Vadianus multa Doctrinæ Vir, & mihi (quod in primis jucundum) amicissimus, in epistola ad Agricola suum. Ibi namque *Acronium* dicendum esse appositè docet, *aba privativa parsicula & Cronium ad est, Saturnium & frigidum, quod Saturnus, qui frigidus est* *νερός*. Græcis dicatur, significans lacum sic appellatum, quod minus frigori vehemen-

si prematur, & glacie. Venetus lacus à colore marino dictus, qui cæruleus est. Poëta Joachimo subscribens carmen hoc loco correxit, & amnes lacus vocavit, non nisi quod sint tam lucidi, tamque splendidi, ut amnes videri queant. Lacus autem amnis nomine posse dici, *Ἰταλίων* quis ignorat? *Romanæ & barbaræ Regna*) Romano etenim Imperio Rhenus olim terminus erat, barbaræ Regna dixit, more Romano, intelligiturque Germania. *In Boream cursans*) Septentrionem, cujus Boreas ventus est. *Diremit*) Præteritum pro præfenti, quanquam ad præterita etiam tempora referri potest.

Insubres medium ad Solem, atq; Segusia præta
Prospectit, & quas persecuit ferus Hannibal Alpsis.
Tum montes Ursella suos, ubi spumifer exit
Cæruleo Rhodanus curru, qui turbidus arcis
Helvetias olim Romanis movit ab oris.
Hinc arna Allobrogum, Rhodanoq; super Geneva pons
Atq; recurstantes per inhospita resqna Seduni,
Et Veragri, gens undivomo bene nota Lemanno.

Insubres medium) Quid Helvetiam cingat à Meridie, demonstrat. *Insubres populi sunt Gallia cærioris*, quorum civitates sunt, ut Ptol. habet lib. 3. Novaria, Mediolanum, Comum & Ticinum. Addunt quidam Laudam, & Vercellos. Insubrium meminit Strab. lib. V. & Plin. lib. III. nomen est Gallicæ linguæ qua etiamnum Helvetii utuntur insuber; ut pleraque alia Gallorum Cisalpinorum nomina *Kimmian* Cœnomani, *Mantov* Mantua, *Vener* Veneti. *Ad medium Solem*) Ad Meridiem. *Segusia*) Segusianos Strab. lib. IV. in Rhodani & Dubidis fluviorum medio jacere dicit. Cæsar non longè ab Allobrogibus collocat lib. I. Ptol. in Italia descriptione ita ait: *Segusianorum in Grajis Alpibus urbes Segusium ac Brigantium*. Hæc ille: *Sibusiani* autem inter Rhodanum ac Ararim, apud Cæsar. lib. I. de bello Gallico. *Sedusii* verò Germaniæ populus est, ut apud eundem lib. I. *Persecuit*) Persegit. Alludit nimirum ad illud, quod est apud Plutarchum: Hannibalem in superandis Alpibus multum commoda perpessum, non solum cum incolis montanis pugnando, sed etiam laborando adversus angustias, asperitatesque viarum, hoc modo, ut quibus locis per ingentia saxa, igni, acetoque putrefacto, sibi aperuerit iter. *Ferus Hannibal*) Hannibalem profus depictum, vide apud Livium lib. I. *Decad. 3.* Juvenalis quoque de eo sic meminit. *Satyræ decima*,

Opposuit natura Alpemque nivemque,
 Didixit scopulos, & montem rupit aceto.
 Jam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.
 Actû, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
 Frangimus, & media vexillum pono suburra.

Ursella) Vocandi casus, & profopopœia. *Ursella, seu Ursula* (utrumque enim Latine) vicus est, & vallis ad radices *Gothardi*, stadiis ferè nonaginta distans à fontibus Rhodani. Quare additur: *Ubi spumifer*) Considerandus hoc loco Poëta amor in bona studia, considerandus labor infatigabilis: Legerat non pauca de Rhodano apud veteres Scriptores (ut est in iis evolvendis mirè diligens) nihil tamen hætenus invenerat, unde certam de hoc flumine veritatem referret. Quocirca fontes ejus quæsit, cursum ejus secutus Sedunum usque, id

id autem quicquid est, brevibus adnotabimus. Rhodanus, Sedunorum fluvius, ex Alpibus originem habet, eo quidem loco, quo ex Urfellana valle per Furcam montem in Sedunorum Regionem iter est. Mons, sub cuius radice sunt fontes Rhodani, non saxis, non rupibus, non denique terra, sed perpetua glacie in altitudinem sexdecim penè stadiorum insurgit. Utrinque feros habet montes, abietibus, sylvestribusque arboribus virentes. Ipse suo candore iners jacet, horrendi (me Hercule) aspectus. Non gramen, non virgultum aliquod virescens, sed solam concretam, coaceruatamque glaciei congeriem, ac si pluvia è cœlo illic coaluerit, ostentat. Porro statim post fontes non ad Septentrionem (quemadmodum falso antiqui crediderunt) sed ad Meridiem triginta stadiis labitur, deceditque deorsum stadiis 16. donec ad caput vallis Sedunorum, & ad Occidens hyemale conversus, pervenit. Tum centum penè stadia eodem tractu currens, ad Zephyrum sese declinat. Deinde per Sedunorum & Veragrorum terram labens, in Lemannum effunditur. Hactenus de Rhodano. *Helvetias olim Romanis*) Cæsar ab initio Commentariorum dicit: *Rhodanum dividere provinciam Romanorum ab Helvetiis. Allobrogum*) *Hi populi sunt Narbonensis Gallia*, qui Viennam habent ad Rhodanum, Autore Ptol. Idem Strab. ait lib. IV. Partem ejus Regionis Duces Sabaudia habuerunt, nunc Franci omnia occupant. De Geneva oppido Cæsar verba subscribam, inquit enim: *Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet*: Hæc ille. *Geneva pons*) Quatuor hæc nomina *Genua, Geneva, Genabum & Gebenna* multum obscuritatis Lectori ingerunt, ac non attentos sæpe fefellerunt, quæ ipsa longè diversa sunt. Genua enim (non Janua) Ligurium caput in Italia ad mare mediterraneum. Geneva verò Allobrogum, ad ostia Lemanni lacus, ubi Rhodanus exit. De hac nunc Poëta loquitur. Genabum autem Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie, ut quidam putant, Aurelia, denique Gebenna mons, qui Helvetios (hodie Albim) ab Aruernis separat, ut lib. VII. *Comm. Cæf. pater. Per inhospita resquæ*) Loca inhabitabilia, aspera & difficilia. Talia nempe resquæ dicuntur, Cicerone teste. Sunt & loca augurio designata. *Seduni*) *Vallesani dicuntur hodie, & à Rhodani fontibus ad Lemannum lacum pro tenduntur, vallem habent amœnam, atque septam undique montibus.* Rhodanus eam mediam dividit, pater in longitudinem 580. ferè stadia. *Veragri*) *Populi Sedunis finitimi supra lacum Lemannum, hodie inferior Valesia, eorum vicus Obedurus, hodie Martenach.* Cæsar de Sedunis & Veragris lib. III. *Comment. meminit. Malè enim tractatus ab iis est. Ipse Poëta de iis multa in Commentaria Cæsariscrispulis lectu digna. Undivomo Lemanno*) Rhodanus à Lemanno & recipitur & iterum vomitur, ideo dicit Undivomo. Volunt quidam *Alemannos inde traxisse nomen*; verum Quadratus apud Agathium asserit *Alemannos dictos, quod plerique Germaniarum populi in unum convenissent.* Vulgò asserit *Mann*, atque id verisimile est. De Lemanno Strab. lib. IV. *ad calcem.* Et Lucan. *Deservuere cavo tentoria fixa Lemanno.*

Deniq; ad occiduas umbras, Zephyrumq; tumentem Burgundos acres habet, & discrimen utriusq; Cervices è Jura tuas, qui Sequana rura Scindis ab Helvetiis nunquam sine gramine campi. Heduns hinc latè regnat, Romana secutus Imperia, & consanguineos imitatus amicos. Lingonicis post horrissonis furor estuat arvis Nequicquam, & Lemcos petit alia in fœdera fratres. Deniq; Quæ Regionis Helvetiam contingant ab Occasu, exponit. Zephyrumq; tumentem. Idem cum eo quod dicit, *Occiduas umbras*) Zephyrus namq; ventus ab Occidente flat, Latine Favonius dicitur, testibus Gellio ac Servio. Frequens autem est Poëtis Regionis designare per ventos. Hunc tumentem dicit, nimirum quod ejus naturæ sit post hyemis sævissima frigora relaxare vitem, atque producere flores. I. Georg. *Burgundos acres*) *Burgundi origine Germani, olim occuparunt Sequanos, populum Gallia inter Rhenum ac Arvernos latè potentem, quos mons Jura ab Helvetiis separat.* Ptol. his quatuor tribuit oppida, Diatonium, Visontium, Equestre, & Aventicum. Quanquam postremum hoc Corn. Tacitus præcipuam Helvetiorum urbem fuisse scribit. *Cervices*) Jura. A Poëtis & montes dicuntur habere capita, cervices, ventrem, & pedes *μεταφορικῶς.*

O Jura) *Jura mons, ut modò diximus, Helvetios & Sequanos dividit, testis est Cæsar lib. I. & Strab. lib. IV. Vulgò hodie appellatur Eberberg. Quamvis illud non nesciam, aliter quoque appellari, idque pro gentium, quas attingit, diversitate. A lacu Lemanno ad eum montem Cæsar murum perduxit una die, fossamque. Proinde error est dicere montem esse Alsatia. Nunquam sine gramine campi*) *Commendatio à fertilitate. Intelligit eos, qui sunt ad Lemannum. Heduns hinc*) *Hedui populi trans Ararim & Rhodanum Romanis se, apud Strab. lib. IV. consanguinitate conjunctos asserunt.* Primumque ejus Regionis homines in illorum amicitiam, societatemque convenerunt. Cæsar quoque asserit lib. I. *Heduos sæpenumero ab Senatu Rom. fratres consanguineosque appellatos.* Quare Poëta etiam subdit: *Romana secutus Imperia, &c. Lingonicus*) *Lingones* Ptol. supra Helvetios ponit. Strab. lib. IV. inquit, *Supra Helvetios & Sequanos & Hedui & Lingones in Occasum vergentes habitant. Supra Mediomaticos Lenzi, & quadam Lingonum portio.* Et Cæf. ait, in Lingones Helvetios cecidisse, post pugnam cum ipso factam. *Hi hodie Langres. Lenzi autem in Lotharingia, id quod antiquitates, & monumenta quædam certissime indicant, quæ Glareanus meus vidit in itinere ad Parisios.* Ptol. quoque civitates Leucorum dicit Tullium & Nasium. *Nequicquam*) Frustra, quid enim Lotharingi potuissent contra Carolum Burgundia Ducem, sine Helvetiorum auxilio? *Fratres*) *Vicinos.*

Postremo Arctoum, sævisq; Aquilonis ad axem, Quæ scindit placidus Basilea mœnia Rhenus, Ultima Rauriacam portendit brachia ad urbem, Sequanium attingens, Fridolini nobile busto: Arietis hinc urbem, tum quorum sermo, Latinus Nomina non patitur, variorum rura locorum, Donec ad Acronius, Venetasq; recircuit undas. Postremo) *Ultimo concludit Helvetiam, quæ ad Septentrionem respicit. Arctoum*) *Arcticum, Aquilonis*

(lonis) Aquilo ventus Septentrionis, dictus ab aquila vehementi volatu, nam & ipse vehemens, & sævus, quemadmodum Poëta eam nominat. Et Ovid. attribuit sævitiam, & vires, iramque animosq; minaces. Metam 6. Græcè *Boreas* dicitur, $\delta\omega\tau\ \tau\acute{\iota}\varsigma\ \beta\acute{\omicron}\nu\varsigma$, id est, à boatu, quoniam sit violenti flatus, & sonori, ut Gell. inquit. *Ad axem*) Ad axem Arctoum, & ad axem sævi Aquilonis, idem: intelligit enim Septentrionem. Axis propriè illud est plaustrum lignum, circa quod rotæ vertuntur. Ad cuius similitudinem linea medium sphaeræ transiens, axis appellatur. Et axes pro polis accipiuntur. *Qua scin. pla.*) Notum est Rhenum placidissimo, pariter & amœnissimo lapsu insidiante tamen, Basileam interlabi. Unde Picus quoque, Hinc sumptis Basileam dividit urbem fontibus. *Rauriacam*) A Rauracis post excisam Augustam ipsorum, extructam, Rauraci apud Ptol. *habuerunt Augustam urbem in litore Rheni.* Cujus hodie supra Basileam sunt plurima vestigia, hi urbe deserta, commutatisq; sedibus, sed non longo intervallo, Basileam condiderunt. Quæ quidem hodie, ut tempore Cæsaris Rauraci, cum Helvetiis est in fœdere. Sed ipse Poëta *super I. Com. Cæs.* ita differit. *Rauraci supra Basileam habuisse sedes, atq; Augustam urbem maximam, cujus etiam hodie vestigia sunt, pertigisseq; eorum imperium rectè ascendendo, sed in Rhenum ad confluentem usq; Rheni ac Arolæ dittonis hodie Helvetica, satis consonum veritati est.* Hi *Nauchacter* olim Germanica voce dicebantur, quasi dices duri agri. Ejus tractus hodie quatuor sunt elegantia oppida, *Waldsburt/ Louffenburg/ Seckingen/ und Ninselden.* Hæc ille, & plura alia lectu digna. *Sequanium*) Vulgò *Seckingen oppidulum* Rheni viginti sex millibus passuum supra Basileam in mediis Rauracis jacens. Sunt qui hujus incolæ Sequanorum quondam fuisse dicunt colonos, & Germanos à sacco putasse dictos. Verùm nos credimus saccum posterius esse, ut Basileorum basiliscum, & arietem Scaphusianorum (ut postea dicimus) atque subinde insignia posteriora, in quibus saccum, basiliscum, & arietem publicè ferunt. *Fridolini nobile busto*) Divus Fridolinus enim sibi sepulchrum jacet. Sed de hoc postea. *Bustum* locus, ubi mortuus est combustus & sepultus, sic dictum, quasi beneustum, nos sepulchrum dicimus esse. Inde *bustuarii*, quos *sandapilarios* vocamus. *Arietis hinc urbem*) *Scaphusia periphrasis.* Hanc vulgus nominatam putat ab ovis (quam opinionem hinc sequitur Poëta, sed in Panegyrico alteram) cum tamen antiqua *Chronica* dicant appellatam *Schiffhusen* à frequenti navium statione. Quicquid enim merorum ex lacu Constantiensi per Rhenum defertur, eo loci exportandum est, nam ultra navigio non potest pergit ad mille quingentos penè passus, Græca compositione hodie vocant *Probatopolim*, $\pi\acute{\rho}\beta\omicron\tau\omicron\upsilon$ enim ovem significat, unde Probatrica piscina in Evangelio. Avetis, pes est Proceleusmaticus pro dactylo. *Tum quorum sermo*) Hoc dicit, multa adhuc esse loca, quibus Helvetia ad Septentrionem clauditur, sed nomina esse barbara, & proinde catmini inconvenientia, qualia sunt *Waldsburt/ Klingnow/ Seckborn/ Diessenhofen/ &c.* Consultò igitur relinquuntur.

Hercynios saltus sylvam sine fine vagantem
(*Ut Nilus ignotam referat longi agminis undam*)
Prendis, Erythropolis amos curvo aggeris muros.

Hic olim pugnax, regno Erenvestus avito
Tentonicas rexit caulas, gentemq; superbam
Germanos, bello indomitos, suetosq; laborum
Semper, & in nudo nudos sudescere campo.
Hi patria fines, hi sunt quos continet arcus
Helvetia, & quas comprehendit vicinia gentes.
Hercynios saltus) *Hercyniam sylvam* ait Cæsar in 6. Com. lib. *Tectosages occuparunt, cujus latitudo novem dierum iter expedito patet, non enim aliter finiri potest, neq; mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum, & Nemetium, & Rauracorum finibus, rectèq; fluminis Danubii Regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium. Hinc se flellit sinistrorsus, diversis à flumine Regionibus, multarumq; gentium fines propter magnitudinem attingit. Neq; quisquam est hujus Germania, qui se aut audisse aut adisse ad initium ejus sylva dicat, cum dierum iter 60. processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit.* Hæc ille. De hac sylva Strab. quoque lib. 4. & 7. scribit. Et Pomp. lib. 3. de Germania. Multa etiam Poëta noster in Annotationibus super 6. librum Commentariorum Cæsaris, digna lectu, quia oculatus testis ea narrat. Porro *sylva Bacenis* (obiter enim hoc adnotandum erat) longè alia est, introrsus Cheroscos a Suevis, Suevosq; à Cheruscis submovens, cujus item meminit Cæsar in 6. Et quæ hodie *Nigra sylva* dicitur, pars est *Hercynia.* Caput ejusdem est *Rorvila*, aut Græcè *Erythropolis*, civitas Helvetiis amicissima. (*Ut Nilus ignotam*) Parenthesi carmen hoc integrum supplet. Comparat autem Poëta *Hercyniam sylvam Nilo fluvio maximo Ægypti*, eo quòd ejus origo pariter, uti *Hercynia*, apud veteres ignorata fuit. Unde Horatius:

Te fontium qui celat origines Nilusq;
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occulitq; caput, quod adhuc later, ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.
Nero centuriones duos misit ad investigandum caput Nili. Illi verò retulerunt, se venisse ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ noverant. Deinde vidisse duas petras, ex quibus ingens vis fluminis exciderit, verùm an caput ibi fluminis sit, prorsus ignorare, propius enim adeundi potestas non fuit. Autor Seneca lib. 6. Natur. quaest. *Agminis*) *Cursum. Prendis*) Scilicet *Helvetia*, hoc est, attingit. *Erythropolis* namque rubrum signat. Hujus civitatis mentionem Poëta his de causis maximè facit, quòd à multis jam annis continuo Helvetiis adhæsit, atque in bellis etiam difficilimis semper præstò fuit suis præsidis, animumque fortissimum nunquam non indicavit. Deinde autem, quòd Præceptor ejus primus, Michael Rubellus, qui bonas literas cum maxima laude multis annis Betnæ professus est, Vir, ut doctrina clarus, ita probitate conspicuus, inde natus sit. Denique quòd illic per biennium Poëta literis incubuerit. Ejus urbis laudes ipse Poëta una cum Præceptoris Encomio celebrat lib. 2. cap. 33. *Dodecachordi*, ubi de connexionione Æolii Hypozollique disserit. *Curvo aggeremuros*) Ob situm civitatis hoc dicit, *Erenvestus*) Hic Germanorum Rex fuit, testis est Cæs. lib. 1. de bello Gallico. Vox est Germanicæ linguæ *Erenvest*. Cæsar vocem, ut alia, corruptit, *Ariovistus. Avito*) *Prisco. Tentonicas rexit caulas*) *Calas Germanorum. Superbam*) *Nobilem*, sic Virgil.

Hinc populum late Regem, belloq; superbum. Bello indomitos) Libet verba Senecæ de Germanis adscribere. Ille enim, sic inquit, de Ira, lib. 1. Germanis, quid est animosus? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidus? quibus innascuntur innutriunturque, quorum una illis cura est, in alia negligentibus, quid induratus ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisæ sunt, non suffragia adversus perpetuam cæli rigorem. Hostamen Hispani, Galli, & Asia Syriæq; molles bello viri, antequam Legio visatur, cedunt, ob nullam aliam rem opportunos, quam ob iracundiam. Hactenus ille. Præterea de Germanorum moribus, Pomp. lib. 3. Strab. lib. 7. & Corn. Tac. de Germ. Hispania) Conclusio situs Helvetici. Arcus) Ambitus, circuitus.

Præterea caput Europæ hanc esse probabunt, Eternis Alpes nivibus, juga Olympica, quorum Porgitur in cælum caput, & sub tartara venter: Et quod ad Auroram, Boream, solemq; cadentem Flumina perpetuo non deficientia cursu Parturit, illa volant, & in omnia membra edant. Ad Zephyrū & Lybien Rhodanus, Rhenana fere Unda citat Boream, gelidas rotat Ister ad Eurū (tem Dirus aquas, Getico novus hostes & advena Ponto. Ast alios sileo, quos Italia accipit amnes. Alpibus à nostris, quaq; alto à vertice montes Agmina disparibus fundunt latissima sulcis: Ceu fluat Elysiis Gangeticus humor ab oris, Tigris & Euphrates, & non bene cognita fonte Unda papyriferi semoto ex athere Nili.

Præterea) Indicaturus Helvetiam esse locum totius Europæ altissimum, duobus id rationibus facit. Prior, quod Alpes editissima rupes sunt in Europa, Autore Strab. Altera, quod quatuor aut quinque flumina Europæ maxima oriuntur vel in Helvetia, vel prope, & ad quatuor mundi plagas decurrunt. Nempe Rhenus ad Boream, Danubius ad Ortum, Rhodanus ad Occidentem, quamvis citra Lugdunum se ad Meridiem flectat. Adhuc sunt, quæ ex Alpibus defluentia Italiam irrigant, de quibus mox dicemus. Caput) Locum editissimum. Eternis Alpes nivibus) Una ratio. Alpes describuntur ab Herodiano Historico lib. 2. tum verò lib. 8. his verbis: Hi sunt longissimi quidam montes, vice murorum Italia circumdanti, adeo in altum editi, ut etiam nubes superare videantur, itaq; in longum porrecti, ut universam Italiam comprehendant, leva ad Tyrrenum pelagus, dextra ad Ionium usq; pertingentes, densis ubiq; nemoribus infests, atq; angustissimis callibus, & rupium prærupta altitudine, scopulorumq; asperitate vix pervisi, nonnullis tamen quasi semitis magno veterum Italorum laborum manufactis. Hæc non potui non adscribere, cum ob elegantiam verborum, tum quod vix alium reperies, qui Alpium formam ita oculis proponat. Nives habent perpetuas, unde nomen à nivium candore sortita dicantur, ἀλφειά enim maculam significat albam. Sunt tamen qui volunt inditum vocabulum à Gallorum lingua, qui montes altos vocitent Alpes. Quod est verisimile. Juga Olympica) Id est, tantæ altitudinis, ut est Olympus mons Thessalia, de quo Lucan. Nubes excedit Olympus. Porgitur) Syncope. Et sub Tartara ven.) Hyperbole; hoc est, superlatio secundum Ciceronem. Et quod) Ratio posterior. Volant) Volare habentium pennas est. Transfertur ad ea,

quæ cum celeritate fiunt, ut hic, volant, pro celeriter decurrunt. Ad Zephyrum) Id est Occidentem indicat, uti quodque horum fluminum ad suam tendat plagam. De Zephyro diximus. Lybien) Ad Meridiem. Libya Africa Regio. Egypto. contermina. Plin. testis lib. 5. Quam quidam dictam volunt ab Epaphi filia, Libya vocata, procreata quidem ex Cassiotha uxore. Alii à vento, qui Lybs appellatur. Rhodanus) Diximus supra, ab Ortu longissimo tractu hunc ad Occidentem labi, tandem verò post Lugdunum totum verti ad Meridiem. Ister) Danubius fluvius Germaniæ maximus, cujus originem & progressum hoc modo Picus descripsit.

Hinc & Danubius non magnas devehit undas Montibus Arbonæ vix fusus, plurimam nondum Flumina sutripuit, nondum binomius, ingens Alluit Elysiis, Atiosque & Pæonis oram. Et Lygios: tandem raptò tumefactus aquarum Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum Extremumque caput limosa perdit in ulva.

Verum de hoc flumine & ejus, non uno, sed duobus fontibus Prygen & Pegen, ipse Poëta multa notatu digna scripsit in annotationibus Com. Cæs. lib. 6. Ad Eurum) Orientem. Dirus) Rapius. Getico) Euxino. Danubius enim per Geras in Pontum delabitur, sed tum Istri nomen accipit, testis est Strab. in 7. De ostiis Autores non admodum consentiunt. Nam Corn. Tac. sex meatibus in mare Ponticum erumpere dicit, septimum os hauriri paludibus, initio de Germania. Mela toridem, quot Nilus, ostiis, sed tribus tenuibus reliquis navigabilibus, lib. 2. Strabo septem, & ex Autoritate Ephori quinque, lib. 7. Ptol. 6. &c. Ast alio fil.) Ut Abduam, Tosam, Mediam, Ticinum, Athesim, & nonnullos alios. Agmina) Flumina. Sulcis) Alveis. Ceu fluat elysius) Comparatio. Ut enim è paradiso fluunt quatuor flumina (ut proditur secundo Geneleos) Ganges, qui & Physon, Tigris, Euphrates, & Nilus, qui etiam Geon nominatur: ita ex Helvetiorum Alpibus in quatuor mundi plagas excurrunt quatuor flumina maxima Europæ: Gangeticus hu.) Ipse Ganges Indorum fluvius. Quem incertis quidam fontibus nasci, & Nili modo exundare perhibent. Ita Solin. cap. 60. Strabo lib. 15. scribit ex Artemidoro, Gangem ex Hanodis montibus ad Austrum deferri, & cum ad Gangem urbem pervenerit, converti ad Auroram usque Palimbothra, atque in mare ingredi. Mela lib. 3. eandem originem tradit. In eo tanta longitudinis anguillas dicit esse Solin. ut ad tricenum pedum proceritatem accedant. Tigris) Tigris oritur in Regione Armeniæ majoris, testante Plin. lib. 6. fonte conspicuo in planitie. Nomen obismet à velocitate currendi, nam Medi sic vocant sagittam. Strabo de Tigride & Euphrate, lib. 11. & 16. Euphrates) Euphrates similiter Armeniæ fluvius, Armeniæ Regionem à Capadocia excludens, ut idem Plin. tradit. Mela originem ejus, atque cursum planè depingit lib. 3. Ptol. montem unde is fluit, appellat Periarden. Ammianus quoque ejus mentionem facit lib. 23. Et non bene cog. fon.) Suprà diximus Nili originem antiquis fuisse incognitam. Verum id non mirum, cum & Divinæ Scripturæ veritas immanifesta ipsis extiterit, quæ Nilum ex Paradiso (uti dictum est) erumpere

per docet, cum aliis tribus fluminibus: Quorum quidem originem illi tradiderunt, prout invenerunt ea primum e terra prorupisse. Nobis itaque in his, sicut in aliis, puto sacris documentis accedendum, quæ mentiri haud noverunt. *Papyriseri*) Qui fert papyrum fruticem in palustribus Ægypti nascentem, aut quiescentibus Nili aquis, ex qua sunt chartæ. *Plin. rest. lib. XIII. cap. 11.*

Si verò Helvetia, quæ sit natura requiris, Conditio est duplex, terræ natura biformis. Namq; ubi ad Italiam vergit, solemq; calentem, Montana est, sed enim ridenti fertilis arvo, Fontibus irrigua, & florentibus optima pratis: Lucis & sylvis, pecori gratissima tellus. Phacum terras Corcyrea gramina vincit, Et longè positas alio sub sole Britannos. Sed contra Boream, ortumq; obitumq; astrorum Plana jacet campis, fecundoq; utilis agro: Frumenti, viniq; ferax, & divite rure, Collibus apricis, quos pampinus ornat, & uva.

Si verò Helvetia) Naturam describit Helvetiæ, duplicem eam esse demonstrans. Quæ enim parte ad Italiam vergit, Alpès habet: In alias partes ferè plana est, producitque abundè, quicquid humana vita exigit, productura tamen omnia felicius, si pro soli fecunditate coleretur. *Conditio*) Qualitas. *Vergit*) Tendit, porrigitur. *Solemq; calentem*) Ad Meridiem *Montana est; sed enim ridenti fertilis arvo*) Breviter adnotabimus, qualis sit Alpium natura apud nos (figuram nempe superius ex Herodiano retulimus) quo intelligatur, quid commodi liceat sperare ex reliquis partibus Helvetiæ; cum tantus sit fructus ex montibus. Horum namque (ut hoc primò dicamus) hi perpetuis nivibus albicant; Illi procul aspicientibus nihil promittunt, nisi saxa durissima, postquam inscenderis, prata pinguisima offendis. Alii verò & aspectu sunt amœni, & re ipsa. In iis, inquam, per æstatem menses tres ad summum pascuntur cum greges, tum vaccæ, e quibus tanta emolumenta, ut brevi oratione nemo possit consequi. Nam *serum* inde, *caseus*, *butyrum*, *aliaq; lactaria tanta sunt copia, ut non tam Helvetiæ iis rebus expleatur, quam finitima quæq; nationes.* Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montem, in Italiam, multaque alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi possit. Illud mihi compertum, *ex viginti bobus fructum annuum esse centum coronatorum, præter sumptum omnem, quem in familiam, famulos & famulas distribueris.* Omitto ferturam copiosissimam, lac & liquidum & concretum, quæque ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum usum. Hinc est, quod tantus popululus in tam angusto circulo enutritur, quod adeo pauci ex Helvetiis ad mendicitatem adiguntur, quod tanta exteriorum turba sedes apud nos quarit. Libet penè exclamare hodie cum Virg. *O fortunatos nimium, sua si bona norint, Helvetios.* Sunt enim quos pecuniæ nimia cupiditas tam angit transversos, ut hujusmodi bona non intelligant, ut tales opes profus vilipendant, quæ tamen ut sunt & stabilissimæ & honestissimæ, ita maxime Christianæ, uti Christost. docet. Sed hæc pluribus *Fontibus irrigua*) Unde patet Helvetiæ fecunditas. Nam dicit Strab. *lib. 12.* de patria sua, temper aquæ copiam meliorem esse, quam siccitatem: fontibus, amnis ac lacubus non est similis Helvetiæ

natio sub cælo; ut putat Poëta noster. *Corcyrea gramina*) Quæ in Corcyra insula Epiri crescunt, quam Phæaces inhabitârunt. Respicit ad hortos Alcinoi notissimos, de quibus Hom. *lib. 7. Odyss. Alio sub sole*) id est, climate. *Britannos*) *Hiberniam* intelligit. De qua Pomp. *lib. 3.* scribit, *tam esse luxuriosam herbis non latis modò, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant.* Idem penè Solin. *cap. 31.* Pomp. eam insulam Juvernâ dicit, Strab. *Jernam* *isprav. lib. 4. Obitumq; astrorum*) Occasum Virg. *Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus.* Est autem versus spondaicus. *Jacet*) Helvetia. *Frumenti viniq; ferax*) Ager Bernensis, Friburgensis, Salodorus, Herogea, item & Durgea frumento mirè exuberant. Colles autem Scaphusiani, Morentenses, Aventicenses, Bielenses, & Thermopolitani vino. Apud Tigurum & Basileam utrumque non mediocriter crecit. Sunt alia insuper loca per Helvetiam, quibus neutrum deest, sed minor copia. *Divite rure*) Divite neutro genere dixit quemadmodum Tibullus: *Divitis hoc vitium est ruris. Apricus*) Soli expositis. Hor. *Multa mole docendus aprico parcere prato.* Homo apricus, & avis aprica, sole gaudentes. *Pampinus*) Vitis synecdochæ.

Quid liquidos referam fontes, rivosq; loquaces, Muscososq; amnes, de viva rupe cadentes, Caruleos latices? ô murmurâ grata colonis, O requies, ô lenimen prædulce laborum. Num vestras laudes summa & præconia adequat Pando aliquis? docto non est hæc lingua Maroni, Nec sibi Homere caput, licet omnia uterq; Poëta Attigerit, gremio quæ vastus continet orbis. *Quid liquidos referam*) Fontium aquæ & Jovis, & optimæ apud nos nusquam deest copia. Fluminibus abundamus, his navigabilibus, utpote. Lima-go, Urfa, Arola, & Sana; aliis navibus minus accommodis: ut Dura, Emmaña, Rhodano, ut in Sedunis innumerisque talibus. *Liquidos*) Claros. Virg. Et liquidis immisi fontibus aprum. *Loquaces*) Resonantes. Sic Hor. de fonte Blandusæ. Unde loquaces lymphæ desiliunt tuæ. *Muscosos*) Obsitos muscò. Virg. *Muscosi fontes, & somno mollior herba. Viva*) Naturali. Virgil. *Vivoq; sedilia saxo Nympharum domus. Caruleos*) Caruleus color species viridis, Gell. teste *lib. II. cap. 26.* Est autem caruleus perpetuum aquæ epitheton: *Latices*) Latex (ut Serv. inquit) aqua propriè est, ab eo, quod intra terræ venas lateat. Insuper autem & vinum laticem dicimus, quod lateat intra uvam. Ovid. *Latices Palladios, pro oleo dixit. Omurmura*) Admiratio. *Lenimen*) Refocillatio. Unde Hor. de laude vitæ rusticæ:

Libet jacere modò sub antiqua ilice,
Modò in tenaci gramine;
Labantur altis interim ripis aquæ
Quærentur in sylvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Num vestras laudes) Quasi dicat minime. Negationem enim, Num, in se habet, sicut affirmationem nonne. *Docto non est*) Scilicet ut vos pro meritis celebraret. *Nec sibi Homeri caput*) Apostrophe. *Licet om.*) Quid Virg. quid Hom. scriptitârint, & quantam inde laudem sint meriti, vel sole clarus.

rius. De Homero nempe dicitur, Vatem esse Doctrinarum omnium, atque ingeniorum Autorem, & Principem. De Virgilio, Tatitum ipsum, ut laus nullius commentatione crescat, nullius vituperatione minuat. Gremio) Ambitu.

Quatuor Helvetia cepi connexere pagos:

At res obscura est, facit hoc longinqua vetustas,
Annorumq; acies, aevi, volubile tempus.

Sed sequar Autores, & qua ratio ipsa docebit,
Uig, illi scripsere, hodie quoq; ita esse probemus.

Et Graeci $\omega\eta\eta\iota$, pagum fortasse Latini
Totius fluvii sulcos dixere propinquos,
Et villas juxta positas, vicosq; casasq;.

Non etenim credo pro vico dicere pagum,
Scripta monent aliud, testisq; adducitur hostis,
Julius, orbis apex, & tanti gloria belli,

Ille inquam Helvetia bisseas innuit urbes,
Et quadringentos vicos, hac omnia rursus

Quatuor in pagos, qua flumina quatuor, angit.
Hos igitur nostro placuit conjungere plectro.

Quatuor Helvetia) Helvetiam fuisse distractam in quatuor pagos, Cæs. his verbis scribit Com. 1. Is pagus appellabatur Tygurinus. Nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. Hæc ille: Dubitatum est aliquandiu etiam à doctis Viris, quid pagum Cæsar diceret. Si respicis rationem nominis, ablata est dubitatio. Nam $\eta\omega\eta\eta\iota$ $\delta\iota\alpha\pi\iota\kappa\omega\varsigma$ $\eta\omega\alpha\gamma\alpha$ fons est. Unde pagi sunt dicti, quod villæ circa fontes consueverant condi, ut Servius inquit. Et pagani, quasi ex uno fonte potantes. Eadem itaque ratione pagum Cæsar, fluminis tractum esse voluit cum accolis: hoc enim pacto Helvetia distributa est quatuor his fluminibus, quæ Poëta hîc enarrat. Ea sunt prorsus in Helvetiorum ditione, & his quoque limitibus inclusi, quos Cæsar constituit. Connexere) Ad carmen necere. Acies) Multitudo. Sed sequar Autores) Non caput meum. Et qua ratio) Conjectura, quæ rationibus utcumque fulcitur, haud rejicienda, cum multa sint apud veteres Scriptores, quæ secus nemo, quantumcumque doctus, possit assequi. Sulcos) Tractus. Dicere) Quemque subaudiendum. Testisq; adducitur) Julium testem dictorium adhibet. Quem ob id hostem dicit, quod adversus Helvetios veteres, bellum gesserit. Orbis apex) Affirmat Sabellicus, plures in uno Cæsare Viriutes extitisse, quam in cæteris omnibus, quorum vitas Tranquillus scripsit. In eo consilium, eloquentia, vigor, constantia, militaris disciplinæ, omniumque altissimarum artium studium: & quod ad gratiam conciliandam plurimum valet, mira quædam Liberalitas. Apicem igitur orbis merito dixit Poëta. Et tanti gloria belli) Intellectio est. Ille inquam) Scribit in 1. Com. Cæs. Ubi se jam Helvetii ad expeditionem paraverint, oppida sua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliquaque privata ædificia incendisse. Angit) Distribuit. Plectro) Carmini. Plectrum propriè instrumentum est, quo fides pulsatur. Martian.

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Primus adest Duras, pleraq; in parte vadofus,
Durus agris, pinosq; & summo litore pagos
Everrens, caulasq; trahens, & ovilia secum,
(Terribilis lapsu) campos grassatur in omnes.
Hic ager Helvetius, quem ne Germanus haberet

Miles, & in Gallos rabiem exerceret avitam,
Cæsar in Helvetiam proprios remeare colonos
Iussit, adhuc fluvii nomen terra illa reservat.
Doggius huic propior, Cella, Galli, beati
Imperia, & prope ad Acronios celeberrima fluctus,
Littoreq; in nostro Rheni Constantia fulmen.

Primus adest Duras) Aperit primum pagum, cum agri adjacentis bonitate. Hunc Duras facit, cujus quidem fluvii apud veteres nulla prorsus est mentio. Attamen nomen ipsum arguit aliquid antiquitatis, & terra nomen Durgōv. Quidam putant, olim ut syllaba producta, dictam, & Celticè die Bri ac abjecta de articulo diphthongo je | Dur. Sed postea ita mansisse nomen, quasi simplex. Oritur in finibus diœcesis Curiensis, valle quam Sancti Joannis vocant, fluit per Doggios, & populum, quem denominat Durgōv, in Rhenum exit circiter bis mille passus supra Eglistow oppidum ditionis Tigurina. Ab hoc fluvio multa nomina derivantur, ut Durtal | Wintherthur (seu Winterdur) & quædam alia. Vadofus) Habens multa vada. Vadum est aquæ fundus, in quo quisque constiterit, is jam effugit periculum ne mergatur. Hinc sumptum adagium, Res in vado est, pro eo quod est in tuto. Durus) Allusio ad nomen. Causasq;) Ovium casulas. Virg. Cum fremit ad caulas ventos perpeffus & imbres. Grassatur) Debacchatur, exit. Grassari dicuntur latrones vias obsidentes, unde grassatores. Apud Sallust. gradi significat. Animus ubi ad gloriam virtutis via grassatur. Hic) In Durgea: Cæsar in 1. Com. scribit, Helvetios a Cæsare reverti in suos fines jussos, ea maxime ratione, quod noluerit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transfret. Hunc agrum dicit Poëta, esse in Durgea, propter Germaniæ vicinitatem. Tametsi illud non semel ex eo audivimus, quanquam ita scripsit, sibi tamen videri Cæsarem loquutum de agro Aventicensi, & Moretensi, de quo ipse Cæsar fortassis audierat. Nam Cæsar Helvetiam non vidit. Id quod etiam Falco Consul Friburgensis, Vir & doctus & eloquens me admonuit. In Gallos) Helvetios, qui verè Galli sunt, veteribus id Autoribus indicantibus. Verùm de hac re fortè alias. Rabiem avitam) Furorem ex antiquo odio contractum. Adhuc fluvii nomen) Durgea nempe vocatur, à Dura, & $\gamma\epsilon\alpha$ terra. Hoc enim pacto Celtæ multa nomina componere solent, ut Herogea, Durgea, Algea, Brisagogea, Hegogea. Quanquam ipsi proferunt per Geni, addita etiam w | Durgeum | Algeum | Brisgeum | Hegew. Doggios) Doggios lingua nostra Doggenburger appellamus, Dogg, vocabulo Anglico, quo canis significatur. Ferunt enim Doggii canem in insignibus. Non nescimus quid de hoc nomine referat Historia Suevica. Dein à quibusdam Tuconiam Regiunculam ipsam nominant; sed quam aptè, videant ipsi. Cella) Scilicet Abbatis, sunt quibus magis arridet, ut dicatur Alpium Cella, quam Abbatis Cella. Sed Poeta noster somnium putat. De oppido sancti Galli in Panegyrico postea dicemus. Littoreq; in nostro) Id est Helvetico. Constantia) Vide ut Poeta hic minimè invidus huic urbi suam tribuerit laudem, cum nulla unquam vicina urbs rebus Helveticis magis obstiterit, non magno sanè suo commodo.

*Deinde paludofus splendenti Limagus unda,
Hospes Adulæ, Claronag, incola terre
Auctus abit, semperq, cavis aptissimus alnis,
Voluitur in gyros, & lenta volumina torquet.*

*Huic est ad levam, quo vix est sanctior usquam
Orbelocus, frondens Maria genitricis Eremitus.
Vix alibi invenies tam mitia Numina Diva,
Propitiumq, Deum & presentes Virginis aras.
Belliger has validis cognoscit Suevus in armis,
Contentusq, suis, aptusq, ad bella Sicamber,
Quiq, sub Arctoo pressatur Sarmata plastro
Attingens Boreani rigidissima littora Ponti.*

Deinde) Exponit secundum pagum, quem *Limagus* conficit *fluvius*, cuius quoque mentionem non facile apud antiquos Scriptores reperies. Hodie tamen nomen satis clarum ac integrum est. Compositum namque dicitur ad imitationem Celticæ linguæ, quæ frequenter nomina in magus connectit, ut *Rhotomagus*, *Neomagus*, &c. Illud sanè adnotandum, etiam apud *Claronenses* oriri, & vocari *Linthum*, deinde ex lacu *Rivario* alium effundi amnem, cui nomen *Magus*, eos confluere in unum, ac deinde *Limagum* vocitari, intrare autem, posteaquam ab origine circiter decem millia passuum, *Claronam*, atque infra *Claronam* castra, & *Marcam*, duas *Regiunculas* irrigaverit, in lacum *Tyгурinum*, huncque pertransire ita & medium urbis *Tyгурi*, post hæc autem cursu ad 200. stadiorum confecto in *Arolam* primum, brevissimo post spacio in *Rhenum* influere. *Paludofus*) Dixisset lacunofus, si lingua Latina haberet, aut si ea vox à lacu derivari porius videretur, quam à lacuna. *Limagus* enim lacus excipit, ad minimum quinque. *Hospes*) *Appositio*. *Adulæ*) *Adulas* mons à *Ptol. lib. 2.* ponitur, incumbens & *Helvetiis* & *Rhætiis*. Porro *Limagus* oritur ultima parte *Claronensis* ditionis quæ attingit *Ætuarios*, quibus *Adulas* imminet. *Ptol.* valde latum hunc montem facit, ut sit verisimile etiam *Urorum* ac *Suicorum* *Regionem* contingere, ad lacum usque *Tyгурinum* ubi adhuc nominis aliquid est, *Ætæ* post quem lacum est *Divæ Virginis* templum, de quo noster *Poeta*, quod *Christo* *Episcopo* consecratum creditur, ac magnæ *Europæ* parti notissimum. *Semperq, cavis aptissimus alnis*) Id est, semper navigabilis est. *Voluitur in gyros*) *Flexuosus* est. *Huic est ad levam*) *Divæ Virginis* *Eremitana* locum significat. Qui quàm sit sacer, arguit perfacile, quod *Christo* consecratus fertur *Episcopo*. Posteaquam enim, ubi *Divi Menradi* castrula fuit, sacellum est extructum, *Sanctus Conradus* *Præsul* tunc temporis *Constantiensis*, *Vir* omni genere *Virtutis* *florens*, accitus confestim ad ipsum consecrandum advenit, media autem nocte, dum preces Deo pro consuetudine funderet, audivit cum aliis devotis *viris* melos & dulce, & novum. Atq, diligentius perscrutanti, tale animadversum ab *Angelis*, *Christo* præsentè, decantari, quò *Episcopis* vel hodie mos est, uti in templorum dedicatione. *Prima* statim *lucem* *auditam* divulgat. *Verum*, qui rei *fidem* temerè prestare volebant, *Conradum* sunt *adhortati*, ut quod *jussus* erat, conficeret; postquam igitur incepit, vox continuo ter audita, *Desine frater, cælitus consecratum est*. Ex illo itaque, quod res erat, creditum. Deinde à summis *Pontificibus*, aliisque confirmatum, quorum testimonia in sacratissimo illo loco hodie conser-

vantur. *Frondens*) Habet enim hodie præta pinguis-
sima. *Præsentè*) Quæ citius succurrunt. *Virg.* in *Buc.* *Nec tam præsentè alibi cognoscere* *Divos*. *Suevus*) *Belligerum Suevum* dicit, *Cæsarem* secutus, qui eam gentem longè maximam & bellicosissimam *Germanorum* omnium scribit, *lib. 4.* Et *Strabo*, potentia dicit, & hominum frequentia reliquos antecellere. *Aptusq, ad bella Sicamber*) *Hor.* quoque *Sicambros* feroces appellat, *lib. 4. Car. Ode. 2.* *Populi* sunt *Germaniæ* *Transrhenani*, hodie *Weschevolos* dicunt. *Sarmata*) *Polonium* dicit, qui bonam *Sarmatiæ* hodie partem possidet. *Mira* de his populis apud *Scriptores* commemorantur, lege *Strab. lib. 7.* & *11. Metamorph. lib. 3. Sarmatas* *Plin.* scribit *lib. 4. Sarmatas* à *Græcis* vocari. *Regidissima*) *Frigidissima*.

*Tum ne sit pelagus, ne lentis sordeat undis,
Explicat ospainlum, Tigurinamq, abluit urbem.
Thermopolimq, adiens, ad olentes sulphure terras,
Arentesq, locos, Epicurea mœnia lambit.*

*Hic Stygio à flatu, mediaq, voragine terra.
Aspice sanantes undas, laticesq, salubres,
Qui tibi (ni nolis) languentia membra levabunt.
Ut ilia hac utero, præsentia balnea semper
Ad quemcumq, velis, in quovis corpore morbum.
Atitis aqua, & nostris non importuna periclis,
Campanum superans stagnum, putresq, liquores,
Bajanumq, amnem, & Cydni felicior unda.*

*Sunt & qui fluvium dicant hunc esse Lemannum
Unde suum teneat pugnax Alemannia nomen.*

Tum ne sit pelagus) Scilicet, *Limagus* cum lacu. Id est autem, ne sit lacus continuus sine exitu. *Lentis*) *Stantibus*. *Explicat*) *Aperit*. *Os*) *Ostium*. *Abluit*) *Perluit*. *Thermopolim*) *Aquas* scilicet *Helvetiorum*, vulgò *Ober Waden* hoc est *superioris* *aquæ*. Sunt enim & *Thermæ* sive *aquæ inferiores*, à quibus *Marchiones* *Badenses* cognomentum sumunt. *Olentes sulph.*) *Aquæ* enim quæ hoc loco proveniunt, sulphuratae sunt. *Arentesq,*) *Calidos*. *Epicurea mœnia*) *Voluptatis* plena. Secundum quosdam enim *Epicurus* summum bonum in voluptate corporis constituit. Sunt tamen qui ex proba ejus vita non corporis, sed animi voluptatem, ipsum significasse contendunt. Quò *Poëta* dicit, non ad oppidum referendum, sed *Thermas*, quæ ab oppido distant ad trecentos passus. Hæc namque tales sunt, ut *Pogius Florentinus* putet, si voluptas vitam beatam queat efficere, nihilis omnino deesse ad consummatam voluptatem. Ejus epistolam lege, si lubet, ad *Nicolaum* quendam, in qua tum balneorum, lavantium mores, voluptatem, ludos, jocos, tum aquæ virtutem abundè invenies. *Lambit*) *Circumdat*. *Perf.* Illis relinquo quorum imagines lambunt *Hederæ* sequaces. *Stygio*) *Tanquam* ab inferis venientes. *Mediaq, voragine*) *E medio* terræ. *Intra* namque terræ meatus, tales *aquæ* sunt. Hæc cur sint calida, *Pontanus* his verbis scribit:

Bajano sed ne fumare in littore *Thermas*
Mirere, aut liquidis fluitare incendia venis.
Vulcani fora sulphureis incensa caminis
Ipsa monent, latè multum tellure sub ima
Debachari ignem, camposque exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Unda fugax, tectis feryent & balnea flammis.

Languentia) Ægrotantia, infirma. *Utero*) scilicet foeminarum. Hæc enim singularis est *hujus laqua virtus*, & propè divina, quæ sterilitati mulierum medetur. *Fœcundas autem fecundiores, & prolis multiplicatione enervatas reddit fortiores. Præsentia*) Citò juvantia illud nempe præsens dicitur, quod quia non abest, citò operatur vel bonum, vel malum. Inde Numina dicuntur præsentia, ut superius, quòd citò juvent, & venena, quòd citò necent. *Ad quem*) *Plurimum* enim conferunt (prius medico consulto) *stomachicis. Prosumt cerebro, visui, & auditui plurimum, imò totius capitis dolores mitigant. Epatis conducunt, & spleni. Ilium dolorem tollunt, & renum lassitudinem restitunt.* Hujusmodi virtutes sexcentas habent, quas prudentes jam præterimus. *Non importuna*) Salubris. *Camparum superans stagnum*) id est, balnea, quæ sunt permulta in Campania, plaga (ut Flor. scribit Epit. 1.) pulcherrima totius orbis. Hic sunt tepentes fontibus Bajæ, & ad sanandos morbos, & ad voluptatem commodissimæ: à Regionis feracitate sumptum adagium: quod dici solet, *Plus apud Campanos unguenti, quam apud ceteros olei fieri.* Plin. lib. 3. & 18. præclare de Campania scribit. *Puresq; liquores*) Balnea Puteolana. Alludit ad nomen, a puteore enim secundum aliquos aquarum Puteolos urbem dictam volunt, alii verò a puteorum frequentia. Autor Strab. lib. 5. *Bajanumq; amnem*) Balnea quæ *Bajæ* dicuntur. Seneca eum locum devitandum monet, quòd habeat quasdam naturales dotes, quibus illum sibi celebrandum luxuria sumperit. De *Bajis* Strab. lib. 5. *Et Cydni felicior*) *Cydnus amnis Cilicia podagricis medetur.* ut Plin. inquit lib. 31. Idem asserit Vitruv. lib. 8. De *Cydnò* alioqui & Sol. c. 47. & Curt. lib. 3. *Sunt & qui*) Sunt qui à Limago Alemanniam dictam putent, sed Poëta opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.

Tertius Urfa celer, nunc verso nomine Rufa, Gothica stagna trahens, Tauriscas proruit undas. Alpibus à summis, hoc est à monte Gothardi Usq; ad Luceriam, Tuginisq; amnis auctus Labitur in patrios, quos nunquam contigit ortus.

Tertius Urfa celer) *Ab Urfa flumine, hodie Rufa* inversa priore syllaba, tertius conficitur pagus. Id quidem flumen, ex monte quem *Furcam* appellant, oritur, fluit per loca confragosa, donec non procul à *Vetere pago* (ita locus primus apud Urrios nuncupatur) in lacum quatuor cruribus communem (ut dictum est) sed appellationem habentem à terris, quas alluit, ingreditur. Hunc inquam lacum pertransit ad urbem usq; *Luceriam*, qua secta in partes duas, denuò erumpit. In multos deinde circumductus gyros, *Rhenum* intrat. non multo sub *Brugis Herogea* oppidulo. *Verso nomine*) Id est syllaba ur, in ru. *Gothica*) *Suica*. Est enim lacus parvus apud *Suicos* exiens in lacum *Lucerinum*. *Tauriscas*) *Uriorum. Suici* enim à *Gothis*, *Uru* à *Tauriscis* descendunt. Porro quanta sit prima de *Gothis*, incertum Autores faciunt, si respicimus etymon ejus à Germanico *Gūt* diphthongo produceretur, sed eam nec Græci nec Latini agnoscunt. *Ausonius* corripuit. At bona pars *Eruditorum* geminat tr, unde & produci potest. Poëta utrunque & hic & alibi secutus in *Gothico* ac *Gothardo*. *Alpibus à summis*) *Summas Alpes* *Cæsar* vocat, qui nunc mons

S. Gotthardi dicitur, è quo 7. flumina ad quatuor mundi plagas profluunt. Nempe ad Ortum citerior ac ulterior *Rhenus* (qui postea tamen ad Septentrionem) ad Meridiem *Ticinus*, *Madia*, ac *Tofa*: ad Occasum *Rhodanus*: inter Occasum ac Septentrionem *Arola*: denique ad Septentrionem *Rufa* sive *Urfa*. *Usq; ad Luceriam, Tuginisq;*) *Luceria* inclytà urbs ad ostia lacus jam dicti, qui communis ipsi est cum *Uris*, *Suicis* ac *Sylvanis*, de qua, sicut & de *Tugio*, postea in *Panegyrico*. *Augetur* autem *Urfa* *Lucerinæ* ditionis fluvio, *Emmana*, & *Tugini* lacus ostiis: circa vallem, quam *Mariæ* dicunt. *Labitur in patrios*) Hoc est fluit ad Septentrionem unde venerunt *Gothi*, à quibus (ut supra dictum est) *Suici* suam æstimant originem, quam Poëta hîc sequitur ad vulgi opinionem.

Ultimus est Arola, is Rhodano contrarius exit, Thunum i, & Arctopolim, satis felicibus ortam, Auspiciq; Deum, & plura in se flumina captat, Oppida multa ambit, Salodoria Regna peragrat, Regna sub Habramo tam fausto sidere nata. Pars hæc Helvetia fluvii cognomina servat, Heroum tellus, & adunci vulturis arces.

Ultimus est Arola) *Arola* noster ex montibus erumpit, unde fluit *Rhodanus*, per lacum *Haslensem* (quem *Avellanum* dicere posses) & *Thunum* labitur. *Venit Bernam*, quam totam penè concludit, *Salodorum* alluit. *Cursu* longissimo deinde confecto *Rhenus* commiscetur cum *Limago* & *Rufa*. *Is quartum pagum conficit.* Porro de hoc flumine & oppido *Salodoro* in *Divi Mauriti* vita de *Santa Thebea* legione ita legitur. *Ex eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus & Victor, quos Salodori passos, fama confirmat. Salodorum verò castrum est super Arolam fluvium, neq; longè à Rheno positum.* Hæc ille. Quòd si, quod *Valla* docet lib. 4. *Eleg.* *Castrum* est locus muris munitus, & ut *Ser. in 6. An.* fateatur, etiam civitas: certè hæc verba pulcherrimè in urbem *Salodorensem* conveniunt. *Meminit* autem & fluvii *Arolæ* *Bocc. Flor.* ubiubi legerit. *Neminem* enim ut solet, citat *Autorem. Rhodano contrarius*) Nam ad *Boream*, cum ad *Austrum* vergat *Rhodanus*. *Thunum*) ad hoc oppidum *Bernæ* ditionis. *Ortam*) *Conditam. Auspicius*) *Bona fortuna, feliciter. Flumina.* Ut *Sannam* fluvium *Friburgensium*. *Oppida multa ambit*) *Bernam* ut dictum est, ferè ambit, ac alia quædam oppidula. *Salodoria*) *Solodorum*, non *Solidurnium*, nec *Solodorum*, rectè dicimus. *Hinc Salodorus* deflexit *Autor*. *Invenit* namque apud eam civitatem in lapide antiquissimo *Salodorum*, sic nimirum appellatum, quasi *salis donum* αλς nempe sal, aspiratione in smutata, & δῶρον donum significat: videtur autem ibi *salis vectigal* fuisse *Romanis*. *Sub Habramo*) Antiquissimum enim esse constat, nam *exceptis Treveris*, nulla urbs, vel *Gallia*, vel *Germanie* antiquior. In *Habramo* synæresis est. *Nata*) *Extracta*, condita. *Pars hæc Helvetia cognomina servat*) Nam terra adiacens vocatur *Argea*, à nobis *Argow*. Nonnulla etiam oppida inde appellationem sortiuntur, ut vulgari lingua proferimus *Arów* *Arburg*. Nam quòd ab *Arave*, hæc oppida putant, tale est quale *Basileam* à *basilisco*. *Heroum tellus*) Interpretatio ejus, quod nos dicimus *Herogea*. Multi enim sunt, qui existimant *Heroum tellurem* *Hergow* i, vocatam

propter Duces, Comites, Barones, Nobiles absq; numero, qui eam terram olim inhabitaverunt. Et adunci vulturis) Vulturem ponit pro accipitre. Significat arcem, cui vulgò nomen Habsburg. Quamquam duae ejus nominis sint in Helvetiis arces, altera ad lacum Lucerinum, hodie diruta, altera supra Brugas ad Arolam, quæ hodie Bernatium est, integra: ab utra autem 14. Comites (tot enim sunt hodie in Principum Austriæ genealogia) Historici certant, & adhuc sub judice lis est.

Quattuor hi pagi, quos à Regione Notorum Impetus in Boream torfit, Rhenoq; remisit. Ante tamen liquidosq; lacus sterilesq; paludes, Et stagna alta creant plus quattuor inclitus angus Limagus, & nautis portus, & piscibus antra. Tres Arola & tres Urfa, sed oblitatus arenis In circum Daras, immensa cataclyta fundit, Omnia piscinis, non omnia navibus apta.

Quattuor hi pagi) Enumerat lacus & paludes proximâs dictis quattuor fluminibus, non quòd ab his ille omnes adimpleantur, sed quia sint propè, & rivis interdum conveniant. Recensuimus nos superius plurimos lacus, per quos ea flumina transcurrunt. Quos à regione Notorum) Id est, quos cursus à Meridiei parte ad Septentrionem compulit, nam Rheno admiscuntur, ut dictum est, qui ad Septentrionem defertur. Ante tamen) Scilicet quàm Rheno copulantur. Sterilesq; paludes) Ita Hor. in Poët. Regis opus sterilisque diu palus, aptaque remis. Plus quattuor) Nam quinque Vesenium Cleonium, Tygurinum, Phæbitium, & Gryphensem. Antra) Domicilia. Tres Arola) Neapolitanum, & Bielsenem: Et tres Urfa) Lucerinum, & Tuginum. Cataclyta) Loca concava ab aqua cadente. Ambros. Nilus fluvius maximus eo loci, ubi se ex altissimis montibus in cataclyta illa precipitat, magnitudine fragoris sui, aures accolarum obstruit. Piscinis) Locis ubi pisces conservantur. Gell. lib. 2. Lacus verò & stagna, quæ piscibus vivis coercentur clausa, suo atq; proprio nomine piscinas nominaverunt.

Hac Pater omnipotens, dum magnum conderet or-
Disposuit prudens, ne totum forte per avum (bem,
Staret inane chaos, penitusq; illunis abyssus,
Bella elementorum, & fera praelia voce diremit,
Ætheriasq; Alpes, juga summo proxima cælo,
Esse caput jubet Europes sub sidere membra
Læta quòd in planum fluvios habuere receptos.

Hac Pater omnipotens) Deum ita patriæ situm dispo-
luisse ait ab initio, dum crearet mundum, ne perpetuò chaos maneret. Inane chaos) Imitatio est, non mens vera Poëtæ. Verg. enim in Syleno, & Ovid. lib. 1. Transfor. Hesiodum sequentes dicunt, Chaos, id est, rudis, inordinatq; materia confusam (ut inquit Lact. lib. 1.) congeriem principum omnium fuisse rerum. Penitusq;) Hoc est, non abyssus, id est, informis & subjacens materia, quæ Græcis $\chi\alpha\omicron\varsigma$ & $\chi\alpha\omicron\varsigma$ dicitur, permaneret absque luce; alio qui abyssum volunt esse immensam quandam aquæ profunditatem. Bella elementorum) Quattuor qualitates, quæ inter se sunt contrariæ. Voce) Verbo, quia dixit & facta sunt. Verba sunt ex 5. Æneid. aptissime detorta. Nam uti Æneas verbo distraxit Daretæ & Entellum, ita Deus elementorum confusionem. Membra) Alias partes Europæ. Manet in Metaphora, quia dixit: Esse

caput jubet Europes. Læta quòd in planum) Id est membra hæc ob hanc causam læta sunt, quod fluvios ab eo capite, quæ est Helvetia, in suam accipiunt superficiem.

PANEGYRICON.

Hæc facies patriæ est, pleetro majore sonandum,
Si populum aggrediar mores studiumq; recessens,
Atq; tot excultas urbes, tot & oppidamuris.
Quin potius cedam, casurus fasce sub isto,
Ponderèq; immenso, nostris hac ardua moles
Viribus est impar: en nostrata dia Musa,
En lyra blanda fides, & consona pleetra reponis.
Vix tamen exoro, bisse nas pangeret urbes,
Helvetia insignes, terraq; ac æthere notas
Metropoles, quibus una fides eademq; voluntas,
Audit, & misis nec dedignata precantem,
Composito vultu tales dat pectore voces.
Vellem equidem, quæ sum parvi tua Musa Poëtæ,
Dignius ordire, posse meq; sonare potentem
Sermonem, qui sis rebus bene congruus istis.
Audendum est, veniant bisse na hoc ordine partes
In numerum, qui cuiq; placet, vix ipsa recuso.

Hæc facies patriæ) Sequitur Panegyricum, id est, carmen laudativum tredecim partium Helvetiæ, in quas totum Imperium nostrum est divisum. Harum est administratio & cura totius Regionis, præsertim cum aliquid evenit, quod ad universam Helvetiam pertinet. Alioqui enim singula suas civitates gubernant. Poëtæ bisse nas dicit hæc de causa, quòd Abbatibus cellam addidit, postquam & ipsa est adjecta numero capitum Helvetiæ, apponit dein quædam de sociis Helvetiorum, & Helvetiæ laudes, postremò perorat cum admonitione. In hac autem descriptione licet ingenium Poëtæ cognoscere, qui tametsi bellicæ gloriæ singulas communitates (uti appellant) facit participes, tamen hoc agit, ut singulari commendatione in hoc ipso unamquamque celebret. Facies) Facies omnis cujusque rei forma est. Virg. 5. Æneid. Quibus aspera quondam Visamaris species. Mores studiumq;) Verissime dicit. Nam si vitam Majorum vellet, exercitiumque describere, opus esset & longiore oratione, & stylo sublimiore. Fasce) Onere. Virg. Ego hoc te fasce levabo. Molas) Materia difficilis. Viribus) Ingenii. Tadia) Ob rei magnitudinem. Fides) Chordas. Alioqui citharæ genus est fides, inquit Festus. Exoro) Scilicet Musam. Pangeret) Cerneret, componeret. Ita Gell. lib. 13. Si autem verbum pangis, aut orationem solutam struis. Orbis) Capita Helvetiæ, seu partes. Barbarè cantones appellantur. Quibus una fides) Concordia Helvetiis sine dubio & imperium auxit, & rem universam. Ergo quibus una voluntas, id est, quæ esse debebat. Ita enim sunt res mortalium. Audiu) Scilicet Musam. Vellem equidem) Musæ verba sunt ideo inducta, ut Poëtæ liberius loqui possit. Potentem sermonem) Imitatio Hom. Inquit enim Iliad. $\alpha\ \rho\alpha\alpha\ \rho\alpha\ \delta\ \theta\eta\ \mu\theta\alpha\ \nu\theta\alpha\ \iota\tau\alpha\delta\alpha$. Audendum est) Proverbium, admonens fortiter periclitandam esse fortunam. Ordine) Ordo is est partium Helvetici fœderis, ut hodie Legatos mittunt, & insignia pingunt. Nam ut libertatis vindices, alium sequuntur, de quo postea ad finem.

Salva belligeræ celeberrima gloria gentis
O Tigurum, urbs orbi & pando notissima cælo:
Cui pro nominibus, meritisq; & fortibus altis
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te mediam scindit viventi Limagus unda,
Et super incumbit squamosis piscibus ingens.
Amne lacus, vitreoq; relucet gurgite ripa.
Nubiferas turres, quid tam sublimia fronte
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas
Comemorem? fora quid dicā: quid templarecenseā,
Atria cœlicolis, & dignas Regibus aulas?
Urbs cælo, & Superum Rectori chara supremo.
Salve) Ititium commendationis sumit à Tiguro
 urbe, quæ primas partes inter Helvetios obtinet. Ho-
 die Turregum seu Duregum appellant inceptius. De
 conditoribus ejus, quod varia traduntur, libenter
 tacemus. *Urbs est vetustissima*, situ admodum
 amœno. Jacet inter duos monticulos, illo viti-
 fero, altero faciem præbente sylvestribus plenam
 arboribus. *Ædificiis pollet, templis, monaste-*
riis, mœnibus & fossis. Supernè lacus incumbit
 limpidissimus longus circiter 30. millia passuum.
 Is urbem dissecans in medio Limagum, quem in-
 fra Claronam excipit, effundit. Sternitur ponti-
 bus duobus, qui urbem dissectam denuò conjun-
 gunt. Tigurinorum meminit Cæs. in 1. Strab. in 7.
 & Florus Epit. 65. *Belligera celeb. glor.*) Periphrasis
 Helvetiorum. *Nulla sat.*) Res domi forisque Ti-
 gurinorum gestæ tantæ sunt, tamq; eximia, ut bre-
 vibus numerari hæud queant. Quas lector si scires,
 videres Poëtam nostrum hoc loco nihil minus egisse
 quam Poëtam, quorum hominum est, pro tempore
 res supra meritum extollere *Viventi*) Fluenti, nul-
 lum vitæ certius signum (inquit Erasmus) quam
 motus, unde flumina quoque dicimus viventia.
Vitreoq;) Claro, liquido. *Gurgite*) Tapinosi. *Quid*
ablotas) Mundities vicorum in civitatibus & amœ-
 na est & salubris. *Recenseam*) Synæresis. *Urbs*
cælo) Commendatio à Religione. Nam Deus non
 diligit, nisi se diligentes.

Accede ò memoranda meis Ursina propago
Carminibus, gens Andino bene digna colurno,
Mœoniaq; lyra, & Phœbi laudanda Camœnis.
Urbs altis prudens, urbs tot regnata per annos,
Tot populis, tot castellis, tot & arcibus altis.
Uni qui nobis cunctando restituit rem.
Hanc Arola undosus, Rhodanoq; fugacior amnis
In circum lambit, scopuloq; immurmurat unda.
Affice Dædalios circos, Rhodiasq; columnas,
Et labyrinthæum rutilus vicinus astris
Templum horrendum, ingens: non illud Mausolæum,
Sed neq; Pyramides, Memphitica marmora vincet.
Accede) Berna, seu major Arctopolis (nam Ursus
 illi nomen indidit) urbium Helveticarum potentissi-
 ma, propter latam jurisdictionem: sex enim & viginti
 habet extra muros conventus. Conditam ferunt à Ber-
 toldo Duce Zeringo. In locum est porrecta bene lon-
 gum, cui est imposita & ab Arola fermè tota con-
 cluditur, tanquam à fossa profundissima. *Ædifi-*
cia habet mirabiliter extructa, nam licet tutum cir-
 cuire sub porticibus cameratis totam ferè urbem
 etiam pluviosissimo tempore. *Templum ornatissi-*
imum. Viros alit robustos, laboriosos, bello & paci
 accommodatissimos. *Andino*) Vergiliano. Is enim
 Andinus vates dicitur, à pago Andes, ubi natus per-
 hiberetur. Non longè distat à Mantua, ut Donat.

inquit, in vita Virg. *Mœoniaq; lyra*) Carmine Ho-
 merico. Mart. sic, *Perlege Mœonio cantatas carmine*
ranas. Phœbi) Apollinis, cujus epitheton Phœbus
 est peculiare, nam purum significat. *Urbs altis pru-*
dens) Laus à prudentia, sine qua Virtute nemo quic-
 quam probè agit. Quare meritò dicitur reliquis
 Virtutibus, quasi lumen præferre, atque demonstra-
 re viam. *Urbs tot regnata per annos*) Innuit urbis
 ætatem. Ferunt autem fundamenta ejus jacta anno
 Salutis nostræ 1191. Mense Majo, Henrico Sexto
 Imperatore. *Uni qui nobis*) Ennii versus ad rem
 Poëtæ deflexus. Fuere enim *Bernates* olim *cuncta-*
tores, minimeque temerarii, *underantum nacti sunt*
Imperium. *Rhodanoq; fuga*) Oppositum Autores
 dicunt. Sed de Arari, non de Arola comparatio est
 apud illos. *Dædalios*) Artificiosos, loquitur autem
 Poëta de templo & atea ante templum, denique de
 universa urbe, quæ ex lapidè quadro fere tota facta
 est, præbente materiam copiose, qui ad imum urbis
 est, monte sectili: cæterum non credo talem urbis
 situm esse terrarum orbe, qualis est Berna. Arola
 enim (ut dictum est) tam profundum habet al-
 yeum, ut locum, cui imposita est urbs, quicquid
 ipsum flumen, à Meridie, Ortu, ac Septentrione cir-
 cumdat, montem fecerit. Dorsum longum est ad
 mille plus minus passus, trium platearum, sed latif-
 simarum, per quas ita amnis ab Occasu, nempe
 Isthmo, qui continenti adjungitur, immittitur, ut
 per omnes non modò plateas, sed etiam domos
 meet, omnes lordes abluens. *Rhodiasq; columnas*)
 Id est, moles tales, qualis erat Colossus Solis Rhodii
 inter septem orbis miracula habitus, de quo
 Plin. lib. 34. *Labyrinthæum*) Id est, tam mirè effigia-
 tum, ut labyrinthus credi possit. *Horrendum*) Ve-
 nerandum. Virg. in 7. *Horrendum sylvis, & reli-*
gione parentum. *Mausolæum*) Mausoli sepulchrum,
 quod condidit Artemisia axor, postquam Regem
 oppetiisse cognovit. Opus id, ut esset inter septem
 miracula, ejusdem artifices fecere: teste Plin. lib. 36.
 Versus est spondaicus. *Pyramides*) Pyramides, mo-
 les sunt maximæ, ita constructæ, ut è lato in acutum
 tendant. De quibus cur sint erectæ Plin. ita scribit
 lib. 36. *Dicant obiter Pyramides in eadem Egypto Re-*
gum pecunie otiosa, ac stulta ostentatio, quippe facienda
eas causa à plerisq; traditur, ne pecuniam successoribus,
aut emulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset
otiosa. Joachimus meus parum ab his differre exi-
 stimat turres, quas templis tantis quandoque sum-
 ptibus Christiani adnectunt. *Memphitica marmo-*
ra) Regibus apud Memphim, quæ quondam fuit
 Egyptiorum Regia, urbs magna & populosa, eri-
 gebantur Pyramides maximæ. Vide Diodorum Si-
 culum lib. 2.

Tertia Luceria est, summa dicenda Camœna,
Prima salutis nostri Imperii, miserata labores
Suscipit & Urorum, trepidantisq; agmina sylva.
Non Leopoldi iras timuit, non Sævica bella,
Pannoniasq; minas, vicos imitata superbos
Auxit opes, nomenq; suum, famamq; perennem:
Primaq; cum primis sua fœdera junxit amicis,
Quodq; à luce datum venerabile nomen haberet,
Non oblita, dedit vires, crescensq; levavit
Imperium, luxurq; suis & fœdere vinxit.
Ergo quæ tribus est vicis unda, hæc eadem illi est,
Et nomen commune tenent, quod sylva repingit.

Tertia Luceria est. Luceria (cui nomen vel à luce vel antiquissima Samnitium urbe, quæ & ipsa à luce dici videri potest) situm obrinet planum, collibus à tergo circumseptum & sinistra. Ab his mœnia sustinentur, & turres altissimæ. Frontem amplectitur lacus, dextram fossæ aquosæ cum planicie altissima. Prospektant hæc duæ partes montes tam altos, ut nubes videantur tangere. Lacus Ursam, nunc vulgò Rufam fluvium, initio statim oppidi fundit, à quo ipsum oppidum scinditur medium. Pontibus tribus, & longitudine, & quòd undique tectæ sunt, conspicuis, mirificè adornatur. Ex his longissimus ad superius collegium ducentos penè passus extenditur. Unus porro nudus oppidum quàm brevissimè nectit. Viros edit animi magnitudine præstantes, ingenia verò non prænitenda. *Summa*) Magna hoc loco, non ultima, ut apud Horat, unde hæc sunt verba. *Prima salus*) Hoc ideo dictum, quòd Lucerini primi fuere, qui isto fœdere cum tribus pagis, ipsis opem tulerunt contra impetum Ducum Austria. Cur autem id fecerint, causa fuit, quod malè defendebantur à Nobilitate ipsis præfecta. Habebant enim tunc temporis tres pagos maxime infestos. Argumento est turricula, hodie dicta *Seburg*, ubi Lucerini continuas habuisse custodias dicuntur. Deinde pali in lacu, ne quis navigio posset adire, infixi, atque ab uno, in littus oppositum extensi. Vestigia adhuc videntur. *Non Leopoldi*) Ducis Austria. Is Lucerinos, postquam fœdus cum tribus civitatibus Sylvanis percusserant, bello aggressus cum quater mille equitibus, peditibus innumeris apud Sempachilum oppidulum ditionis hodie Lucerniæ oppressus perit. *Vicos*) Uriam, Sui-tiam, & Sylvaniam. *Superbos*) Nobiles, præstantes. *Primaq, cum primis sua fœdera junxit*) Opinionem sequitur quorundam, qui putaverunt fœdus quatuor civitatum Sylvæ (ita nos appellamus) primum fuisse. *Quodq, à luce datum venerabile*) Poëta sequitur antiquam vulgi prolationem, qui Luceriam adhuc Luceri accentu in prima syllaba posito, pronunciant, cum nunc Lucernam vocitent vulgò. Et sanè Lucerna abjectum vocabulum est, quod Virg. neutiquam dignatus est heroico versu, quia à primitivo defecit. *Sciulus* aliquis & Historiarum imperitus nobis ex Luceria nobili nomine Lucernam fecit ignobile, indignum viculo vocabulum, nedum nobilissimæ urbi. *Levavit*) Jovit. *Ergo qua*) Lacus enim (de quo ante dictum est) tam patet, ut omnes has partes attingat, tametsi procul à se distat. Sylvania namque abest à Luceria milliare Germanicum Suetia tria, quatuor Uria. *Et nomen*) Nominantur enim lingua nostra die vixer *Waldfstätt* Latine non ita absurde dicere potes, Civitates sylvanas.

*Uria post ingens Taurisca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunaq, pericula in has compulsa latebras
Delituit multis annis, ignobile fessa
Ocium agens, donec claris Habsburgius Heros
Dux et in Helvetiis multa Virtute Rudolphus
Surgere Ausonii præcelsam culmina Regni,
Ad veteres rediit mores, sunt robora prisca,
Atq, eadem Virtus, eadem est audacia membris.
Nemo illa major bello, nemo acrior armis,
Hæc nostri fons Imperii, quæ prima tyrannos
Corripere est ausa, & volitanti plectere ferro.*

Uria post ingens) Uria, nec urbs, nec oppidum, sed communitas est pagorum. Inter quos primus pagus, Vetus appellatus, ita pollet ædificiis, atque plateis lapide stratis, ut ab oppido nihil differat, nisi quòd caret mœnibus. *Nominis origo est ab Uro* bove sylvestri, cuius caput Taurisci, à quibus illi verè initium sumunt, gesserunt in armis. Interiacet montibus, ut non possit adiri vel certè difficulter, nisi aut navigio, aut per montem Gotthardi periculosissimum. Viros habet prudentes, acres & verè contemptores animæ, ubi pro Justitia dimicandum est. *Taurisca gente creata*) Sequitur Poeta opinionem D. Egidii Tschudi Claronensis, civis ac affinis sui, qui Urios Taurisca gentis reliquias existimat. Sicut ii hodie, qui ad Carnos sedent, *Steuermarch* vocantur, pro *Stiermarch* antiquissima in Gallis gens, sed multis vexata calamitatibus, & in Italia & in Illyrico, diversas in sedes, ut Boii, diversas temporibus dispersi sunt. Sic Urios in Alpès has venisse, & lingua Gallica, & insignia, taurinum caput, argumenta esse possunt. *Habsburgius Heros*) Nobilissimæ familiæ ab Habsburg xiv. Comitibus fuere, usque ad Rudolphum hunc, qui Romanorum Rex postea electus fuit, ac domum Austriae tantam fecit. Ille primus illexit in amicitiam Urios, Suicos, ac Sylvanos, porro quamdiu ille vixit, bene res habuit. Verum eò mortuo, Præfecti ejus existimantes verè subditos, non fœderatos, tyrannide cœpère plebem premerè, sed inde prorsus expulsi. Imperium cum vita amiserè, ut initio descriptionis dictum est. *Ad veteres rediit mores*) Id est, rursus bellum sumpsit, ut Majores ejus, sed jam Christiani facti à multis annis. *Audacia*) Fortitudo. Aliàs temeritatem significat, idque propriè. *Fons Imperii*) Wilhelmus enim fœderis Autor Helveticus, Urios fuit. *Volitanti plectere ferro*) Alludit ad Wilhelmum, qui (ut diximus) re-
lo Griseferum tyrannum trajecit.

*Suetia bellipotens, in mangis inclita rebus.
Et bello & pace immensos perpessa labores.
Semper in Alpibus toto avo exercita lustris
Figit apros, certatq, ursis, cursuq, volanti
Prævertit damas, cogitq, in retiâ cervos:
Otia nulla sciunt juvenes, nulla otia adulti,
Scandere in montes, & duo vincere castro
Otia quis dicat, studium hoc ò Gothica nobis
Terra dabas, quando Italiciste sustulit oris,
Horrendasq, tulit Dux Byzantinus in Alpes.
Post quoq, difficilis omnino exosa tyrannos,
Arma secuta modis Uri Guilielmia miris.
Suetia bellipotens*) Suetia sequitur, unde omnes confederati commune apud vulgum hodie tenent nomen *Suetenses*, vel *Suiceri*. Pagorum est congeries sicut Uria, interclusa montibus, longè tamen quam Uria, situs amœnioris, faciliorisque aditus. *Ducunt* autem *Sueti* (ut vulgi est opinio, quam hic Poeta sequitur) originem à *Suedis*, qui in extrema Septentrionem versus Europa sunt (alio nomine Gothi appellantur) cuius rei testimonium non modò nostræ Historiæ adferunt, sed & ii, qui vel hodie Suetiam inhabitant. Ex quibus sæpe quæsitum à mercatoribus nostris, quicquamne haberent in annalibus, quod argueret expulsos sanè ex sua patria in nostras, uti apud nos creditur, sedes devenisse. De conformitate Regionum, morum, naturæ, aliarumque rerum, ut solet, nihil minus inquisitum. Asserunt omnia, illud adjicientes, miris se gloriari mo-

modis, tam laudatum apud omnes gentes populum originem sibi ferre acceptam. *Appellatio est à Suiserno quodam populi Duce, qui pugna fratre superior plagæ nomen* (nam de hoc certamen erat) *imposuit.* Quod quidem picturæ jam diu apud Suicos antiquissimæ indicant, nedum libri. Mirum autem in modum pulchra corpora progignit. Poëta his attribuit ea, quæ Maro 9. *Aeneid.* præcis Latinis, & Bapt. Mantuanus Helvetiis in exhortatione Principum Christianorum contra Turcas, ubi sic scribit:

Gens fera, contemptrix animæ, consuetæ per Alpes.
Figere apros, certare urfis, nive candida semper
Per jugæ veloces cursu prævertere cervos
Helvetii, tibi dura acuunt venabula, & enses.

Labores) Hos commemorare, librum postulare. *Otia nulla*) Magna laus. Omnem enim malitiam docuit otiositas, ut Chrysostomus ait. *Cæstu*) Cæstus clavam significat ex corio, quæ plumbum infurum habet, loris bubulis manibus brachiisque adligabatur. Antiquitus erat durum certamen cæstum, raroque sine cæde committebatur. *O Gothica*) Hic producit primam de Gothia, ut diphthongus *Gut* exposcit. *Dicti enim Gotthi die Gütren.* Qui cum *Getis eosdem putant, totam errant celo.* Getæ enim ad finem Danubii sedem habent. Gotthi autem in Scandinavia Regione septentrionali, velut altero mundo, de qua natione Olaus Magnus Gothus Upsaliensis Episcopus Vir sanctissimus, elegantem nostræ ætate descriptionem exhibuit. *Dux Byzantinus*) Narfes Justiniani Imperatoris Dux. De hac re Leonar. Arët. sic scribit *lib. 4. de bello Gotthi. Inter hac ad mille equites ex Gotthorum castris aufugerant, magnisque itineribus Papiam, & alia trans Padum oppida petierant. Reliquis autem fovere cum Narfete isto sua privatim asportantes Italia excedere, ac nunquam adversum Romanum Imperium bellum gerere promiserunt. Libertate tamen retenta, sine ulla Romani Imperii subjectione.* Libro quoque 2. ait: *Gotthos in Alpibus frequentia habuisse castella, & multas arces. Arma sec.*) Hæc res habet hoc modo. *Agrianius* (quem Staufacter nominant) domum contignatam pro more Suicorum sumptuose extruxerat. *Quam, Gryfeterus prætervictus equo, ubi diutius contemplatus erat, tandem rogavit, cujusnam esset?* Respondit ille non ignarus tyrannici peccatoris, *Tua est optime Princeps, & mihi conductitia.* Abiit tyrannus. Hic verò magna percitūs sollicitudine, ne in domum suam violenter, qua erat malignitate (prius namque non semel contra alios idem patraverat) imperum faceret, tristis egit tantisper, dum persuasus ab uxore concederet Uriam, inventum iri fortasse, quos similis injuria premeret. Consilio approbato, reperit duos, conveniunt, conqueruntur tyranni injustitiam, & denique conjurant, se aut mortem obituros, aut patriam secum adseruros in libertatem. Quid actum sit, ita palam est, ut pluribus verbis non egeat. *Uri Guilielmia*) pro Guilielmi Urii, figuratus sermo, cum synæresi Uri, pro Urii.

*Sylvanam gentem, Romano à sanguine cretam,
Quem scindit geminam nemorosorobore sylva,
Quis dignè satis extollat: cui lucidus aer,
Lucidaq; amne loca, & secundo gramine campi:
Miles & in jaculis, & longa turbidus hasta:
Libertatis honos, & præca gloria Roma.*

*Sarnenses arces, infesto sydere nata,
Ipse tyrannus idem, tua jura Agriane perosum,
Ostendunt, huic est vasta pius incola eremi,
Nicoleos, qui uno & viginti sobrius annis,
Nil potius efusus, tulit, mysteria cæli
Edoctus, sacro vivebat corpore Christi.*

Sylvanam gentem) Proxima nunc *Sylvania*, duplex quidem *superior & inferior, nomen sortita est à sylva interjacente: Buderwalden quasi dicas inter sylvas, non autem à centum sylvis*, ut quidam somniarunt, sic enim aspirationem acciperet. Multis pagis abundat. montosa proflus, latissimis tamen atque fecundissimis pratis. A Romanis (ut fama est) inferior pars, quæ *Stans* vocatur, descendit, expulsus ab urbe per seditionem, quos quantum & cultu & Fortitudine adhuc representet, noverunt, quibus mores & gesta Sylvanorum sunt comperta. *Cretam*) Ortam. Verg. *Quo sanguine cretus, Hortamur. Geminam*) Duæ partes enim sunt (ut diximus) & duo conventus. Ad Concilia Helvetiorum duos mittunt Legatos, qui tantum suffragium possunt reddere. In dividendis quoque vel stipendiis, vel aliis rebus superior, quod major est, duas portiones, ubi inferior, unam accipit. Hujus pagis præcipuus *Stans* vocitatur, illius *Sarnen. Miles & in*) Indicat populum esse bellicosum. *Turbidus*) Pugna, terribilis. Verg. *Et urnulo adversum se turbidus infert. Libertatis*) Helvetiæ, pro qua paranda & conservanda, nihil non subierunt laborum. *Roma*) Ad hunc enim referunt originem, uti dictum est. Nihil autem hætenus egerunt, quo ab illa degenerasse queant redargui. *Sarnenses arces*) Vicus est *Sarnen*, modò id quòque relatum, primus *Sylva superioris*, unde *Sarnensis* est deflexum, à quo non procul *Landenbergius* tyrannus arcem habuit cum arte, tum natura sic munitam, ut de ejus expugnatione fermè desperatum esset. Tum verò succurrit exactio, quam tyrannus, qui *Landenbergio* successerat, statuit, *ad expilandum populum, ut videlicet singuli singulis diebus festis, quos quatuor per annum celebramus, pro facultate aliquid tribuiti sibi nomine adferrent.* Nam dum *Divina* tyranno audiente, censum *Sylvani* putarentur adferre, arcem intromissi occupant. Quæ res statim ut ad Dominum pervenit, omnibus posthabitis, paucisque ex ministerio comitatus *Sylvania* excessit. Hæc obiter diximus. *Ipse tyrannus*) *Landenbergius*. De hoc ab initio penè dictum est. *Huic est vasta*) *Nicolaum* significat *eremitam*. Hic quidem natione *Sylvanus*, *Patre Henrico, matre Hemmanna* progenitus, *Divino monitu eremum intravit, uxorem cum decem liberis, quinque, maribus & totidem puellis relicta*, ubi absque cibo & potu humano 21. annos transegit. Solitus fuit aliquando dicere: *Longè gravior sibi fuisse, quòd divina gratia potuerit penitus uxori suæ rennunciare, quàm quòd cibo.* Sepultus jacet apud *Sylvanos* in pago, cui nomen *Sachslen*. Vir fuit admodum procera statuta, & formosa. Suprà quàm erat satis, macie confectus, ut nihil aliud habere visus sit, quàm cutem ossibus adhaerentem. Color erat fuscus, capilli nigri, canicie sparsim interpersi. Barba non proluxa, nec multo pilo, sed in medio bifurcata. Oculi apprimè nigri, & quibus terri quis potuisset, ob venerandum fulgorem, concuti. Colli, gutturisque venæ, dum loquebatur, non sanguine, sed aere videbantur plenæ. Vestis usus unica & simplici, ad talos usque demissa. Ca-

put semper nudum, & nudi pedes. Vocem edebat virilem, sermonem tardum. Disputans de Deo, videbatur omnia Sacrarum Literarum secreta esse rimatus, cum tamen ne literam quidem noverat. Illud addam: Cellulam ejus fuisse longam duobus passibus & semis, latam unius & dimidii, altam, ut capite ejus summitatem rangeret. Fenestrenulas hæc duas habuit, palmæ latitudinem referentes. Nihil insuper videbas, præter humilima scabella, quibus haud dubiè pro cervicalibus utebatur. Hæc adscripsimus ob eam causam, quòd hæcenus non vidimus adnotata ab his, qui vitam ejus viri Literis mandarunt: quamvis Henricus Lupulus Canonicus Bernensis homo planè doctus nihil penè omiserit, ejus libellum propediem in lucem dabimus. Nostri Poëtæ parens cum eo locutus fertur, cum avo Poëtæ ac ejus majoribus bello interfuit. Poëta eo anno natus est quando Nicolaus moritur, anno Christi 1488. Filium ejus Consulem vidit Poëta Sylvaniae, anno à Jesu Christi Natali 1510. *In ipso sidere nate.*) Quia paulo post tyrannidem diruta sunt. *Tua jura Agriae*) Novam libertatem, quæ alia adferebat jura, & Agriaum Suicum (de quo antea (vulgò Strouffacter vult intelligi. *Nicoleos*) Attica declinatio, ut *de laos*. Nam Nicolaus, ditrochæus he: oico versu) minus apta erat dictio.

*Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum,
Gens ferri, populisq; acer, gens sueta laboris,
Semper in arenis juvenes exercet arena.*

*Terra minor reliquis, sed non tamen infima Virtus,
Dura manu bello, nullo perterrita casu,
Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro
Vapulat, instructaq; ignara phalange revelli.
Facta Patrum ostendunt, & monstrant tempora nos-
tra*

*Tuginos acres, & libertate celebres,
Sollicitosq; sui, natosq; ad bella Camillos.
Hinc sunt à tergo colles, sed dextera pingui
Rure vires, frontem nitida lacus abluit unda.*

Tugium ab antiqua Tugium, vulgò Zugl oppidum est, cujus frontem cingit lacus, tergam & sinistram monticuli, dextram campi non mediocriter fertiles. Memini à majoribus me audisse, longè quondam fuisse amplius, quam sit hodie, sed unam ejus partem ob lacum insidiantem subsedisse. Extra muros parum admodum habet Imperii. Homines producit mihi formosos, & acres. Tuginorum meminit Strab. lib. 4. & 7. ubi ait, de Cimbris loquens. *Cumq; constatas atrocibus opes longè suis ampliores esse viderent, in Helvetios se contulisse. Et præcipuè ex eis Tuginos, & Tuginos sollicitasse. Univerfos verò delevere Romani. Et Terram minor reliq.*) Eximia laus hujus urbis, quòd cum civium pauciores habeat, cum maximis tamen civitatibus Helvetiorum nunquam detrectavit certamen, sive adversus externos bellandum esset, sive civili bello opus fuit, unde & præturas exteras, suffragiumq; æquum cum maximis habet civitatibus, tanquam prima classis Romana inter cæteras. Hanc noster Poëta semper maximi fecit. *Acer*) Fortis. Verg. *Arma acri facienda viro.* *Stat*) Comparatio. *Euro*) Vento quovis Species pro genere. *Vapulat.* (Percutitur, impellitur. *Phalange.*) Ordine. Quid Phalanx propriè sit, his verbis Q. Curtii lib. 3. clarum videtur. *Ipsi Phalangem vocant pedum stabile agmen. Vir viro, armis arma conferta sunt. Camillos*) Fortes, sicut erat Camil-

lus, qui urbe à Gallis Senonibus capta ad Capitolium usque à tergo eos subito aggressus adeò cecidit, ut omnia incendiolorum vestigia (prius enim totam Urbem igne consumpserant) Gallici sanguinis inundatione deleteret. Vide Liv. lib. 5. decad. 1. & Flor. epis. 1. & Plutarch. Poëta elegantia gratia numerum mutavit. Quemadmodum Verg. 2. Georg. *Extulit hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos.*

*Tu quoq; Limagiana gravi gens incluta bello
Et libertatis vindex, temeraria Rheno
Bella teris gladio, dirosq; explosa tyrannos,
Culmineq; eductas in sidera, diris arces:
Plurima majorum tibi sunt exempla tuorum:
Aspice dissecto Vesania pergama viro,
Quid patres potuere tui, te aquare labores
Majorum pulchrum est, demptasq; ulciscier um-
bræ.*

*Sunt tibi in ætherio duo numina maxima cælo,
Inclutus effugiens noctem Fridolinus opacam,
Hilarion Gallus, Pictona gloria gentis
Sæpe vocanda tibi, sæpe in tua voce vocanda.*

Tu quoq; Limag.) Clarona pagus totam ditionem denominat, in tei montana jacet altissima. Ingenia felicissima profert. Quod quidem facile Poëta noster comprobatur. Et Arbogastus Strub civis ejus, qui dum in vivis esset, non mediocriter decus fuit Academiae Viennensis D. Egidius Tschudi iusigne ornamentum hujus seculi, unà cum fratribus & tota illa familia Poëtæ nostro faventissima. Adde his D. Henricum Schulium Nephelinum Poëtæ ex sorore nepotem, in rebus Mathematicis non mediocriter eruditum: sed ad alia transeo. *Limagiana*) Claronensis à Limago, qui apud eos oritur. *Temeraria Rheno*) Oppositi sunt Claronenses Rheno ad Sarunetes ac vicinos populos Estiones. *Libertatis vindex*, Explosit enim tyrannos, ac arces quas septem eminentissimas fortissimasq; habuit, disiecit. *Eductas in jda.*) Hyperbole est. Verg. *Fluctusq; ad sidera tollit. Aspice dissecto*) Pugnam significat Nephelinam, præcipuam in Helvetiorum prima libertate, in qua hi populi contra Claronenses suos miserunt exercitus. Dux Austria, Scaphusia, Wintertur / Riburg / Deggii, Cellani ad lacum Venerum. Feldtirth Domini ex Thoberg / Daverschwil / Grünigen / Bigna & Vesonium oppidum eis ob propinquitatem inimicissimum, quod quidem hoc bellum excitavit. Cæterum in ea pugna tria millia hostium, præter eos qui in lacu Rivario submersi sunt, ceciderunt, quindecim millia contra minus mille viros commissi. Hanc pugnam Poëta, ut vix credibilem, heroico carmine juvenis olim luserat, sed certis de causis non edidit. Obiter autem hic notandum, Poëtam nostrum Claronensem vocari à patria. Glareanum autem à familia, atque à paterna domo, à Glarea, am Sternacker. *Vesania pergama*) Mœnia oppidi *Vesonii*, quod hodie *Wesen* nunc tamen ditutum, est autem ad ostia lacus Rivarii, quem hodie Walenses nominant à Rhætis, qui olim eum occuparunt, sic dicti. Ut oppidò eleganter differit D. Egidius Tschudi in Rhætia descriptione cap. 7. *Situs oppidi Wesen commodissimus ac amantissimus olim fuit. De nostra tempestate in angulum satis angustum vicus magnificus est, ad oppidi formam, sed absq; muris. Pulchrum*) Imò pulcherrimum. Non enim est quod magis dedecet, quam dege-

degeneratè à suis, ubi quid ab eis optimè & cum Virtute gestum est. *Numina*) Patroni. *Inclycus effugiens*) Divus Fridolinus Claronensium, Patronus in Hibernia natus dicitur è stirpe generosa ac præditive, patria relicta urbem petiit Pictaviensem, divertens ad Divi Hilarii basilicam. Mansit illic tandiu donec visione monitus est ab Hilario, ut inde abscederet. Venit itaque longissimo itinere ad Insulam Rheni, in qua hodie Sequanum oppidulum est, à Sequanis, ut supra dictum est, nominatum, quamvis ipsum in medijs Rauracis jaceat. Ibi plurimis annis in Dei servitio peractis obdormivit. Vixisse Sequanii videtur anno à Jesu Christi Natali quingentesimo, ut ibidem in magnifico templo, sacris Virginibus Consecrato legitur. *Noctem opacam*) Hiberniam aut Scotiam innuit. *Hillarion Gallus*) Præclarus hic fuit Theologus, & Episcopus Pictaviensis, de quo lege Hieronymum in Catalogo Illustrium Virorum. Poëta primam epenthesi produxit ἔ λ. Et in on magis quam in us, quia in Gallus sequebatur eadem terminatio us.

*Rauriacas arces, Augusta, limina Rheni,
Helvetia muros, & inexpugnabile vallum,
Quo pede dicendi, quo plectro, quæve Camæna
Sat dignè extollam: non si mihi Tullia verba
Delius inspiret, Musisq; adtranstra vocatis.
Tantillum laudis possem: salve optima mater
Indigenis Basilea tuus, urbs inclita fama,
Urbs Troja, Thebisq; & multis notior astris:
Tota quidem splendes, & te tibi pulchrior ipsa es,
A planta usq; caput, tu nostri portusq; apexq;
Imperii, tu totus honos, non indiga laudis
Fucata, semper studiorum dulcis alumna,
Massiliam referens, doctasq; Academia Athenas.*

Rauriacas arces) Basilea urbs Episcopalis præclara, & ampla, omnibus modis ita commendabilis, ut parem inveniri facile, haud credam: situs est namque jucundus, longus & oculis mirificè blandiens undique prospectus, ædificia magnifica, templa atq; monasteria multa, dulcissimi fontes, cælum saluberrimum, mira omnium rerum exuberantia, Rheenus urbem disterminans, ponte tamen iterum connexam, homines civiles, Respublica optimè instituta. Et, quod erat initio dicendum, *Universitas* Viris eruditis plena, à qua non mediocrem laudem obtinet apud exteros. Sed nec minorem ab arte impressoria, ut ex qua innumeri tam boni libri, tam elegantes, tam repurgati ab omnibus mendis, tamq; Republicæ Christianæ conducibiles in lucem jam non multo ante prodierunt, & quotidie prodeunt. In qua quidem re Erasmus ille Roterodamus Vir ex omni ævo incomparabilis, & rei communi Christianæ (nihil enim dubito) natus, haudquaquam sua laude fraudandus est, utpote cujus opera effectum, ut pleriq; hi libri cum exhibitu sint, tum emendatiores, conspicuq; magis exhibitu. Beatus autem Rhenanus quantum in hoc negotio laborum impendat, vel orbi cognitum. Hunc equidem hominem commendarem pro doctrina singulari, pro linguarum cognitione, pro instigandi studio ad bonas literas, & sacram Christi Philosophiam, pro candore, pro humanitate & probitate, ac deniq; pro exactissimo judicio in re literaria, nisi id fecisset jam olim fama, qua per totum penè Christianum circum ejus nomen defertur. Habet hæc urbs etiam

Indigenas, à quibus plus quam illustratur, ut D. Ludovicum Berum Theologum. Amorbachios trilingues, Copum alterum nostri temporis (ut Erasmus inquit) Hippocratem. Percussit autem fœdus perpetuum cum Helvetijs ob defendendam, & Justitiam & Libertatem. Superius quoque de hac diximus. *Nomen habet Regium*, βασιλευς enim Rex est, βασιλεία Regnum. *Augusta, limina*) Allusio ad Augustam veterem. *Muros*) In Helvetiæ enim penè finibus est. *Non si mihi*) Hoc dicit etiam si Apollo Ciceronis mihi infunderet eloquentiam, & Musæ labori meo adfisterent, tamen ne minimum quidem laudis efferre possem, prout Basileæ requirit magnitudo. *Delius*) Apollo, in Delo insula maris Egei: De qua Virg. lib. 3. *Æn. Adtranstra*) Ad labores, ad opus nostrum. *Transtra sunt navium tabula in quibus sedent remiges*. Virg. *Vigilate viri, & considite transtris*. *Indigenis*) Incolis. Indigena opponitur advenæ, significatq; inde genitum. *Urbs Troja*) Trojam Hom. & Verg. cecinerunt. Thebas Statius. *Et te tibi pulchrior*) Superlatio. Ovid. *Jam se formosior ipse est*. De Adonide. *A planta usq; ad caput*) Adagium. Eo utimur rem totam significantes. *Fucata*) Id est, adumbratæ verborum lenociniis. *Massiliam*) Civitatem Narbonensis Galliæ. Respicit Poeta nimirum ad hoc, quod Strabo dicit *de Massiliensibus* lib. 4. *Eos videlicet rem urbanam per Optimates, & Aristocratiam regentes, omnes legum aequitate superasse*. *Doctasq; Academia Athenas*) Unde Humanitas. Doctrina, Religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur, inquit Cic. pro L. Flac. Ibidem Massilia commendatur magnopere.

*Genus Aventina decus, & suprema potestas
Gloriaq; illustris prædonum virga Friburgum
Ausim num tenui laudes tibi fundere filo?
Illois manibus, citharag; sonante ululatum?
Sed jubar excellens, magnarum curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Irascensq; arces muris, objectaq; moles
Ordinibus, volitansq; hosti catapulta furenti,
Sedula Berchtoldi Ducis alti cura Zeringi
Te, velut Arctopolim, satis felicibus urbes,
Ædificarat, ubi hos squallenti viderat ora
Collicolos, loca nascendis aptissima muris*

Genus) Friburgum nostrum. *idem Princeps condidit, qui & Bernam. situm est in ultima penè Helvetiæ Occidentem versus, urbs munita non tam hominum operis, quam natura loci*. In montis enim radicem adsurgit, cui subest amnis Sana, supernè cacumine montis protegitur, in primis vere prudentium Virorum consilio, in quibus tamen Falco eques auratus & ejus urbis consul, facile primas, dum viveret, tenuit, cujus equidem mentionem eo facio lubentius, quod & doctus erat, & eloquens, quodq; tam unice Glareanum nostrum amavit, omnesq; Doctos, ut vel hinc liceat hominis conjicere prudentiam. *Aventina*) Friburgum *Aventicum* dicitur hæc de causa, quod sit *Aventici oppidi, capitis olim* (teste Corn. Tacit. 17.) *Helvetiorum velut colonia*. Ejus & Ptol. lib. 2. meminit. *Prædonum virga*) Quia ea Helvetiæ pars, quæ inter Friburgum ac Genevam jacet, sæpè infamis suis latrociniiis à Friburgensibus ac Bernatibus, quantum in ipsis fuit, purgata. *Illorum manibus* (Proverbialiter dictum in eos, qui vel audacius, vel parum instructi rebus his, quibus oportuit,

tuit, negotium invadunt. *Curia*] Appositio: *Curia* locus est, ubi *Senatus Reip. curam*, a qua & nomen usurpat, gerit Cicero: *Extincto enim Senatu, delictisq. iudicis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus. Belli memorabile fulmen*] Ita Scipiones quoque duo, belli fulmina ab Ennio nuncupantur. Et Virg. lib. 6. *Aneid.* Duo fulmina belli Scipiades. *Iraescensq. aries*] *Aries* machina bellica, qua veteres muros diruebant. Tribuit rei inanimatae affectum, cum dicit irascens. *Catapulta*] *Catapulta jaculum celere, vel sagitta secundum Nonium. Loca nascendis aptissima muris*] Locus enim is accommodatus urbibus extruendis, quem natura etiam ad tuendum formavit

Urbs, quam Roma simul sociam, Treverq. sororem

Appellanti, Salodorum ingens te scindit & ambit Ipse Arola, ex tibi sunt sacris Thebae sepulchris Corpora, qua quodam e Nilo. Memphiticus Heros Duxit in hoc Ursum caelum, dum vita manebat, Martyrii, ut palmam, & dignos Heros triumphos Acciperent omnes pro chari nomine Christi. Accipe quod volui brevioris dicere versu: Ursum servas morem, fortissima bello, Pectora habens, nullog. unquam percussa timore, Ut Romam factis aequis, vincatq. sororem.

Urbs quam Roma] Si civitatibus laudem parit vetustas, nullam vel Galliae vel Germaniae dicere austin, exceptis Treveris, quae parem cum Salodoro nostro commendationem mereatur. Ferunt enim conditam esse, non multo post Abrahami tempora. Visuntur hodie argumenta antiquitatem plane indicantia. Situm est ad nostrum Arolam, contentum planicie, validissimis circum mœnibus. Viris praestat huiusmodi, ut a quibus in praelio animum concipias vel ignavissimus. Sororem] *Treverorum urbem, & Salodorum sorores* vocat, quod iis simul fuerunt temporibus, cum nullae adhuc aliae civitates vel per Galliam, vel per Germaniam forent extructae. *Treveri* per secundam vocalem duabus prioribus syllabis, a nominativo *Trever*, & est diphthongus eu. Est enim *Treventi* minari Germanica lingua: unde *Treveri* dicti, quasi minaces. De his ac similibus in er nominibus, multa Poëta noster in Annotationibus in Lucanum ad illum versum ex primo Pharsalicae, *Tu quoq. latatus converti in praelia Trever.* Est enim prima diphthongo longa, quam quidam male corripunt. *Tibi sunt Sacris Thebae*] Nam *Urbi*, & sociorum ejus, qui ex Thebaide Aegypti cum Divo Mauritio proficiscentes, post Mauritii Martyrium Salodorum venerunt. Ibi cum Praeses erat Hyrtatus nomine. Huic à Maximiano Imperatore continuo mandatum ut Sanctos Viros vel ad idololatriam cultum adigeret, vel tolleret e medio. Verum hi firmati in Christo cunctis praese ipso contemptis martyrio coronati sunt. *E Nilo*] Ex Aegypto, cujus fluvius est Nilus. *Memphiticus*] Aegyptiacus. De Memphi supra dictum. *Palmam*] Victoriam, cujus palma signum est. Rario datur à Gell. lib. 3. *Ursum servas morem*] Apostrophe ad civitatem. *Aequisq. sororem*] Treveros. De qua civitate Aufonii verba subscribam:

Armipotens dudum celebrabere Gallia gestis, Trevericq. urbis solium, quae proxima Rheno Pacis ut in mediae gremio secura quiescit, Imperiūq. Viros quod alit, quod vestit & armat,

Lata per extentum procurrunt mœnia collem, Largus tranquillo perlabitur amne Mosella, Longinqua omnigena vectans commercia terra.

Subite amne tuas piscosa Scaphusia laudes Conspicuum Helvetiae sydus, bene digna Camoenis Gloria Teutonica Germano in littore terra.

Utilis & bello, vincendoq. utilis hoste.

Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni Alluit hic rapidus resfluente in gurgite vortex Cernitur, Euripum referens, Scyllaq. voracis Latrasus, hic unda alti de vertice montis

Lapsa ruit praeceps, sterilemque eructat arenam

In circum, sursumq. volans portendere nubem,

Aut nebula, speciem, & caelum pulsasse videtur.

Subite amne] *Scaphusiam* à scapha dictam, non ab ove (quamvis usus sic obtinuerit) supra rerulimus.

Sita est ad Rhenum in littore Germanico, Helvetiae, tamen ponte conjungitur. Omnium rerum mire exuberans, nec postrema in Helveticis urbibus sive pace,

sive bello. Eo autem territorio complectitur, cuius nec Bacchum paeniteret, nec Cererem. Piscosa] Vix alia est urbs ubi ditius est forum piscatorium.

Hic] *Sub Scaphusia* circiter 3000. passuum, major *Rheni cataractis* est, id est, ex alta decidens rupe aqua, magnum naturae miraculum, ut plane mirerur Plin ac Corn. Tacitus nihil de eo scriptis prodiderint, cum oculati, ut dicitur, testes Galliae ac Germaniae fuerint, *medius Rheni cataractes* est ad

Louffenberg. Tertia ad Rhinfelden 12000. passuum supra Basileam. *Euripum*] Euripum significat, qui pons maris est inter Aalidem Bœotiae urbem, & Eubœam insulam, cujus meminit Strabo lib. 9. & Plin lib. 2. Et quorundam tamen, inquit, privata natura est, velut Taurominitani Euripi saepius & in Eubœa septies die, ac nocte reciprocantis, tam rapida conversione, ut quemadmodum Autor est

Pomp. Mela lib. 2. vento ac etiam plenis velis navigia frustretur. Scyllaq. voracis] Justinus Historiographus de Scylla sic scribit, lib. 4. *Undarum parro in se concurrentium, tanta pugna est, ut alias velut*

virgines in sublime ferri videas, alias quasi ferventis astus, nunc hic gemitum in voragine descendens exaudias. Hic unda] Descriptio haec tam aperta est, atque dilucida, ut nulla penitus explanatione sit opus.

Tarda venis, sed grata meo Cellana juvenus

Concentu, fidibus istis, plebs aspera cultu,

Contemprixq. anima, molesq. objecta periculis

Suanorum, cui quanquam alti sunt ardua montes Pergama, stat fortis pro duro dextera muro

Est tibi simplicitas prudens, moderata potestas,

Et quo nil majus, justo moderamine ferrum.

Te quoq. quis cultu ve Dei, pietate ve majori?

Claude memm carmen, possumq. eris ultima stellas

Inter majores, quam prima minoribus astris.

Tarda venis] *Abbatii Cellapacii*, oppidum modis omnibus representans, totam ad se attinentem plagam denominat. Intercluditur montibus. *Recepta in numerum partium Helveticarum, anno 1514 cum*

antea socia fuerit, sed absq. suffragio publico totius Regionis Helvetiae. Porro alius est ordo, ut in conciliis locum habent: alius in annis libertatis inceptae. Eos nunc referemus, *Suisia, Uria, Sylvania primam foedus inierunt anno Salutis 1315. Accessit*

his Luceria quarta pars anno 1332. Tigurum quinta

pars

pars 1351. Tucium & Clarona anno, dein proximo nempe 1352. Berna octava pars sequente item anno 1353. Haec urbes octo publici consilii durarunt sola usque annum Salutis 1501. Quo anno quatuor urbes, ut concilii publici Principes creatae sunt, Salodorum, Friburgum, Basilea, ac Scaphusia. Quaequam longè antè sociæ essent & confederatae, sicut Abbatis Cella quæ ultimò anno 1514. pars principalis facta est, à Poëta verò addita est, posteaquam reliquas partes jam descriperat. Quare dicit, Tarda venis. Cui quanquam) Id est quanquam montibus altissimis est circumducta, tamen in his quasi parum confidens, dextra fortitudinem exercet. Simplicitas prudens) Nihil poterat aptius conjungere, quam cum prudentia simplicitatem. In hac namque sinceritas est, in illa boni & mali, & inter se utriusque discretio. Iusto moderamine ferrum) Res omnino difficilis homini Christiano invenire causam, qua iuste belligeret, quòd tota Evangelica doctrina, omnis institutio Apostolica nihil aliud docet, quam pacem & charitatem. Unde magnum tribuit Abbatis Cellanæ juventuti laudem, quòd bellum non ineat, nisi iustum. Id quòd tùm fecit, dum tyrannidis impatientia, non multos ante annos jugum insolentissimi domini excussit, iustis causis moventibus, aliquot Imperialium civitatum copiis gravi pugna superatis apud viculum, quem Loch cognominant. Potiusq; eris) Eleganter concludit Abbas Cellam admonens, velit potius esse inter Helvetii partes (quas angulos vulgò dicitant, nec sine ratione) præstantiores ultima, quam inter inferiores prima.

S O C I I,

Hæc mea Musa humili visa est prompsisse cæ-

*mœna
Historiam libans, summam vix tangit aristas.
Sed neq; quid Veragri possint, acerq; Sedunus
Et Leopontini, gens Egocerotide pelta
Bellipotens, cecini, tria quæ per fœdera juncta est
Rheticaq; arva tenet, Sanctiq; potentia Galli,
Durgea quid felix possit, quid Doggia castra
Fortia, quid vallis, quæ nomen ab anserè, sumpsit.
Hæc mea posteritas celebret, chariq; nepotes:
Tum, quæ plura fides, nostro non congrua plectro
Subnotet, & partes singillatim explicet omnes,
Tota mihi cantanda fuit, mea Musa recusat
Hoc onus immensum, volui tamen illa referre.*

Hæc mea musa) Culpam omnem, quod non descriperit Sedunos & Lepontios socios Helvetiorum, Durgeos, oppidum ad S. Gallum, Doggios, & Saracatum ditionis Helvetiæ, in Musam Poëta rejicit, posteris id qualecunque futurum sit negotium committens. Prompsisse) Deprompsisse, simplex pro composito. Historiam libans) Breviter attingens. Libare, est leviter gustare, Virg. Et flumina libant. Summas) Virg. lib. 7. Necteneras cursu lassisset aristas. Veragri) De his superius dictum. Quidam eos appellant hodiè Ad S. Mauritium. Egocerotide) Patronimicum pro possessivo. Ea gens Capricornum habet in insignibus, qui Græcè dicitur ἀρξίπους. Pelta) Pelta scutum brevissimum est in modum Luna, jam media, inquit Ser. Poëta pro insignibus ponit. Tria quæ per fœ) Allusio ad hoc quod vulgò dicuntur die drey Bûnd. Sanctiq; poten. Gall.) Oppidum vocant ad S. Gallum pulchrum, opulentum, &

populosum, ob negociationem (byffo namquæ victum quaritat) multis cognitum gentibus. De quo, etsi propter res innumeras foret celebrandum parcius dicam, quod Joachimus Vadianus ejus altissimus ipsum elegantissimo carmine illustravit, Vir talis in omni Doctrinarum genere, ut quem vel doctissimis quibusque opponeres, ad eò humanus, ut nesciam, an humanius quicquam senserim. Doggia castra] Expressit vulgatam appellationem Doggenburg. Quid vallis] Poëta vulgi opinionem secutus dicit vallem hanc nomen habere ab anserè, Sargans etenim vocant. Vide de oppido pulchrè differenter D. Egidium Tichud in Rhetia, cap. 22. Sarunetas enim olim eam possedisse vallem à Sara flumine supra oppidum Sargans. Et meminit Sarunetum, Plin. lib. 3. cap. 20.

*Fœta armis Regio, fœcundoq; inclita partu.
Et semper crescens populus patiensq; laborum,
Formica velut Agina, quæ crescere in auras
Æacus aspexit, relevamen plebis ademptæ:
Myrmidonasq; vocat, nec origine nomina fraudat
Gens nimium potum exhorrens, gens dedita sa-*

*cria,
Religione vivet, tota est affabilis, alto
Amne sitim levat, & victu contenta minuto est.
Fidumiter ostendit plebs officiosa, per Alpes
Tuta via est, atq; à laqueis defensa latronum.
Nulla hic insidia raptorum, nulla tyrannos
Arx fovet, & nullam timet hic mercator eremum*

Fœta armis re] Laudes colligit Helvetiæ. Ubi quidem candidum Lectorem velim admonitum, ne si quæ obvenient moribus hodiernis Helvetiorum contraria, statim mendacii Poëtam insimulet, nam de veteribus, hoc est majoribus nostris rem potissimum vult intelligi, per quos Imperium nostrum adactum est. Non enim nescit, quantum hodie alienam ab illa priorè vitam agant Helvetii, neque id semel apud nos deploravit. Formica velut Agina] Similitudine fabulosa, sed decentissima ad crescentem hunc populum indicat. Fabulam lege apud Ovid. lib. 7. Metamorph. Agina] Insulæ Articæ ubi regnavit Æacus. Crescere in au. Mutari in homines. Plebis ademptæ] Scilicet peste à Junonè immissa. Myrmidonasq; vocat] Eginenses, inquit Strab. lib. 8. Myrmidonas appellatos, non quomodo in fabulis canitur, ut ingente invalescente pestilentia formicæ Æaco precante in homines versa fuerint, verum quia formicarum more terram fodientes ad petras transportarent, ut agricolandi materiam haberent, fossasq; incolerent, ne latericiam facere atq; edificare cogerentur. Formicæ Græcè μύρμινες, unde Myrmidonum appellatio. Gens nimium pot.] Sciens nimium Plinianum hoc: Cicuta venenum est homini, cicuta vinum. Quasi dicat vintum citra modum sumptum, venenum esse præsentissimum, quum veneni sit venenum: sic Politianus Plin. legit in Miscell. In primis autem illud Pauli, ἡ μύρμινοσ ἐστὶν οὐκ ἐπιβλητὴ ἐν οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσώρευα. Gens dedita sa.] Mirum quantum simplicitas in homine Christiano commendetur, atqui tam simplices Helvetii, ut etiam ab Erasmo sint ab ea Virtute commendati, consentaneum igitur verò, ipsos non admodum malè Christianos esse, & proinde Religioni quam maximè addictos. Tota est affab.] Humana erga peregrinos, sic enim intelligitur. Quæ quidem in re nescio, an sit alia gens præcellentior, Et vic. cont. mi.] Pro labo-

laboribus minuto, neque delicato, sed simplici: de qua re ita scribit Chrysoſt. *Vilis enim menſa & tenuis, ſanitatſ mater eſt, & eam propterea medicorum pueri ita nominaverunt, non ſaturari quidam vocantes ſanitatem. Cibi namq; penuria ſanitas eſt, minus veſci, ſanitatſ matrem appellantes. Oſtendit*) Scilicet peregrinis. *Tuta via eſt*) Id quod non tam apud noſtros eſt communi verbo celebratum, quam apud exteros, quo dici ſolebat: *Ad eò tutam Helvetiam, ut auro ne publicè quidem geſto ſtruerentur inſidia.*

*Onimium felix patria, ô digniſſima laude,
Si quod majores duro peperere labore,
Imperium ſerves, libramq; ſequare bilancem
Virginis Aſtrææ, timeat ſua dona Cupido,
Imperium pia ſimplicitas regat, & bona Virtus.
Jura ferat ſenior; venabula lata juventus
Dura acuat ſubigatq; feroc in cote ſariſſas.*

*Papa tibi & Caſar, duo lumina maxima mundi,
Ante oculos ſunt; ſolem illum, hunc dicito lunam:
Papa caput mundi, verus pater Urbis & orbis,
Sol verus, reliquas ſtellas illuminat omnes,
Præcipue lunam, qua cætera lumine vincit
Sydera, cœu ſuperat reliquos molimine Reges
Magnanimus Caſar, belli irviolabile fulmen,
Totius urbis apex, hominumq; ſuprema poteſtas.
A Chriſto poſitus, cui longo ſerviet ævo.*

*Sol oriens, ſolq; occiduus, poliſ Auſter & arctos,
Hos ſequere Autores, rerum dominosq; patreſq;.*

Onimium fe.) Peroratio adhibita admonitione. *Libramq; ſeq. bil.)* Alluſio ad Juſtitia imaginem, uti hodie pingitur. *Virginis Aſtrææ)* Juſtitiam antiquitus vocabant Aſtræam, eamq; ſcribunt, ut apud Ovid. legitur *lib. I. Metamorph.* terras reliquiſſe poſtquam à vitiiſ hominum ſunt occupatæ, atque in cœlum migratæ. Quod quidem Laët ille Firm. ait *lib. 5.* non proſuſ poëtica fictione, ſed pro vero habendum, rationem licet ab eadem inquiras. *Cupido)* Optime dicit, timeat. Nam nihil noſtræ patriæ poteſt accidere peſtilentius, quam pecunia nimia cupiditas. Et hæc eſt alterum è duobus, qua omnem *Republicam ſubvertunt, alterum ambitio. Jura ferat ſen.)* Id eſt Senior Republicam curet. *Venabula la.)* Id eſt, juventus tractet arma, quemadmodum Romulus primus Rex Rom. Republicam ſuam inſtituit, ut videlicet *juventus in equis & in armis*, ut Flor. ait, *ad ſubita bella excubaret ſenes penes Reſp. eſſet, quos quidem ex autoritate Patres, ob ætatem Senatores vocabat* Innuit autem Poëta proverbium, quo dici ſolet: *Faſta juvenum, conſilia mediocrum, vota ſenium. Subigatq;)* Ita Virg. 7. *Æn. Subiguntq; in cote ſecures. Sariſſus)* Haſtas oblongas, quales Macedones ferre olim ſoliti ſunt. *Papa tibi.)* Papa vocabulum vix poëticum. Verum quia Pontifex creticum facit, qui pes heroico verſu non congruit, quod proximum fuit, & Chriſtianis uſitatiffimum arripuit. Sumpta eſt comparatio *ex capit. ſolita benignitatis, verſ. præterea, Extra de Majoritate & obedientia.* Comparatio non omnibus, præſertim hac ætate placens, quod vita Pontificum huic dignitati non omnino respondeat. Poëta putat ſe non eſſe Pontificum judicem, ſed Chriſtum, qui hanc dignitatem dederit Petro ac ejus ſucceſſoribus, Pontifices reddituros rationem ſuæ villicationis, ſe hoc ſcribere de Pontificibus quales eſſe debeant, non quales ſint vel fuerint, quidam ex eis.

Hos ſequere au.) *Sequendi eatenus ſunt & Papa & Caſar, dum nihil nec jubent, nec imperant, quod diſſiſceat Chriſto. Quòd ſi ſecus fit, haudquaquam obſequendum. Imò verò ſemper habendum in pectore: Plus nos debere Deo, quam hominibus. Aliquoties namque populi ſimplicitas in hac re pernicioſiſſime ſeducitur.*

*Omnia ad exemplum majorum pende tuorum:
Omnia perſpicienda tibi, tu diſcito Roma
Crescentis mores, tetricos imitare Catones,
Æneadaſq; Duces, Decios, ſidoſq; Camillos.
Fabricium, Curium, & contracto poplite Coclem,
Innumeroſq; alios, quos commemorare moleſtum.*

*Brutus erat nobis, Oro Guilielmus in arvo,
Aſſertor patriæ, vindexq; ultorq; tyrannum,
Sic rogo Scipiada ſint nunc, fideiq; ſtupenda,
Atilius, ſi qui pacem Pyrrho eſſe negandum
Appius admoncat: tu Regna Æneia fixo
Contemplare animo, nec geſta illa incluta temne,
Quin propius ſequere & veſtigia ſemper adora.*

Tetricos Cat.) Graves & ſeveros, *Duorum Catonum*, ſenioris cui nomen Cenſorio, & minoris cui cognomen Uticenſi, gravitas pariter atq; integritas vulgò celebratiſſima quondam ſuit; adeò ut è cœlo demiffi dicerentur, & ut bellum cum vitiiſ gererent, inquit Eraſmus. Unde adagium ſumptum, *Tertius Cato*, in viros impendi tetricos. *Æneadaſq;)* Romanos ab Ænea ſcendentis. *Decios)* Et pater & filius pro ſalute publica ſe devoverant, ille in bello Latino, Autore Liv. VIII dec. 1 hic in bello adverſus Umbros, Hetruſcos & Samnites, quod idem teſtatur *lib. X. ejuſdem dec. Fabricium)* Hic Conſul fuit Ro. omnium ſuo tempore gloria & rebus geſtis maximus, ſed in primis *frugalitate commendatus, in tenuiſſima* namque *ſuppelleſtili* Samnitum, qui tunc hoſtes erant, *munera contempſit.* Et *Timocharem*, vel (ut alii) *Nicum pro necando Pyrrho Epirotarum Rege*, contra quem Fabricius tum in armis erat *pecuniam petentem, Pyrrho remiſit.* De hoc & *Val. Max. & Gell.* meminerunt. *Curium)* Dentatum intelligit, qui hoc paravit cognominis ab eminentiore dente. Exactiſſima Frugalitatis norma dicitur, & Fortitudinis perſpectiſſimum ſpecimen à *Val. lib. 4.* De eodem lege *Pluta. & Corn. Nep. Contracto pop. Co.)* Is & claudus fuit & unoculus, quæ quidem vitia tulit ob Fortitudinem Mirabilis fuit ejus viri pugna pro ponte ſublicio, ubi unus tot millibus armatorum tamdiu reſtitit, dum à tergo ponte intercifo in Tyberim ſe dimiſit, atque ad ſuos tranavit incolumis. Ejus Virtutem multi Autores commemorant, ut *Valerius. Cor. Nepos, Livius, Florus, Seneca, Gellius. Brutus erat no.)* Guilielmus, Tell, Brutus fuit Helvetiorum, nam uti Brutus Romana libertatis fuit vindex & cuſtos, ita Guilielmus Helveticæ, lege de Bruto *Plutarchum, Val. lib. V. & Corn. Nep. & Liv. lib. 1. & 2. dec. 1. Tyrannum)* Syncope. *Scipiada)* Viri fortes, qui patriam augeant, ſicuti Scipiones Romanum auxerunt Imperium. *Atilius)* Atilius Regulus intelligitur, cujus fidem Cicero ſatis ſuperq; explicat *in 1. & 3. lib. Off. Sit qui pa.)* Corn. Nepos in hæc verba ſcribit; Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per Legatum Cyneam precio quaereretur, ſenex & cæcus lectica in ſenatum laſus, turpiſſimas conditiones magnifica oratione diſcuſſit. *Quin propius)* Statii carmen ad finem Thebaidos paulum immutatum, Concludens autem

autem Poeta monet Helvetios, ut semper in oculis habeant Romanos priuscos, qui ferè nunquam bellum gesserunt, nisi causam haberent iustissimam, & cum hoc quicquid ad Virtutes attinebat, omnibus nervis observarunt, à recto ratissimè discedentes.

JOHANNI CÆSARIO JU-

liacensi, Physico, Mathematico, & Medicinæ Doctõri, Græcæ Latinæq; linguæ apprimè docto,

Henricus Glareanus Helveticus, Poeta Laureatus. S. D. P.

Gaudere plurimum soleo, suavissime Praceptor, quoties in mentem venit (venit autem sæpè) tui memoria. cumq; à te, à te inquam homine doctissimo, Græcarum literarum elementa cupidissimè didicisse recordor, incredibile est, quantum triumphem, quantum later. Ut autem aliquam tibi gratiam, quemadmodum grato discipulo congruum erat, rependerem, volui tibi meum, de Cæsaris Max. Emilianii laude, carmen, quod Agrippinæ in conspectu Principum Germania, coramque Cæsarea Majestate, non sine gloria (absit verbo invidia) multorumq; hominum admiratione ante biennium ad Dorium tonum demodulatus sum, dedicare. Consiteor tamen ingenuè me longè vinci à tali Principe, cuius ego ne umbram quidem consecrari valeo scribendo, sed qua potui feci, quid enim ultra, quam possum, facerem? Vale felix, honorum studiorum decus. Basilea Anno Domini M. D. XIV.

Ad Divum Max. Emilianum

Rom. Imperatorem semper Augustum, Henrici Glareani Panegyricon.

Inclite Romulidum Cæsar, quem summa tonantis Majestas mundo statuit pietate verendum, Praefecitq; unum Divina, potentia rebus, Qui cum ipso placidè spaciosum temperet orbem. Quod tua me pietas, & magnificentia sceptri Audiatur (en cernis) rogito tua Numina supplex. Arsacæ Arsacides, & Achemenas astra putabant Astrologi Persæ, Ptolemæos fama per orbem, Sparsit in extremam. Nil septemplex undam, Laomedonteæ fortunatissimæ urbe Infelix Priamus, Pelopeja ad arva volabat, Nomineq; & fama celebris, currenteq; vatium Materia, quid enim non audeat Graciâ mendax? Cecropis & Thesei quam clarum nomen Athenis, Antiochiq; Syris, nullo debile seculo. Proinde hac vana abeant, ne tempora perdere dicar Verborum longa ambage, exorsisq; remotis. Eja age, Pannoniæ celeberrimæ gloria gentis, Rex Romane fave, cui longo serviet ævo Sol oriens, solq; occidens, polus auster, & arctos. Namq; in hyperboreis, Tanais qua frigidus undis In Moëtica abijt vada, tu venerabilis oris, Famaq; nigrantes celebris tua contigit Indos, Extremosq; hominum Seres (aut si quid ibi ultra Priscis ignotum) Solisq; perambulat ortum. Vesper ubi occidua rorescit frigidus urabra, Gurgæ Atlantiacus, Tartesiæq; aquora Calpes, Te celebrant, te commemorant, tua Numina adorant. Nec satis hac tellure, aliis tibi quaritur orbis Sub pedibus, penè Antipodes nova terra marino Prensâ sinu, cycloq; sub æquatore reposta est.

Ast ubi ab arctoo Boreas volat horridus axe, Orchadas invadens, semotosq; orbe Britannos, Cimmericasq; umbras, agitataq; limina bello Frustra Romulidis, ubi vasto barbara gyro Gothia subjungit, cæcis abstrusa tenebris, Tartareas resupina jacens procumbit in umbras. Nota tua est pietas, & nota veronda potestas, Virtusque Imperiumque, & Maximus Emilianus. Deniq; Marmaricis ubi murmurat Auster in oris, Imbriferas cogens nubes Gatulia, Pssylli, Ethiopes, Elephantophagi, & Garamantica proles Ambigua, & Numida, Massyli, & corniger Hamon, Sape tuas laudes, saepe audirè procellas. Atq; ut magna magis tua sint præconia Cæsar, Extendit caudam Lybiæ, penitusq; sub aram Tensa caput cæli, ne scit quo sistere deur. Sed satis ambagum, tibi nunc Germania pugnat, Et Domini rerum, & melior famulabitur orbis. Burgundosq; Morinosq; tenes, Athesiq; fluentia, Indomitum Rhenum, sulcosq; binominis Istri, Illyrios, Vbios, fulgentiq; are Tribuchos, Vangiones, hodieq; feros in bella Batavos. Idq; unum adjiciam, quo nil mihi gratius orbe, Helvetia æterno Cæsar tibi federe juncta est, Gens aquilam, gens terribiles imitata leones. Nec tibi dedecori Suevi, gens prisca Deorum, Et dura, & fortis, nullog; exhausta labore. Cætera subriceo longum cantanda per ævum, Quæ gentes, quæ Regna tibi, quæ serviet ætas. Semper in Oenotris sensit acerrimus armis. Pallasq; ut sceptrum, divinas contulit artes, Prudens eloquium, & linguæ venerabile donum, Tot variisq; sonare modis, mihi lingua palato Hæret, & albentes vir attingit arida dentes, Cum nondum tibi gestorum numeravero partem Tantillam, quid enim præclare omnia stirpis, Quid reliqua enumerem? citius, quam copia defunt Tempora, grandiloquo solùm cantanda Maroni. Nec nisi Smyrneo gesta enarranda cothurno. Illi Parnasi fontes, & Phocidæ amnes Haustibus exorbert plenis, mihi gutta negatur, Et cyathis versis, sitiens ego pocula lambō. Da veniam (dare namq; unum) iustissimè Cæsar, Situa facta minus, Majestatemq; verendam Attigero, quis enim tam paucis exprimet autor! Semper in ore meo Regum veneranda potestas, Tuq; caput mundi, longos tibi det Deus annos, Atq; Sybillinam duplicata ætate senectam, Cum quo perpetuum regis invictissimus Orbem. Max. Emilianus Imperator Friderici Imperatoris filius, Caroli Quinti avus, perpetua memoria dignissimus Princeps; maximus Christianæ pietatis, ut vix alius, cultor, plurimum bonis ac honestis disciplinis favens; Germaniam mirè illustrem suo seculo fecit, ingenia excitavit, pauperes juvit, occasionem ad honesta studia capeffenda omnibus dedit. Idem Glareanum juvenem Colonia Agrippinæ honestorum Virorum Gymnassii Montani commendatione amplexus, laurea coronavit, annulo eximio donavit. In qua coronatione hoc carmen Poeta ad Dorium Modum intonavit. Pro cuius explanatione paucula hæc scholia subjecimus. Arsacæ Arsacides.] Laudum initium Regibus aliarum nationum factum ab sua, cujusque natione inquit, At Max. Emilianii Imperatoris nomen celeberrimum declarat totius orbis consensus. Licenter au-

tem Poëta Arfacas & Achemenas in quintam Græcorum declinationem torfit, cum alii in prima inclinent. Unde qui accusativus longus erat, hic corripitur. Sed in barbaris fortassis hoc licet. Ordo igitur & sensus est: Arfacides, id est, Parthus Reges suos Arfacas, & Persæ Astrologi suos item Reges Achemenas astra purabant. Ità Ægyptii suos Ptolemæos, Syri Antiochos celebrabant, Trojani Priamum, Athenienses Thesea ac Cecropem. *Thesi,*] Vel synæresis est, vel creticus pro spondeo. *Exorsisq; remotis*] Virgilius lib. 2. Georg. *Non hic te carmine fitto, Atque per ambages, & longa exorsa tenebo. Pannoniæ*] Hungariæ enim Rex fuit, quæ olim Pannonia. *Namque in Hyberboris*] Oriens descriptus. *Extremosq; hominum Seres*] Allusio ad illud 8. Æneid. *Extremiq; hominum Morini. Vesper ubi occidua*] Occidens descriptus cum Portugallensium ac Castiliensium navigatione sub æquatore ad Indiarum extrema facta sub hoc Imperatore, ac magis nunc sub Carolo Quinto. *Ast ubi ab Arctoo*] Septentrionis descriptio cum indicio terræ septentrionalis Sueciæ (cujus pars est Gothia) Norwegiæ, Islandiæ. Quarum omnium nationum nostra ætate est Olai Magni, Episcopi Upsaliensis, excellentissimi Viri pulcherrima descriptio, Venetiis excusa cum elegantissima expositione. Quæ nationes portentosa magnitudinis ac miraculis refer-

tissimæ, majoræ ex parte veteribus ignotæ fuerunt. *Deniq; Marmariciæ*] Meridies descriptus iterum cum Portugallensium navigatione per torridam zonam, qua Africa ad Tropicum usque Capricorni extensa, hodie navigatur, atque in Calecuti cum nobile Indorum citra Gangem Emporium pervenitur. *Penitusq; sub Aram*] Ultimum sydius in nostro horizonte visum cognitum, de quo Ptol. & Higinius. *Fulgentiq; ære Tribuchos*] Mirum est hoc nomen ita corruptè legi apud Autores, proximè ad veram denominationem accedit Strabo qui Græcè *τρίβουχος* vocat, Gallicæ linguæ est, sum deffen *Wüchen*. Et Poëta Elsatiam ac Brisgoeam significari vult. In Latinorum codicibus jam Triboces, jam Tribotes, nonnunquam Tribones, per tres inquam variatum literas c t & n. reperias. Ut taceam de quantitate mediæ syllabæ pro cuiusque libidine variatæ. Reliqua vocabula passim apud Autores obvia, ut Ubiorum, Attavorum, Illytiorum lubentes transmittimus. *Helvetia æterno*] Loquitur de fœdere quod hodie Hæreditarium vocant, iustum inter Domum Austriæ, ac Helvetios Constantiæ à Max. Emiliano Cæsare, anno Domini 1508. quod adhuc per Dei clementiam durat, magna utriusque populi felicitate: & ut porro in perpetuum duret, faxit idem Deus in secula benedictus, Amen.

De

TUNGRIS ET EBURONIBUS ALIISQUE INFERIORIS GER- MANIÆ POPULIS

HUBERTI THOMÆ LEODII COM-
MENTARIUS,

QUO QUAMPLURIMA AD COGNITIONEM RERUM
GERMANICARUM SPECTANTIA ERUDITE
EXPLICANTUR.

DE VETUSTISSIMÆ VRBIS TVNGRO-
RUM ET GERMANI NOMINIS ORIGINE.

SALLIÆ Belgica tractum, eum quem ad Septentrionem porrectum, Mosæ interfluit amnis & urbs nobilitat maxima, quam hodie Leodium vocant, olim ab initio indigena tenuit populus, donec Tungri, qui Teutonorum omnium primi in Gallias irruerunt, ut ait Cornelius Tacitus *transmisso Rheno in has terras venerunt, quas armis pulsus incolis, occupatas, etiamnum hodie retinent, ubi oppidum vel considerunt, vel antea conditum, de suo nomine, Tungros appellarunt,* amplissimo quidem murorum ambitu, ut adhuc veteres indicant ruinae, & agro feraci longeque optimo, ad utramque fluvii Lecoræ ripam, qui juxta Trajectum oppidum nobile, in Mosam exonerat. Hujus etiam mœnia, ut plerique volunt, & nonnulla ejus rei visuntur vestigia, Oceanus adlucbat, qui nunc æstibus advecta arena, ut fieri solet, remoratus, quam longissime abest, oppidumq; exiguum, subtractis commoditatibus, quæ mari proveniunt, reliquit, adorandum equidem non uno

nomine Germanis omnibus, quod hic Majorum inter exterarum nationum rei primæ omnium præclarissimæ gestæ, vetustissimum cernant monumentum, quod toties propemodum funditus deletum, linguam, nomenque parentum abjicere noluerit, ubi denique nomen, quo veluti in corpus redigerentur, primum invenere Teutones, Germanique appellari cæpti sunt. Ante hanc enim *Tungrorum in Gallias irruptionem, Germaniæ Germanorumque nomen inauditum erat, & gens quæ jam dudum hac appellatione terrarum orbi notissima est, non uno, sed diversis censebatur nominibus.* Dicebantur enim Teutones, Cimbri, Tungri, Marfi, Gambrii, Suevi, Vandali & hujusmodi. *Tungri autem ob rem bene gestam, applaudentes jam dicta gentes, uno nomine aliquandiu se Tungros appellarunt. Verum cum unius nationis peculiare vocabulum diu omnibus commilitonibus non placuisset, ut suspicatur non immeritò libro primo rerum Germanicarum*

Beatus Rhenanus, proprium aliqd nomen sibi exco-
gitarunt, quo deinde universi appellarentur, insi-
gnem prorsusq; virilem audaciam significans, hoc
est, Germanos sese cognominarunt, quos postea imi-
tati superioris Germaniæ populi Alemanni dici volue-
runt, vocabuli duntaxat primis literis, significa-
tione nihil differentes. German enim sive Ger-
man Teutonorum lingua prorsus vir. Aleman ve-
rò rotus vir dicitur. Hæc eadem etiam subindi-
cat Cæsar Commentario II dum ait: Eburones,
Pemanos, Carasos, Condrusos omnis uno nomine Ger-
manos appellatos fuisse. Nec quenquam moveat hic
Dominus Egidius Tschudius aliam ex Strabone
adferens Germaniæ nominis originem, nisi idem
præstet in Allemannia, Nortmannia, Marcoman-
nia & hujusmodi aliis in Mann exeuntibus, quæ
quàm plurima sunt, ita ut non possit singularitas
in Germaniæ vocabulo allegari aut suspicari, etsi
sit non parva aut indiligens Strabonis autoritas.
Quis enim audivit Romanos gentibus nomina im-
posuisse, & non proprio & communi appellasse.
Hinc faciliè Tungrorum antiquitas colligitur, hoc
est diu ante Christum natum Tungros conditos, nam
Germania nomen vetustissimum est, & multis ante
Julium Cæsarem seculis auditum, licet in Com-
mentariis quæ de rebus abs se in Gallia gestis di-
fertissimè conscripsit, Tungrorum nullam faciat
mentionem, quod forsàn ea tempestate Eburonum
nomen prævaluerat, & Tungri illorum parerent
Imperio. Quod autem fuerit ampla & potens ci-
vitas Ammianus Marcellinus scribit in hæc verba:
Secunda, inquit, *Germania ab Occidentali exordi-
ens cardine Agrippina & Tungris munita civitati-
bus amplis & copiosis.* Plinius quoque cum alibi,
in describendis Galliæ urbibus, tum trigesimo pri-
mo, hujus urbis facit mentionem: *Tungri*, inquit,
*civitas Gallia fontem habet insignem, plurimis bullis
stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in
sine potus intelligitur, purgat hic corpora, tertianas
febres discutit, calculorumq; vitia. Eadem aqua igne
admoso turbida fit, ad posterum rubescit.* Hæc ille:
Extat etiamnum hodie inter urbis ruinas hic fons,
eamque naturam habere & mihi probatus est, &
vulgus Tungrorum credit. Verum nescio cur Me-
dici illi hanc efficaciam abnegent, suæ commodi-
tati forsàn consulentes. Præstantes etiam bello Vi-
ros habuisse Tungros, veteres Historiæ non semel
tradunt, præsertim Tacitus, qui Campanum & Ju-
venalem primores Tungrorum nominat, qui cum
Civile Battavo adverius Romanos arma conjun-
xerunt. *Tungrorum* item *cohortes duas & quatuor
equitum turmas in Italia militasse*, scribit Vitellii &
Otonis temporibus. Julius Capitolinus item scri-
bit; *Taufiam* quendam è Tungris cunctantes in
necem Pertinacis Imperatoris milites, loquendo in
iram & timorem adduxisse, & hastam in pectus
Pertinacis objecisse. Nec alibi usquam faciliè plu-
ra victoriarum monumenta & trophæa reperies,
atque in agro Tungrorum, quibus scilicet confe-
cta sunt cæzorum corpora. Nihil etenim aliud sunt
terrei illi tumuli, qui oppido egressis, quæ ad Centro-
nes & Leodium iter est, statim apparent, quàm mor-
tuorum sepulchra, Romanis quandoquidem mos
fuit ita sepe ire, qui in acie conciderant, ut de cla-
de Variana memorat Tacitus: *Romanus*, inquit,
qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium

*Legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias, an suo-
rum humo regeret, omnes ut conjunctos, ut consan-
guineos, aucta in hostem ira, mæsti simul & insensu
condebant. Primum extruendo tumulo cespitem
Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, & præ-
sentibus doloris socius.* Tungros sub Vespasiano in
ditionem acceptos scribit. Tacitus lib. 20, *Fabius*,
inquit, *Priscus Legatus quartamdecimam Legionem
terrestri itinere in Nervios Tungrosq; duxit, eaq; ci-
vitates in ditionem accepta.* Libet hic adscribere Hi-
storiæ, quàm ponit Flavius Vopiscus in Nume-
riano, ut scias temporibus Diocletiani nondum
Christianos Tungros fuisse: *Cum Diocletianus*, in-
quit, *apud Tungros in quadam caupona moraretur,
in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide qua-
dam muliere rationem convictus sui quotidiani fa-
ceret, atq; illa diceret; Diocletiane, nimium avarus,
nimium parcus es, joco non serio Diocletianus respon-
disse fertur: Tunc ergo largus cum Imperator fue-
ro. Post quod verbum Druidis dixisse fertur: Diocle-
tiane joci noli, nam Imperator eris, cum aprum oc-
cideris. Semper exinde Diocletianus in animo ha-
buit Imperii cupiditatem. Cum autem esset Augu-
stus appellatus, & quæreretur, quemadmodum Nu-
merianus esset occisus, educto gladio Aprum Aprum
Præfectum Prætorio percussit, dicens: Hic est Autho-
r nensis Numeriani, & ita Druidis dictum implevit.*
Longè lateq; imperasse Tungros oppida ab illis
condita declarant Tungenlo in Aduaticis, & Tun-
grina super Namurram, item in Toxandria Tun-
gerlo in Comitatu Loffensi, Tungenlo prope Bla-
lacum, Tungenlo juxta Graviam, nunc in villas
abierunt. *Visitur Tungris sacellum vetustissimum
Herculi sacrum*, ut illius supra januam effigies
ostentat. *Hoc fabulantur à Materno constructum
in honorem Divæ Virginis, quum Materni ætate non-
dum delubra fierent*, sed constituebat Vir sanctus
Ecclesias fidelium, uti Apóstoli in Asia & alibi,
quod non intelligentes indocti, existimârunt illum
templa condidisse, qui ne obolum quidem habe-
bat, nec pertulissent Romani eo tempore Tungro-
rum Domini, virum novam Religionem prædican-
tem, tanta pollere autoritate, ut etiam sacras aedès
construeret, quod ipsum nemini, nisi Principibus
Viris permittebatur. Hæc sunt quæ de primis Tun-
gorum exordiis, primaq; Germani nominis insti-
tutione, hoc loco referenda existimavi, plura su-
binde inter scribendum, cum locus admonebit, di-
cturus: Quod autem Octavia nonnunquam fue-
rit nuncupata, vereor ne somnia sint eorum, qui
ne oppidi quidem ipsius nomen rectè tenent, nunc
Tungrim, nunc Tunganim appellantes, cum Tun-
gri plurali numero, ut Philippi, Rhemi, Ambiani
ab Eruditis omnibus & iisdem antiquissimis nun-
cupentur. Habes præterea *Tungros, non à Trojans
oriundos*, ut audent multi tradere, sed verè Germa-
nos & Germanici nominis primi Autores, ubi verè
antiquas habuerint sedes, etsi nusquam reperio rela-
tum, lingua tamen Tungrorum arguit, eos esse ex his
populis, qui infra Ubios incoluerunt, ubi vicus Tun-
gerheim perdurat, quod Tungrorum patriam
Latine dixeris. Dialectus enim Sicambrorum,
Tungrorum, Menapiorum, Bethasiorum & Mafa-
corum una est, & à superioribus Germanis aliquan-
tum discrepat. Est & alia mihi conjectura ex op-
pido Tungenise / quod est in Francis Orientalibus,

qui olim è Regione Coloniae Agrippinae habitaverunt ultra Rhenum, deinde una cum Tungris eas terras, quas nunc tenent circa Herbipolim, occuparunt, & *Tungernsee*; id est, *lacus Tungrorum* incoluerunt.

DE EBURONIBUS.

Eburones qui nunc *Leodienses* appellantur, gente & numero Germanos fuisse, testatur *Cæsar*. Quapropter vel unicum *Tungris* è Germania, vel postmodum *Tungrorum* exemplo, quod illis emigrationem feliciter cessisse animadverterent, ad *Mosam* armis sibi quaesisse sedes certum est, latissimosq; fines occupasse, utpote ab *Aduaticis*, & extremitate *Arduenna sylva*; usq; ad *Rheni* & *Mosæ* confluentem, à *Treveris* item usq; ad *Oceanum* & ferè quantum nunc est *Leodiensis diocesis*, tanta potentia, ut *Tungrorum* nomen aliquandiu obscuraverint, nihilominus tamen quo tutiores in aliena terra degerent, patrocinium *Treverorum*, qui Gallorum omnium bellicosissimi habebantur, volentes agnoscebant. Quomodo autem Germanicè appellati fuerint, conjecturam hanc adducere visum est non absurdum. E Germania in has terras irrupisse *Eburones*, jam dixi, fuisse autem rusticam plebem opinor ex nomine. *Bur* enim rusticum, & *Buren* pluraliter rusticos, *Germanus* dicit. Fuit autem olim & est circa *Westphalian* gens & terra vetus, hodie *Comitatus titulo*, adhuc insignis, Germanicè die *Esive Hen*. Ex hac, inquam, terra rustici profecti *Enburen* sunt vocati, qua *Eyorum* rustici, deinde expuncto *y* *Eburen* & à Romanis *Eburones*, quorum nonnulli in ea parte *Arduenna sylva* confederunt, qua *Esfelt* id est, *Eyorum* campus nuncupatur, longo post tempore iidem *Esive Hen* quum *Suevi*, *Hessi*, *Franci*, *Cherulci* superiorem Germaniam occuparent, agrum, quem hodie *Hegau* sive *Eqau* vocant, obtinuerunt. Hæc de *Eburonum* nominis origine mihi est conjectura. In horum atque *Condrusorum* fines, *C. Pompeio* & *M. Crasso* Consulibus, hoc est, anno ab urbe condita *DCC.* ante autè natum Christum circiter *LIII.* annos *Ufiperes Germani*, & item *Tencteri* magna cum multitudine hominum nempe *CCCXXX.* millium exagitati à *Suevis* pervenerunt, hos *Cæsar*, qui tùm in Gallia agebat, non procul à conflente *Rheni* & *Mosæ* adgressus devicit. Deinde confecto *Britannico* bello *Legiones* in *Hyberna* misit, in *Morinos*, quorum caput est oppidum *Teravana* *C. Fabium* Legatum in *Nervios*, qui nunc *Tornacenses* dicuntur. *Q. Ciceronem*, in *Essuos*, qui circa oppidum *Æt* habitant, & pacatissimi Gallorum erant, *L. Roscium*, in *Rhemis* & confinio *Treverorum*, *T. Labienum*, in *Belgio* *M. Crassum* *Quaestorem*, *L. Munatium* *Plancum* & *C. Trebonium* Legatos, *Q. autem Titurium* *Sabinum*, & *L. Aurunculeium* *Cottam* in *Eburonibus* apud castellum *Varucam* cum una *Legione*, & quinque cohortibus, quas proximè trans *Padum* conscripserat, *hyemare* iussit. Est autem *Varuca* etiamnum hodie ejus nominis castellum haud amplius medio milliari *Germanico* ab urbe *Leodio* distans, in medijs *Eburonum* sinibus, in summa planitie, ut ex hoc longè lateque prospectus sit, hoc vetustate corru-

ptum, & gravi bello, quòd ejus *Dynasta* circa annum nostræ *Salutis* millesimum tricentesimum adversus *Aventicos* gesserunt, ferè demolitum, intra paucos annos, *Vir* clarus *Raso* à *Varuca* suæ familiaris ultimus, restituit, turrim habet elegantem, & vicum proximum aquis, pro castrorum necessitatibus satis uberem, quem *Alhoram* vocant. *Commentaria* tamen *Cæsaris* communiter, sed perperam & falso pro *Varuca* *Vatucam* habent, quæ res causa fuit, ut *Varuca* diu ab antiquitatis amatoribus quaesita, nusquam reperiri potuerit, donec nuper ego in volumina manu scriptum incidit, alias quidem corruptissimum, in hoc duntaxat fidele, quod *Varuca* nomen integrum incorruptumq; servaverit. Est præterea mihi liber eorundem *Commentariorum* antetriginta sex annos impressus, qui *Varucam* non *Vatucam* etiam habet, ut ostendi nuper *Viro* doctissimo *D. Jacobo Spiegelio*, cùm ab *Heydelberga* ad *Haganoam* reditum pararet, & me, ut valideret, inviseret. Hæc modo annotasse de *Varuca* satis visum, postmodum de ea latissimè dicturus.

De Prima Romanorum clade apud Varucam.

Diebus circiter quindecim, quibus in *Hyberna* ventum erat, initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab *Ambiorige* & *Cativulco* *Eburonum* *Regulis*. *Ambiorigis* *Leodiorum* annales etiam mentionem faciunt, & vulgari voce *Hambri* Germanicè *Emridj* nuncupant, & illum *Regem* *Tungrorum* dicere malunt, pagumque ab eo excultum ac denominatum haud procul à *Varuca* & urbe *Leodio*, *Hambrom* ostentant, *Cativulcum* verò subtercent. Hi duo *Reguli* cum ad fines *Regni* sui *Sabino* *Cottæq;* præsto fuissent, frumentumque in *Hyberna* comportavissent, *Induciomari* *Treverorum* *Principis* nuncijs impulsis, suos in *Romanos* concitaverunt, subitoq; oppressis lignatoribus, magna manu ad castra oppugnanda venerunt, cùm celeriter *Romani* arma cepissent, vallumque ascendissent, atque una ex parte equitibus emisissis *Hispanis*, equestri prælio superiores fuissent, desperare, *Eburones* suos ab oppugnatione reduxerunt. Tùm suo more conclamaverunt, uti aliqui ex *Romanis*, ad colloquium prodirent, habere sese quæ de re communi dicere vellent, quibus controversias minui posse sperarent. Mittitur ad eos colloquendi causa *C. Carpinejus* *Eques* *Romanus*, familiaris *Q. Titurii*, & *Q. Junius* ex *Hispania* quidam, qui jam antè missu *Cæsaris* ad *Ambiorigem* venire consueverat, apud quos *Ambiorix* in hunc modum locutus est: *Sese pro Cæsaris in se beneficis plurimum ei confiteri debere, quòd ejus opera stipendio liberatus esset, quòd Aduaticis finitimis suis pendere consueisset, quòdq; ei & filius & fratris filius ab Cæsare remissi essent, quos Aduatici obsidum numero missos apud se in servitute, & catenis tenuissent, neq; id quòd fecerat de oppugnatione castrorum, aut judicio, aut voluntate sua fecisse, sed coactu civitatis, suaq; esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet in se juris multitudine, quam ipse in multitudinem. Civitati porro hanc fuisse belli causam, quòd repentina Gallorum conjurationi resistere non potuerit, id se facile ex humanitate sua probare posse, quòd non adeo sic*

imperium rerum, ut suis copiis populum Romanum se superare posse confidat, sed esse Gallia commune consilium omnibus Hybernis Caesaris oppugnandis, hunc esse dictum diem, ne qua Legio alteri Legioni subsidio venire posset, non facile Gallis Gallos negare potuisse, praesertim cum ei de recuperanda communi libertate consilium initum videretur. Quibus quoniam pro pietate satisfecerit, habere se nunc rationem officii, pro beneficiis Caesaris monere, orare Tsurium pro hospitio, ut sua ac militum saluti consulat, magnam manum Germanorum conductam Rhenum transisse, hanc affore biduo, ipsorum esse consilium, velintne prius, quam finitimi sentiant, eductos ex Hybernis milites, aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere, quorum alter millia passuum circiter L, alter paulo amplius ab his abesset, illud se polliceri, & iurjurando confirmare, tutum sese iter per fines suos daturum, quod cum faciat, & civitati sese consulere, quod Hybernis levetur, & Casari pro ejus meritis gratiam referre. Hac oratione habita discedit Ambiorix, Carpinejus & Junius, quae audierant ad Legatos deferunt. Illi repentina re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant. Maximè hac re permovebantur, quod civitatem ignobilem, atque humilem Eburonum sua sponte populo Romano bellum facere ausam, vix erat credendum.

Libet hic paululum digredi & exspaciari, verbaque Caesaris expendere, ubi ait: Civitatem Eburonum humilem fuisse, id est vilem, & abjectam, de tota gente intelligendum est, nihilominus tamen secundo Commentario idem autor est, Condruos, Eburones, Carasos, Pæmanos, qui omnes uno nomine Germani appellabantur, antea in communi Gallorum consilio pollicitos contra Romanos quadraginta hominum millia se missuros. Oppidum verò Eburonum, & Ambiorigis Regia eo loco erat, ubi nunc est vicus Eburra, Germanico milliari ab urbe Leodio distans, obscurus & ignotus diu, sed nuper repertis sub terrâ sacris quibusdam, ut vocant, reliquiis, & hominum notitiæ redditus, & factus venerabilis est, causam autem inibi tunc constituti oppidi fuisse reor, quod inter sylvas loco tuto erat, & fines Eburonum, Carasorum, Condruorum, Pæmanorum, & Tungrorum, quibus imperitabant Ambiorix & Cativulcus, attingeret, Condruus autem nomen adhuc retinet, Carasus verò in sunt, qui nunc Ripenses appellantur, ubi arx Cerejum, id est, Cerey, quam Cardinalis à Marka nuper restituit, & ab interitu vindicavit, è cujus Regione ultra Mosam vicus amœnissimus est, & admodum amplus Jemèppia, Pæmani erant Arduenna sylva incolae, ubi nunc vicum Pàmout esse adserunt. Porro non est quod quis apud Eburam murorum reliquias requirat, quandoquidem non muro lapideo, sed concisis sylvis, ut Autor est Caesar, oppidum munitur, nec Galli olim, & multo minus Germani, qui non oppida, sed vicos inhabitant, lapide & cemento suas Civitates cingebant, sed trabes directa perpetua in longitudinem, paribus intervallis distantes, inter se binos pedes, in solo collocabantur, revinciebantur extrorsus, & multo aggere vestiebantur, ea autem qua diximus intervalla, grandibus in fronte saxis effarciebantur. His collocatis & coagmentatis, alius insuper ordo adjiciebatur, ut idem

illud intervallum servaretur, neque inter se contingerent trabes, sed paribus intermissa spaciis singula singulis saxis interjectis, arcte continerentur, sic deinde omne opus contexebatur, dum justa altitudo muri expleretur. Qui quidem muri in hunc modum compositi, & si ea tempestate deformes non erant, & ad utilitatem defensionemque urbium summam haberent opportunitatem, quod & ab incendio lapidis, & ab ariete materia defenderet, quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus revincta, neque perumpi, neque distrahi posset, non tamen perpetuo durabilis erat, pluvia etenim & vetustate corrumpebatur, & temporis tractu cariola sæpe concidebat. Inde non mirum Eburæ nulla superesse murorum indicia, quæ oppidum illic fuisse comprobent. Est autem & Wuren oppidum in Brabantia nimirum, ab Eburonibus denominatum.

Sed nunc ad Varucam redeamus, ubi Romani Ambiorigis ausu & oratione territi, quæ à Legatis audierant, ad concilium deferunt, magna que ex his tot causis inter eos controversia orta est, L. Aurunculejus compluresque Tribuni militum & primorum militum Centuriones, nihil temerè agendum, neque ex Hybernis injussu Caesaris discedendum, existimabant, quando suis, magnas copias, etiam Germanorum, sustineri posse, munitis Hybernis, docebant. Rem esse testimonio, quod primum hostium impetum, multis ultero vulneribus illatis, fortissimè sustinuerint, refrumentaria non premi, interea & ex proximis Hybernis, & à Casare conventura subsidia. Postremo, quid esset levius aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus capere consilium. Contra ea Titurius: Sero facturos clamitabat, cum majores manus hostium, adjunctis Germanis, convenissent, aut cum aliquid calamitatis in proximis Hybernis esset acceptum, brevem esse consulendi occasionem, Casarem arbitrari profectum in Italiam, nec aliter Carnutes, interficiendi Tasseti consilium fuisse capturos, neque Eburones, si ille adesset, tanta cum contempione Romanorum ad castra venturos esse, non hostem autorem sed rem spectare, subesse Rhenum, magno esse Germanis dolori Ariovisti mortem, & superiores Romanorum victorias, ardere Galliam tot contumeliis acceptis, sub populi Romani Imperium redactam, superiori gloria rei militaris extincta. Postremo, quis hoc sibi persuadeat sine certa re Ambiorigem ad ejusmodi consilium descendisse. Suam sententiam in utramque partem esse tutam, si nil sit durius, nullo cum periculo ad proximam Legionem per venturos. Si Gallia omnia cum Germanis consensiat, unam esse in celeritate positam salutem, Cotta autem atque eorum, qui dissentirent, consilium quem haberet exitum. In quo si non presens periculum, ac certe longa obsidione famem esset perimenda. Hac in utramque partem habita disputatione, cum à Cotta primisque ordinibus acriter resisteretur, vincite, inquit, si ita vultis, Sabinus, & id clariores voce, ut magna pars militum exaudiret. Neque is sum, inquit, qui gravissimè ex vobis mortis periculo terrear. Hi sapient, & si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent, qui si per te liceat, perendino die cum proximis Hybernis conjuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant, ne rejecti & relegati,

longè ab ceteris aut ferro, aut fame intereant. Con-
furgitur ex concilio, comprehendunt utrumque &
orant, ne sua dissensione & pertinacia rem in sum-
mum periculum deducant, facilem esse rem, seu
maneant, seu proficiscantur, si modo unum omnes
sentiant ac probent. Contra in dissensione nul-
lam se salutem perspicere, Res disputatione ad me-
diani noctem perducitur, tandem dat Cotta per-
motus manus, superat sententia Sabini, pronuncia-
tur prima luce ituros, consumitur vigiliis reliqua
pars noctis, cum sua quisque miles circumspiceret,
quid secum portare posset, quid ex instrumento
Hybernarum relinquere cogere. Omnia excogitantur,
quare nec sine periculo maneat, & languore militum,
& vigiliis periculum augeatur. Prima luce sic ex castris
proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste,
sed homine amicissimo Ambiorige consilium datum,
longissimo agmine magnisq; impedimentis.

*De Morte Cotta & Sabini Legionisq; interne-
cione eo loco ubi nunc est urbs Leodium.*

Postquam ex nocturno fremitu, vigiliisq; de Le-
gionis ex castris profectioe senserunt Ebu-
rones, collocatis insidiis, bipartito in sylvis opportu-
no atque occulto loco à Varuca millibus passuum
circiter duobus, ubi Antium pagus nunc est, & Le-
gia fluviolus ortum habet, Romanorum adventum
expectabant. Et cum se major pars agminis in ma-
gnam convallem demisisset, ex utraque parte ejus
Yallis sese subito ostenderunt, novissimosq; preme-
re, & primos prohibere ascensu, atque iniquissimo
Romanis loco, praelium committere cœperunt.
Tum demum Titurius, uti qui nihil antea providisset,
trepidare & concurrere, cohortesq; disponere, hæc ta-
men ipsa timide, atq; ut eum omnia deficere videren-
tur, quod plerumque his accidere consuevit, qui in
ipso negotio consilium capere coguntur. At Cotta
qui cogitasset hæc posse in itinere accidere, atque
ob eam causam profectioe author non fuisset,
nulla in re communi deerat saluti, & in appellandis
cohortandisque militibus Imperatoris, & in pugna
militis officia præstabat. Cumque propter longitu-
dinem agminis minus facile per se omnia obire, &
quid quoque loco faciendum esset, providere pos-
sent, jusserunt pronuncari, ut impedimenta relin-
querent, atq; in urbem consisterent, quod consili-
um etsi in ejusmodi casu reprehendendum non
est, tamen incommode accidit, nam & Roma-
nis militibus spem minuit, & hostes ad pugnandum
alacriores effecit, quod non sine summo timore, &
desperatione id factum videbatur. Præterea accidit,
quod fieri necesse erat, ut vulgò milites ab signis
discederent, quæq; quisq; eorum charissima habe-
ret, ab impedimentis petere, atque arripere prope-
raret, & clamore ac fletu omnia complerentur. At
Eburonibus consilium non defuit, nam Duces eo-
rum tota acie pronunciare jusserunt, ne quis ab
loco discederet, illorum esse prædam, atque illis re-
servari, quæcumque Romani reliquissent, proinde
omnia in victoria posita existimarent. Erant &
Virtute & numero pares pugnandi Romani, ta-
meti à Duce & à fortuna deserebantur, tamen
omnem spem salutis in Virtute ponebant, & quo-
sties quæque cohors procurerat, ab ea parte ma-

gnus hostium numerus cadebat. Quæ re animad-
versa Ambiorix, pronuncari jubet, ut procul tela
conjiciant, ne propius accedant, & quam in partem
Romani impetum fecerint, cedant levitate armorum,
& quotidiana exercitatione nihil ab his nocere posse.
rursus se ad signa recipientes, insequantur. Quo præ-
cepto ab his diligentissime observato, eum quæpiam
cohors ex orbe excefferat, atq; impetum fecerat, ho-
stes velocissime refugiebant. Interim ea parte nudari
necesse erat, & ab latere aperto tela recipi. Rursus
cum in eum locum, unde erant egressi, reverti cœpe-
rant, & ab his qui cesserant, & ab his qui proximi
steterant, circumveniebantur. Sin autem locum te-
nere vellent, neq; Virtuti locus relinquebatur, neq; à
tanta multitudine coniecta tela à confertis vitari po-
terant. Tamen tam multis incommodis confi-
ctati, multis vulneribus acceptis resistebant, & ma-
gna parte diei consumpta, cum à prima luce ad ho-
ram octavam pugnaretur, nihil, quod esset ipsis in-
dignum, committebant. Tum T. Baluentio qui su-
periore anno primum pilum duxerat, Viro forti &
magnæ Autoritatis, utrumque femur tragula traji-
citur. Ab hoc puto summitatem montis Petrosii
nomen sortitam, ubi sunt ædes nunc Divæ Balbi-
næ. Q. Lucanius ejusdem ordinis fortissime pu-
gnans, dum circumvento filio subvenit, interfici-
tur. L. Cotta Legatus, omnes cohortes, ordinesque
adhortans, in adversum os funda vulneratur. His
rebus permotus Q. Titurius, cum procul Ambio-
rigem suos cohortantem conspexisset, interpretem
suum C. Pompejum ad eum mittit rogatum, ut sibi
militibusque parcat. Ille appellatus respondit, si
velis secum colloqui, licere, sperare à multitudine im-
petrari posse, quod ad militum salutem pertineat, ipsi
verò nihil nociturum iri, si eam rem, se suamq; fidem
interponere. Ille cum Cotta saucio communicat, si
videatur pugna ut excedant, & cum Ambiorige unâ
colloquantur, sperare se ab eo suam, ac militum sa-
lutem impetrare posse Cotta se ad armatū hostem
iturum negat, atque in eo perseverat. Sabini quos
in presentia tribunos militum circum se habebat &
primorum ordinum Centuriones, se sequi jubet, &
cum propius Ambiorigem accessisset, jussus arma abji-
cere, imperata, suisque, ut idem faciant, imperat. In-
terim dum de conditionibus inter se agunt, longiorq;
consultò ab Ambiorige instituitur sermo, paula-
tim circumventus interficitur, in via, que ab ipso Sa-
binia siue Savinia, b. in u, ut sæpe fit, transmutata,
dicitur, ea in Urbe Leodio apud adem Sancta Cru-
cis, in vallem declinans, ferme usq; ad pontem, qui
in insulam ducit, perdurat, tum verò more suo
Eburones victoriam conclamant, atque ululatum
tollunt, impetuque in Romanos facto, ordines per-
turbant, ibi Lucius Aurunculejus Cotta pugnans
interficitur, cum maxima parte militum, casusq; suo
via nomen dedit Aurunculeja, apud portam qua in
publicum montem ducit, super Mosam flumen nunc
quidem, ea autem tempestate hunc locum non
attingebat, sed longo post tempore condita urbe
Legia, ut pluribus partibus oppidum interlue-
ret, ducta fossa derivatum est, & insulam effecit,
occiso autem Cotta, reliqui Romani se in castra
recipiunt, unde erant egressi, ex quibus L.
Petrosidius Aquilifer, à quo mons ille maxi-
mus Petrosius in urbe Legia nomen habet, cum
magnum

*in magna multitudine hostium premereur, aquilam intra vallum projecit, ipse pro castris fortissime pugnans occiditur, alii ægré ad noctem oppugnationem sustinent, noctu ad unum omnes, desperata salute, se ipsi interficiunt, pauci ex prælio elapsi, incertis itineribus per sylvas, ad T. Labienum Legatum in Hyberna conveniunt, atque eum de rebus gestis certiorum faciunt. Hyberna autem Labieni, quantum conjectura & dimensione adsequi possum, Lobien-
se Monasterium nunc esse opinor ex nominis allusione, distat à Varuca quinquaginta millibus passuum, quæ Germanica circiter quindecim miliaria conficiunt, ad Sabim fluvium loco excelso, uti scribit Cæsar, & postea latius declarabo.*

De urbis Leodii nomenclatura & cur primam Legia nunc verò Leodisum appelletur.

SINON pūdūt Romanos terrarū orbis Dominos satis honesto, si figmenta Poëtica tollas, utrumque parente procreatum, atque hunc patria prodita, ut multi tradunt, illum verò fraterna cæde infamem citare, nescio cur mihi vitio verti possit, si in Ambiorigen magnanimum Regem, hæc una dempta in Cæsarem ingratitude nota, urbis Leodii prima auspicia referam. Restituerat illi quidem Cæsar Regnum, liberaverat stipendio, remiserat & filium & fratris filium, quos Aduatici in catenis & servitute habebant obsides, sed quam appellabis restitutionem, ubi gravius jugum quam in servitute feras? Romanorum imperia facere cogebatur Regia dignitas, comportare frumenta, Hyberna intra Regni viscera alere & perpeti, malè audire ab omnibus Germanis & Gallis, quòd solus volens, & non coactus, contra propinquas ac cognatas sibi civitates subsidia comministraret. Pudentum denique Tungorum atque Eburonum genti, quæ ita à Majorum Virtute degeneravisset, ut sedes illorum sanguine quæsitæ, & in nobili solo constabilitas, per recordiam ab externa gente, in servitute reduci pateretur, Cæsarem beneficiis vincitum, captumque non restitutum habere Regem, quem mox, cum libuisset, minima occasione esset expulsurus, & Romanam in triumphum ducturus. Ad hæc, non propria sponte, sed Induciomari ac Treverorum, quorum cliens erat, de invadendis Romanis, consilium sumpsit Ambiorix, non quidem ipse, sed Eburonum civitas, cuius importunitati parere cogebatur. Possem etiam allègare Cæsaris impudentiam, à nobilibus proditam Scriptoribus, qua nihil veritus est confingere, ad regenda, vel sua, vel amicorum impudenter gesta, satis est mihi illius testimonio Legionem Romanam cum quinque cohortibus ab Ambiorige Eburonum Regulo, in ea vallè ubi nunc est urbs Leodisum, castram demonstrasse, docebimus etiam paulò post, Quod Ciceronem cum altera Legionem à Cæsare ad Varucam remissum, atque ibidem à Germanis interceptum, penèq; deletum. Et hinc huic loco à Legionem ibi castram, & diu hybernante Legia nomen inditum constanter affirmo, omnis enim Cæsaris descriptio ad amulsum quadrat. Distat Legia à Varuca vix amplius dimidio miliarium Germanico, in magna convalle, & novum oppidum esse opinantur, circa Caroli Magni tempora, ab Huberto Aquitanorum Duce manibus cinctum, non admodum am-

plis, ut veteres indicant ruinae. Ostendi etiam vicinos in illo quosdam de nomine castrorum ibi Ducum Romanorum adhuc in praesentia nuncupari. Interfuit Legia fluviolus pueris in urbe notus. Porro quæ de Varuca diximus, ne quis putet nullis nos aliis conjecturis inniti, quam iis quas ex libro illo manu scripto, de prælo npsimus; sed sciat multa præterea, & alia nobis hæc in animum induxisse, Romanæ adhuc hodie loqui dicuntur Leodienses, etiam si sermo illorum ad Gallicam linguam magis inclinet. Sunt non procul à Varuca vici complures Romanam originem nomine referentes. Visitur inde Latinus pagus, Volsci, Vercellæ, Pascafi, Berceii Viri doctissimi patria. Item Antium, nimirum ab Antiatibus in quo vico Legia fluviolus habet ortum, & Cotta fons limpidissimus, quo, dum in Hybernis erat Cotta oblectabatur, aut prope illum funda trajectus fuerit. Est & Ciceronis fons in urbe notissimus, & aquis maximè ubèr, scaturit è monte Petrosio retro ædes Fratrum, quos minores appellant. Et hæc est vera nominis Legiæ origo, & tantæ urbis, dum adhuc sylva foret, descriptio, non à Legeia nympha, ut in carmine aliquando juvenis lusi, neq; à Ligis Hungariae populis, ut nonnulli voluerunt, eo quòd Gallica vox lige consonat. Nunc autem cur hodie Leodisum vocetur, quoniam ab omnibus ignorari, requiri tamen intelligam; aperiendum est. Dico igitur, quod est: Leodisum oppidum à Gallis Legiam à legionem ibi castram, & hybernante ab initio appellatum fuisse, à Germanis verò non valentibus Romanam sive Gallicam exprimere vocem in Suidich, deinde Suidich id nominis detortum. Dictiones autem huiusmodi Germanicæ à Lind incipientes, quando Latinas facimus, in leo convertimus, ut Suidich/ Leodegarius, Suidich/ Leopoldus, hinc quoq; Suidich/ Leodisum appellatum, non video, cur reformidè adferere.

Alia de urbis Leodii nomenclatura opinio.

QUUM antiquiores urbis Leodii conditores facere mallet, & diu ante Caji Julii Cæsaris atq; Huberti Aquitanici tempora Leodisum fuisse adfirmarem, aiebam Ithacensem Oenops relicto Leode filio domi, ad Trojam Olysem secutum, & ea expugnata, longi quoq; erroris illius comitem fuisse, & cum illo Asciburgium pervenisse, id erat oppidum infra Coloniam Agrippinam non procul à Xantho Cliviæ ditionis celebri municipio, quod in tenuissimum abiit vicum, cui Aschelburg hodie nomen est. Hujus rei testis est Cornelius Tacitus in libello de situ, moribus & populis Germaniæ. Quoniam verò Oenops jam grandævus esset, longaq; ac diutina peregrinatione defatigatus & exhaustus adeo viribus, ut disideret in Ithacam se posse redire, quamvis summo & penatium & filii teneretur desiderio, ab Olyse impetravit, ut cum iis sociis quos pari modo adfectos Asciburgii relinquebat, dimitteretur. Et quum ipse Olyses Asciburgii nomen in Akrinerion commutasset, quòd socii, quia vero Nersto Ithaca promontorio frui non poterant, sic saltem oblectarentur, ipse Oenops, ut sibi carissimi filii Leodis desiderium leniret, ad Mosam condenda urbis locum quæsit, & conditam Leodis, Leodisum de filii sui nomine appellavit. Hic Leodes interim Ithacæ inter Penelopes procos con-

verfabatur, haudquaquam tamen eorum adprobans infolentiam, sed saepe reprehendens & procos exosos habens in extremo loco apud pocula semper sedebat. Unde Hom. lib. Odysseæ. φ.

Αἰώδης δὲ πρῶτος ἀνίστατο οἶνον ὄψος ὄψι θυσοκόῳ ἔσκε, καὶ κρητῆρα δὲ καλὴν ἔξε μυχόταται αἰνή. ἀταδάλια δὲ οἰοῖτο ἔχθρα ἔσαν, πᾶσι δὲ νημέσια μνηστῆραςιν.

Nihilominus tamen & ipse Penelopes congiugium ambibat, data enim spe illius potiundæ ei, qui Ulyssis arcum tenderet, primus periculum fecit, nec tendere potuit, aliosque dehortatus est, ne experirentur. Hom. ibid.

ὄρα τότε πρῶτος τῶνον λάβει καὶ βίβω αἰνή. σὺ δ' ἄρ' ἵπ' ἐδ' ὀρίων καὶ τῶνον περητιζόν, εἰ δὲ μιν ἰντάνυτον πρὶν ἢ καμὲ χεῖρας ἀνέλκω ἀτριππύς ἀπαλας, μετὰ δὲ μνηστῆραςιν ἴσπεν ὡ φίλοι κ' ἄλλ' ἔγω τανύω, λαβίτω δὲ καὶ ἄλλ' ὡ πολλὸς ἢ τὸδε τῶνον ἀραστήρας κεκαθήσει. θυμὸς καὶ ψυχῆς, &c.

Quapropter ab Ulyssæ interfectus est, licet illum ita deprecaretur lib. 22.

γενναῖος. Ὁ δ' αὖτε, σὺ δὲ μ' αἰδέο καὶ μ' ἰλέεσθαι ἢ γὰρ πατινά Φημι γυναικῶν ἐν μεγάρων ἐπέειν, εἰ δὲ τίς ἐξέει ἀτάδαλοι, ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πᾶν ἄνθρωπος μνηστῆρας, ὅτις τοῖσιν ταχέ εἰξοί ἀλλὰ μοι ὡ πείθοιτο κακῶν δότι χεῖρας ἔχουσαι τῶ καὶ ἀταδάλιον ἀεικία πότμοι ἐπέωσαν αὐταρ ἔγω μὲ τοῖσι θυσοκόοις δὲν ἐργάζομαι, ὡς σὸν ἐστὶ χάρη μετοπίδ' ἰουργίων.

Hæc namque nihil remoratus Ulysses Leodemq; morvo respiciens vultu respondit.

αἰμὴ δὲ καὶ τοῖσι θυσοκόοις ἐν χεῖρας ἵνα πολλοὶ πᾶν μέγιστος ἀξίηται ἐν μεγάρων τῶν ἐμοὶ νόστω τέλει γλυκαροῦ γενέσθαι σοὶ δ' ἀλοχόν τε φλην σπείθει καὶ τῶνα τεκέσθαι τῶ σὸν αἰ θάνατον γε δυσκλεῖα προφύσεισθαι.

Et hæc dicens transfodit illi jugulum gladio. Hunc habuit Leodes exitum. Quæ si vera sunt, ut omnino nec adfirmare, nec refellere volo, egregie reserunt & conditorum sumus, & conditoris filium Leodienses. Ille absque dubio non ab re Oenops vocatus est, id est, vini custos, & habens vinicolorem, quo nomine etiam Bacchus appellatur, & nimirum bibulus fuit Oenops. Leodes verò apud crateras & pocula, ut inquit Homerus semper sedebat. Nemo enim crederet, quam dediti sint poculis Leodienses, & quam sint supra modum bivaces, quòd ipsum libenter de gentilibus meis reticuissem, nisi scirem, artem egregie bibendi hodie non inter vitia, sed inter primas virtutes annumerari, nec bonus Vir habetur, nisi qui pocula evacuare, & uno anheliu multum vini ingurgitare noverit, quod qui egregie prastiterit, ab omnibus amatur, colitur & hujus consortium appetitur. Contra frugi & modico vino usentem, aversantur omnes, fugiunt, irrident, & magni alicujus mali conscium clamant, qui se inebriari reformidet veteratq; ne ebrius sua prodat flagitia. Verum de his non est modò dicendi locus, ad nomenclaturam Leodii redeo, quam à Leode Ithacensi habere, ut non ausim affirmare, ita tamen dicere possum (si verum est Ulyssem Asciburgium pervenisse Akriæritonque vocasse) procul dubio ex sociis aliquos reliquisse in eo municipio, alioqui frustra nomen inveniisset; quum nemo Gallorum aut

Germanorum hoc nominis, vetere abjecto, usurpare voluisset. Deinde facile fuit vel Oenopem vel Ithacensem quempiam Leodium condidisse, & vulgati apud Ithacenses nomine Λαῖδιον appellasse. Supervenientes verò postea Trojani, sive Sicambri fuerint, sive alii, veteri in Græcam gentem odio accensi, Asciburgium & Leodium destruxisse Xanthumq; condidisse. Hæc conjectura, etsi non certa, veritati tamen consona, neque de suo Aenea veriore aut certiore Roma perduxerit. Leodium itaq; destrutum pristinam sylvæ faciem resumpsit, non totum quidem, sed magna ex parte usq; ad Huberti Aquitanici tempora, qui unus ex Proceribus Caroli Magni, dum ille vel Lnpillæ vel Harstalli ageret, vallis amœnitate, locique celebritate ac rerum ibidem gestaram fama permotus, & Divi Lamberti Martyrio nobilis, vetus Leodium reparavit, & hinc conditor appellari coepit est.

Summaria urbis Leodii Descriptio.

REM non parum gratam patriæ meæ mihi fecisse videtur, dum illi parentes suos, antiquissimamque originem à nemine hactenus animadversam sub oculos posui, ac veluti ex locupletissimo probatissimorum Auctorum penu depromptam, in lucem primus produxi, qua in re quid gratiæ promeruerim nescio, certè pietati satisfacisse pro virili me parte juvat. Nunc verò exteris, qui tantæ urbis primordia admirati, antequam ad Ambiorigè revertar, in descriptione illius summaria, subveniendū duxi. Legia igitur (sive ut nunc vocant) Leodium, urbs est Germania inferioris, quam & secundā vocant, maxima, ad iterium à Tungris milliare, qua Meridicem spectant, quæ tanto minorum cingitur ambitu, ut altissimos amplectetur montes vitibus pulcherrimè conlitos. Deinde in latissimam excurrit & apprehendit in valle planitiem, in qua ex Arduenna sylvæ tria flumina Ura, Vespa, & Ambliuaria in Mosam exonerant, & multas amœnissimas efficiunt insulas, magnificis ædificiis exornatas, ita ut ad voluptatē planè hic nihil desit. Sive enim quis montibus oblectetur, habet quocunq; se vertat, in quibus expeditissimus defatigetur. Si quem planicies & prata juvant, meditullium urbis hæc affatim dabit. Gaudes nam vigio, urbem Venetani habebis, nisi quod hic vivi fluminis aqua jucundior est, quam apud Venetos fœditum mare. Est aliquis Religioni & cultui Divino deditus, exhibebit huic urbs Leodium imprimis octo insignia Canonice Collegia, quatuor amplissimas Abbacias, triginta duas Ecclesias, quas parochiales vocant, quatuor mendicantium ordinum consubernia, & ex his nonnulla conduplicata, ut Franciscanorum. Quod si reliquas Monachorum & admirandarum Monialium ades, conventicula & sacella recensere velim, integro ferè libro opus esset, unde non mirum, si Franciscus Petrarcha scribat se vidisse Leodium insignem Clero locum. Nec est quod quisquam exquiret de agrifertilitate apud Leodium, cum facili colligat argumento, nunquã tantâ Cleri multitudinem, & tã magnam eorum hominum turbã, qui in otio divino viventes, omnium rerum copia opus habent, sibi hunc locum delecturam fuisse, nisi omni ubertate ager Leodius abundaret & excelleret. Habet ad Meridicem Arduennam sylvam totius Galliæ maximam, ex qua in-

numera proveniunt commoda, ferae, pecora, boves, atque ædificiorum materies, ligna præstantissima, & immensæ, ut ait Strabo, longitudinis. Ad alterum latus, Tungros & Centrones versus, est *ager Hesbanticus, usq; adeo gleba fertilis*; adhæc pomis & nucibus omnis generis; abundans, *ut cum Judea & Sicilia de præstantia certare possent.* Juxta civitatem *effodiuntur nigri lapides, qui modico ligno accensi, calidissimum ignem præbent.* Aer temperatissimus est, & saluber, licet enim ad Austrum civitatis bona pars spectet, illius tamen flatus Arduenna, quæ altior est, mitigat & frangit, & habent, qui ab ortu spirant venti, liberum accessum, & continui ignes ex ea, quam dixi, materia, crassiores perpurgant & extenuant aërem. Cum nuper Cæsar Carolus in Brabantia ageret, missus est ad illum Orator à fratre Electore & Cardinale Moguntino Princeps Illustrissimus Fridericus Dux Baviaræ, Comes Palatinus Rheni, &c. cui pro excellenti humanitate, ut in reditu patriam meam Leodium inviseret, persuasi. Qui postquam ex Huio oppido flumine in medium urbis perductus, & magna populi multitudine exceptus esset, nemo diceret, quanta admiratione urbem circumspexerit, altissimos conscendit montes, nihilque prætermisit, quò totam videre posset. Verùm quia urbs ipsa ampla supra modum est, & subinde intra reductas valles absconditur, nec usquam tota ex uno loco conspici possit, spe frustratus est, adserens amœniores civitates, etiam si tùm hyems erat, nunquam se vidisse. De Palatio Episcopali ad Cardinalem descripsit opere perfecto, in orbe Christiano nullum pulchrius futurum. Præterea pontes solido constructos marmore ac reliquam urbis pulchritudinem, ne in volumen libellus excrescat, & ad Ambiorigem à quo digressus sum; redeo.

Varucana victoria sublatus Ambiorix, statim cum equitatu in Aduaticos, qui erant ejus Regni finitimi proficiscitur, neque diem, neque noctem intermittit, peditatumque subsequi jubet. Re demonstrata, Aduaticisque concitatis, postero die in Nervios pervenit, hortaturque ne sui in perpetuum liberandi, atque ulciscendi Romanos, pro his quas acceperint injuriis, occasionem dimittant, interfectos esse Legatos duos, magnamque partem exercitus interisse demonstrat, nihil esse negotii, subito oppressam Legionem, quæ cum Cicerone hyemet, interfici, se ad eam rem profiteri adiutorem. Facile hac oratione Nervius persuadet, itaque confestim dimissis nunciis ad Centrones, quorum oppidum satis amœnum in patria Leodiensibus à Tungris milliaribus florere, & à Sancto quoquam Trudone, eo quòd nomen parum adludat, quidam denominatum, audent consingere, à quibus si ejus oppidi nomenclaturam ante illius Divi tempora requiras, magis muros videbis, quam pisces. Toxandrum enim, quod illi nomen Placentinus fuisse opinatus est, ad Mosæ ripam erat, ut suo loco indicabo, mittunt etiam ad Grudios, & ad Levacos, non procul à Centronibus, *Pleumosos, quos nunc Cortracum tenere adferunt*, Gundunos, hos Gandanos esse non dubitaverim, & melius Gondoños scribi, quam Gordoños animadverti. Hi omnes sub imperio Nerviorum & Aduaticorum erant, & quam maximas manus possunt, cogunt, & de improvviso ad Ciceronis hyberna aduolant, nondum ad eum fama

de Titurii morte perlata. Huic quoque accidit, quod fuit necesse, ut nonnulli milites, qui lignationis munitioisq; causa in sylvas discessisset, repètino equitum adventu interciperentur. His circumventis, magna manu Eburones, Aduatici, Nervii, atq; horum omnium socii & clientes, Legionem oppugnare incipiunt. Romani celeriter ad arma concurrunt, vallum conscendunt, ægrè is dies sustentatur, quòd omnem spem hostes in celeritate ponebant, atque hanc adepti victoriam, in perpetuum se fore victores confidebant. Mittuntur ad Cæsarem confestim à Cicerone literæ, magnis propositis præmiis si perulissent, obsessis omnibus viis, missi intercipiuntur. Nocturnè ex ea materia, quam munitiois causa comportaverant, turrès CXX. excitantur incredibili celeritate, quæ operi deesse videbantur, perficiuntur. Hostes postero die multo majoribus copiis coactis, castra oppugnant, fossam complent, à Romanis eadem ratione, quæ pridie, resistitur. Hoc idem deinceps reliquis fit diebus, nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur, non ægris, non vulneratis facultas aliqua quietis datur. Tandem Duces Principesq; Nerviorum, qui aliquem sermonis aditum, causamq; amicitia cum Cicerone habebant, colloqui sese velle dicunt. Facta potestate, eadem quæ Ambiorix cum Titurio egerat, commemorant, omnem esse in armis Galliam, Germanos Rhenum transisse, Cæsaris, reliquorumq; Hyberna oppugnari. Addunt etiam de Sabini morte, Ambiorigem ostentant, fidei faciundæ causa, errare eos dicunt, si quicquam ab his præsidii sperent, qui suis rebus diffidant, sese tamen scire hoc, esse in Ciceronem, populumque Romanum animo, ut nihil nisi hyberna recusent, atque hanc in veterascere consuetudinem nolint, licere illis incolumibus per se ex Hybernis discedere, & in quasunque partes velint sine metu proficisci. Cicero ad hæc unum modo respondit, non esse consuetudinem Populi Romani, ullam accipere ab hoste armato conditionem, si ab armis discedere velint, se adiutore utantur, Legatosq; ad Cæsarem mittant, sperare se pro ejus justitia, quæ petierint impetraturos. Ab hac spe repulsi *Nervii, vullo pedum XI. & fossa pedum XV Hyberna cingunt.* Hæc ex superiorum annorum consuetudine à Romanis cognoverant, & quosdam de exercitu nacti captivos ab his docebantur, sed *nulla ferramentorum copia, quæ essent ad hunc usum idonea, gladius cessantes circumcidere, manibus sagulisq; terram exhaurire cogebantur.* Quia quidem ex re multitudo cognosci potuit, nam minus horis tribus, decem millium passuum in circuitu munitioem perfecerunt, atque per aliquot dies acriter Hyberna oppugnare ceperunt, quæ Virtute Romanorum tamen defensa sunt, licet etiam Cicero tenuissima esset valetudine. Verùm cum nullum intermitteretur oppugnandi tempus, & magna parte Romanorum vulneribus confecta res ad paucitatem defensorum pervenisset, actum erat de Hybernis, nisi quidam Nervius nomine Vertico, qui à prima oppugnatione ad Ciceronem profugerat, sermo suo persuadisset, ut literas ad Cæsarem deferret, has ille in jaculo illigatas effert, & Gallus inter Gallos sine suspitione versatus ad Cæsarem pervenit, qui apud *Samarobrinam*, quam nunc *Cameracum* appellant reperitus, & edoctus ab eo de periculo Legionis ac Ciceronis, quam primum M. Crassum ex Bellovacis,

& C. Fabium ex Atrebatibus cum Legionibus ad se venire jubet, quibus cum magnis itineribus in fines Nerviorum, quo iter ad Ciceronem erat, pervenit, Nervii adventu Cæsaris per exploratores cognito, obsidionem relinquunt, & ad Cæsarem omnibus copiis contendunt. Ex erant armatorum circiter millia LX. De quibus Cæsar literis Ciceronis certior factus, etsi vix septem hominum millia haberet, atque iniquissimo loco, magno tamen animo Nervios invasit, & primo congressu in fugam vertit. Hac re cognita, Eburonum copiarum quæ nondum advenerant, non ulterius progredi ausæ, ad suam retrò cesserunt. Induciomarus Trevir per eosdem dies cum Labieno congressus, ita feliciter victus atque occisus est. Quæ jam dicta sunt forsitan satis à proposito quibusdam videri poterunt aliena, verum quia res gestas ab Ambiorige Principe nostro scribere constitui, atque hæc suavis ac ductu eius contigere, nolui prætermittere.

Post Aduaticam victoriam Cæsar de improvviso Nervios, Senones & Carnutes aggressus, in ditionem venire atque obsides dare coegit. Deinde totus & mente & animo in bellum Treverorum & Ambiorigis insistit. Sed quod pro explorato habebat, Ambiorigem prælio non esse concertaturum, reliqua eius consilia animo circumspiciebat. Erant *Menapii* propinqui Eburonum finibus, *perpetuis paludibus, sylvisque, muniti, infra Ubios, hoc est, Coloniaenses habitantes, ac nunc Iuliacenses, Geldrenses & Clivenses appellati* sunt, qui uni ex Gallia Belgica de pace ad Cæsarem Legatos, nunquam miserant. Cum his hospitium esse Ambiorigi sciebat. Item per Treveros venisse Germanos in amicitiam cognoverat. Hæc prius illi detrahenda auxilia existimabat, quam ipsum bello lacessendum, ne desperata salute, aut se in Menapios abderet, aut cū Trās-thenanis congregi cogeretur. Hoc inito consilio totius exercitus impedimenta ad Labienum in Treveros mittit, duasque Legiones ad ipsum proficisci jubet. Ipse cum Legionibus expeditis quinque in Menapios proficiscitur. Illi nulla coacta manu loci præsidio freti, in sylvas paludesque confugiunt, suaque eodem conferunt. Cæsar partitis copiis cum C. Fabio Legato & M. Crasso Quæstore, celeriterque effectis pontibus, adiit tripartito, ædificia, vicosque incendit, magno pecoris atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapii Legatos ad eum pacis petendæ causâ mittunt. Ille obsidibus acceptis, hostium se habiturum numero confirmat, si aut Ambiorigem, aut ejus Legatos finibus suis recepissent. His confirmatis, Comium Atrebatem, cum equitatu custodis loco in Menapiis reliquit. Ipse in Treveros proficiscitur. Dum hæc à Cæsare geruntur, Labienus ingentes Treverorum copias, quas illi rursum coegerat, iniquo loco adortus fundit fugatque, & civitatem illorum recipit. Postquam hæc Cæsar rescivit, duabus de causis Rhenum transire constituit. Quarum erat altera, quod auxilia contra se miserat Treveris. Altera ne Ambiorix receptum ad eos haberet, tanto ardebat in Regem nostrum odio, ulciscendique injurias acceptas studio conflagrabat; pontem autem, quo exercitum traduceret, paulò infra Bonnam, nota atque instituta ratione, magno militum studio paucis diebus perficit, copiasque & equitatum traducit, ubi non diu moratus est, sed cum mature scire frumenta inciperent,

ad bellum Ambiorigis proficiscitur per *Arduennam sylvam, quæ est totius Gallie etiamnum hodie maxima, atque, ab ripis Rheni finibusque, Treverorum, ad Nervios usque, pertingit, millibusque, amplius quingentis, in longitudine patet.* L. Minutium Basilium cum omni equitatu præmittit, si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere possit, monet, ut ignes in castris fieri prohibeat, ne qua ejus adventus procul significatio fiat, sese cõfestim subsequi dicit: Basilium, ut imperatum est, facit, celeriter, contraque omnem opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes apprehendit, eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus esse dicebatur. *Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest:* nam magno accidit casu, ut in ipsum incautum, atque imparatum incideret, priusquam ejus adventus ab hominibus videretur, quam fama, ac nunciis afferretur, sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, & thedis, equisque comprehensis, ipsum effugere mortem. Sed hoc quoque factum est, quod ædificio circumdato sylvâ, ut sunt ferè domicilia Gallorum, qui vitandæ æstus causâ, plerumque sylvarum ac fluminum petunt propinquitates, comites familiaresque ejus angusto in loco equitum Romanorum vim paulisper sustinuerunt, iis pugnantibus, illum in equum quidam ex suis intulit, fugientem sylvæ texerunt. Sic ad subeundum periculum, & ad vitandum, multum fortuna valuit, Ambiorix an copias suas judicio non conduxerit, quod prælio dimicandum non existimaverit, an tempore exclusus, & repentino equitum adventu prohibitus fuerit, cum reliquum equitum adventu qui crederet, dubium est. Sed certè clam dimissis per agros nunciis sibi quemque consulere iussit, quorum pars in Arduennam sylvam, pars in continentes paludes profugit. Qui proximi Oceano fuerunt, in insulis sese occultaverunt, quas æstus efficere cõsueverunt. Multi ex suis finibus egressi, se, suaque omnia alienissimis crediderunt, Cativulcus Rex dimidiæ partis Eburonum, qui unâ cum Ambiorige consilium inerat, ætate jam confectus, cum laborem, aut belli aut fugæ ferre non posset, omnibus precibus detestatus, Ambiorigem, qui ejus consilium Author fuisset, taxo, cujus magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimavit. Est autem *taxus arbor ex genere abietum quæ arcus conficiuntur, & inter Hojum & Namuream abundat. Si quis sub ea dormiat, certum est mori. Si quis sub illa comedat infirmatur, pocula ex illa inficiuntur.* Testis Plinius, Dioscorides, & plerique alii, licet autem Dioscorides nullum illius in medicinis esse usum scribat, Claudius tamen Cæsar, ut est apud Suetonium, edicto proposuit: *Nihil æquè facere ad viperam morsum, quam taxii arboris succum.* Segni, Condrusique qui sunt ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treverosque, Legatos ad Cæsarem miserunt oratum, ne se in hostium numero duceret, neve omnium Germanorum, qui essent contra Rhenum causam esse unam judicaret, nihil se de bello cogitasse, nulla Ambiorigi auxilia misisse, Cæsar explorata re quæstione captivorum, si qui ad eos Eburones ex fuga convenissent, ad se ut reducerentur, imperavit. Si ita fecissent, fines eorum se violaturum negavit. Sunt autem *Segni qui oppidum quod Signacum in Condrusis vocant, inhabitant.*

ant, exiguum quidem admodum illud *hodie*, sed *miram profecto vetustatem referens*, quare *minimè verum* redarguitur, quòd scribunt Leodiorum *annales*, oppido *inditum fuisse nomen à quinq; Regis pueris, quos muri ruina exanimatos, Divus Maternus in vitam revocaverit, vivosq; patri reddiderit, & hinc non ingratus Regulus Segnorum, fidem suscepit Christianam, & oppido de quinq; natis sibi suscitatis*, ita enim sonat vox Gallica *Siney*, nomen *indiderit*, cum Cæsar, ut *audis ipsam Segnorum civitatem nominet, qui multos annos Maternum præcessit. Dum hæc scribo, non possum satis admirari eorum hominum, qui sanctorum Patrum vitas scribere ausi sunt, inconsideratam incircumspectamq; temeritatem in excogitandis, qua illi magnifica putaverunt, miraculis, parum animadvertentes, vulgò tritum proverbium, quò dicitur, mendacem oportere multarum rerum habere memoriam, circumspectissimumque esse debere.* Perpicere debebat nugator ille quisquis fuerit, num Segnorum nomen ante Divi Materni tempora, usquam proditum fuerit, & tum quandoquidem fingere, ne dicam mentiri ipse volebat, dixisse Regem Segnorum erga Maternum gratum, & ut suscitatorum quinque natorum perpetuam faceret memoriam, oppidi nomenclaturam immutasse & exemisse aliquas literas, pro *Signey Ciney* dicendo, ut *facilius persuaderet. Ita cum scribit eundem, Beatum Maternum in die natalis Christi, tribus longe inter sese distantibus civitatibus Tungris, Agrippina, & Treveris missam celebrasse, non advertit, Materni ætate missarum usum nondum existisse, ac longo post tempore constitutum à Summis Pontificibus, non quidem ab uno totum, sed subinde temporis progressu à diversis, prout cuique ex pietate visum est, quare dicere potius conveniebat, Maternum tribus eodem die supra dictis locis, verbum Dei concionatum, quò officium illi, & non missarum legendatum, demandatum erat, quò melius persuaderet, etiamsi ea tempestate, nec natalis Christi festum celebrari ceptum fuerat. Nolim autem quisquam existimet, studio detrahendi Divi Materni gloriæ hæc me scribere, malè enim illum mihi propitium habere velim, si non animo eximendi clarissimam vitam Sanctissimi ac egregii Verbi Divini detonatoris, ex nugis & deliramentis plusquam puerilibus, hæc attigerim, quòd equidem facile admittet, quisquis hæc candido ac verò iudicio perlegere voluerit. Sed de his satis: *Condruis adhuc nomen retinent, horum caput est Hojum oppidum ad Mosam arce munitissima nobile, quam Erhardus à Marcâ Cardinalis & Leodiorum Antistes, vetustate nimia nutantem, à fundamento restauravit, insuperabilemque penè reddidit, & inter præcipua ejus opera, quæ profecto multa & magnifica reliquit, annumeratur. Hanc Benefactam quandòq; appellatam, media ætate & Antonini Pius opus esse, quidam adserunt, verum ego potius crederem ab Antonino restitutam, nec diu novum retinuisse nomen, maluisseque vetus quòd ab Hojo fluvis, qui oppidum interfluit, habet, reservare.* Est præterea in Condruis insigne aliud oppidum *Dionantum*, ad Mosam quoque in magna atque angusta valle, inter altissimos montes, quòd verè *Condruforum emporium* appelles, habet enim ditissimos mercatores, qui in multis ac diversis Regionibus, & præsertim in Anglia, negotiari solent,*

denominatum autem à Deo Nano illic diu culto adserunt annales. Hujus verò oppidi nusquam apud Vereres reperio factam mentionem. Quare opinor Cæsaris tempestate, vel ignobile fuisse, vel sub Segnorum ditione comprehensum, à quibus duobus magnis duntaxat distat milliaribus Germanicis, Memoria Patrum Carolus Burgundus solo adequavit, verum nunc arte pulcherrima & à fundamento nova, in excelsissima rupe, quæ oppido impendet, idem Antistes, Erhardus decoravit, & à civibus sumptuosissimis ædificiis penè totum restitutum est. Effoditur hic marmor nigerrimus in Regum & Maguatum sepulturas. Tota autem Condruforum Regio sylvæ Arduennæ pars est, inter Ducatum Lutzelburgium, & Mosam fluvium, is enim Ducatus Cæsaris tempestate ad Treveros pertinebat, & Rhenorum fines, qui longè lateque, hoc est usque ad Mosam patebant, attingebat. Scribit autem Cæsar & item Cornelius Tacitus Condrufos & Segnos gente & numero Germanos fuisse, in Gallia tamen Bellica, unde & subinde Galli appellantur, quem admodum Menapii, & reliqui Cisthenani Germani.

De insigni Eburonum calamitate sub Cæsare, & Ambiorigis persecutione.

Dimissis Condruforum atque Segnorum Legatis, Cæsar copias in tres partes distribuit, atque omnium Legionum impedimenta ad Varucam contulit, ubi Titurius atque Aurunculeius, ut diximus, hyemandi causa confederant. Hunc cum reliquis rebus locum probabat Cæsar, tum quòd superioris anni munitiones integræ manebant, ut militum laborem sublevaret. Præsidio impedimentis legionem quartam decimam reliquit, unam ex his tribus, quas proximè conscriptas, ex Italia traduxerat. Ei Legioni castrisque Q. Tullium Ciceronem præfecit, ducentosque equites attribuit. Partito exercitu, T. Labienum cum Legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt proficisci jubet. C. Trebonium cum pari Legionum numero ad eam Regionem, quæ Aduaticis adiacet, depopulandum mittit. Ipse cum tribus reliquis ad flumen Sabim, quòd influit in Mosam, extremasq; Arduennæ partes ire cõstituit, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat. Discedens, post diem septimum sese reversurum confirmat, quam ad diem ei Legioni quæ in præsidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat. Labienum Treboniumq; hortatur, si Republica commodo facere possent, ad eam diem revertantur, ut rursus communicato consilio, exploratisque hostium rationibus aliud initium belli capere possint. Notabit hic Lector, Ascaldem malè apud Cæsarem legi, non enim in Mosam influit, sed Sabis juxta Namurrâ, & in finibus Arduennæ percurrit, & hinc etiam conjecturam facio Aduaticos, Gallica Brabantia populos fuisse, & eos qui inter Lovanium & Aldenburg inhabitant. Est ibi Monasterium, quòd Tungerlo vocant. Hoc ipsum esse reor, quòd Antonius Pius in Itinerario suo Aduaticum Tungrorum appellat, nimirum à Tungris in Aduaticis conditum ad colligenda vectigalia. Erat ut supra demonstravimus, manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quòd se armis defenderet, sed in omnes partes dispersa Eburonum mul-

multitudo, ubi cuique, aut vallis abdita, aut locus sylvestris aut palus impedita, spem praesidii, aut salutis aliquam offerebat, confederat. Haec loca vicinioribus erant nota, magnamque res diligentiam requirebat, non in summa exercitus tuenda (nullum enim poterat, universis perterritis ac dispersis periculum accidere) sed in singulis militibus conservandis, quae tamen ex parte res, ad salutem exercitus pertinebat, nam & praedae cupiditas, multos longius evocabat, ac sylvae incertis occultisque itineribus confectos, adire prohibebant. Si negotium confici, stirpemque hominum sceleratorum interfici vellent, dimittenda plures manus, diducendique erant milites. Si continere ad signa manipulos vellent (ut instituta ratio, & consuetudo exercitus Romani postulabat) locus ipse erat praesidio Eburonibus, neque ex occulto insidiandi, & dispersos circumveniendi singulis deerat audacia, & in ejusmodi difficultatibus, quantum diligentia provideri poterat, providebatur, *ut potius in nocendo aliquid omitteretur* (etsi omnium animi ad ulciscendum ardebant) *quam cum aliquo detrimento militum noceretur.* Caesar ad finitimas civitates nuncios dimittit, omnes evocat spe praedae ad diripiendos Eburonos, *ut potius in sylvis Gallorum visa, quam Legionariorum periclitaretur*, simul ut magna multitudine circumfusa, stirps ac nomen civitatis tollatur. Magnus undique numerus celeriter convenit, & haec in omnibus Eburonum partibus gerebantur.

De secunda Romanorum clade apud Varucam.

Dies apperebat septimus, quem ad diem Caesar ad impedimenta legionemque reverti constituerat. Hic quantum in bello fortuna, & quantos afferat casus cognosci potuit. Dissipatis ac perterritis Eburonibus, ut demonstravimus, manus erat nulla, quae parvam modò timoris causam afferret. Trans Rhenum ad Germanos pervenit fama, diripi Eburones, atque ultrò omnes ad praedam evocari, *cogunt equitum duo millia Sicambri, qui ultra Rhenum à Regione Ubiorum aut paulò infra habitabant*, atque Tencteros & Uliperes ex fuga ad confluentem Rheni & Mosae commissi, ut diximus, praelii receperant, *transseuntes Rhenum navibus ratibusque, triginta millibus passuum infra Bonam, ubi pontem à Caesare factum diximus, ac praesidium relictum, hoc est, duobus milliaribus Germanicis infra Coloniam Agrippinam, prius Eburonum fines adveniunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero, cujus sunt cupidissimi barbari, potiuntur, inivitati praeda longius procedunt*, non hos palus, in bello atrociniisque natos, non sylvae motantur, quibus in locis sit Caesar, ex captivis quarunt, profectum longius reperiunt, omnemque exercitum discessisse cognoscunt, atque unus ex captivis, quid vos, inquit, hanc miseram ac tenuem sectamini praedam, quibus jam licet esse fortunatissimis, tribus horis ad Varucam venire potestis, huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit, praesidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. Oblata spe Germani, quam nacti erant praedam, in occulto relinquunt, ipsi ad Varucam contendunt, usi eodem duce, cujus haec indicio cognoverant. Cicero qui per omnes superiores dies praecipis Caesaris summa diligentia milites in

castris continuisset, ac ne calonem quidem quemquam extra munitionem egredi passus esse, septimo die diffidens, Caesarem de numero dierum fidem servaturum, quòd longius eum progressum audiebat, neque ulla de ejus reditu fama afferebatur, simul eorum permotus vocibus, qui illius patientiam penè obsessionem appellabant, siquidem è castris egredi non liceret, nullum ejusmodi casum expectans, quo novem oppositis Legionibus, maximoque equitatu, dispersis ac penè deletis Eburonibus, in millibus passuum tribus, offendi posset, quinque cohortes frumentatum in proximas segetes misit, quas inter, & castra unus omnino collis intererat. Complures erant in castris ex Legionibus aegri relictis, ex quibus qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter CCC. sub vexillo una mittuntur: magna praeterea multitudo calonum, magna vis jumentorum, quae in castris subsederant, facta potestate, sequitur. Hoc ipso tempore & casu Germani equites interveniunt, *protinusque eodem illo, quo venerant cursu, ab Decumana porta in castra irrumpere conantur*, nec prius sunt visi, objectis ab ea parte sylvis, quam castris appropinquarent, usque eò, ut qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem. Inopinantes Romani re nova perturbantur, ac vix primum impetum cohors in statione sustinet. Circumfunduntur Germani ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possent, aegre Romani portas tuentur, reliquos aditus locus ipse per se, munitioque defendit, totis trepidatur castris, atque alius ex alio causam tumultus quarit, neque quo signa ferantur, neque quam in partem quisque conveniat, provident. Alius jam capta castra pronunciat, alius deleto exercitu, atque Imperatore, victores barbaros venisse contendit, plerique novas sibi ex loco religionis fingunt, Cottaeque & Titurii calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris, ut ex captivo audierant, nullum esse intus praesidium, pertumpere nituntur, seque ipsi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant. Erat aeger in praesidio relictus *P. Sextius Baculus*, qui primum pilum apud Caesarem duxerat, ad diem jam quintum cibo caruerat. Hic *diffusus sua, ac omnium saluti, inermis ex tabernaculo prodit*, videt imminere hostes, atque in summo esse rem discrimine, *capit arma à proximis, atque in porta consistit.* Sequuntur hunc Centuriones ejus cohortis, quae in statione erat. Paulisper praelium una sustinent, relinquit animus Sextium, gravibus acceptis vulneribus, deficiens aegre per manus tractus servatur. *Hoc spatio interposito, reliqui sese confirmant, tantum ut in munitionibus consistere audeant, speciemque defensorum praebent interim confecta frumentatione, milites Romani clamorem exaudiunt, praecurrunt equites, quanto res sit in periculo, cognoscunt.* Hic verò *nulla munitionis est, qua perterritos recipiat*, modo conscripti, atque usus militaris imperiti ad Tribunalium militum, centurionesque ora convertunt, quid ab his praecipiat, expectant. *Nemo est tam fortis, qui non rei novitate perturbetur.* Germani signa procul conspicati ab oppugnatione desistunt, redisse primò legiones credunt, quas, longius discessisse ex captivis cognoverant,

postea despecta paucitate ex omnibus partibus impetum faciunt calones in proximum tumulum procurrunt, hinc celeriter dejecti, se in signa manipulosque conjiciunt. Eo magis timidos perterrent milites, alii cuneo facto, ut celeriter percurrant, censent; quoniam tam propinqua sunt castra, etsi pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt, alii ut in iugo consistant, atque eundem omnes ferant casum, hoc veteres non probant milites, quos sub vexillo unâ profectos docuimus. Itaque inter se cohortati, Duce C. Trebonio Equite Romano, qui eis præpositus erat, per medios hostes percurrunt, incolumesque ad unum in castra perveniunt omnes, hos subsequuti calones, equitesque eodem impetu, militum Virtute servantur. At ii, qui in iugo consistebant, nullo etiam nunc usu rei militaris percepto, neque in eo, quod probaverant, consilio, permanere, ut se loco superiore defenderent, neque eam, quam profuisse aliis viderant, celeritatemque viderant, imitari potuerunt; sed se in castra recipere conati, iniquum in locum demiserunt. Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum Legionum, causa Virtutis in superiores erant ordines hujus Legionis traducti, ne ante partem rei militaris laudem amitterent, fortissime pugnantes conciderunt, militum pars horum Virtute, summotis hostibus, præter spem incolumis in castra pervenit, pars à Germanis circumventa perit, qui desperata expugnatione castrorum, quod Romanos jam constitisse in munitionibus videbant, cum ea præda, quam in sylvis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt, ac tantus fuit etiam post discessum Germanorum terror, ut ea nocte, cum C. Voluentus missus cum equitatu ad castra venisset, fidem non haberent, adesse cum incolumi Cæsarem exercitu. Sic omnium animos timor præoccupaverat, ut penè alienata mente, deletis omnibus copiis, equitatu se ex fuga recepisse dicerent, neque incolumi exercitu Germanos castra oppugnaturus fuisse contenderent, quem timorem Cæsaris adventus sustulit. Reversus ille, eventus belli non ignarus, unum, quod cohortes ex statione, ex præsidio essent emissa, questus, ne minimo quidem casu locum relinquere debuisset, multum fortunam in repentino hostium adventu potuisse judicavit, multo etiam amplius, quod penè ab ipso vallo portisque castrorum barbaros avertissent. Quam omnium rerum maxime admirandum videbatur, quod Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerant, Cæsar ad vexandos rursus miseros Eburones profectus, magno coacto numero, ex finitimis civitatibus in omnes partes dimittit, omnes vici, atque omnia ædificia, quæ quisque conspexerat, incendebantur, præda ex omnibus locis agebatur, frumenta non solum à tanta multitudine jumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore, atque imbribus procubuerant, ut si qui etiam in præsentia se occultassent, tamen us deducto exercitu rerum omnium inopia pereundum videretur, ac sæpè in eum locum ventum est, tanto in omnes partes diviso equitatu, ut non modo visum ab se Ambiorigem in fugâ circumspicerent captivi, sed nec planè etiam abesse ex conspectu contenderent, ut spe illata consequendi, atque infinito labore suscepto, qui se summam à Cæsare gratiam initu-

ros putarent, penè naturam studio vincerent, semperque paulum ad summam felicitatem defuisse videretur, atque ille latebris, aut sylvis, aut saltibus se eriperet, & noctu occultatus, alias regiones, partesque peteret, non majore equitum præsidio, quam quatuor quibus solis vitam suam committere audebat. Tali modo vastatis Regionibus exercitum Cæsar duarum cohortium damno Durocordorum Rhemorum reducit, concilioque in eum locum Galliæ indicto, de conjunctione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit, duas legiones ad fines Treverorum, duas in Lingonibus, sed reliquas in Senonum finibus Agendici in Hybernis collocavit, frumentoque exercitui proviso, ut instituerat, in Italiam ad conventus agendos profectus est.

Anno sequenti nondum satiatus Cæsar, cum videret nullam jam esse in Gallia civitatem, quæ bellum pararet, rursus ad devastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur, quem perterritum atque fugientem cum redigi posse in suam potestatem desperasset, proximum esse suæ dignitatis ducebat, adeo fines ejus vastare, civibus, ædificiis, pecore, ut odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in civitatem. Cum in omnes fines partium Ambiorigis, aut Legiones aut auxilia dimisisset, atque omnia cædibus, incendiis, rapinis, vastasset, magno hominum numero interfecto aut capto. Hæc A. Hircius lib. 8. *Commentariorum.*

Dum hanc insignem Eburonum calamitatem sub Ambiorige acceptam recenseo, vix à lachrymis contineor, & quos accusem Deosne an homines, non satis scio, qui quod ab hac gente semel peccatum est, tam graviter semper punierunt. Cæsar, etsi non gentem totam, ut cupiebat, certe Eburonum nomen ita extinxit, ut postmodum Eburonem nemo se profiteri ausus fuerit; sed antiquo recepto nomine, & odio Eburonum rejecto, Tungros sese appellarunt, proinde, quicquid postea ab hac gente gestum, Tungris applicuerunt Scriptores, quorum etiam suum fuit fatum, & internecio ab Hunis, qui urbem præclaram & maximam ita deleverunt, ut nunquam reparari potuerit, nisi in hanc quam videmus, oppiduli formam, quæ vix suum tueretur nomen. Ubi centum illa insignia templa, quæ Christum professi, Religioni nostræ Tungri dederunt? ubi palatia? ubi portus & murorum ille ingens ambitus, nonne omnia in favillas abierunt, & vix ulla supersunt vestigia? Quod si urbis Leodii condendæ fata nullam aliam invenere viam, quam deletis Eburæ & Tungris, nihil, o superi, querimur, dummodo non paribus auspiciis & calamitatibus subjaceat, quibus tamen paulò ante ætatem nostram ab Carolo Duce Burgundionum fere ad internecionem & urbis & nominis adstricta est. Huic non satis fuit supra centum puberum & impuberum hominum millia uno die, expugnata urbe, trucidasse, nisi totam propemodum incenderet, mœnia disjiceret, navibus cives impositos, pertuso fundo submergeret, omniaque faceret, non in urbe solum, sed per totam ditionem, quo nullæ gentis superessent reliquæ. Sed Diis gratia bene habet, floret rursus & urbs Leodium & Leodiorum nomen, æternumque Deo propitio florebit, dum ille Nancey hostili terra, captus adhuc & putridus jacet. Hæc ego de Carolo Divi Caroli Imperatoris nostri optimi

& mansuetissimi Principis proavo materno, libenter prætermissem, nisi ostendere voluissem, quam parum interdum Christiani à gentilium feritate distamus, poterat quis accusare C. Julii Cæsaris immanitatem in vindicanda Titurii propinqui & affinis sui necesse, & cæsar Legionis delendo opprobrio, nisi hic Carolus consanguineo Ludovico Borbonio, Episcopatum vi & armis quarens, omnem Cæsaris lævitiam exuperasset. Porro de Ambiorigis morte nihil est traditum; credibile est tamen, ut Cæsar subindicat, in fuga incognitum occisum, vel alio modo interiisse; Suetonius Tranquillus scribit, Cæsarem audita clade Tituriana, ad eum indoluisse, ut barbam capillumque summisserit, nec ante dempserit, quam vindicasset. Hanc Historiam diffuse scripsit Titus Livius, uti ex Floro colligitur, attingit & Lucantius in l.

Nimiumq; rebellis,

Nervius, & cæsi pollutus sanguine Cottæ.

Annotavit etiã Eutropius lib. 6. Plutarchus in vita Cæsaris. Orosius Appianus in Celtico & pleriq; alii. Post Ambiorigis & Cativulci mortem, nec Eburones nec Tungri Regem habuerunt, sed Præsidi Galliarum à Romanis imposito, & Magistratibus municipalibus, quemadmodum & reliquæ Gallia, paruerunt, quod quidem patet ex Tacito, qui Campanum & Juvenalem primores Tungrorum nominat, deinde ex Marcellino & Flavio Vopisco, ut supra visum est. Quare viderint rerum Eburonicarum Scriptores, qui Navitum secundum, Tungrorum Antistitem Galliarum Ducis filium, & Tungrorum Regis ex fratre nepotem faciunt. Deinde Metropolum quartum filium Ducis Lotharingæ ex Ungariæ Regis filia Severinam, item quintum Comitum Lovanii filium: Cum ea tempestate, nec Dux erat Gallia, nec Rex Tungrorum, nec Lotharingia, aut Ungaria nomina erant, sed nec Lovanium Comitatus. Viderint inquam, ne dum Historiam scribere se credunt, mera figmenta & nãnas occinant, dum etiam Sanctis Episcopis Rerum publicarum administrationes assignant, quas nec illi acceptassent, nec pertulissent iis temporibus Romani Tungrorum Domini.

De Bethasis.

Docuimus supra; Eburonum fines usque ad confluentem Rheni & Mosæ protensos fuisse C. Julii Cæsaris tempore, & Bethasis inter Eburones annumeratos, ut plerisque placet, & mihi videtur, circa Trajectum oppidum ad Mosam sedes habuerunt, nomenque retinent, si Bethasis, non Bethasis legeris, sunt enim vici & arces hujus nominis complures, Vech/ Diepenbech/ Sconbech/ &c. à rivo denominati non procul à Tungris, quæ ex Trajecto ad oppidum novum Hasselt iter est. Erant autem origine, lingua & Virtute pares Batavis, numero superabantur. Ni eos accipere malueris qui extra Batavorum insulam incolebant, juxta Caninesates, qui eam partem insulæ tenebant, quæ ad Bethasis vergit. Est enim duplex Batavia, inferior & superior. Unde Tacitus lib. 20. Historiæ Augustæ: *Accepta, inquit, equitum peditumq; modicâ manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Bethasiorumq; in arma traxit.* Et paulo post: *occupatisq; Sunicis & juventute eorum per cohortes composita, quò minus ultra pergeret Claudius Labeo Bethasiorum Tungrorumque & Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia postem Mosæ fluminis anteceperat.* Plinius

lib. 4. Nat. Hist. Tungri inquit, Rinuci, Sunicis reponendum ait Beatus Rhenanus, Vir cui non uno nomine multum debet Germania, quod illi suos parentes ceu ab inferis revocatos, & æterna alioqui demersos caligine in lucem quotidie proferat, & sub oculos reponat. De cujus judicio dubitare, aut ultra querere, hominis curiosi magis est, quam diligentis. Is inquam lib. 11. rerum Germanicarum apud Plinium pro Rinuci Sunicis ex Taciti verbis paulò antè positus scribendum existimat, nec addit, qui sunt Sunicis, quod ego anxius requirens opinatus sum aliquandiu, oppidum illud esse amplum & vetus in Westphalia è Regione Ubiorum, quod Susatum appellatur, eo quod nominis prima syllaba consonaret, sed quia illic Mosæ mentionem facit Tacitus, & procul distat à Mosa Susatum, ambiguum me reddit, & item Ptolemæus, qui hoc oppidum Susudatam nominat. Rursus præponebam mihi aliud oppidum vetus quidem, & ubi, aut saltem non inde procul, plurima Romanæ antiquitatis cernuntur vestigia, ad Rhenum supra Rimaliam è Regione Lintzii oppidi, quod Sunstich vulgus vocat, à Carolo Burgundo dirutum, juxta Aræ fluvii ostium. Verum quia animadverto Sunicos non procul à Mosa amne abfuisse, judicabit meus Rhenanus, num forsitan nec apud Tacitum Sunicos, nec apud Plinium Rinicos, sed utrobique Runicos sit legendum, ut sint Runicis, gens & terra vetus inter Batavos, Frisos & Bethasios, Runckenlandt/ hodie vocitant, accolæ, ita ut uno tractu benè à Plinio sint descripti & collocati Runicis, nec Frisabones, sed Frisos legerem. Judicabit inquam meus, imò bonarum literarum amatorum omnium Beatus Rhenanus, indicatum enim volui tantum, non adfertum. Bethasiorum etiam mentionem facit Cicero lib. 14. Epist. ad Atticum ex restitutione ejusdem Beati Rhenani Redeo, inquit, ad Bethasios, Atuas, Vangiones.

De Masacis sive Masfacis.

Sunt quoque inter Eburones annumerati Masacis, ita enim lego ex veteribus libris, licet quidam Masfacos habeat, de quibus Cornelius Tacitus de Claudio Labeone loquens lib. 20. mentionem facit in hæc verba: *Accepta, inquit, peditum equitumq; modicâ manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Bethasiorumq; in arma traxit, & furtim magis quam bello Caninesates Masacosq; incurfabas.* Hos ego semper judicavi esse, qui non contemnendum profecto oppidum Masac infra Trajectum Superius, ut vocant, ad Mosam incolunt, licet in Comitatu Hornensi atq; Batavia sit pagus exiguus hodie non nomine Masac.

De Castello ad Mosam &

Menapiis.

Rancos Germanos olim dextram Rheni ripam è Regione Ubiorum, hoc est, Colonienisium, supra Scambros possedisse, pulsus Tencteris, nemo non scire poterit, qui primum Beati Rhenani de rebus Germanicis librum legerit. Hi, ut scribit Ammianus lib. 17. cum scirent Julianum Cæsarem bello Alemanico apud Argentoratum occupatum, depopulati sunt eum Galliarum tractum, qui est ad Mosam supra Juliacum. Hac Julianus rei novitate perculsus, & conjiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, circumvallare disposuit Castellum oppidum quod Mosa fluvius præterambit. Et ad usque quartum & quinquagesimum

diem, Decembri scilicet & Januario mense obsidionales tractæ sunt moræ, obstinatis barbarorum animis, incredibili pertinacia reluctantibus. Tunc pertimescens solertissimus *Casar*, ne observata nocte illum barbari gelu vincunt amnem pervaderent, quosidie à sole in vesperam flexo, ad usq, lucis principium lusoris navibus discurrentes flumen ulro citroq, milites ordinavit, ut crustis riparum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facile perveniret. Hocque commento, inedia & vigiliis, & desperatione postremo lassati sponte se propria dederunt, statimque ad Comitatum Augusti sunt missi aliquot eximendo periculo. Multitudo Francorum egressa, quum captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa, remeavit ad sua castra, hisque perfectis acturus hyemem revertitur Parisios *Julianus*. Advertendum autem quod non sine causa Castellum ad Mosam situm scribit *Ammianus*, quandoquidem aliud oppidum est eodem nomine ad Sabim fluvium, qui apud Namurram in Mosam excurrit. *Ptolemæus Castellum Menapiorum* Metropolim, & te tē meo iudicio facit, hodie *Kessel* appellatur.

De Toxandria quam nunc Visetum Francimontese, Chamavis & Stocheim.

ESt ad Mosam inter Leodium & Trajectum oppidum, hodie non sanè magnum nomine *Visetum*, cujus veteres ruinae sunt illius antiquitatis & amplitudinis evidens argumentum. Habuit pontem lapideum, quo iter erat ad Tungros, ut arcum adhuc ostentant reliquiae; qui in ea pugna quæ inter *Henricos Imperatores*, Patrem & filium commissa est, corruit, magna Leodiorum strage, qui *Patris Henrici* defendebant partes, apud *Trajectum* enim olim ut existimo, non ponte, sed nave transmittebatur flumen, unde etiam nomen habet, & fabula est, quæ dicuntur *Cæsarem* pontem illic extruxisse, quod ipse nequaquam reticuisset, qui tam diligenter, & exactè de his terris scripsit. *Visetum* inquam, etsi mutati nominis causam nusquam audiverim, *Toxandriam* olim dictum veteres Leodiorum annales testantur, conjecturis aliud fuisse oppidum consequi non possum. Circa autem *Toxandriam* in Romano solo, ut inquit idem *Ammianus lib. 17. Franci*, quos *Salios* consuetudo appellavit, ausi fuerunt rursum habitacula præfigere licenter, & eam Regionem occupare, qua ad *Arduennam Sylvam* vergit, ubi verisimile est illos quoque arcem præclaram de suo nomine *Francimontem* appellatam, quam inter reliqua innumera opera, *Erhardus à Marca* nuper reparavit, construxisse. Adversus hos *Julianos Casar* ex Gallia quanta potuit celeritate, cum exercitu movit. Cum autem *Tungros* venisset, occurrit illi Francorum Legatio opinantium repetiri Imperatorem in hybernis, pacem sub hac lege præterdens, ut quiescentes eos tanquam in suis, nec laceraret, nec vexaret. Hos Legatos, negotio plenè digesto, oppositaque conditionum perplexitate, in iisdem tractibus moraturos, dum redeunt, muneratos absolvit *Julianus*. Dictoque citius securus, *Præfecto Severo Duce* misso, per ripam subito cunctos aggressus, tanquam fulminis turbo percussit, jamque precantes potius quam resistentes, in opportunam clementiæ partem effectum victoriæ flexo, dedentes se cum opibus, *liberisq, suscepit. Chamavos* idem ausos similia, eadem

celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, vivosque captos compegit in vincula, alios præcipiti fuga trepidantes, ad sua tecta, ne militem spatio longo defatigaret, abire interim permisit innocuos, quorum Legatis paulò postea missis precatum consultumque rebus suis, humi prostratis, sub obtutibus pacem hoc tribuit pacto, ut ad sua tecta, hoc est ad *Frisios* quorum fuerint vicini, redirent incolumes. Hæc *Ammianus*: Ex quibus conijcere potest *Lector*, quantum obfuerit semper *Eburonibus* soli sui bonitas, qui toties lacerati, expulsi, ejecti & appetiti fuerint, nunc à *Tungris*, deinde ab *Uspetibus* & *Tencteris*, ab *Aduaticis*, à *Romanis*, à *Sicambris*, à *Francis* & *Chamavis*, toties à *Brabantinis* & *Gallis*, ut mirum sit ullam reperiri gentem, quæ in hoc tractu quantumvis feraci habitare velit, tam sapè tot incommoditatibus & periculis abjecto, adhuc in *Germaniæ* & *Galliæ* confinibus. Unde non immeritò urbs *Leodium* exclamare possit:

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis.

O tristi damnata loco, pax alta per omnes,

Et tranquilla quies populos nos præda furentium,
Primaq, castra sumus.

Habuit tamen, *Diis gratia*, sub *Principe Erhardo* à *Marca Cardinale* in trigésimum fermè annum jam pacem & tranquillitatem, quæ propter multis nominibus illi patria multum debet, quod non solum subditum populum in summa quiete tanto tempore foverit, verum etiam collapsa ferè omnia in pristinum restituerit statum, ut non injuria, non urbis modò, sed patriæ conditor & dici posset & mereretur, si pietatè, abjectis fordibus, magis coluisset. Subdit autem postea *Ammianus Marcellinus* de eodem *Juliano Casare* loquens. *Quod cunctis ex voto illi currentibus, studio pervigili properans modis omnibus utilitatem fundare Provinciarum, Munimenta tria recta serie supercilis imposta fluminis Mosæ, subversa dudum obstinatione barbaricâ, reparare pro tempore cogitabat. Et illico reparata sunt.* E quibus unum fuisse credo multis conjecturis, arcem nobilem illam *Stoffheim*, quam idem quoque *Præsul Erhardus à Marca*, à fundamentis penè novam & inexpugnabilem reddidit. Verùm ad *Toxandriam* sive *Toxandrum* redeamus, de qua rursus *Ammianus* mentionem facit: *In limitem*, inquit, *secunda Germaniæ est egressus Julianus, omniq, apparatu, quem flagitabat instans negotium, communius, Toxandro oppido propinquabat. Rheno deinde transmissio, Regionem subito pervasit Francorum, quos Ansuarios vocant, incertorum hominum licentius etiam perscrutantium extrema Galliarum.* Circa *Toxandriam* plena antiquitatum sunt omnia. Extat supra oppidum in monte cumulus, vel *Henricorum Patris & filii Imperatorum trophæum*, vel *Romanorum aut Francorum illic castrorum congesta ossa*. Non distat inde procul vicus *Phoros*, ubi adhuc vestigia castrorum more Romano extruitorum, aperitissimè visuntur. Reliquam vetustatem investigare, quia juvenis patriam reliqui, nunquam licuit, optarem alicui *Leodiorum*, cui otium suppeteret, aliquando ut hæc requireret, cordi esse.

De Covino.

REferuntur à Veteribus inter *Eburones* aliæ etiam gentes, ut sunt *Caresæi* & alii, quos quia nō mihi constat, quibus hodie nominibus censerentur,

antiquitatis studiosis investigandos & describendos relinquo, præterite tamen non possum oppidum *Covinum* videri à *Cavinis*, hoc est, *vehiculis*, quibus *Galli olim in bellis utebantur*, esse denominatum. De quo *Lucanus* in primo.

Et docilis rector monstrati Belga Covini.

De Jupilla & Harstallo.

Non procul à *Leodio* est *villa Regia Jupilla* & è Regione *Harstallum* pagus, cujus toties fit mentio in vita *Caroli Magni*, ac toties ibidem nunc natalem *Christi*, nunc *Pascha* celebrasse memoratur. Fuit & *Pipinorum* illic arx & *Regia*, quæ bellorum calamitatibus extremam passæ sunt desolationem, & tantum illarum visuntur ruina: *Regiam* autem *villam appellatam Jupillam* opinantur *Leodiorum annales de Rege quopiam Tungrorum*, cui nomen fuerit *Jupilla*, ego potius id nominis adsecutum crederem, quia à *Pipinis*, *Carolo Martello*, *Carolo Magno* & sequentibus aliquot Imperatoribus atq; Regibus ob loci amœnitatem & venationis copiam, culta fuerit. Subterlabitur *Mosa*, si usquam alibi placidissimè, à *Leodio* ad dextram declinans paululum, ut *villam Regiam* saluter & irriguis illius fontibus aquas suas serenet, quibus acceptis & velut hilarior factus, mox in sinistram revolvitur, ut *Toxandros* petat & *Menapiorum* fines. Hæc *villa Regia*, quæ olim ad *Mosam* tota erat, magna ex parte in amœnissimam convallem retracta est, & sparsim inhabitatur. Hinc vitiferis, illinc sylvosis septa montibus, vallis fauces juxta rudera arcis *Pipinorum* lætissima excipiunt prata, quæ usque ad *Leodii* mœnia perdurant. Nemo crederet, quanta sit utriusq; pagi *Harstalli* & *Jupillæ* tum amœnitas, tum fertilitas, quantaque sit omnis generis fructuum ibidem copia, quibus *Leodium* saginant, & *Mosæ* tractum à *Namurra* usque in *Menapios* & bonam *Brabantiz* partem, ut quis dicere posset *Tellurem* matrem huc sibi delegisse locum, in quem omnes dotes suas effunderet, de quibus omnibus si dicere vellè, iusto libro opus foret. In *villa Jupilla*, & in ea quæ dixi valle, tenuis labitur rivus ebullientibus undiq; fontibus, in eam quantitate auctus, ut rotam agat molenidini ad incolarum usum sufficientis, juxta quod olim domus fuit antiqua & nobilis, quæ mihi majores & proavos maternos ex *Pipinorum* familia dedit, qui bellorum calamitatibus in pauperem conditionem redacti fuerunt, præsertim bello, quod proavus cum Nobilitate *Fleronum* gessit, uti sæpè ex matre audivi.

De Lotharingia.

Paululum infra *Jupillam* & *Harstallum* in excelsa rupe, ruina visuntur *Arcis Lotharingie* atq; ejusdem nominis oppidi, ut opinor, propter pontem quem supra *Mosam* habuit, cujus nonnullæ adhuc cernuntur reliquæ, opus autem fuisse reor *Lotharii* ejus nominis primi *Romanorum Imperatoris*, qui provinciam quoq; *Lotharingiam* de suo nomine appellavit, ea erat inter *Mosam* & *Rhenum* à fontibus usq; ad utriusq; amnis confluentem. *Lotharii*que Regnum appellabatur, & item *Austrasia* & *Merensis Ducatus*, Germanicè *Lothreich*, Gallicè *Lothregne*, & postea concilis literis *Loreine*. *Leodium* quoq; sub se comprehendebat, uti non semel refert *Abbas Urspergensis* in suo *Chronico*, præsertim ubi inquit: *Leodium civitas Lotharingie est, Beati Lamber-*

ii Martyris patrocinio satis inclita, studiis etiam literarum præceteris apprime famosa. In quo dum in vigilia *Dominicæ Ascensionis* anno *MCXVII*. universus *Clerus*, decem videlicet congregationem, intra matrem *Ecclésiæ* ex more convenissent, ad vespertinalem *synaxim* concenturi, & jam primum psalmum complessent, subito serenissimus aër in turbinem versus, tanta simul tonitrua terribiliter & fulgura cum sulphureis ignibus excussit, ut extremam jam ultimi judicii horam instare, nemo qui aderat, dubitaverit, duobus nimirum Clericis & uno de *Illustribus* milite, hac tempestate intra ades absumptis. *Decimoquinto* de hinc die ex vicino quodam ejusdem *Episcopi* monte, ubi nunquam aqua præter pluviam visa est, fluvius ingens erupit, non modicam civitatis partem diluens, & cum maximo *Leodiorum* damno *Trajectensium* se finibus infudit. Et alio loco dicit idem *Abbas Henricum Imperatorem* in *Lotharingiam* contra *Gisbertum* exercitum duxisse, & omnem *Regionem* ejus subjacentem Imperio, igni traditam, ipsumq; obsessum in castro *Stievermonti* quod est *Capremontis*, elapsam fuga inde profectum. Et cum obsidio difficultate locorum non procederet, vastata undiq; *Regione*, in *Saxoniam* reversum. Et alibi de eodem *Gisberto* Duce ex *Lotharingia* expulso loquens, dicit: *Carolus Regem* restituisse illi, quæ supererant loca, circiter annum *DCCCCXII*. *Trajectum*, *Jupillam*, *Harstallum*, *Marsnam*, *Littam*, *Capremontem*. Ruina *Capremontis* uno milliari ab urbe *Leodio* in excelsis, & undique prærupto monte apparent. Reliqua ad *Mosam* sunt pagi, seu vici, præter *trajectum*, quod est oppidum, ut paulo post dicam, nomina retinentes. *Capremontem* autem *Nogerus Leodiorum Episcopus* proditione cepit, & solo æquavit, & ex manibus in templo vetustissimo, olim à *Romanis* condito, ut & forma docet & simulacrum spei in muro adhuc superstes declarat, in honorem *Divi Iohannis Evangeliste*, in majore insula, *Collegium Canonicorum* instituit, dilatato templo circa annum *DCCCCLXXIII*.

Tantum autem floruerunt *Leodii* studia literarum, ut uno tempore legantur novem Regum, Ducum xxiii. Comitum xxix. Baronum, & ex prima nobilitate innumeri filii apud *Leodios* literis operam navasse, patrimonio *Divi Lamberti* aliti, & *Episcopi* officium erat, atq; *Canonicorum*, sacris literas & bonas artes interpretari. Nobilitas atque cives *Reipublice* gubernacula tenebant, eratque *Scabinorum* amplissimus Magistratus, qui de litibus judicabat, quibus præerat ab *Imperatore*, uti & nunc est constitutus *Sculterus*. Si quid malè administrabatur ab iis, *Imperator* adibat, qui perperam acta reformabat, atque ita in summa tranquillitate & paucitate *Judicium* *Reipublice* *Leodiorum* florebat, quæ nulla nunc est, innumera eorum multitudine oppressa & obruta, quorum omnium nomina si perscriberem, integra pagina non satis esset, quibus litis non sopiuntur, sed excitantur, & populus ad litigandum ita assuevit, ut ad altercandum natus videatur. Apud *Leodios* olim boni Viri nullo *Judiciorum* strepitu discordantes cives conciliabant, non effundebat in mille rabulas forenses substantiam suam plebs, tum maxime abundans & dives, nunc verò, quum sit omnium pauperrima, si nihil aliud sit, sudorem dabit, quo se de verbulo à vicino malè prolato iure vindicet, suadentibus confestim *Advocatis* & *Procuratoribus*

ut de ipsis Judicibus nihil dicam, qui nullo finiendarum litium amore, sed propter lucrum & fastum Jus dicentis officium ambiunt & exercent.

De Traiecto.

Relictâ Lotharingâ, Toxandrorum oppidulum Vifetum Mosa petit, deinde *Trajectum* Imperiale, ut ajunt, & nobilissimum municipium perlabitur, quod *Velburgum aliquando appellatum*. Beatus Rhenanus annotavit, utramque fluminis ripam occupat, & ponte marmoreo conjungitur, non quidem à Julio Cæsare constructo, ut opinantur nonnulli, sed longo post tempore ab ipsis civibus reperto marmore Namurrano. Verum est Strabonis aetate ab Augusto vel Tiberio hoc loco publicibus pontem ædificatum, ut conjecturam facio ex ejus verbis dum inquit: *Ἐ δὲ τῆς μεδιόματρικῆς καὶ τριβόχης παρσίκοι τὸν ἕκτον τῶν γῆραι, καθ' ἕν περὶ κλι τὸ ζεύγμα ἐπὶ τῶν ῥωμαίων ἔνι τῶν στρατηγῶν τὸν γερμανικὸν πόλεμον, ἀέραν δὲ ἄκην ἔβιοι καὶ τῶν τὸν τόπον, ἕς μετῆγαγεν ἀγέλας παρσίκοιτας εἰς τὴν ἰντῆς τῆς ῥῆν, τῶν γῆραι δὲ σιωχεῖν γερῆιοι, καὶ τῶν γερμανικῶν ἐθ-
νῶν.* Id est: *Post Mediomatrices autem atq; Tribochos Tungri juxta Rhenum habitant, apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes, trans Rhenum autem circa hunc locum, incolabant Obii, quos ad interiorem Rheni ripam volentes traduxit Agrippa, Tungris verò contingunt Nervii, & ii quoq; natio Germanica.* Verba Strabonis idèd libuit Græcè adscribere, quia animadverti & in Græcis exemplaribus dictionem *τριβάγροι* esse vitiosam. Quis enim usquam legit *Trivagros*, aut ut habent veteres Latini codices *Triusgrqs*, gentem fuisse Germanicam? Reponendum igitur apud Strabonem pro *τριβάγροι, τῶν γῆραι*, id est, Tungri, qui ut bene scribit, non procul à Rheno absunt, continui Nervii, & Aduaticis finitimi, ne quis Treveros intelligere malit, qui procul ab illis distant. In Tungris igitur Strabonis tempestate *constructus est*, nimirum *apud Trajectum*, pons quem Græcè *ζεύγμα* appellat, cujus formam & ædificandi modum apud Suidam reperies. De hoc ponte Tacitus quoque mentionem facit, cujus hæc sunt verba libro *Historiæ Augustæ*. *Quo minus ultra pergeret Claudius Labeo Bethasæorum Tungrorumq; & Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosa fluminis ante ceperat.* Ex quibus annotare potest Lector hos tres populos Tungros, Nervios, & Bethasios finitimos Traiecto fuisse, qui tumultuariè Labeoni adesse potuerunt. *Habet præterea Traiectum à Romanis Latinum nomen, quod olim non ponte, sed navibus flumen hoc trajiciebatur*, Germanicè *Trect* *syncoptis* pro Traiecto literis. Superiores *Germani* *Mastrichi*, id est, *Trajectum Mose* vocant, ad differentiam *Trajecti inferioris*, quod tamen *Utricetum* melius appelles. *Trajectum* inquam, de quo loquimur nonnulli *volunt oppidum esse omni gaudens immunitate, & solum imperatorem debere agnoscere Dominum, quod ipsum nuper publico Judicii Imperialis Camera decreto declaratum est, reclamantibus tamen Brabantis, quorum Dux & Episcopus Leodiensis civitatis sunt protectores.* De Traiecto hoc à plerisque annotatum est, & idem mihi retulit Vir insigni Doctrina & Pietate Doctor Arnoldus à Tungris, *ejus civitatis adolescentes præcoci quidem esse plerumq; ingenio, sed nunquam ad literariam frugem pervenire, atque hoc adeo per-*

petuum esse, ut quum innumeros ex patria Leodiensi juvenes sub se multos annos, quibus scholæ Coloniensi præfuit, literis operam navantes, haberit, qui literariæ militiæ egregium fructum retulerunt, & in doctos Viros evaserunt, sola Trajectensis civitas semper steriles remansit. Leodium nostra tempestate, ut de præterita nihil dicam, quam soli Præmientes Monachi celebrem redderent, inter multa millia Arnoldum Ligonium tulit, Virum adeo solida Doctrina, ut Antiquitati illum objicere potuisset, verum ante diem acerba mors illum nobis abstulit. Florenæ Remaclum insignem ediderunt Poëtam, & si quid honoris inde esse possit, mihi patrem, eodem quo ego nomine, atque Doctorem Nicolaum Equitem auratum & Cæsaris Caroli Quinti Archiatrum, Vercellæ duos Bercellios quorum altero, qui Monachismum apud Divum Laurentium professus est, nihil doctius, si constantia literas adornasset, Masacum Rutgerum, jactat Rescium, qui apud Levacos Græcas profiteretur literas. Tungri contenti esse deberent antea nominato suo Doctore Arnolde, qui Pietate cum Doctrina ita conjunxit, ut in utra excellat, dubium sit, & cujus laudes & Virtutes si ultra prædicare pergerem, vereor, ne invidiosas & suspectas reddam, quod olim eodem institutore usus & hoc nomine illi plurimum debeam, Centrones Nicolao Nickmanno merito gloriarentur, qui per plurimos annos in schola Leodiensi summa cum laude literis & moribus civitatis formavit juventutem.

De Sycambri.

Sycambri *Menapiorum Regionem hodie occupant, & Germanos indigetes fuisse nomine ipso deprehenditur, Germanicè enim Syngemberger appellabantur.* Unde & Sygambri in vetustis quibusdam codicibus scriptum reperitur. *Habitârunt ad alteram Rheni ripam paululum infra Obios, & ad Ruram fluvium, qui apud Duisburgum Rheno immisceatur, ubi adhuc ruina urbis & arcis Syngemburg manifestissimè visuntur.* Extat etiam oppidum *Saxolim, nunc Cœnobium Syngemberg non procul à Colonia Agrippina, nimirum à Sycambri denominatum.* Item *Sygem oppidum & fluvius, & Ducatus Bergensis Hos sæpe excurrisse in Gallias, & semper repulso, ex Cæsare colligitur.* Octavius autem *Augustus, ut est agud Suetonium, dedentes sese traduxit in Galliam, in eas terras quas toties excursionibus appetiverant, in proximos, ut idem ait, Rheno agros, unde non dubito hos esse, quos modo Gelrenses appellamus.* Scribit Cæsar, ut supra ostendimus, eos cum duobus equitum millibus transmissis Rheno, oppugnatum venisse Romanos ad Varucain, ubi erat Q. Cicero. Causa autem translationis in Gallias fuit, ut excisis illis Sycambrorum nomen prorsus extingueretur, formidabile Romanis, ut ait Cornelius Tacitus. De iis etiam Horatius ad Antonium Julium:

*Concines majore Poëta plectro
Cæsarem quandoq; trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sycambros.*

Feroces verò appellat eos Horatius, eò quod *Centuriones Romanus ad colligenda stipendia missos crucibus affixerant.* Quare & alio loco idem Horat.

*To cæde gaudentes Sycambri
Compositis venerantur armis. Et Martialis
Crinibus in nodum tortis venerè Sycambri, &c.*

An Sycambri in Trojanos suam originem referre possint.

Quoniam plerique Gallia populi originem suam in Trojanos referre malunt, ut Averni de quibus Lucanus:

Averni Latios ausi se fingere fratres

Sanguine ab Iliaco

Item Franci Trecaesses Senottes opinatus sum distantibus illud ipsum Leodiorum annalibus, Tungros quoque Sycambros & Frisios à Trojanis oriundos, quibusdam adductis conjecturis. De *Tungris* autem Arduenna sylvam movebat, quam Galli Forestam Dardaniæ appellant, in qua est oppidum Dione quod Dionantum dicunt, ubi Veneris Diones templum à Tungari Trojano Duce & Tungrorum conditore constructum aiunt: quare in Eburonibus meis olim juvenis lusi.

Tungaris Idæa liquit jugâ sacra Diones,

Et rapidas Xanthis dux bonus amnis aquas.

Venit Eburonum densosq; ad lumina lucos, &c.

Porro de Sycambriis opinionem augebat *Xanthum* oppidum nobile hodie in Clivis, non procul ab Asciburgio, quod vetera castra esse non bene opinatur, nisi mutati nominis aliam causam, quam ridiculam illam de Sanctis ibi cæsis, assignent. Unde rursus ego:

Se quoq; Trojano jactat de sanguine cretum

Littora qui Mosa curva Sycamber arat.

Atq; equidem Xanthum antiqua vestigia gentis

Urbem Clivensis sub ditione docet.

Quem non in suspicionem traheret *Phrisia* quam olim Phitigiam Trojanus Grutius appellavit, Groningamque in Phrisiis condiderit, & templum in ea mirandi operis undiq; quondam pervium, & columnis subnixum, nunc verò muro conclusum. Nec obstat Cornelius Tacitus, qui Germanos indigetes appellat, num enim una natio, aut unius Regionis tractus à Romanis occupatus, protinus Germanorum originem inverteret. Sunt & adhuc hodie indigenæ Germani, licet gens alia passim Germaniam inhabitet, ut Bojohemi, Poloni & alii. Et quid veteris, si primum à Troja profecti Trojani in Hungaria, ut fertur, confederint, deinde aucti numero ad *Rhenum* sedes quasi verint, quibus non contenti infertiliorem Galliam penetrare voluerint, quod equidem non adeò difficile factu fuit, Germania tum temporis urbibus carente. Nonne ab Hunis per eum ferme tractum, ut quasi repetitum credas, factum idem legitimus, quo tempore munitior erat Germania. Et quid non pervium fuisset generosis illis spiritibus?

Enumeratis qui sunt infra Leodii in populis, non erit absurdum quædam loca recensere ad Mosam supra Leodium Romanam præ se ferentia originem. Et imprimis quidem, quia diximus plerisque vicis & montes in ipsa urbe nomina Romanorum Ducum, qui ad *Varucam* oppetierunt sortitos, urbe Leodio egressis per viam Aurunculeiam, & adverso flumine Huyum ire volentibus ad extra *Publium* statim habent montem, quâ parte ab radicibus ad summitatem usque vitifer est, deinde sylvofus. In apice, ubi Fanum Vulcani olim fuerat, Cœnobium nunc est *Divo Ægydio* sacrum, & non procul inde locus suppliciorum, unde *Cerassi* despiciuntur, ad sinistrum Mosæ latus, ultra pergentibus apparet in excelsa rupe *mons Iovis*, arx ita nominata, & à Romanis nimirum constructa, quæ quidem hoc loco me ad-

monet, ut Gallis malè intellectam Regum suorum exclamationem dum prælia ineunt, *Mon Iové saint Denis* declarem, quam protulisse fertur is Rex, qui primus inter Francos Christianæ Religionis nomina dedit, & posteri Reges in animandis suis ad fortiter præliandum usurparunt & utuntur. Interpretantur autem: *Meum gaudium sanctus Dionysius*, quod non ita sese habere vel fœminæ Gallicæ animadvertere deberent, cum eorum lingua, *Ioie*, id est gaudium non masculini aut neutri, sed fœminini sit generis, & dicendum fuerat *ma joie saint Denis*. Non igitur *joie* hic gaudium significat, sed Iovem, quem Galli *Iové* appellabant, proptereaque *Clodomirus* inclinata suorum acie, cum invocando Iovem non proficeret, ad Deum Christianorum, quem per Galliam *Dionysius*, sive *Areopagita* ille, sive alius annuñciaverat, conversus ad suos, qui magna ex parte Christiani erant, exclamavit: *Sistite viri gradum, & fortiter pugnate. Mon Iové saint Denis*, id est, *meus Iupiter sanctus Dionysius erit*, hoc est, *eum Deum relicto Iové colam, quem Dionysius predicavit, & vos adoratis*. Quo audito, Galli Christiani alacres in pugnam reversi hostes fuderunt, & *Clodomirus* à *Divo Remigio* sancto Baptismatis lavacro ablatus est. Postmodum Reges hanc vocem usurpare volentes, pro *Iové* pronunciant re non bene considerata. Quod autem verum sit Gallos *Iovem*, *Iové* sive *Ioie* appellasse, inde deprehendo, quod iidem ipsi *Iovios* hodie *Ioie* appellant. Sunt autem *Iovii lapilli*, quos peregrinantes per vias in cumulos conjiciunt, ut sint recti itineris indices, quales multos per Galliam divum *Jacobi* petentes ubique videmus, quos Galli *mont joie* vocant. Est & in Eburonibus olim, nunc *Iuliacensi* Duci parens arx in Arduenna sylvâ, qua parte *Cyhest* appellatur *mons Iovis* dicta *Mont Iové*, ut hoc quoque annotârim.

Post *Iovis* montem *Amantium* occurrit, deinde *Huyum* pervenitur, de quo oppido supra dixi, postmodum ad ostium *Sabis* fluminis, ubi *Namurra* elegans sanè oppidum & marmore subcinericio, nobile hoc quidem *Namurcum* vulgariter vocant *Namur*, id est, *novus murus*.

Iterum de Varuca.

Ad *Sabim*, ut antea dixi, *Labiens* castra erant, loco excelso in *Rhemis* & confinio *Treverorum* ubi nunc est *Labiense* Monasterium tam latè tum *Rhemi* & *Treveri* dominabantur. Refellenda autem est hic eorum opinio qui *Varucam* existimant alio quam dixi loco fuisse, inter quos est *D. Lambertus Paschalis*, uti ex insigni Poëta *Henrico Glareano* accipio, qui non *Varucam*, sed *Raticam* legendum putat, ut sit oppidulum *Herzog Rodt* inter *Aquisgranum* & *Juliacum*: nullas enim Legiones *Cæsar* cis *Mosam* collocavit, sed omnes ultra *Mosam*, ita ut altera alteri subsidio esse & venire intra duos dies posset, cum inter sese plus quinquaginta millibus passuum nō distarent, & magno periculo fuisset Legio una, si in *Rodt* hyberna habuisset, propter Germanos & vicinum *Rhenum* à quo vix octo milliariibus abest, & item propter *Treveros* & *Menapios*, in quorum finibus hic locus est situs. *Labiens* autem hyberna non multum distabat à *Nerviis*, quapropter ex *Samobrina* *Cæsar* ad illum scribebat, & ad se accersebat, ut subveniret obfesso

Cice-

Ciceroni in Nervii uno milliari Germanico ab oppido Oudenard, in pago, cujus nominis nunc non sum memor, ubi quotidie innumera Romanorum numismata & simulachra Deorum, quorum nonnulla vidi, effodiuntur & eruuntur, quod nequam fieri potuisset, si tam procul fuissent Labieni castra, hoc est cis Mosam in Treveris. Quod autem Labieni castra ab Sabim fuerint, iterum probatur eo, quod Cæsar scribit quinquaginta millibus passuum à Ciceronis hybernis in Nervii abfuisse, & de Cæsar's victoria per Rhemos Labienum eodendie, imò paucis horis certiore factum, sed libet Cæsar's verba adponere: *Interim, inquit, ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate de victoria Cæsar's fama perfertur, ut cum ab hybernis Ciceronis millia passuum quinquaginta abesset, eoque post horam nonam dies Cæsar pervenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur, quo clamore significatio victoriae, gratulatioque ab Rhemis Labieno ferret.* Porro Labieni castra excelso & natura munito erant loco, ut est Labiense Monasterium hodie. Unde rursum Cæsar: *Labienus, ait, cum loci natura & manu munitissimis castris sese contineret, de suo ac Legionis periculo nihil timebat.* Et statim postea eodem libro: *Cum ex jussu Labieni omnes unum Induciomarum pederent, in ipso fluminis vado deprehensus interficitur, caputque ejus refertur in castra.* Igitur non ad Mosam, qui hyberno tempore vadulos non est; sed ad Sabim Labieni castra erant, & distabant à Varuca quinquaginta millibus passuum, quemadmodum Ambiorix apud eundem Cæsarem dicebat iis verbis, quibus illis persuasit, ut sese suæ fidei committerent. Magnam manum Germanorum conductam Rhenum transisse, hanc affore biduo, ipsorum esse consilium, velint ne prius quam finitimi sentiant, eductos ex hybernis milites, aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere, quorum alter millia passuum circiter quinquaginta, alter paulo amplius ab his absit. Modi quam Ratucam appellare vult D. Lambertus Paschalis distat à Labiensi Monasterio, ubi diximus hyberna Labieni fuisse, ferme centum & amplius millibus passuum, à nostra verò Varuca non multum supra quinquaginta, à qua si ad Oudenard in Nervii recta proficiscatur, paulo amplius erit. Non nego maximam partem Eburonum inter Mosam & Rhenum fuisse, verum etiam ultra Mosam terras possedisse, certo certius apparet, ex quo Aduaticis vicini erant, imò & ad Sabim usque fines eorum protensos ex Cæsare non uno loco patet. Præterea Varucam in finibus eorum fuisse Cæsar declarat, dum dicit de Ambiorige & Cativulco loquens libro V. *Qui quum ad fines Regni sui, hoc est ad Varucam, Sabino Cottaque, præsto fuissent frumentumque, in hyberna comportavissent, &c.* Et si non ignorem fines quandoque pro Regione poni, volebat autem Ambiorix per fines suos ad Labienum vel Ciceronem ducere Legionem, quoniam usque ad Sabim ad Mosam dominabatur, ut patet ex Cæsare, dum à Varuca ad vastandos Ambiorigis fines ad extremitatem Arduennæ sylvæ, & ad Sabim proficiscitur.

DE SAMAROBINA.

Quoniam audiam quam plurimos de Samarobrina subdubitare & vereri ne non sit Imperialis illa & verè amena civitas, quam Camera-

cum hodie dicunt, errare eos vehementer, & nullum aliud oppidum esse confirmandum est. Primum non me movet Ptolemæus, qui Samarobrinam civitatem Ambianorum facit: nam et si civitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur Samarobrinam esse *Ambianos oppidum Gallicè Amiens*. Potuerunt enim Ambiani alia quoque habuisse oppida quorum Ptolemæus non meminerit, nihilominus tamen Ambiani erant, id est, Amiens; non usque adeo tum magnum oppidum, uti nunc est, ut veteres muri docent. Sic etiam idem Ptolemæus civitatem Rhemorum, Durocotorum & Caesaromagum Bellovacorum appellat. Cum ea tempestate & Rhemi & Bellovacii, sicut hodie oppida erant, & gentis caput. Item Sueffones & gentis & oppidi nomen est; habuerunt autem sub se Sueffones duodecim oppida; ut libro II. scribit Cæsar, quorum *Bibrax* unum, hodie *Braine* quatuor milliaribus Gallicis à Sueffonibus Comitatus titulo decoratum, & item *Noviodunum*, *Noyon* Bellovacorum verò *Bratuspantium* erat oppidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse opinantur. Cum autem Cæsar esset Samarobrina, id est, Cameraci, ut nunc vocant, & certior esset factus, de oppugnatione castrorum Ciceronis in Nervii, misit nuntium statim in Bellovacos ad M. Crassum, cujus hyberna aberant ab eo millia passuum viginti quinque. Ubi notandum Bellovacorum urbem paulo amplius distare à Samarobrina, sed hyberna Crassi, non in ipsa urbe Bellovacorum, sed in eorum finibus aliqua parte fuisse, ita ut dimensio non obstet. Alterum nuntium etiam in Ællios ad C. Fabium misit, ut in Atrebatium fines Legionum adduceret, quia sibi iter faciendum sciebat, erant *Ællii qui circa oppidum Æt habitant*, quod superiores Germani *Æs* dicunt. Fabius autem ut imperatum erat, non ita multum moratus in itinere cum Legione occurrir, quod omnino faciendum ex Ælluis in Atrebatem ire volenti. Ad Labientum item ut veniret in fines Nerviorum scripserat, si Reip. causa & commodo facere posset. M. Crassum Samarobrinæ præficit: post liberatum Ciceronem Legiones circa Samarobrinam retinuit. Et profecto commodiorem locum habere non poterat, neque enim puter quisquam urbem *Cameraensem novam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinem excrevisse*, est certè nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero: *Vno colluctio nostra, pluris erit, quam omnes Samarobrinae.* Et in alia epistola: *O præclara castra, quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem.* Et quodnam amplius dubium esse poterit, quum nomen ipsum indicat quod quaerimus *Cambray* Galli, Itali verò *Samberey* dicunt, vide quam facile Samarobrinam inde fecerint. Si ex Amiens faciunt Ambianos, ex Beauvais Bellovacos, quid vetat ex Samberey Samarobrinam fieri.

DE HANNONIA ET BELGIO

Samarobrina & tractus Samarobrinensis, ut de vicina Hannonia non nihil dicam, me admonent; de qua multi intra non adeo multos annos multa scripsere, in Trojanos civitatum origines, referentes, & ab Hannone Duce Hannoniam depopulatam putantes, quæ quoniam fabulosa sunt, missa nunc facimus, & quod verius apparet, ostendemus.

Nemini ex iis qui Historias paulo accuratiùs legerunt, non notum est, bonam partem Galliae Belgicae à Germanis & occupatam fuisse & adhuc hodie esse, linguamq; Germanorum retinere. Hannonia vero diutius habitata à Romanis propter situs commoditatem & terrae fertilitatem, Romanè loqui cœperunt, & hoc tempore Romanè loqui dicuntur, licet in linguam Gallicam degeneraverint. *Germani* igitur olim terras incolentes, quae *Haniae flumini* adjacent, quod apud oppidum Condatum influit in Scaldam, totum eum tractum etiam hodie *Hanigan* vocarunt, id est, si interpreteris, *Haniae* ager. Postmodum Galli Hannonos pro more suo concilis duabus literis *i* & *g* *Hanan* pronunciarunt, uti & adhuc pronunciant. Deinde qui Latine eam dicere voluerunt *Hanaviam* appellarunt. *Indoctus* vero *quispiam* legit *Hanoniam* & praevaluit inscitia. Terra est amœna & fertilis, adhuc equitatu plurimum valens. His temporibus *Burgundis* pariter sub *Palatinatus* titulo, eò quòd Comites Palatini eam nuper cum *Zelandia* & *Hollandia* possederunt. *Sub Hannonia* comprehensa est bona pars *Galliae Belgicae*, praesertim ea, quae peculiari vocabulo *Belgium* appellabatur, in qua sunt reliquiae maximae quondam urbis *Bellouacorum*, non ejus quidem quae est prope *Rhemos* & *Suessonas*, de qua superius dixi, sed hujus quam *Hannonii Bavais* appellant, truncatim omnia pronunciantes cum *Beavais* dicere deberent. *Beau* enim Gallicè, sive *Bau* Hannonicè, *Bel-lus* Latine dicitur. A Germanis *Belgau* istud oppidum appellatum, puto & à Romanis *Belgium*, si quod fuit ejus nominis oppidum, dubitari enim posse videtur, an *Caesar* *Belgium* pro Regione aut oppido ponat. Non existimo autem oppidum *Belgium* sive *Bellouacos*, sive ut hodie vocant, *Bauacum* *Caesaris* temporibus admodum potens fuisse;

sed media tempestate, sub *Divo Constantino*. Ad quod credendum conjecturam facio ex numismatibus, quae quotidie effodiuntur innumera *Constantini* imagine signata, & viæ à *Brunehilde* *Regina* stratae. Mira de hoc oppido referunt *Hannonii* *Scriptores*, quae quoniam fabulosa verissime sunt, volens praetereo, neque enim *Hannoniae* historiam texere est animus, unum reticere non possum, quoniam *Belgii* mentio ad hoc me rapit. Opinatus sum semper *Belgas* sive *Belgarum* vocabulum esse *Germanicum*, ideo quia *Germani Gallos* & *Italos* *Wælhen* & nonnulli *Wælgen* appellant. Scimus autem duplex hujusmodi *W* *Germanicum*, ab *Italis* vel in simplex *V* vel *B*. mutari solere, neque aliter ipsum exprimere posse, & inde pro *Wælgen* *Bælgen* dixisse, & dehinc *Belgas* eam *Galliae* partem, quae est inter *Sequanam* & *Rhenum* appellasse, quia *Germani* incolae illam ita nominarint. Hoc ipsum confirmat *Ausonius Poëta* *Gallus* in *Narbone* ubi inquit:

Usq; in Teutosagos, Germanaq; nomina Belgas.
Totum Narbo fuit.

Aquitaniae nomen *Galli* mitum in modum hoc tempore abbreviant, *Quienne* sive *Guienne* dicentes. De *Celtis* nihil habeo modò, quod dicam.

Quoniam crebrae *Germanorum* in *Galliam Belgicam* transitiones factae leguntur, non abs re fuerit indicasse, *Osos* reliquos *Germanos* imitatos, *Eburones* quoque appetivisse ex *Osenburgo* *Westphaliae* oppido profectos, & oppidum *Dsenfirchen* incoluisse, quod est nunc in *Gugernis*, sive *Juliacensibus*, non procul à *Marcoduro*. *Addam* & hoc *Gungervos* *Romanos*, quos hodie *Bulcheri* nominamus, vocitasse, & adverte quam penè idem sonet utrumque nomen.

PETRI DIVÆI LOVANIENSIS,

De

GALLIÆ BELGICÆ ANTIQUITATIBUS


LIB. I.

STATUM EJUS QUEM SUB ROMANORUM IMPERIO HABUIT COMPLECTENS.

NOBILISSIMO AC OPTIMÆ SPEI PRINCIPI
CAROLO PHILIPPO CROVIACENSI, DOMINO
AB. HAURICH,

PETRUS DIVÆUS LOUANIENSIS,

S. P.

 M varios Antiquitatum Scriptores subinde revolvens; Nobiliss. Princeps, pauca ab iis atq; ea obiter tantum de Belgica nostra attingi, neminem verò ex professo id egisse invenirem, existimavi operam meam non inutiliter collocatum iri, si eam pro virili parte Belgicae antiquitatibus in lucem revocandis impenderem. Hac autem erat instituti mei ratio, ut Opere in duas partes diviso, primum Romanorum in Belgica res, & si qua

antiquiora essent, in unum volumen conjicerem: mox altero Francorum in eam accessum constitutosq; ab ipsis Principibus, & originem Nobilium Familiarum describerem. Sed fuerit quibus prior hic de Romanis libellus ita probaretur, ut nequaquam ulterius suppressendum, sed omnino typis mandandum censerent, serio affirmantes, laborem nostrum & pergratum multis fore, & non parum lucis iis intelligendis, quae Romani de Belgica scripsere aliarum. Quibus non ob-

*temperare inhumanum credens, vela ventis commisis-
non ignarus interim, quantis calumniarum per-verso-
rumq; judiciorum procellis sese exponant, qui in latissi-
mum hoc scribendi aequor temere procurrunt. Sed vi-
cunq; hac aliena opera obrectatoribus aestimata fue-
rint, susq; deq; fero. Tuo autem nomini potissimum in-
scribere visum, Nobiliss. Princeps, quod non ignorarem
te, cum vehementer Historiarum quarumlibet, tum
maximè Antiquitatis, cognitione delectari. Id si ita
est, confido te non modicam ex horum lectione volupta-
rem capturum, nec dubito lucubrations meas tuis au-
spiciis in lucem prodeuntes, vel hoc nomine & gratiores
& adversum amulorum calculos munitiores fore. Vale
Illustrissime Princeps; & ex igno hoc charitaceo mun-
sulo feliciter fruire. Louani XIV. Cal. Maji,
M. D. LXV.*

Lud. Carrion Brugensis ad Petrum Divæum
suum.

*Dum novus Historico scriptor monumenta recludens
Ordine Belgiadum, patrios de more triumphos,
Oppida, bella, Duces grandi referenda cothurno
Commemoras, cuiq; subis venientis honorem:
Omnia quæ longo fuerant consumpta veterno,
Quæq; olim infelix inhonoratq; subruit atas
Restituis, Stygiamq; vetas sentire paludem.
Perge, age, maeste novis animi Virtutibus, & mox
Quod latet in lucem sese fac proferat illud,
Illud opus quo Flandrigenas cultosq; Brabantos,
Hannonas & Geldros certatim in prælia ductis.
Sic mage de patria Divæe merebere, quam qui
Aut armis Romam, & dextris, aut morte cadentes
Servarunt Decii, Curii, Fabii atq; Camilli.*

ANTIQUITATUM BELGICARUM SEU INFERIORIS GERMANIÆ,

LIBER I.

Statum Belgica, quem sub Romanis habuit complectens:
AUTORE PETRO DIVÆO LOUANIENSI,
Divisio Galliarum, & Belgarum Origo.

BELGICAM Cisalpinam quadrisariam
olim à Romanorum Historicis divi-
sam legimus: in Aquitaniam nempe,
Celticam, Belgicam, & Provinciam. A-
quitani à Rhodano, Garumnaq; in Pirenæos versi,
cætera Oceano, ac mari mediterraneo ambiuntur.
Celtas, ab his Garumna discretos, Matrona, eoque
Luteriæ Parisiorum in se recepto, Sequana ad Se-
prentionem à Belgis separat. Belgarum reliqua
latera Oceanus Rhenusq;, & ab hoc ad Sequanæ
fontes distenta Vosagi juga claudunt. Quarta Gal-
lorum portio Rhodano, & Vosago à reliquis seclu-
sa, alia Alpibus conterminat & Tyrreno mari, quæ
multo ante C. Julii Cæsaris tempora, Provincia
Romanorum facta, & mores Gallicos exuta fuerat.
Reliquarum res, quæ ante Cæsaris adventum con-
tigere, difficulter à Romanis cognosci potuere,
pauca enim Cæsar ætate sua antiquiora commen-
tariis suis inseruit. Qui post Cæsarem scripsere, cum
iporummet Gallorum relationi non admodum fi-
derent, de primis Galliarum cultoribus, memoratu di-
gna tradere nec potuerunt, nec admodum solliciti
fuerunt. Ammianus Marcellinus varias de origine
Gallorum, opiniones prodit lib. Hist. 15. Aborigenes
(inquit) his in locis visos firmarunt esse Celtas, no-
mine Regis amabilis, & matris ejus vocabulo Galatas
dictas (ita enim Gallos sermo Græcus appellat.)
Alii Doriensium antiquiorem secutos Herculem, Oceani
locos inhabitasse confines. Drasida memorant revera
fuisse populi partem indigenam. Sed alios quoq; ab in-
sulis extimis confluisse, & tractibus Transrhenanis,
celeritate bellorum, & alluvione fervidi maris sedibus
suis expulsos. Aliunt quidam paucos post excidium
Troja fugitantes Græcos ubiq; dispersos, loca hac occu-
passe tunc vacua. Regionum incolæ id magis omnibus
asseruerant, quod etiam nos legimus in monumentis eo-

rum incisum. Amphyrionis filium Herculem ad
Geryonis, & Taurisciavorum tyrannorum pernici-
em festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias in-
festabat, superatisq; ambobus coisse cum generosis fo-
eminis, generasseq; plures liberos. & eos partes quibus
imperabant, suis nominibus appellasse. Hæc ille.
Quod de Transrhenanorum confluxu dicit, ex Cæ-
sare item liquet, qui Belgas penè omnes à Germa-
nis ortos iporummet relatione cognovisse se scri-
bit. Belgæ sane quod ab effæminatione vitæ cultu,
& à Romanorum, Græcorumq; consuetudine lon-
gius abessent, & perpetuis cum Transrhenana gen-
te bellis exercerentur. Gallorum omnium fortissimi
semper sunt habiti. Inter ipsos verò Belgas, cæteros
præcellabant ii, qui Germanicæ originis affectatores
erant, ut Eburones, Treveri, Nervii, Batavi, Aduatici,
Menapii Morini, cum quibus etiam Cæsari du-
rissima fuisse bella, & longè difficillima. Adeoque
deinceps ab his cæterorum Gallorum est spreta molli-
ties, ut soli natalis penitus obliti, non alios quàm Ger-
manos se dici paterentur. De Treveris, Nerviiisque
Corn. Tacitus: Treveri, inquit, & Nervii, circa af-
fectationem Germanicæ originis, etiam ultro ambitius
sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitu-
dine, inertia Gallorum separarentur. Hæc ille. Porro
quanquam non constet, quo tempore quæque natio
Transrhenana Belgicam invaserit, ex Tacito tamen
manifestum est, Tungros primos omnium in Belgi-
ca sedes fixisse. Cymbri quoque & Teutones, Ma-
riana victoria postea celebres, Aduaticos posterita-
tem suam in Belgica reliquerunt. Transferunt Rhe-
num, ante Cæsaris tempora, Nervii, Morini, Mena-
pii, Batavi quoque, Cattorum gentis pars, & Ro-
mana amicitia cogniti. Suevi quinetiam, & Sicam-
bri ab Octavio Augusto in Belgicam traducti, si-
Suetonio credimus. Tiberius, Ubiis cis Rhenum
sedes

sedes assignavit. Subsequentibus migrationibus longum ac difficile esset in medium proferre. *Postremi omnium Franci*, inclinante Romano Imperio, *Belgicam Romanis extortam suam fecerunt*. De nomine verò Belgarum (ut nec id omittatur) Isidorus Etymologiarum lib. 14. cap. 5. *Belgis autem*, inquit, *civitas est Gallia, à qua Belgica Provincia dicta est*: Nonnulli existimant hujus mentionem à Cæsare fieri lib. 5. ubi *Britannia*, inquit, *pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula, ipsi memoria proditum, dicunt, maritima pars ab iis, qui prada, ac belli inferendi causa ex Belgico transferunt, & infra: Tres*, inquit, *de Legionibus locutus, in Belgio collocavit, moxque post pauca: L.* inquit, *Plancum, cum Legione una ex Belgice eriter in Carnutes proficisci jubet*. Quo loco Marlianus, oppidum Belgii nomine designari asseverat, dubitavit Glareanus, uterque doctissimus. Verba Glareani sunt in V. lib. Cælaris. *Alii*, inquit, *codices habent ex Belgis, quod non displicet, quæ inquam si Belgio legatur, ad eam formam dixisse videri potest, ut Livius Sannium pro Samnitium Regione: ita Belgium pro Belgarum Regione. Verum pro urbe aliqua in Belgis videtur paulo inferius accipere, ubi exercitu in hyberna diviso, tres Legionibus in Belgio constituisse dicitur: hæc Glareanus. Neminem latet, quod nec mediocriter doctus quispiam, in ex, & ad præpositiones civitatum vocabulis præponere consueverit, quis id Cæsarem fecisse credat, inter suæ ætatis Eruditos non infimum? ut mirum sit, quenquam Latinitatis peritum in re tam manifesta falli potuisse. Porro, ut à Belgio, seu Belgis civitate, nationi nomen sit: Cæsar tamen à Barbariæ vindicandus. *Bellovæcis Marlianus Belgium civitatem attribuit, quos à veteribus Historicis Belgivacos appellari video. Eos etiam Cæsar omnium Belgarum nobilissimos facit: ut verisimile sit ab his, nomen Belgarum ad omnem nationem manasse. Hubertus Thomas Belgas die Welgen/ seu Welgen vernaculè dictos, quod vocabulum illorum lingua, extraneum, significavit.**

POPULI BELGARUM.

Cæsar in Commentariis *Belgarum populos* memorat: Remos, Sueffiones, Bellouacos, Nervios, Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos, Treviros, Eburones, Condrufos, Ambionos, Veromanduos, Atrebatas, Menapios, Morinos, Aduaticos, Vellocasses, Calcos, Essuos, Lingones, Leucos, Nemetes, Mediomatrices, Cærafos, Segnos, Pæmanos, Ambivaritos. Eisdem penè Strabo memorat, Geographorum omnium Cælaris ætati proximus, *sub Augusto enim floruit*, quo tempore, *Belgica in tres partes divisa est*. Ea enim, *quæ à Mosæ Oceano, circa Rhenum ad Mosellam usque prosendebatur, Germani inferior: à Mosella ad Alpes Rhodanumque, vergens, superior vocata est: reliqua verò Belgicæ nomen servavit*: Testes Tacitus, & Ptolemæus, à quibus earum Regionum populi recensentur: à Tacito, Tungri, Treviri, Ubii, Mediomatrices, Lingones, Leuci, Sunici, Nervii, Bethasii, Menapii, Morini, Batavi, Caninefates, Marfati, Grinnes, Gugerni, Mattiaci. A Ptolemæo, Batavi, Atrebatas, Bellouaci, Ambiani, Morini, Tungri, Menapii, Nervii, Veromandui, Sueffiones, Ubbanetes, Remi, Leuci, Lingones, Mediomatrices,

Treviri, Ubii. A Plinio lib. 4. *Naturalis Historiæ* Toxandri, Menapii, Morini, Oromanfati, Britanni, Ambiani, Bellouaci, Hasii, Castalogi (utrumque hoc mendosè, ut opinor) Atrebatas, Nervii, Veromandui, Sueconi, Sueffiones, Veruni, Ubbanetes, Tungri, Sunici, Frisiabones, Leuci, Treviri, Lingones, Remi, Mediomatrices, Gugerni, Batavi, Caninefates, Marfati, Frisii, Cauchi, Sturii, Bethasii. Ammianus Marcellinus qui circa annum Domini 400. floruit, Trevirorum meminit, Mediomatricorum, Catalaunorum, Remorum, Tungrorum, Vangionum, Nemetum, Ambianorum, Leucorum, Batavorum: apud Hieronymum & Panegyristas, Vangionum, Ambianorum, Nerviorum, Trevirorum, Remorum, Attrebatium, Morinorum, Batavorum nomen invenies. Hæc de Belgarum populis; à veteribus Latinis tradita reperuntur. Extat *Itinerarium, à Christophoro Longo* (ni fallor) *primum in lucem editum*, quod quidem, ut antiquissimum sit, Antonini tamen *Pii cæjus nomine circumfertur, esse non potest*. Constantinopolis enim meminit à Constantino Magno ita appellatæ, in hoc itinera per Belgicam describuntur.

A DUROCOTTORO, GESSORIANUM, LEUGAS 163.

Sueffiones	millia plus minus	27	<i>Soissons.</i>
Noviomago	m. p. m.	27	<i>Noyon.</i>
Ambianis	m. p. m.	34	<i>Amiens.</i>
Pontibus	m. p. m.	36	<i>Pontieu.</i>
Gessoriacum	m. p. m.	39	<i>Caes.</i>

A DUROCOTTORO, TREVEROS LEUGAS 99.

Vongo vicus	leugas	22
Epoiffio vicus	leugas	22
Orolauno vicus	leugas	20
Audethannale vicus	leugas	20
Triveros civitas	leugas	15

A LUGDUNO CAPITE GERMANIARUM Argentorat. m. p. m.

342.

Albinianis	m. p. m.	19
Trajecto	m. p. m.	17
Maranitio	m. p. m.	15
Carvone	m. p. m.	22 aliàs 25
Harenatio	m. p. m.	22
Burginatio	m. p. m.	6
Colonia Trajana	m. p. m.	5
Veteribus		
Calone	m. p. m.	18
Novesio	m. p. m.	18
Colonia Agrippina	m. p. m.	16
Bunna	m. p. m.	11
Antonaco	m. p. m.	17
Confluentibus	m. p. m.	9
Vinco	m. p. m.	26
Noviomago	m. p. m.	34
Triveros	m. p. m.	33
Diuoduro	m. p. m.	34
Ponte Sarnix	m. p. m.	24
Argentorato	m. p. m.	25

A Tre-

A TREVERIS, AGRIPPINAM,
LEUGAS, 151.

Augusta Sueffionum 12 Fines 13
Durocorderum 12

A NEMETACO, SAMAROBRINAM
millia plus minus 16.

A SAMAROBRINA, SUESSIONES,
millia, p. m. 69

Curmiliaca 12 Casaromago 13
Latanobrige 18 Augustomago 4
Sueffiones 22

A BAGACO Nerviorum, DUROCOR-
dorum Remorum millia plus
minus 63.

Duronum 12 Veruin.
Verbinum 10 Cressy.
Carisiacum 6
Minaticum 7
Muenna 18
Durocordero 10

Huic itinerario adjunctus est Provinciarum li-
bellus in quo Provincia Belgicæ ita describuntur.

BELGICA PRIMA, CIVITATES
Num 4.

Metropolis civitas Treverorum
Civitas Leucorum. i. Tullum
Civ. Mediomatricorum i. Metis
Civitas Verodunensium.

BELGICA II. CIVITATES 12.

Metrop. civit. Remorum Civ. Sueffionum
Civ. Catalaunorum Civ. Veromandorum
Civ. Atrebatium Civ. Cameracensium
Civ. Turnacensium Civ. Silvanectum
Civ. Bellouacorum Civ. Ambianensis
Civ. Morinorum. i. Ponticū Civ. Bononiensium

PROVIN. GERMANIÆ CIVITAT. 4.

Metrop. civitas Mogontiaccensis
Civ. Argentoracensium.
Civ. Nemetum. i. Spira
Civ. Vangionum. i. Wormes.

GERMANIA SECUNDA, CIVITAT. 2.

Metrop. civit. Agrippinensis i. Colonia
Civ. Tungrorum.

Circumfertur & alius liber titulo Notitiæ Pro-
vinciarum, tam Orientis, quam Occidentis, qui te-
statur Belgicam à quatuor Consularibus guberna-
tam fuisse, & in quatuor partes divisam, Germani-
am primam, & secundam, Belgicam item primam &
secundam, Batavorum, Tungrorum, Bethasiorum
seu Yethasiorum, Morinorum, Menapiorum, Cor-
teriacensium, Valentianensium, inter auxiliares
Romanorum copias meminit. Officia præterea ha-
bet per Galliam Belgicam, Præfectum Cynegæ
Tornacensis, Præfectos item Cynegii Trevero-
rum & Reimenfis. Verum hunc mendosè admo-
dum editum habemus, ideòq; multa omisimus,
quæ non incommode huc adferri poterant. Nec
arbitror, vel huic Notitiarum libro, vel Itinerario
Antonini, vel ei adjuncto Provinciarum catalo-
go, temerè fidem habendam, neque nos testimonio
ipsorum infiri fueramus, nisi in professo esset, Bea-
tum Rhenanum, & quicumque de antiquitatibus
scripserunt, id ante nos fecisse.

Bedavicus leugas 12
Anfana vicus leugas 7
Egoregio vicus leugas 12
Marcomaco vicus leugas 58
* leugas 28
Belgia vicus leugas 8
Tolbiaco vicus leugas 10
Agrippina civitas leugas 16

Zuspich

A TREVERIS, ARGENTORATUM
millia plus minus 129.

Baudobrica m.p.m. 18
Saliffone m.p.m. 22
Bingio m.p.m. 23
Moguntiaco m.p.m. 12
Borinitomago m.p.m. 18
Nouiomago m.p.m. 18
Argentorato m.p.m. 18

Worms

A COLONIA TRAJANI, AGRIPPINAM,
LEUGAS 144.

m.p.m. 72
Mediolano m.p.m. 8
Sablonibus m.p.m. 8
Mederiacum m.p.m. 10
Theudurum m.p.m. 9
Coriouallum m.p.m. 7
Juliaco m.p.m. 12
Tibenacum m.p.m. 8
Colonia Agrippina m.p.m. 10

A PORTU GESSORIANI, BAJA-
CUM LEUGAS 166.

m.p.m. 83
Taruenna m.p.m. 18
Castello m.p.m. 9
Virouiacum m.p.m. 16
Tornacum m.p.m. 16
Pons Scaldis m.p.m. 12
Bajacum m.p.m. 12

Tervaeen
Cassel.
Wervic.
Dornic.
Wauay.

A CASTELLO PER COMPENDIUM,
Tornacum, leugas 76.

m.p.m. 38
Minariacum m.p.m. 11
Turnacum m.p.m. 27

A CASTELLO, AGRIPPINAM.
millia plus minus 175.

Minariacum 11
Nemetacum 19
Cameracum 14
Bajacum 18
Vodogoriacum 12
Geminiacum 10
Perviciacum 22
Aduaticum Tongrorum, 14
Coriouallum 19
Juliacum 18
Colonia Agrippina 18

Si vera sit itine-
ris ratio, hic locus
incidit in vicum
Gallobrabantie
nomine Perur
wej.

A TARVENNA, DUROCORDERUM,
m.p.m. 198.

Menetacum 22
Augusto Veromandorum 12
Cameracum 14
Aginum 13

DE TUNGRIS, QUI ET GERMANI, EBURONIBUS, CONDRUSIS, CÆRÆSIS, SEGNIS, ET PAMANIS, III.

Inter Belgarum populos, primos le Tungri offerunt. Hi si Corn. Tacito credimus, primi Transrhenanorum in Gallia sedes habuerunt. Is libro de Germanorum moribus: *Ceterum, inquit, Germanie vocabulum recens, ac nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani appellati sint: ita nationis nomen, non gentis evasisse, paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à seipsis invento nomine, Germani vocarentur.* Quæ verba ostendunt, solis Tungris peculiare fuisse Germanorum nomen, idque postea tanquam Belgis metuendum, reliquos Transrhenanos ultro assumpsisse, ac ita evenisse, ut unius nationis Tungricæ nomine, tota gens Transrhenana appellaretur. Verùm ex qua Regione hi venerint, aut quando, non constat. Pauca enim ejus nominis vestigia trans Rhenum sunt, unum videlicet Franciæ Orientalis oppidum Tongernenser: ut Hubertus Thomas Leodiensium Antiquitarum Scriptor asserit. Sanè ante Cymbrica & Teutonica bella, transgressos conjectare licet, quando quidem Cymbris, Teutonisque, & ipsi novos Belgicæ habitatores adduxere, nimirum Aduaticos, proculdubio Tungris posteriores, si Tungri primi Rhenum transgressi, Tacito credantur. Nec nimis dubitatum, an ante C. Cæsaris tempora celeberrimam illam urbem coluerint, cujus Ammianus Marcellinus meminit, civitatem amplam, & copiosam nuncupans. Movit nonnullos summum apud Cæsarem de Tungris silentium: ut crederent antea nihil de ipsis in Belgica auditum fuisse, verùm à Cæsare direptis Eburonibus, eorum loca Cisrhodanâ occupasse. Id si ita sit, pulchrè Tacitus mentitus fuerit. Tungrorum primos Transrhenanorum Belgicam habitasse, cui tamen diligenti & in externorum rebus satis fido Historico, non temerè fidem abrogârim, nisi id dicas, Tacitum nihil firmasse, ad opinionem tantum vulgi de origine nominis Germanici recessisse. Hubertus Thomas arbitratur, *Eburones itidem Germanos, unâ cum Tungris, aut aliquanto posterius in Belgicam venisse, ac eo aliquando potentia evasisse, ut suppresso Tungrorum nomine, ipsi soli penè ad Mosam, Rhenumq, Cæsaris ætate latissimè dominarentur.* Mihi sanè, quod, Cæsar Eburones, Cæræcos, Condrusos, Pæmanos, Segnosque uno nomine Germanos scribit appellatos fuisse, certam penè conjecturam facit: *Tungrorum, qui indem & Germani dicebantur, cum in has nationes divisos fuisse, easque Germanorum nomen, quod Tungris peculiare erat, servasse.* Atque hæc optima mihi videtur Cæsaris, & Taciti inter se conciliandorum ratio. Cæsarem ipsum audiamus: *Condrusos, inquit, Eburonis, Cæræcos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad quadraginta millia.* Quod Germanos dicit, perinde est ac si Tungrorum diceret, nihil enim hi ab illis differēbant. Porro Eburones, Condrusi, Pæmani, Cæræsi, Segni, cum omnem eam Regionem, quæ à Rheni ac Mosæ confluentem, inter ea flumina, ac nonnihil cis Mosam, usque ad Trevirorum fines tenuerint, testimonio sunt, quam

latè Tungri habitârint. *Eburonum sedes potissimum inter Rhenum, ac Mosam fuisse, Cæsar Auctor est, lib. V. Unam, inquit, legionem quam proximè trans Padum conscripserat, & cohortes quinque in Eburones, quorum maxima pars est inter Mosam ac Rhenum, qui sub Imperio Ambiorigis ac Cativulci erant, misit.* Nec procul Oceano aberant Menapii ea in parte confines, testis ipse Cæsar lib. VI. de Legionibus in Eburones missis. *Partito, inquit, exercitu, T. Labienum cum Legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci jubet.* Inter ipsos, ac Treviros, Segni Condrusique erant. Idem Cæsar lib. VI, *Segni, inquit, Condrusiq, de gente ac numero Germanorum, qui sunt inter Eburones, ac Treviros.* De Cæræcorum, ac Pæmanorum sedibus non ita constat. Si Huberto Thomæ fides sit, *illi circa Mosam, ubi nunc arx Cerey: hi in Arduenna habitant, ubi nunc vicus sit nomine Pemont.* Si quidquam conjecturis tribuendum, non absurdè *Peelandia nomen à Pamanis deducas: ut populus Pæmannen/ Regio Peeland appellatur.* Sed hæc tam incerta sunt, ut non temerè conjecturis fidentum sit, fallunt enim sæpenumero, ubi apparent manifestissima. Quis Huberto Thomæ non credat, *Centrones quos Cæsar inter Nerviorum clientes nominat, Hasbanos eos esse, quorum oppidum Sentron dicitur, cum nomina tam appositè respondeant? falsum tamen id esse constat, cum S. Trudo nomen huic oppido dederit, quod prior ætas Sarcinium appellarat.* Quod ex Sigiberto Gemblacensi Chronographo colligas in gestis anni VII CXXIII. *Eucherius quoq, inquit, Aurelianus Episcopus, pro simili causa Episcopatu privatus, & apud Sarcinium Hasbania vicum exulatus, in Canobio S. Trudonis in sanctitate consummasus est.* Hæc ille. Id autem Canobium Sarcinio postea muris cincto nomen dedit. Sed ad Eburones revertamur. Vatuca erat in mediis Eburonum finibus castellum, ubi hyberna Legionum Romanarum, Ambiorix & Cativulcus Reges Eburonum oppressere. Hos Cæsar, cum primum in Galliam venisset, ita ab Aduaticis pressos, ut in obfidium datis Ambiorigis liberis, Trevirorum patrociniū, quo se ab hoste tuerentur, petere cogerentur, in libertatem restituit. Nihilominus Ambiorix conspiciatus non tam libertatem vindicaram, quam mutatos dominos, diu simulato obsequio, tandem Cæsare bellis Britannicis occupato, defecit, & Q. Titurium Sabinum, cum L. Aurunculejo Corra hybernis per dolum extractos in Arduennæ secessibus profligavit. Moxque suorum, Aduaticorum, Nerviorumque copiis circumdatus, Q. Ciceronem in Nervii castra habentem obsessum ivit. Accurrit mox confecta Britannia Cæsar. Victus ad internecionem Ambiorix ad Transrhenanos confugit. Cativulcus sibi ipsi taxo mortem attulit. Cæsari deinceps præcipua cura fuit, Ambiorigem persequi, quem novis sese semper lateribus abdentem, cum adipisci non posset, Regnum ejus diripiendum proposuit, circumvicinis omnibus ad prædani exitis. Ita deletum nomen Eburonicum, Segnis, Condrusisq, qui Ambiorigis consiliis abstinerant, suæ sedes mansere. *Condrus ea Regio appellatur, quæ à Mosâ in Luceburgenses vergit, Hojo*

ac Dionanto oppidis, celebris *Segnos* arbitrantur *illine*.
an Treviros verzi, ubi ab eorum nomine oppidum Segny
seu Chogny dicatur. Lamberto Pascali Legnos legendum videtur, quorum etiam Ptolemæus meminerit, oppidum eorum Lupiam, ipsosque Batavis vicinos faciens. Extare etiam oppidum *Linnic* ad flumen Romam, haud procul Juliaco, quod Legnorum nomen servet. Sed castigatiora Ptolemæi exemplaria habent, *Λεγιών Ἀουλπία* id est, Legio tricesima Ulpia, atque ita legendum Glareanus censet, cui eo libentius accedimus, quod Legionis Ulpia, aut Castrorum Ulpiorum oppidi inter Batavos apud alios Scriptores mentionem inveniamus, quodque apud Tacitum nusquam Legnorum nomen sit, licet ibi reperiri Pascalis dicat. Eburonum reliquias, Eburam vicum Leodio propinquum Hubertus Thomas facit, pro Vatuca verò, Varucam legere mavult, ut sit celebris familiaris castellum *Varoux*. Quod autem ex castris Labieni Lobienis cœnobii originem deducat, viam Saviniam in urbe Leodio, item à Sabino Petrosium montem à L. Petrosidio aquilifero, demum fontibus, Cottæ & Ciceronis cognomina tribuat, Volcos quoque, & Verecellas, & Antium vicos Leodio propinquos à Latinis conditas, adque similitudinem Italicarum vocatas asserat, somnia sunt potius, quam conjecturæ. Id verosimile. *Eburones, quasi de Heiburen/ seu Eburen dictos.* Porro *Eburonibus deletis, Ubii imperante Augusto ab Agrippa in ea loca traducti*, de quibus infra. Tungrorum verò res exinde satis tenues fuere, nec prisca illis comparandæ, nam cis Mosam tantum habitasse leguntur: & primum sub Nerone illorum mentio fit à Romanorum Historicis: neque enim Strabo Tungrorum usquam meminit, licet id Hubertus Thomas asserat. Is enim Strabonis hunc mendosum locum allegans: *Μετὰ δὲ τὴν Μεδιωματικὴν καὶ Τριβόκχην παροίκεσι τὸν ῥηνὸν πενταχρεῖς, καὶ ἕως πενήτην τὸ ὄσγμα ὑπὸ τῶν Ρωμαίων νυκτῶν στρατηγῶν τὸν Γερμανικὸν πόλεμον, πέσεν ἡ ἄκην ἔθειοι κατὰ τὸν τὸν τόπον, ἕως μετῆραχεν Ἀρχιπύρας ἐκόντες εἰς πλὴν ἐντὸς ἡ ῥηνῶν. Τριβόκχους ἡ σιωχῆς Νερβίδι. καὶ τὸτο Γερμανικὸν ἔθνος.* pro *τριβόκχους* & *κλειμάρους*, *Τὸν γροῖ* & *Τὸν γροῖς* ponit. Sed malè, legendum enim *τριβόκχους* vel *τριβόκχους*. Post Mediomatices autem, & *Tribocchos*, Treviri juxta Rhenum habitant, apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes. Ulterius autem, circa hunc locum incolabant Ubii, quos ad interiorem Rheni ripam volentes traduxit Agrippa. Treviris verò contigui sunt Nervii, & ipsi quoque natio Germanica. Hæc Strabo de Treviris & eorum vicinis, repetit mox de Treviris & Nervii: *τῶν ἡ τρηιέρων, καὶ νεερβίων, σενίονες, καὶ ῥήμοι πρὸς ἐσπέρον οἰκῶσιν.* &c. fuere ante nos qui in restituendo Trevirorum nomine hæreant, quod Treviros multum à Nervii distare arbitrarentur. Sed confines eos fuisse, non unus Cæsaris locus manifestum facit. *Aduaticum*, seu *Autuaticum* Ptolemæo memoratur *Tungrorum oppidum*. Idem Antonini Itinerario (quod tamen apud Eruditos multis de causis fide caret) cognitum. Id oppidum, an ad Lecoram fluvium præclara illa Tungrorum Metropolis fuerit, an verò eo loci, ubi nunc Antverpia est, non liquidò constat. Sanè si aliud à Metropoli sit, mirum esset, hanc id temporis procul dubio famosissimam, Ptolemæo cognitam non fuisse. Romanos cum rerum in Gallia potirentur, jam inde à Neronis Imperio, semper Tungrorum cohortes sub

signis habuisse, Tacitus non uno loco testatur. In Gallia Narbonensi, & in Italia pro Vitellio contra Ottonianos fortiter pugnavit, ubi profligato Vitelliano milite, Tungrorum cohortium Præfecti, sustentata diu hostili acie telis obruti sunt. Subsecutum mox Batavicum bellum, quod C. I. Civilis Battavus, primum quasi à Vitellio ad Vespasianum defecturus, mox in universum concitata inferiore Germania, jugum Romanorum excussurus movit. Hic ipso belli initio, Tungrorum cohors ac Civilem Romana castra oppugnantem transfugiens, non parvo ad Victoriæ momento fuit. Publicè tamen Tungrorum civitas per diu in fide perstitit, adeò, ut C. I. Labeonem ex Batavis Civili adversum, & Nervios Bethasiosque pro Romanis cogentem, copiis instruere non dubitarent, Campano ac Juvenali Primoribus ad expeditionem missis. His fretus Labeo pontem Molæ occupat. Civilique ea ad Nervios, Tungros, Bethasiosque debellandos eunti se objecit. In ipso prælio, cum Civilis Tungris illatus, quod id bellum pro universæ Gallia ac Germaniæ libertate susceptum esset, edocuisse, persuasit facile ut relicto Labeone, ad ipsum transfirent. Tungri mox Civili dediti, ac paulò post à Fabio Prisco recuperati, Titi Imperio, duæ Tungrorum cohortes sub Julio Agricola in Britannia fortiter operam navaverunt. Mox Stipatores ab Imperatoribus asciti, quorum unus Tausius, teste Capitolino, cunctanteis in Pertinacis optimi Imperatoris necem milites accendit, primusque pectori ejus hastam injecit. Porro constans penè omnium Chronographorum opinio est, *Tungros, jussu D. Petri, per Maternum Religione Christiana publicè imbutos.* Quod verò Tungros maritimos faciunt, nescio an loci natura patiat, ut eò aliquando mare pertigisse credibile sit. Id verosimilius fuerit, Molam aliquando muros Tungrorum alluisse, neque enim frustra illic apud Isarum Navium vestigia conspiciuntur. Est & alia *de Tungris fabula*, nempe à Trojanis eos ortos, hætenus tam constantè affirmata, ut Regum genealogiam ab ipso usque Priamo non omitterent, eamque ad Francorum tempora perducerent, Pipinorum, Carolorumque propagine, usque ad Philippum præsentem Hispaniæ Regem, seriem continuantes: quæ jam dudum Doctis, anilia deliramenta habentur. *Non recens tamen, ejuscemodi de Gallorum origine opinio*, cujus etiam Ammianus Marcellinus loco supra *cap. I.* allegato meminit. Esto, sit à Trojanis orta Gallorum pars, sine & Tungri. Sed commentitia illa Regum nomina, ut etiam Vespasianum Romanorum Imperatorem Titi Turingiæ Regis filium facere non verentur, quis sanæ mentis toleraret? Tungros demum inclinante Romano Imperio, varias Francorum infestationes pertulisse, ex Ammiani Marcellini scriptis colligas, *libro XVII.* ubi Julianum Imperatorem frequenter Tungris versatum, & Salios Francos illac Romanum solum invadentes propulsasse tradit. Tandem *circa annum CCCCXL.* penitus in Francorum potestatem concesserunt, *Episcopum eorum agente Servatione, quem Christi cognatum fabulantur.* Hunc in Episcopatu Tungrorum Materni successores præcesserant *Navitus, Marcellus, Metropolis, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentinus.* Tungri ante Servationis obitum, *ex nimia opulentiâ, in omnia vitiorum genera prolapsi, gentilitatem respicere cœpisse feruntur*, atque ea de causa Servatio Trajectum migravit, cum Tungros ab Hunnis evertendos, cognovisset. Est autè *Trajectum, magna antiquitatis oppidum*, & ejusdem Servationis

obitu celebre, ut puto quod illic pons *Mosa* esset, à Romanis ita appellatum. Anno à morte Servationis LXIV. Hunni in Gallias effusi, Tungros exciderunt, non quidem decennali obsidione relectos, ut nugatur Placentius, Troix parenti scilicet suæ hac in re pares efficere conatus. Nam Hunnis turbinis instar, cuncta verentibus (biennio enim omnem Galliam pervastarunt) nec spacium obsidendi, nec obsessis animis resistendi fuerat. Nec Tungri unquam ab Hunnica vastatione pristinam dignitatem recuperare poterunt, humile postea oppidum & Hasbanix connumeratum. Retinent Tungrorum nomen vici aliquot: Tongrenheim haud procul Colonia Agrippa, cis Mosam Tongerlo in Brabantia, Tongerlo in Pelandia, Tongrin in Comitatu Namurcensi.

IV.

DE ADVATICIS, SEU ATVATICIS.

Aduaticos Cymbrorum, Teutonumque propaginem esse, Cæsar libro II. tradit. Ipsi, inquit, erant ex Cymbris, Teutonisque, prognati, qui cum iter per provinciam nostram in Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere, ac portare non poterant, citra flumen Rhenum sepositis, custodia è suis ac praesidio VI. M. hominum reliquerunt, his post eorum obitum, multos annos à finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, alias illarum defenderent: consensu eorum omnium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt. Aduaticorum sane tanta fuit aliquando potentia, ut Eburones tributarios facerent, obsolescere dare compulsos, & se in Trevirorum clientelam tradere, quod ipsum oratio Ambiorigis apud Cæsa rem lib. V. restatur. Depulsi ab Eburonum cervicibus, unà cum Nervii, finitimisque Belgis Cæsa rem multum exercuerunt. Nam Nervii, antequam ipsis arma confocissent Aduatici, à Cæsa re devictis, Aduatici omnium eorum robore in unum oppidum collato, non cesserunt oppugnantibus Romanis, nisi in solio machinarum apparatus consternati, nec id sine dolo, nam pactis cum Cæsa re conditionibus, arma tradere iussi, parte eorum, quam caute abdidit, noctu in Romanos non opinantes eruperunt. Excepti à Romanis animosius, ad 4000. trucidati. Et Cæsa r duplicatam perfidia rebellionem acerbius ultus, direpto oppido, capita hominum ad 55000. haltæ subjecit. At nihilo demissiores, Ambiorige Eburonum, & Piduciomaro Trevirorum Regulis communicatis armis, Cæsa rem per diu acriter sustinuerunt, quem verò finem habuerunt, nemo prodir. Ptolemæus meminit oppidi Tungrorum Aduatici vel Atuatuli, id ego suspicor ab Aduaticis, quo tempore Eburonibus dominabantur, conditum. Quantum ex Cæsa ris descriptione colligi datur, Aduaticorum habitacula fuere inter Nervios, Menapios, Eburones, ac Treviros, in eo tractu, ubi nunc Gallica Brabantia est, Sonia sylvæ, pars item Hannonix, Hasbanixque, & Comitatus Namurcensis, ad utramque Sambrae fluminis ripam. Nec locorum distantia paritur Duacenses, Aduaticos dici. Locus admonet, ut quoniam de Aduaticis sermo est, insigne mendum apud Cæsa rem, quod hæcenus omnes latuit, dispungamus. Apud hunc initio lib. II. ubi numerum Belgarum in se conjuratorum recenset, nemo legendum dubitet, Catuacos, 29. aut ut alii habent, 19. millia. Aduaticos tamen reponendum, ut in eodem loco apud Eutropium, Orosium, & Adonem leges. Catuacos autem nullos unquam nec ante, nec post Cæsa rem, in Belgica cognitos crediderim, nam ut Cæsa rem, hoc loco exactius examines, nonne mirum videbitur,

Aduaticos nusquam inter conjuratos legi, cum tamen constet, eos tantum copiarum contulisse, ut Cæsa r maximi momenti duxerit, ante ipsorum adventum, cum Nervii configere? Jam si præscam lectionem [Catuacos] servare jubeat, quis usquam alibi, apud Cæsa rem, Catuacorum nomen legisse se meminit? aut qua pœna à Cæsa re affecti, aut quando devicti sunt, quibus tantum virium fuerat, ut 29000. hominum in aciem producerent? non tacet Cæsa r quid ipsi Remi, quid Suesiones, quid Bellovaci, Morini, Menapii, Nervii, Eburones, & cæteri quique negotii, fecerint: quemque exitum habuerint, solosne Catuacos oblivione præterierit? Aduaticorum ergo nomen, expunctis Catuacis (cum venia dixerim eorum, qui Duacensibus hæc nomine applaudentes, vanam antiquitatem affingunt) nemo lanæ mentis restituendum dubitet.

V.

DE NERVII, CENTRONIBVS, GRUDIIS, LEVACIS, PLEVMOSSIIS, ET CORDVNIS.

Nerviorum fines latissimos fuisse, ex Cæsa re, & Strabone liquet, à Schaldi enim, ac propè ab ipso Oceano ad Treviros usque imperabant. Clientes eorum Cæsa ri memorantur Centrones, Grudii, Levaci, Plevmosii, Gorduni. Ambianis ad Occidentem conterminabant, ad Meridiem Treviris. Ea de re Cæsa r lib. II. Ab eo, inquit, loco in fines Ambianorum pervenit, qui se sua omnia sine mora dediderunt, eorum fines Nervii attingebant. Et Strabo: Τρεβίρων ἡ συντυχῆς Νεβηοί. ἡ τῆ το Γεγραυινῶν ἰθῦς, id est, Treviris verò contiguit sunt Nervii, & hi quoque natione Germanica. Nervios Germanos originitus esse, Tacitus non solum Straboni astipulatur, sed ambitiosè, ut tales dicerentur, aff. & a se etiam scribit. Oppida eorum memorantur Ptolemæo Baganum, Antonini Itinerario (modò ei fides sit, ut non commentitio) Tornacus, & Bagacum. Tornacus hucusque præscum servat nomen. Baganum, seu Bagacum, id esse volunt, quod Hannonis Bavay appellant, ubi monumenta reperiri, antiquitatis non plura asserunt. Propinquam Bagaco ad Scaldim est opp. Valentianæ, cujus nomen haberi videtur in libro qui Notitia Provinciarum inscribitur. Sanè antiquum esse constat, nunc Valencinnes dicitur. Quantum ad Nervios atinet, omnium Belgarum difficillimè à Cæsa re vinci potèere, ad eò ingenita Virtute cæteros præcellentes, ut nihil ad se quod luxuri esset, aut corpora molliret, importari poterentur. Cesserant Cæsa rianis armis Remi, Suesiones, Bellovaci, Ambiani. At Nervii persuasis simul arma capere Veromanduis, Aduaticis, Eburonibus, Atrebatibusque, licet & Aduatici, & Eburones ad præscriptum non adessent, cum hoste tamen ad Sabin Duce Boduognato confligere. Varia forte dimicatum, captis utrinque castris. Cæsa r ipse in magnum discrimen conjectus. Victi tandem ad internecionem Nervii, nemine fugam moliente, mox vulgus latebris sylvarum, quo pugnae initio abditi fuerant, egressum, deditionem fecit. Quarto post hoc bellum anno, cum Cæsa r in Britannos iret, per Ambiorigem expugnatis Romanorum hybernis, Nervii Q. Ciceronem apud se hybernantem oppugnarunt. Advenit è Morinis Cæsa r, hostemque congredi ausum, magna clade attrivit. Post quam victoriam Nervii obsidibus claris, nihil vivo Cæsa re novarunt: multos eorum Cæsa ri in Pompejum militasse tradunt. Sub Augusto florere T. Seneftius, & Ancstius, quorum forti opera Romanos contra Ger-

manos usos Florus lib. CXXXIX. Epitomatum T. Livii scribit. Bello Batavico quod Civilis sub Vespasiano movit, Nervii ductu Cl. Labeonis, Civilem transitu Mosæ arcentes, ac ab eo victi, victoris aliquando arbitrium secuti sunt. At paucis interjectis diebus, à Fabio Prisco recepti, spontè se pro Romanis, sed infelicitè armarunt. Caninevates enim multos eorum straverunt, teste Tacito. Multo post tempore, Maximianus Hercules Imperator Nervios à Francis pressos liberavit, Francumque in leges Romanas receptum, unà cum Nervii agros colere voluit. Qua de re Panegyrista: *Tuo, inquit, Maximiane Augustenutu, Nerviorum, ac Trevirorum arva jacentia, latius, postliminio restitutus, ac receptus in leges Francus excoluit.* Nerviorum sagittariorum, ac tractus Nervi cani mentio fit in libro Provinciarum. Non desunt nostro seculo, qui oppidi Flandriæ *Altenarde etymon à Nervio* deducant, quasi *Dude Merven* dicas. Quicquid sit, constat non solum Aldenardum, sed omnem cis Scaldim Flandriam, Hannoniæ, ac Brabantia maximam partem Nervii paruisse. Nescio tamen, quàm probabile sit, ut quis Centronibus, Grudiis, Levacis, Pleumosis, Gordunisque Nerviorum clientibus certas assignet sedes, de quibus tamen præter nomen, nihil apud Cæsarem traditum reperies. Grudios nonnulli Brugeses, alii Lovanienses faciunt. Gordunos, Gandenses: Levacos Glareanus, Lovanienses. Centrones quàm temerè Hub, Thomas, Trudonenses esse contendat, cap. II. retulimus. Lovanium quidem, & Gandavum, & Corteriacum multum antiquitatis habent, ut quis suspicari possit, Levacos pro Lovacis aut Lovanis, Gordunos, pro Gandunis suppositos. Corteriaci nomen, ni fallor, liber Provinciarum habet, nec ob id tamen, vel Pleumosis, vel Centrones illic habitasse temerè asserendum, nulla nominis similitudine patrocinate. Porro ut nec id omittatur, Nervii imperante Diocletiano, primum Christi fidem agnovère, docentibus Piatone, Chrisolio, Victoricio, Fulciano, Quintino, Luciano, Viris sanctissimis, quos Rictionarus Nervici limitis. Præfectus variis sustulit suppliciis. Anno CCCCXLV. *Nervii, capta Tornaco urbe primaria Regionis, à Clodione Francorum Rege subacti fuerunt.*

VI.

DE AMBIANIS.

Hos nemo unquam dubitavit eos esse, qui ad Somonam habitant, urbem clarissimam *Amiens* vernaculè dictam, *Somonam* prisca *Samarobrinam* vocatam esse contendunt, oppidoque nomen dedisse, cujus apud Cæsarem frequens mentio. Id etiam nonnulli Cameracum falsò faciunt, quasi Sambreii, utriusque meminit Antonini itinerarium. Ego primum ipsum Regionis oppidum ita nuncupatum crediderim: ut ex Ptolemæo liquet, Μεθ' ἑς ὁμοίως ἀμβριανοί, καὶ πόλις αὐτῶν παραβρίνα. Nemetocerna, cujus Cæsar meminit, videtur non procul Ambianorum Metropoli abfuisse, idem forte quod Antonino Nemetacum inter Cameracum, & Castellum ponitur. Porro *Ambiani facillimi fuerunt ditioni Cæsari faciendæ*: & ab omnibus deinceps in Romanos conspirationibus penè integri, nisi quod universali Gallorum in Cæsarem conjuratione, cujus Cæsar lib. VII. & Hirtius lib. VIII. meminit, Comio Atrebatæ, & Corbeo Bellovaco arma sociarunt. Posterioribus Imperatoribus Constantino, Constantio, Juliano, Valentiniano, Gratiano, Theodosio domicilium præbuere, ut Appianus tradit, qui

in Galliarum descriptione Ambianos urbem inter alias eminentem vocat.

VII.

DE BELLOVACIS.

Post Ambianos hi collocati, Belgarum omnium nobilissimi, ad Oceanum usque protendebantur. Oppidum eorum *Cæsaromagus* Ptolemæo, vernaculè *nunc à gentis nomine Beauvais* dicitur Cæsar *Bratuspantium Bellovacorum oppidum* memorat. Mediæ ætatis Chronographis Gregorio Turonensi, Adoni Vienneusi, Reginoni, Antonio, *Belgicavacos* appellatos video oppidumque ipsis Belgicum attribuunt, *ut ab iis Belgarum nomen ortum videri possit.* Divitia cum quondam Regem habuerunt, qui in Belgas latissimè, ac in Britannos imperium exercebat. Galba ætate Cæsaris regnabat. Et licet oppida numero duodecim haberent, & centum armatorum millia conficere possent, unico tamen adverso prælio fracti, pacem à Cæsare supplices, & Heduis precatoribus paratis rogant. Iterata post defectione, Corbeo Duce amisso, ad officium reducti: Tertio rebelles, D. Brutus Cæsaris Legatus repressit, *ut in Epitoma lib. II. Liviana Historia* Florus.

VIII.

DE VELLO-CASSIBVS.

Hos nonnulli *Bellocaffes* appellant, putaruntque *Cassetas* designari. Verum ad Sequanam sunt, *Vellocaffes*, & prisca nomen servant, *le Veugassin*, aut *Veuxin*, oppidum Regionis primum, *Gisortium* dicitur ad Heptæ fluminis ripam situm. Angli, Franci, ante multos annos de *Vellocaffium* possessione dimicarunt, testibus Annonio, Gilleo, Gaguino, & P. Emilio Francorum Historicis.

IX.

DE VLBANETIBVS.

Plinius, ac Ptolemæus horum meminere. Ptolemæus *Ratomagus Vlbanietium oppidum* vocat, unde eorum habitacula facile colligas, à *Vellocaffium*, *Bellovacorum*que finibus, ad Oceanum usque extensa fuisse. *Ratomagus nunc Rouen* dicitur. Porro, nechi, nec *Vellocaffes* quicquam per se contra Cæsarem moliti sunt; sed à finitimis concitati, ut belli, ita victoriæ appendix plerumque fuere.

X.

DE ATREBATIBVS.

Finitimi Ambianis ad Meridiem Atrebates, nomen servant paucis literis immutatis *le pais d'Artois, Rigiacum* eorum opp. Ptolemæus appellat, seu *Metacum*, ut nonnulla habent exemplaria, id esse crediderim, quod *nunc Arras* vocant. Hi ubi cum Nervii, Bellovacis, Venetisque diu & variè contra Romanos bellassent, sub jugum missi Regem Comium accepere, fidum Romanis, & bellis Britannicis postea expertum. Tandem pacatis reliquis omnibus, ipsi privatim negotium Romanis exhibuerunt. Dux belli Comius ipse erat, bis cum Romanis, equestri prælio, & ambigè conflixit. Tertio victus, trans Rhenum aufugit. Et quamquam Cæsar Atrebates omnes in gratiam recepisset, ipsique Comio ignovisset, nunquam tamen adduci potuit, ut Romano cuiquam se concederet, insidiis impetitus, ac dolo vulneratus, dum publica fide in Labieni colloquium prodisset. Porro Atrebates quoad Romanis paruere, in gentilitate permanserunt, primumque Francis rerum in Gallia potitis, Christum agnovère, docente Vedasto, anno CXXXI.

XI.
DE CALECCIS, OROMANSACIS, ESSVIS,
ITIO PORTV, ET GESSE-
RIACO.

Calecos nomen oppido dedisse, quod nunc Angliz oppositum *Cales* dicitur non video quenuquam dubitare, fines eorum apparet olim latos fuisse, qui 10000. hominum ad bellum *Cæsari* faciendum misere. *Morinis* & *Essnis* contigui erant, illic & *Itium* portum fuisse volunt, alii *Itio*, *Bononiam* designari malent. *Bononia* sanè antiquum est, & Romanis Historiis notissimum oppidum, in eodem tractu *Gessoriacum*, eique proximi *Oromansaci* *Plinio* ponuntur. Id *Ptolemæus* *Gessoriacum* navale, vocat. Ego arbitror *Calecos* Sequanz ostiis vicinos fuisse, (ut & *Strabo* asserere velle videtur) ubi eorum nomen *Regio*, *le pais d'Eaux* vulgò dicta & nunc *Normanz* connumerata servat, *Esu*os verò ipsis finitimos *la Comté d'Eu* vocant, ni fallor. *Ptolemæus* *Caletos* ad *Sequanam* ponit (ut nos) *Julio* *Bonam* eorum oppidū vocans, nunc *Honnefleux*.

XII.
DE VEROMANDVIS.

Nihil hac gente notius, eandem Regionem, eodem adhuc nomine appellati inhabitant, *Augusta* eorum oppidum *Ptolemæo*, idem nunc (ut quibusdam placet) *S. Quintinus* dicitur, à *Quentino* *Patricio Romano*, qui imperante *Diocletiano* illuc transgressus, *Veromanduos* *Christi* *Religione* imbuit. *Antonini* *Itinerarium* *Verbiuum* habet, nunc *Veruin*.

XIII.
DE REMIS, ET SVESSIONIBVS.

Horum multa apud *Cæsarem* memoria. *Remi* primi omnium *Cæsarem* receperunt, voluntaria deditio. *Suessiones* unico superati *prælio*; oppida eorum recensentur: *Remorum*, à *Cæsare* *Bibrax*, & *Durocotorum*: idem hoc *Ptolemæo*. *Suessionum* à *Cæsare* *Noviodunum*, quod nunc *Noyon* dicitur, à *Ptolemæo* *Augusta*, nunc *Soisson*, in *Itinerario* *Carisiacum*, nunc *Cressy*, tantum de his, finitimsisque eorum *Francorum* *Regi* nunc parentibus in præsentia dixisse sufficiat, reliquas eorum antiquitates *Francis* perscrutandas relinquimus.

XIV.
DE MORINIS, ET MENAPIIS.

Mirum nonnullis videbitur, quòd de his populis conjunctim tractem: putant enim, qui veterem perscrutantur *Historiam*, magna eos terrarum intercapedine discretos fuisse. *Morinos*, nempe, ad *Oceanum Gallicum*, eos qui nunc *Tervanenses* dicuntur: *Menapios* verò ad *Rhenum*, qui nunc *Gelri*, & *Clivenses* vocantur. Ut etiam *Glareanus*, ubi videret eos conjungi à *Cæsare*, mendosam putaret esse lectionem. Ejus verba sunt in fine scholiorum ad III. lib. comment. *Cæsaris*. *Morinos*, inquit, & *Menapios* *Cæsar* hoc loco conjunxit, quasi vicini sint hi populi. Rursus lib. sequenti ubi iturus in *Britanniam*, *Q. Titurium*, & *L. Arunculeum* in *Morinos* ac *Menapios* misit. Ad finem autem ejusdem libri eos ex *Menapiis* venisse dicit, cum ipse *Morinos* domuerit per *T. Labienum* illuc missum. Verisimile est, aut latum habuisse Imperium, vel *Morinos*, vel *Menapios*, aut hic inepte librariorum errore conjunctos, vel alium quempiam populum alterius loco suppositum, quod equidem lectori disentiendum relinquo. Hæc *Glareanus*. Miror sanè quòd in veterum *Historicorum* lectione versatissimus, non animadvertit, *Menapios*, *Morinosque*; si de iis

mentio fiat, ubi libet conjungi. Præter *Cæsarem* enim, & *Dion Cassius* libro *Romanæ Historiæ* XXXIX. Ipse, inquit, de *Cæsare* locutus, in *Morinos*, eorumque finitimos *Menapios*, arma convertit, & *Strabo* lib. IV. *Τῆς μεναπίου δ' εἰς οὐρεῖς ἐπὶ τῆς θαλάττης μέγαναι*. *Tacitus* quoque lib. XX. Et alia, inquit, manu *Mosam* attempto transire jubet, ut *Menapios* & *Morinos* & extrema *Galliarum* quæserent. Et *Plinius*. *A Scaldis*, inquit, incolunt externi *Taxandri* pluribus nominibus, dein *Menapii*, *Morini*, *Oromansaci* juncti pago qui *Gessoriacum* vocatur: hæc illi de *Morinis*, *Menapiisque*. Ex quibus, in *Cæsare* hoc loco nihil mendii inesse liquet. Erant autem utrorumque fines proculdubio latissimi, at non instar reliquæ *Belgiæ* culti. *Menapii* siquidem ab *ulteriori* *Rheni* ripa, qua *Sicambri* finitimi erant, usque ad *Oceanum Gallicum*, qua *Scaldis* obliquis meatibus infunditur, habitabant, in quo tractu nunc *Gelria* pars, *Brabantia* quicquid ultra *Timeram*, seu *Demerim* fluvium est, & nonnihil ex *Flandria* trans *Scaldim*, comprehenduntur. Quod utramque *Rheni* ripam accoluerint haud procul *Oceano*, testis *Cæsari* initio lib. IV. *Ea*, inquit, qua secuta est hyeme, *Cn. Pompejo*, & *M. Crasso* *Coss. Usperes Germani*, & item *Tencleri* magna cum multitudinis hominum *Rhenum* transierunt, non longe à mari, quo *Rhenus* influit. Et post pauca de *Menapiis* locutus: *Hi*, inquit, ad utramque fluminis ripam adificia, vicosque habebant. & *Strabo* lib. IV. novissimos ea in parte *Galliarum* facit *Menapios*: *πλεονεξοῦντες ἡμεῖς ἀπὸ τῶν ἐκβαλῶν, ἐφ' ἡκίμας τῆς περὶ*. Quæ tamen supra ex *Tacito*, hoc eodem capite allegavimus, ostendunt, quòd ejus ætate *Gismosani* fuerint *Menapii*, ubi etiam *Ptolemæo* collocantur, qui eis *Castellum* oppidum post *Mosam* attribuit, cuius *Atamianus* *Marcellus* meminit à *Francis* occupati, & à *Juliano* *Cæsare* longa obsidione recepti. *Suesses* id esse contendunt, exiguum nunc ad *Mosam* oppidum. Posteriori seculo, cum *Franci* rerum in *Gallia* potirentur, *Menapiscum* pagum inter interioris *Germaniæ* *Regiones* celebratus, qui ab *ulteriori* *Scaldis* ripa, ad *Morinorum* fines, ubi nova fossa *Flandros* à *Teravenisibus* tueri solet, extendebatur: testantur id *Cœnobiorum Gandensium* archiva, leges item *Caroli Magni* ab *Ansegiso* *Monacho* collectæ, ejus pagi meminere, procul dubio à *Menapiis* ita dicti. Quod enim *Menapii* olim inter *Scaldim*, ac *Mosam* possederant, *Taxandri* tum habitabant. Circa *Menapios* igitur variz mutationes contigere. Primum vivo *Cæsare* è trans *Rhenanis* passis, ab *Usperibus*, & *Tencleris*, hinc sub *Augusto* cis *Mosam* reducuntur, trans *Mosanis* eorum sedibus *Sicambrorum* genti assignantur, postremò planè trans *Scaldim* à *Taxandris* submovi. *Morinorum* sedes non admodum mutata, nisi quod versus *Scaldim* magis protensus fuisse, credatur: Multos enim pagos habebant teste *Cæsare*, non quidem vicos (ut nunc pagi nomen accipiunt) sed *Regiones*, in qua significatione, *Cæsari* vocabulum hoc familiare est. Nominis autem *Morinorum* originem à paludibus esse non dubito: quas *Mouren* appellant etiamnum. *Tervana* eorum *Metropolis*, *Ptolemæo* cognita, nostro tempore sub *Carolo V.* funditus diruta. Meminit *Itinerarium* in eo tractu, *Viroviaci*, *Castelli* & *Minariaci*, quorum prius nomen servat. *Castellum*, *Cassel*. *Minariacum*, minorem villam esse volunt. *Libet* *Provinciarum* cuius supra cap. II. meminimus: *Civitatem* *Morinorum* *Ponticum* vocat. *Antoninus* verò, aut quis alius, in itinere à *Durocotoro*,

toro, Gessoriacum, Pontes habet: ut ibidem allegatum. Constat autem bonam *Morinorum partem* postea *le Pontieu* appellatam, *Comitatus nomine*, ante aliquot secula insignem, cujus caput est *Abbevilla* oppidum. Porro utraque gens, & Morini, & Menapii difficillimè à Cæsare devinci potuere; non enim contenti Belgico bello Romanis adversa sensisse victis, subactisque Belgis, in Celtarum conjurationem nomina dederunt. Veneti, Osiuni, Lexobii, Nannetes, Ambliates, Diabolita, atque in universum omnes Armorici defecerant. His se soli ex Belgis, Morini, Menapiique junxere, inaccessis paludibus, sylvisque inuis nihil à Cæsare magnopere metuentes. Adeoque nec D. Bruti de Venetis navalis, nec Q. Titurii de Unellis, Lexobiiis Eburonicibusque terrestri victoria, eorum animos fregit; ut etiam Cæsari cum victore exercitu adveniendi se opponerent, naturali Regionis; quam incolabant, munimine freti. Et Cæsar sylvas cedere aggressus, difficultate rei perpensa, & hycimis supervenientis necessitate compulsus, ablitit, non mediocre detrimentum ea expeditione perpeffus. Gestum mox à Cæsare in Usipetes ac Tenchteros bellum, quos in ipsa Menapiorum Regione, haud procul Rheni ac Mosæ confluenta superavit, dein Rheno ponte juncto, cum arma Germanis, tantum ex ipso limite ostendisset, Britannos adortus est. Quo tempore à T. Labieno Morini, per extremam ejus ætatis siccitatem nullo à paludibus præsidio, in potestatem redacti. Vastati à Q. Titurio Menapiorum agri, gente ipsa in sylvas abdita. Bello Eburonico, cum Eburonibus deleris, Ambiorigem ad se fugientem Menapii recepissent, Cæsar eos adiit, jurejurandoque adegit, Ambiorigem deinceps in finibus suis non passuros. Morinos dein perpetuo iteratæ rebellionis odio, Atrebatium hostium quondam internecivorum jugo subiecit, Imperante Augusto C. Carinas Morinos domuit, teste Dione Cassio, Bello Batavico, quod sub Vespasiano gestum est, Cl. Civilis Batavus, Morinos Menapiosque immisso Batavorum exercitu afflixit, Auctor Tacitus. D. quoque Hieronymus Morinorum meminit à Vandalis, aliisque Barbaris nationibus devastatorum in epistola ad Geruntiam. Libro Provinciarum Menapii inter pedites locantur. Utrorumque nomen usque ad annum 882, duravit, in cuius anni rebus geltis Sigibertus Gemblacensis, Normanni, inquit, *adjunctis sibi Danis, Franciam, & Lotharingiam pervagantes, Ambianos, Atrebatias, Corbetiam, Camaracum, Tarvennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbantensium omnemq; circa Scaldim terram, Monasteria Sanctorum Valerici & Richarii, ferro & igni devastant.* Porro Morini, imperante Diocletiano, Christum edocti fuerant per Victorium & Fulcianum. Menapiis verò Amandus Tongrorum Episcopus; circa annum 633, sacra nostra indidit, cœnobiumque in monte Blandino pagi Menapisci castello condidit, quod nunc S. Petri Gandensis est.

XV.

DE TAXANDRIS.

Plinius inter Belgas Taxandros habet Scaldis accolæ. *A. Scaldi, inquit, incolunt exteri Taxandri pluribus nominibus.* Quod externos dicit, difficultate non caret, cum ægrè deprehendi queat, quænam Plinio exterior, aut citerior Scaldis ripa fuerit. Communis tamen opinio, *Brabantia eam partem tenuisse, quæ nunc Campania dicitur, quamque Menapii multo ante incoluerant, ut supra dictum.* Extant enim ejus

nominis præclara monumenta, vicus nomine *Tessenderloo* Brabantia contiguus. Præterea Otto Imperator Gandensibus Monachis vicos *NordWic & Stegent* donavit, in pago Tessandria sitos, anno 974. Sunt Herendalensi oppido vicini, haud remoti à vico *Tessenderloo*. Taxandrorum sanè ea fuit feritas, ut Germanorum inferiorum postremi, indomita colla Christi jugo subderent, idque partim D. Lamberti concionibus mitigati, partim Pipini Harstalli vires metuentes, accidit id circa annum 714. Porro quoniam Taxandrorum nomen, postea in Campanos mutatum, id prætereundum non est, Campaniæ nomen recens Belgis non esse, quoniam ex Primoribus Tungrorum unus, Tacito lib. XX. Campanus vocatur. Quid verò *Rempen* ex quo Campanum Romanus inflectit, Belgis significarit, incompertum. Ammianus Taxandriæ meminit, loci à Francis occupati, & à Juliano Cæsare recuperati, & Taxandri oppidi, *Taxandriam sanè apparet, ex ejus descriptione, si non trans Mosam, saltem in ripa Mosæ fuisse,* cum enim Julianus Lutetia Tungros venisset, Saliorum Francorum, qui Taxandriam tenebant, Legatio accessit, Taxandrum Hubertus Thomas, Vegetatum in ulteriori Mosæ ripa, quod nunc Weset dicitur esse, autumat, illic pontem antiquitus fuisse, qui Henrici IV. Imperatoris vitam scribere, tradunt, ad quem Henricus Dux Lotharingia Henricum V. Patri Imperium eiipere parantem, devicit, is idem est, cum eo, quem Tacitus scribit à Cl. Labeone Batavo occupatum, ut Cl. Civilem averteret. *Fretus, inquit, loco quia pontem Mosæ fluminis anteciperat.* Pons hic jamdudum vetustate collapsus est. Ego puto Taxandrum Cismosanum fuisse, & nunc *Tessenderloo* dici.

XVI.

DE AMBIVARITIS.

Cum Usipetes Tenchterique Transrhenanis Menapiis pulsus, Cisrhenanorum domicilia occupassent, tradit Cæsar lib. IV. uno eodemque tempore, & Eburonum terras eos depopulatos, & partem equitatus trans Nosam, frumentatum in Ambivaritos misisse. Confederant tum inter Mosam ac Rhenum, tam Cæsar, quam Germani. *Ambivariti* igitur, qui tum Cæsari Transmosani, Cismosani nobis erunt, & non procul à Rheni ac Mosæ confluenta abfuisse, reor, ad eundem enim tum Germani caltra habuere. Unde conjicias eos tractum illum incoluisse, in quo nunc Boscum, Gravia, Breda, & Bergæ sunt oppida ditionis Brabantia, & fortè etiam Antvepiam, quam non absurda fuerit conjectura ex nomine Ambivarorum in *Amptuarpen* aut *Amptuarpien* detorto, ita appellatam: cum utique constet Antverpos vocabulum pluralis numeri, olim populum verius, quam oppidum significasse, quod testatur Audcenus Historicus in vita D. Eligii *Mulum, inquit, in Flandris laboravit, jugi instantia in Antverpis pugnavit.* floruit hic ante annos 900, antiquissima autem est *Antverporum gens*, & ante annos mille & centum Francorum Chronographis cognita, & ab Eligio Religione Christiana imbuta.

XVII.

DE BETHASIIS.

Bethasios inter Cismosanos ponit Tacitus, finitimos Tungris, Nervisque. Verba ejus sunt lib. 21. Civilis, inquit, societate Agrippinensium auctus proximas civitates affectare, aut adversantibus bellum inferre statuit, occupatisque Sunicis, & juventute eorum

rum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret. Cl. Labeo Bethasiorum Tungrorumque, & Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia Mosæ fluminis pontem anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue donec Germani tranantes terga Labconis invaserunt. Simulque Civilis, ausus, an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, & clara voce: non ideo, inquit, bellum sumplimus, ut Batavi & Treviri gentibus imperent, procul hæc à nobis arrogantia, accipite societatem, transgredior ad vos, seu me Duce, seu militem mavultis. Movebatur vulgus, condebantque gladios, cum Cimpatus, & Juvenalis ex primoribus Tungrorum universam ei gentem deditere. Labeo antequam circumveniretur aufugit. Civilis Bethasios quoque, & Nervios in fidem acceptos copiis suis adjunxit. Hæc ille. Meminit & Plinius Bethasiorum, quanquam non libenter ad conjecturas venio: admonendum tamen duxi, vicum esse haud procul Halis Brabantia oppido, incolis quondam frequentem, nomine *Beets*: qui an Bethasiorum nomen referat, ut asseverare nolim: ita indubitatum habeo, Bethasios illic habitasse. Sane quod Bechasios scribendum dicat Hubertus Thomas, argumento propinodum ridiculo inductus, quod nonnulla illic vicorum nomina, in *Beke* exeant, ut *Dispenbeke*, *Sconbeke*, non placet: eadem enim ratione, omnia inferiorem Germaniam Bechasios nuncupes, cujus vicorum per magna pars in *Beke* terminetur.

XVIII.

DE RHENI INSVLIS.

Rheni insulas Plinius describit lib. IV. cap. 15, in hæc verba. In Rheno, inquit, ipso prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batavorum insula, & Caninevatum, & alia Caucherum, Frisibonium, Frisiorum, Sturiorum, Marsacorum: quæ sternuntur inter Helium, & Flevum, ita appellantur ostia in quæ effusus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alveum. Hæc Plinius. Batavorum, & Caninevatum plenæ sunt omnes Romanorum Historiæ. Marsacorum & Tacitus meminit. Frisii, Cauchique proculdubio, ut Germanorum Batavis proximi, parte insulæ occupata, fortè illic habitacula fixerant. Frisii sanè aliquando omnem Bataviam armis obtinere. De Frisibonibus, & Sturiis nihil extra nomina compertum.

XIX.

DE BATAVIS.

Inter Belgarum, ac inferioris Germaniæ populos, nulli magis Batavis à Romanis celebrantur. Decorum origine Tacitus lib. XX. *Batavi*, inquit, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsæ, extrema Gallia ora vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupare, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus à vasis tergum ac latera circumluit. Idem lib. de Germanorum moribus. *Batavi*, inquit, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis incolunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Imperii Romani fierent. De iisdem & Cæsar lib. IV. *Mosa*, inquit, parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur *Vahalis*, insulam efficit Batavorum. Nominantur Batavorum oppida à Prolemzo Batavodurum, Lugodunum caput Germaniarum, Vetera & Legio trige-

sima Ulpia. Tacitus Batavoduri meminit, & *Vada*, Geldubæ, Grinnium, Arenaci, & Veterum, quæ in ipso Bataviæ aditu fuisse apparet, Romanorum castris insignem locum. Ammianus Tricesima, ex quo nonnulli Utricesium fabricarunt, in Antonini Itinerario Trajectum, Caltra Ulpia, Colonia Trojana, Calo, Burtinacum, Caruo, Arenacum, Albiani, & Manarium leguntur. Ex his Batavodurum omnes Dorestatum, *Lugodunum* *Leiden*, *Vadam*, *Wageningen*, *Geldubam*, *Belte*, *Grinnes*, *Nenen*, *Arenacum*, *Arnheim* esse putant. Batavorum sanè genti omnes Romanorum Historici summam laudem attribuunt. Præ cæteris non piguit Tacitum integras, de Batavorum in Romanos bellis. Historias contexere. Dion Auctor est, stipatores corporis ex Batavis Augusto lectos, quod equitandi arte pollerent, lib. Histo. 55. Quo nomine etiam à Plutarcho in Ottonis vita commendantur. Tiberio imperante, Germanicus Variam cladem in Cheruscos ulturus, Batavorum Virtute Visurgim aperuit, ubi Cariovalda Dux Batavorum interit. *Apud Suetonium* in Caligula cap. XLIV. *mendosa est lectio*. Nihil autem amplius, quam Admimocino Bellini Batavorum Regis filio, qui pulsus à Patre cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto, quasi universa tradita insula, magnificas Romam literas misit: Legendum enim Britannorum. Arbitror autem typographum, aut correctorem, hoc deceptum fuisse, quod supra Suetonius scripserat, Caligulam pro supplendo numero Batavorum, hanc expeditionem iniisse. Paulus Orosius legit, Minocinobellino Britannorum Regis filio. Frobeniana exemplaria in Suetonio habent, Adminio Cynobellini Britannorum Regis filio. Ad institutum revertamur. Post mortem Neronis, cum Imperium Romanum in Galliam, Ottonem ac Vitellium scinderetur, Batavi in Italia contra Ottonem pro Vitellio sæpenumero fortiter pugnarunt. Mox Ottone cæso, cum Vespasianus Vitellio exortus esset adversarius, Cl. Civilis Batavus primùm prætexta Vespasiani amicitia, à Vitellio defecit. At Vitellio Romæ à Vespasiani Ducibus necato, omni Batavia jugum Romanorum excussit, nec hoc contentus, vicinos omnes tam Germanos, quam Gallos eodem convolvit bello. Id bellum à Tacito luculentè describitur. Posterior tamen ejus Historiæ pars, quæ exitum continet, magno Batavorum damno perit. Constat nihilominus, Batavos rursus in potestatem Romanorum venisse. Sub Tito enim (ut Tacitus in vita Agricolæ recenset) sola eorum, Tungrorumque Virtute Romanus Britannos debellavit. Sub Adriano Batavus equitatus licet armorum pondere gravis, cum Danubium tranisset, Sarmatas hoc miraculo perterrefactos, Adriano obsequentes fecit, Auctor ex Dione, Xiphilinus. Utque paucis rem finiam, Romani Batavos tanti fecere, ut amicos ac fratres Romani Imperii dici paterentur. Tradit Gerardus Noviomagus, sua ætate eruta apud Leidam in armora cum hac inscriptione: IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS SEVERUS. AUG. ET. M. ANTONINUS. CÆS. GON. VOL. ARMAMENTARIUM. VETUSTATE. CONLAPSUM. RESTITUERUNT. SUB. VAL. PUDENTE. LEG. AUG. PR. PR. CURANTE. CÆCIL. BATO. PRÆ. GENS. BATAVORUM. AMICI. ET. FRATRES. ROMANI. IMPERII.

Cæterum circa annum 270. cum triginta tyrannorum Imperio Romanus orbis confunderetur, *Bataviam Franci occuparunt. Hos inde Constantius Chlorus Imp. deturbavit*, ut Nazarius & Mamertinus produnt. Juliano Cæsari (cui id seculum Apollata postea nomen dedit) *memorabilis illo Argentoratensi prelio*, Batavi multum profuere, de iis Ammianus lib. XVI. *Batavi*, inquit, *venere cum Regibus formidabilis manus*. Novissimè inclinante Romano Imperio *Batavos male defensos, Vultæ qui & Wiltz seu Velatibi subjugarunt, ab iis condita Vultaburgus seu Wultdrecht, vel cum antea Drecht vocaretur, Wultdrecht* ab iis nomen accepit. Drecht enim lingua Gallica, ut Beda & Sigebertus tradunt, oppidum significat, quod Latini in Trajecti nomen mutant. Trajecti autem mentionem facit Itinerarium Antonini. Aliqui, & in his Lamb. Hortensius, putant Utricesium Ammiano Marcellino initio libri XVIII. celebrari, ubi scribit: *Civitates occupatae sunt septem, castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimæ, Novesio, Bonna, Antennacum, & Bingio, audentq; Utricesium, pro Tricesimis supponere, nescio quam bene*. Opinor Tricesimæ scribi debere, quod Ptolemæo Legio Tricesima Ulpia dicitur, quo nihilominus an Ultrajectum designetur, nolim contendere. Lamberto Hortensio Antoninam hanc aliquando vocatam fuisse videtur. Sed ut ad Bataviam revertamur. *Frisi tandem pulsi Vultis, eam sui juris fecerunt, Batavis in citeriorem insula partem, quæ Pahalim, ac Mosam interiacet, contrusis*. Huic ab aliis Bataviæ nomen permansit, vernaculè de Wetuwe. *Postremò Franci, Frisia in potestatem redactis, circa annum 734. Bataviam Regno suo adjecerunt. Priscum tamen nomen exuta Frisia deinceps appellari maluit, Hollandiæ postea appellationem, addito Comitatus titulo, consecuta*. Sunt qui ab *Arboricis, quasi Holsland* hujus Regionis nomen deducunt. Arboricorum verò nomen apud Procopium inveniri putant lib. I. de bello Gothorum. Ubi scribat: *Arboricos Franci finitimos, at Romanorum stipendiarios, tandem cum Francis societatem inisse, ac unà cum ipsis Gallias invasisse*. Abodritos illic legere malim, quos constat semper Francis confederatos fuisse, & pro iis contra vicinos Saxones Danosq; bella gessisse, quæ de re Annonius in rebus Francorum lib. IV. cap. 86. *Nam*, inquit, *Abodriti auxiliares Francorum semper fuere, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt*. Hæc Annonius. Plura de Abodritis Eginartus aliique Francorum Chronographi.

XX.

DE CANINEVATIBVS ET MARSACIS.

Hi cum Batavis insulam Rheni habitabant, finitimi Belgis, de *Caninevatibus*, Tacitus: *Ea gens*, inquit, *partem insula colit, origine, lingua, virtute, partes Batavis, numero superantur*. *Marsacos* etiam insulam coluisse, Plinius, Tacitus, *Caninevatibus propinquos* tradit. Quare *Caninevates*, nullo modo ii esse possunt, qui nunc *Renneemerlanders* ab Hollandis vocantur, cum hi ultimi penè *Hollandorum ad Frisiam sint*, nimirum fluvium qui *Kinsem* vernaculè vocatur, & *Alcmariam* alluit accolentes. *Caninevates* verò citeriores Batavis fuisse, ex Tacito manifesto convincantur, cum scribit *Cl. Labeonem, metu Civilis, nihil apud Batavos ausum, tumultuario Nerviorum exercitu Caninevates, ac Marsacos infestasse*. Sanè si posteriores Batavis fuissent *Caninevates*, qui crederet hominem nihil

apud *Batavos ausum, ulteriora petiisse? aut terrestrem Nerviorum exercitum, per medium Batavorum, Caninevatibus invexisse? Et Marsacos cum insulani sint temerè Hubertus Thomas, in Marsacos vertit, ut Marsacense Mosæ oppidum eo vocabulo designaret.*

XXI.

DE ARENACO, GRINNIBUS, BATAVODURO, ET VADA.

Grinnium vocabulum, *Groninga* nomen dedisse, quod Frisii vernaculè *Grönnigen* dicunt, *videri poterat, nisi locorum intercapedo obstaret*. *Arenacum, Grinnes, Batavodurum, & Vada non oppida, sed modicæ villæ (modò sana sit lectio) à Tacito vocantur. Tantum, inquit, belli super fuit, ut præsidia cohortium alarum, Legionum, modicis villis quadripartita invaserint. Decima legionis Arenaci, Secunda Batavoduri, Grinnes, Vadamq; cohortium alarumq; castra. Et Arenacum quoniam ab omnibus Arnheim/ Batavodurū Dürsteden/ Vada Wageningen esse putantur: quæ inter se non ita magno spatio distita sunt, crediderim Grinnes hisce proximam, aliquem vicum fuisse, ac præ cæteris viciniorem Vadæ. Vadam enim, cum Grinnibus unica oppugnatione, simulque adgredebantur Civilis, Tutorq; & Classicus. Verba Taciti sunt: Plus, inquit, discriminis apud Grinnes, Vadamq; Vadam Civilis, Grinnes Classicus oppugnabant, nec sibi poterant, interfecto fortissimo quoq; in quibus Brigantius Præfectus ala ceciderat, quæ fidem Romanis, & Civili avunculo infensum diximus. Sed ubi Carialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna, præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus, petitusq; felix, relicto equo, transnaravit, idem Germanis effugium. Tutorem Classicumq; appulsa lintres vexere. Gerardus Noviomagus Rinnes legendum arbitratur, aut Renos, ut Xenen oppidum Ultrajectino Præfuli parens designetur. Ex Taciti verbis colligas, inter Vadam Grinnesque nullam penè distantiam fuisse, aut enim in eadem ripa erant, aut dirimente flumine invicem opposita.*

XXII.

DE GELDUBA, ET GUGERNIS.

De Gelduba Gerardus Noviomagus. *Gelduba*, inquit, *olim Rheno imminens, Geltra nomen dedit*. Ex Tacito sanè colligi nequit Geldubam in Rheno fuisse. Novesium propinquam constat, itaque nihil repugnat, ut Geltram oppidum, ita olim appellatum credatur, nisi Glareano accedere, mavis, qui *Blatpach seu Blabbecke Nussia vicinum oppidum, Gelduba significari*, ait, in scholiis libri VI. *Commentariorum Cæsaris. Gelduba propinquus erant Gugerni, de his Tacitus. Aditus, inquit, Vocula, in partem curarum, Herennius Gallus Legatus, nec ausi ad hostem pergere, loco cui Gelduba nomen est, castra fecere. Ibi struenda acie, & muniendo, vallandoque, ac cæteris belli medietatis militem firmabant. Utq; præda ad Virtutem incenderentur, in proximos Gugernorum pagos; qui Civilis societatem acceperant; ductus à Vocula exercitus, hæc ille lib. XX. Hub. Thomas, & Gerardus Noviomagus, *Juliacenses*, qui vernaculè *Gulchern* dicuntur, his notari asserunt. Juliaci sanè Ammianus Marcellinus meminisse videtur lib. XV. quod nunc *Gulch* vocant.*

XXIII.

DE VBIIS.

Vbi ætate Cæsaris ulteriorem Rheni ripam obtinebant, at continuis Suevorum, Usiperum, Tenætorumque infestationibus exagitati, cis Rhenum mi-

grarunt imperante Augusto. Transgressos Agrippa in fidem recepit, inque ea Regione, quam Eburones dudum possederant, collocavit. Agrippina neptis Agrippæ, mater Neronis, colonia eo deducta, oppido eorum Colonia Agrippinensi nomen dedit. Suspecti dein, Germanis adæque & Gallis, quasi assectatis origine ac nomine Romanis. Bello Batavico sub Vespasiano, à Julio Tutore Treviro armis subacti, compulsiq; Romanam ejurare amicitiam, discrimen adire, Treviris Transrhenanisq; deleri inauspicati nominis oppidum annexis: Cl. Civilis, ne id fieret obstitit. Itaq; recepti in fœdus, haud ita multo post, Petilio Cæriali deditionem fecerunt. Memorantur & alia Ubiorum loca Tacito: *Tolbiacum*, quod nostro tempore *Zuspich* vocant: *Bonna* Romanorum clade nobilis, & *Marcodurum* vicus, procul à ripa Rheni, quod nunc *Duren* esse volunt: *Novesium* quoque, vulgò *Muis*.

XXIV.

DE ASCHIBURGIO.

Tacitus libro de Germanorum moribus. *Cæserum*, inquit, & *Ulxem* quidam opinantur longò illo ac fabuloso errore, in hunc Oceanum delatum, adisse Germania terram, *Aschiburgium*q; quod in ripa Rheni situm hodie incolitur, ab illo consuetum, nominatumq; à *Suviprov*. Hæc ille. Apparet autem ex Taciti verbis libro XX. *Aschiburgium* Cisthenanum fuisse oppidum, non ita procul *Novesio*, ubi Julius Maximus, ac Cl. Victor Batavi, jussu Civilis, Voculam Ducem cohortium Romanarum oppugnantes, novo Vasconum adventu victoriam alioqui certam amisere. Arbitrabantur enim omnem Romanorum exercitum. *Novesio* adesse. *Novesium* igitur non procul aberat.

XXV.

DE Sunicis.

Sunici Tacito *Transmosani*, & *Agrippinensibus* confines. Eisdem Plinius habet, illic enim *Sunici* pro *Runici*. Beatus *Rhenanus* restituit. Quis oppidum ad *Rhanum* infra *Coloniam*, idem nomen servat. *Hubertus Thomas* utrobique & apud Tacitum, & apud Plinium *Runicos* legit, ut *Regio inter Hollandiam, Frisiamq; sita* designatur *Rundeland*. *Rhenano* accedere malim, cujus opinionem Taciti verba confirmant. Civilis, inquit, *Societas Agrippinensium auxilium, proxima civitates affellare, aut adversantibus bellum inferre stavit, occupatisq; Sunicis, & juvenibus eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Cl. Labeo Beshasorum, Tungrorumque, & Nerviarum invulvarie manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosa fluminis anteceperat*. Ex quibus manifestum, quod propinqui *Agrippinæ* fuerint.

XXVI.

DE LEVCIS, ET CLABIS.

Leucorum gentem juxta *Treviros*, *Mediomatricos*, ac *Lingonas* habitasse indubiatum. *Oppida* eorum *Tullus*, ac *Nasium* *Ptolemæo* celebrata, nomen servant: *Toul* & *Nausy*. Vernaculè crediderim appellatos, *Delugen*: & latè imperasse, ut ab *ius Lutzeburgi* celebris oppidi nomen ortum sit, quali *der Eusenborch*. Propinquos *Leucis* (*Labos*, eorumque oppidum *Virdunum* mediæ ætatis *Chronographi* faciunt, cujus etiam liber *Provinciarum* meminit. Verùm quinam hi *Clabi* fuerint, aut unde venerint, nemo pradii. Frequens autem est Romanorum Scriptoribus *Chabionum* nomen, mendosum fortassis ac pro *Clabis* suppositum, quorum fortè reliquias

à se devictas *Diocletianus*, in *Galliam* traduxerit, ac proximè *Leucos* collocarit. De *Treviris*, *Mediomatricibus*, cæterisque ad *Rheni* fontes tendentibus populis *Belgarum*, satis superque à *Germanicarum* Antiquitatum Scriptoribus, laboratum; itaque nihil hic de rebus eorum repetere visum, ad *flumina* *Belgarum* stylum convertam.

XXVII.

DE RHENO.

De *Rheni* fontibus, catarractisque, abundè à recentioribus *Germanis* tractatum, de ostiis non item. Nonnulli, ut *Mosam* influere dicatur, non tolerant. Et scientiarum censor *Henricus Cornelius Agrippa*, *Plinium* carpere non veretur. Sic & *Plinius*, inquit, *Mosam fluvium in Oceanum properare tradit, cum se non Oceano sed Rheno immergat*. Et *Glareanus* scholio IV. lib. *Comm. Cæsaris* scribit, partem *Rheni*, qua *Mosam* excipit, *Vahalem* dici. *Rheni* sanè plura constat fuisse olim, ac esse etiamnum ostia, horum unum, *Vahalis*, testibus Romanis etiam omnibus, qui de *Rheno* scripsere, *Mosa* infunditur. Quæ de re *Cæsar*: *Mosa*, inquit, parte quadam *Rheni* recepta, qua appellatur *Walis*, insulam efficit *Batavorum*. Et *Tacitus* lib. XI. *Nam Rhenus*, inquit, uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri *Batavi*, velut in duos amnes dividitur; servatque vim, & violentiam cursus, qua *Germaniam* prætervehitur, donec *Oceano* miscetur, ad *Galicam* ripam latior, & placidior affluens, verso cognomento (*Vahalem* accolæ dicunt) moxque id quoque vocabulum mutat *Mosa* flumine, ejusque immenso ore eundem in *Oceanum* effunditur. Et *Plinius* lib. IV. cap. 15. *In Rheno autem*, inquit, ipso prope 100000. passuum in longitudinem nobilissima *Batavorum* insula, & *Caninesatum*, & alia *Frisiorum*, (*Cauchorum*, *Frisabonum*, *Sturiorum*, *Marsacorum*, qua sternuntur inter *Helium* & *Flavum*, ita appellantur ostia, in qua effusus *Rhenus*, ab *Septentrione* in lacus, ab *Occidente* in amnem *Mosam* se spargit, medio inter hæc ore, modicum nominis suo custodiens alveum. Hæc illi de ostiis *Rheni* ejusque in *Mosam* influu. Et quis ignorat *Mosam* usq; ad ipsum *Oceanum*, nomen servare, ut etiam vicina *Hollandiæ* pars, inde *Watesland* appelletur? Arbitrantur medium illud *Rheni* os, haud procul *Leida*, quæ veteribus *Lugdunum* erat, caput *Germaniarum* fuisse; atque illic ante aliquot annos visa in ipso *Oceano* vetulæ arcis *Catwici* vestigia; nimirum primæ *Cattorum* mitionis, qua à *Rheni* ingressu vicinos arcebant. *Helium* autem occidentale ostium, id esse putarim, quo *Vahalis* *Mosam* influit. *Flavum* vero, mi fallor, septentrionale, quod nunc *Vechtam* dicunt. *Vechta* ab *Utrajecto*, *Mudam* usque excurrit, atque illic in australe mare, vulgò de *Zundersée* redditur, quod olim mare non erat, sed lacus ingens, inde est quod *Plinius* *Rhenum* à *Septentrione* in lacus effundi scribit. Porro haud procul hoc ostio, *Flavum castellum* fuisse credo, cujus *Tacitus* lib. I V. meminit, cohibendis à *rebellione* *Frisiis*, per *Romanos* adificatum. *Frisorum* vernaculæ leges, *Flavi* meminisse videntur, in iis enim ita scriptum reperitur. *Diocetioende test is / dat fresen thoren neen heerferd so- ra fara / dan aester toe da wesere / ende westere toe dae fte*: ex quibus colligitur *Frisios* ad *Occidentem* *Flavo*, ad *Orientem* *Visera* seu *Visergi*,

terminatio. Est & quartus Rheni alveus Lecca dictus, qui à Batavoduro seu Dorestato, ex ipso Rheño derivatus, per Vianam Sconhoviamque Mosam inter Dordracum & Roterodamum illiit. Tantum de Rheño.

XXVIII.

DE MOSA.

Mosam Vosagus mons emittit, inter Hollandiam, ac Selandiam Oceano infunditur. Latissimum autem est hoc Mosæ ostium, trium nempe maximorum Belgicæ fluminum gurges, Mosæ, Vahalís, ac Scaldis: nam & hujus pars Mosæ excipitur. Quod autem *Mosam potius, quam Masam Cæsar appellat,* non aliam puto fuisse causam, quam quod cum accola, ut nunc dicitur *Woëß nuncuparint,* hoc enim commune populis à Lovanio in Mosam vergentibus ut oeprounciant, ubi nos æ. Woer/ pro waer/ doer pro daer/ Joe pro Jue/ Woës pro Woëß. Pontis Mosæ supra cap. III. meminimus.

XXIX.

DE SCALDI.

Ptolemæo *Tabuda, vel Tabulla* hic dictus videtur, incertum qua ratione tam diversum, à cæteris Historicis hujus fluminis nomen edente: Non tam ampla ejus est apud Romanos memoria ac Rheni & Mosæ, cum enim in ipso Belgicæ meditullio sit, post Cæsaris tempora rarissime in tractibus ei circumvicinis memoratu aliquid dignum contigit. In Commentariorum belli Gallici lib. VI. circa finem, vetusti codices habent. *Ipsè cum reliquis tribus (Legionibus) ad flumen Scaldim, quod influit in Mosam, extremaque Arduenna partes ire constituit, quò cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat.* Robertus Stephanus, Marlianus, Glareanus, *Sabin pro Scaldim* legunt, quod flumen (modo Sambra sit: ut omnes consentiunt) apud *Namurcæ Mosam ingredi,* ubi olim Aduatici habitabant, *notissimum est,* poterat nihilominus vetusta lectio defendi, cum constet *Scaldim etiamnum per complures Selandiæ insulas diffusum, partim in Oceanum, partim in Mosam labi.* Juxta Scaldim verò ac Mosam Menapii tum habitabant, apud quos verisimilius est Ambiorigem præsidium fugæ quævisse, ut oculatissimi Caji Julii Cæsaris Romanorum Imperatoris vim & arma, quæ non impletantum cum suo maximo malo expertus erat, verum etiam alii senserant, effugeret, quàm in locis Sabin vicinis? Et ne quem moveat quod additur, extremasque Arduennæ partes. Quis enim tam pravi judicii, tam vecors, aut denique tam rerum & Historiarum imperitus, ut nesciat ætate Cæsaris, ad confluentem Sabis & Mosæ non extremas partes Arduennæ fuisse, sed ipsum sylvæ meditullium? Ut enim alios silentio Authores transeam, unde id non obscure colligi potest, etiam ipse Julius Cæsar, & Strabo quorum fides in Historiis maxima est, restantur *totius Gallie maximam fuisse sylvam Arduennam,* à ripis Rheni usque ad Nervios, Eburones, Menapios, Morinos, Atrebatessque protentam, *ut credibile sit, sylvarum quidquid in Brabantia, Gelria, Hasbania, Clivia, Hannonia, Flandria, Hollandiaque visitur, Arduennæ connumeratum fuisse.* Cujus rei Strabo aperitissimus testis, qui libro IV. *ἐμφερές δ' ἐστὶ τῆ τῶν πορῶν, ἢ τε τῶν ἀδρεβατίων, καὶ ἐβουρων, καὶ νερβίων, καὶ μεναπίων,*

Ἰλη, δ' ἐστὶν ἐκ ὑψηλῶν ἐνδρόων, πολλὴ μὲν, ἔ ποικύτη δέ, ὅση οἱ συγγραφεῖς ἐρήνασι, περὶ ἀναγλιῶν παδίων, καλῶσι δ' αὐτῶν ἀρδέναν, hæc Strabo. Quid mirum igitur si C. Julius Cæsar Scaldim Mosam influere dicat, idque etiam ad extremas Arduennæ partes?

XXX.

DE LINGUA BELGARUM, ET VARIIS IN BELGICA MUTATIONIBUS.

Primævi Belgarum idiomatis vestigia extare puto admodum pauca, nam quo Cæsare vivente urebantur, nonnullorum planè Germanicum erat, aliorum ex Gallico & Germanico corruptum, quòd propria nomina, eadem penè ipsis, quæ Germanis commostrant. Et verisimile est, *secundum quod novæ indies Germanorum transmigrationes in Belgicam fiebant, ita etiam Belgarum linguam variare solitam.* Aliam enim Tungri, aliam Cymbrorum Teutonumque proles Aduatici, aliam qui Nervii Trevisisque originem dedere, loquebantur. Constat etiam Romanos mira dexteritate non tantum mores, sed & linguam suam devotè à se provinciæ indere consuevisse. Hinc evenit, ut dum Romani rerum in Belgica poterentur, tertia idiomati Belgico accederet corruptela, ut ex vernacula, Germanica, & Romana misceretur. Verum alii aliis magis vel vernaculè Germanicè, vel Latine sonabant, Nec Franci Romanorum successores, Romanum idioma, adeò radicitus extirpare potuerunt, quin apud nonnullos Belgarum Romana lingua, quam Romani vocant, perseveraret, ita tamen corrupta, ut in Scriptura tantum appareat, quòd omnibus notum est: Hanc loquuntur ex Belgis, qui nunc Gallobrabanti dicuntur, Hasbaniorum, Hannoniorum pars, Flandriæ pars, Namurcenses, Luceburgenses, Arduennates, Atrebatess, & quicunque ultra eos in Franciæ Regnum vergunt. Cæteri verò Belgæ prorsus Germanicè loquuntur, Flandriæ, Hannoniæ, & Brabantiæ pars, Hollandi, Selandi, Gelri, Cliviani, Hasbaniorum pars, Juliacenses iisq; finitimi. Quorum lingua sola pronunciatione à Transrhenana differt, præsertim Transmosanorum.

Queruntur nonnulli de Romanorum Historicorum, circa externorum ac præcipuè Gallorum, Germanorumque res indiligentia. Cæsar, inquiunt, Strabo, Plinius Tacitus alique Historici, qui res gestas scriptis suis polteritati reliquerunt, sicubi vocabulum Belgicum necessario proferendum esset, id ita in linguam Romanam contortum ediderunt, ut vix apicem in eo Belgici idiomatis reliquerint, atque inde evenisse, ut nominum populorum, quæ ipsi produunt, nullas etymologias invenire queamus. Mihi semper contrarium visum fuit. Nam in Celtarum nominibus describendis, quis à Cæsare majorem requirat diligentiam? cum omnes penè ab ipso descripti, adhuc eadem servant nomina. Parisii *Parisis,* Senones *Sens,* Eburonices *Eureux,* Turones *Touraine,* Pictones *Postion,* Sanctones *Sanctioingne,* Limovices *Limosin,* Petrogorii *Pierregori,* Tolosates *Tolosains,* ex Belgis quoque, Atrebatess *Artois,* Ambiani *Amiens,* Succiones *Soissons,* Bellovacii *Beauvois,* Veromandui *Vermandois,* cujus causa est, quòd circa hos raræ, aut nullæ contingerint mutationes. Belgæ verò Rheño propiores, varia semper sorte factasi, nomina sua sæpius mutarunt, & linguas.


Porro si continuas haberemus Romanorum Historias, usque ad inclinationem Romani Imperii, tum demum videre esset, qua cura & diligentia singuli Romanorum Historici suorum temporum res gestas, in literas resulerint; nihil etiam omittentes, quod externos populos concerneret. At nunc quotam Titi Livii, quotam Cornelii Taciti, quotam Ammiani Marcellini, Scriptorum partem non desideramus? Menapiorum igitur & Morinorum, Eburonum, Condulorum, Pæmannorum, Cætesorum, Nerviorum, Grudiorum, Gordunorum, Segnorum, Levacorum, Pleumostorum, Aduaticorum, & Ambivartorum vocabula ex vernaculis Latina Cæsarem fecisse credibile est, nō temere; at servata ut in cæteris supra enumeratis vernaculi idiomatis proprietate, quantum potuit, adeo ut etiam pluralia pluralibus redderet. Vernacula forte nomina hæc erant, aut his non multum absimilia: Menapischen / Mourren / Henburen / vel Eburen / Coendroesen / Peemannem / Ceresen / Nerven / Grudigers / Gordunen / &c. quorum etymologias, curiosius scrutari, non video, quod pertineat, cum nec Cætarum mox edita vocabula nec recentia Regionum, qualia sunt, Brabant / Gelderland / Cleve / Haspengouwe / Namen / Flandern / Walteren / &c. invenire potuerint, qui rectam eorum etymologiam ostenderent. Stultum igitur in iis se torquere, in quibus exactissima etiam diligentia nihil effeceris. Primum enim investigandum foret Menapische, Gallicum, an Germanicum esset vocabulum: si Germanicum, à Catisne an à Suevis, an ab alia aliqua gente derivatum, & sic in cæteris.


Proxima huic, est eorum querela, quos malè habet, apud Cajum Julium Cæsarem, Cornelium Tacitum, Plinium, Ptolemæum, Ammianum Marcellinum aliosq; id genus veteres Scriptores, diversa semper videri Belgarum nomina, nam ubi unus Menapios constituerat, alter Taxandros, alter Sicambros ponit, ubi ille Eburones, hic Ubios, Cugernos & Sunicos, omnia demum ita mutata conspiciuntur, ut diversorum penè populorum Historias scribere existimari possint. Verum hoc omne mutationi temporum, & continuis Transhenanorum in Belgicam migrationibus imputandum est, & eorum invidiz, qui

nobis Livium, Dionem, Plinium de rebus Germanicis, Cornelium Tacitum, Ammianum Marcellinum aliosq; complures suppresserunt. Romanorum autem Historicis usitatum est, in suorum temporum gestis rebus, populos quibus tum appellabantur nominibus appellare, quod nullam difficultatem pareret, si integra ipsorum scripta haberemus. Nostri recentiores, stolidi antiquitatis affectatores, contrarium conantur. Si enim de Gelris sermo sit, Menapium illic, & Sicambrium nomen audies, Leodinos, Eburones, Lovanienses, Grudios, Gandenses, Gordunos, Hollandos, Batavos, Colonenses, Ubios: Suiceros, Helvetios: Burgundos, Sequanos vocant, Latiniùs tam prisca nomina sonare arbitrati, ut puto.

Quis porro credat, Cæsarem si hoc tempore viveret, non ex Eöven Lovanium, Gend Gandam, Eupidich Leodicum, Hasbam Hasbanium, Gelresch Gelrum, &c. facturum? imò, non admiraturum vel maxime, ubi Eburones aliosq; nonnullos à se deletos adhuc superesse videret? Quis verò Clivensium Ducem, quem Jovius ac nonnulli alii Sicambrorum vocant, videndi desiderio flagrans, si Sicambrorum Ducem quærere se dicat, non Galliam omnem, non Germaniam oberraturus sit, incassum quærendo, dum nemo futurus sit, cui Sicambrium nomen vel in somnis obversatum aliquando fuerit? Vide quæso, quas tenebras antiquitatis hi affectatores, Historicis offundant. Proinde Belgicam nunquam majorem mutationem subire contigit, quàm adventu Francorum. Tum enim non modò privatim quæque natio nomen mutavit; verum ipsa Belgica, & inferior Germania, in Austrasiam abiit. Aut sita tum etiam nova nomina singularum Regionum Braehbantum, Hasbanium, Carabantum, Testrebantum, Oltrebantum, Flandrz, Haginonia, Ribuaris, Clivia, Valacrz, &c. quæ Romanis cognita non fuerant. Verum quoniam de Austrasia, Francorumque in cægestis rebus secundum hujus operis librum data opportunitate conscribere decrevimus, primo huic finem imponemus.

F I N I S.





CHRONICON HISTORICUM APUD GERMANOS,

Ubi auspicia, ornamenta, Imperatorum successio & res memorabiles bello & pace & gestæ ab HENRICO IV. Imperatore, breviter referuntur :

Authore Monacho quodam Herveldensi.

Optimo & Doctissimo Viro

D. MARTINO CRUSIO,

Amico suo singulari,

IOH. IACOBUS GRYNÆUS, S. D.



*T*A comparatum est aeterni Numini providentia, humanissime Vir, ut in per investigatione rerum praeclarissimarum, qua in huius vite tē τραγικωκωμωδία sese oculis hominum spectanda offerunt; non tam magnitudo & præstantia rerum, quam earum usus præcipue sit spectandus. Est quidem Historia, testis temporum, lux veritatis; vita memoria, magistra vita, nuncia vetustatis: sed dum demum, cum prælucentis mentis iudicio (quo vera a falsis, honesta a turpibus discernuntur) in rerum maximarum administratione ac totius vite διοίκησι, ad usum prudenter & commodè transfertur, ut non tantum intelligant legentes, quanam fortiter, iuste & juxta officii normam ab aliis dicta factaq; sint, sed etiam Fortitudinem, Justitiam & alias Virtutes imitando, exprimant. Esi autem nobis omnibus, qui Christo Servatori nomina dedimus, lucidissimum innocentia & Virtutum omnigenarum speculum in Jesu Christo crucifixo, propositum est; nihil tamen veiat, quo minus inestimabilis Historia beneficio, selectissima Virtutum exempla, velut è specula quadam sublimi & iuta, intueamur, & ex aliis discamus, sine periculo, nobis quod ex usu sit. Præclare in hanc sententiam disseruit, usibus edoctus & Historia veteris gravissimus interpres Plutarchus, cuius hæc verba sunt in vita Pauli & Emilii: Ἐμοὶ μὲν τῶν βίων ἀψαυθῶ γεγενηῆς, συνέσιθι δι' ἐπέρας, ἐπιμύθειν ἢ καὶ φιλοχρηεῖν ἤδη, & δι' ἑμαυτὸν, ὡς περ, ἐν ἐσπέρῳ τῇ ἰσραὴλ περὶ αὐτῶν, ἀμωσγεπως κοσμεῖν, καὶ ἀφομοῖν πρὸς τὰς σκηνῶν ἀρετὰς τὸν βίον. εἰδὲν γὰρ, ἀλλ' ἢ σιωδαιτησὶ καὶ συμβίωσιν τὸ γινώσκον εἰκοεν. ἔτ' ἀν' ὡς περ, ἐπιξενόμενοι ἐκαστὸν αὐτῶν ἐν μέρει διὰ τῆς ἰσραὴλ ἐσπυδεχόμενοι καὶ παλαμβάτοντες ἀναθεωρῶμεν. ὅσθ' ἔην, οἶός τε, τὰ κυριώτατα & καλύτερα πρὸς γνῶσιν τοῦ τῶν πράξεων λαμβάνοντες. Φεῦ Φεῦ, τί τῶν; χάριμα μείζον ἀπ' ἁλβόις, πρὸς ἐπιπυρθωσι

ἡθῶν ἐνεργότερον. Δημόκρατος μὲν γὰρ εὐχεσθῆς Φησὶ δέειν, ὅπως βολογχοῦν εἰδῶλων τυγχάνωμεν, & ἀστυφυλαὶ ἐπὶ χρυσῶ μάλλον ἡμῶν ἐκ τῆς ἀλλοτρίου, ἢ τὰ φαῦλοι. Καὶ σικαῖα συμφύροται. Λόγος ἔτ' ἀληθῆς, καὶ πρὸς ἀπερσάντες ἐμφέρονται δεῖσι δαιμονίας εἰς φιλοσοφίαν καταβαλλῶν. ἡμεῖς ὅτ' τῇ πάλαι τῶν ἰσραὴλ διὰ τῆς, & τῆς γεγενηῆς τῇ σιωδαιτῆς παρὰ τὸν ἑαυτῶν τὰς τῶν ἀρίστων καὶ δοκιμωτάτων μνήμας ἐσπυδεχόμενος αἰεὶ τὰς ψυχῶν, εἴη φαῦλον, ἢ κακῶδες, ἢ ἀγενεῖς αἰ τῶν σιωδόντων ἐξ ἀνάγκης ἐμιλίαι προσβάλλωσι, ἐκκρίνειν καὶ διαθεῖσθαι, πρὸς τὰ καλύτερα τῶν παρὰ τῶν ἀειματῶν ἴλεω & πρᾶξιαι δ' ἀποσπέρφοντες τῶν ἀθανάτων, Ἀγνοῦσι, opinor, mihi illud Seneca cordi esse. Quod ab aliis bene diditum est, nostrum est. Volui autem Plutarchi verbis, iudicium meum de ratione cum fructu legendi Historias, διὰ βραχέων exponere, in eorum gratiam, qui hosce libros de rebus Germanicis, in unum volumen congestos forte lecturi sunt. Prodest autem extare talia scripta, qua testantur singulari Patris cælestis benedictione & cura, & alias Politias in orbe terrarum, & Germanicæ Imperii ἀξίωμα inter tot rerum exitiales motus, & bella adversus gentes externas, & intestina, servatum esse. Ex hac autem Historia colligere poterit prudens Lector, quibus inclinationem Imperii debeamus, qui auctores dissidiorum & bellorum (vulvium in Germania fuerint, quorum perfidia & scelere res Germana sit labefacta. Eius Author Monachus fuit Herveldensis, qui tempore fortissimi Principis Henrici IV. vixit. Libellum D. Philippus Melanchthon ante quadraginta annos excudi iussit, cum unicum exemplar extaret in Bibliotheca vestra Augustiniana. Eui autem hortator, præstanti viro D. Henrico Petri, ut eum una cum aliis ejus generis libris quasi possimino restitueret, & veteris Historia Germanica cupidus Lectori- bus communicaret. Judico enim luce dignissimum esse, & te oro ut hanc Historiam & χρονολογίαν εἰκοψῶν, veluti nostra amicitia publicum μνημόσμων, boni consulas, donec per gratiam Domini pretiosius aliquod καμήλιον, literarum tibi offerre possimus. Servet te Jesus Christus. Basilea Idib. Augusti.

M. D. LXIX.



Primâ aetas ab Adam usque ad Noe, continens generationes 10. Annos verò 1656. Quæ tota perit diluvis, sicut infantiam mergere solet oblivio.

Secunda à Noe usq; ad Abraham, generationes similiter complexa 10. Anno autem 292. In qua linguarum facta est divisio. A pueritia namque homo incipit loqui posse, post infantiam, quæ & inde nomen accepit, quia fari, id est, loqui potest.

Tertia ab Abraham usque ad David, generationes 14. Annos quoque 942. continens. Et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Marthuzus ab Abraham generationum sumpsit exordium.

Quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationibus æquè juxta Mathzum 14. Annis autem 483. porrecta. De qua Regum tempora cœperunt. Quia dignitas juvenilis Regno est habilis.

Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris in carne, generationibus & ipsa 14. porro annis 588. extenta. In qua ut gravi senectute festamalis crebrioribus plebs Hebræa quaflatur.

Sexta quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita, ipsa totius seculi morte finienda, Secula generationibus constant. Inde dicuntur *secula*, quod se sequantur. Ab euntibus enim aliis, alia succedunt. Quorum decursus per generationes & Regna ita scribitur.

Prima ætas continet creationem mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit Angelos. Secundo, in firmamenti appellatione creavit cælos. Tertio, in discretionis vocabulo speciem aquarum & terræ. Quarto, luminaria cœli. Quinto, animantia ex aqua. Sexto, animantia ex terra, & primum hominem Adam. Adam 130. anno genuit Seth, à quo filii Dei. Seth anno 105. genuit Enos, qui cœpit invocare nomen Domini. Enos anno 90. genuit Cainan. Cainan anno 70. genuit Mahalaleel, qui interpretatur plantatio Domini. Mahalaleel anno 72. genuit Jareth. Jareth anno 162. genuit Enoch. Hunc nonnulla Divina scripsisse, Juda Apollolo testante, comperimus. Enoch anno 65. genuit Mathusalem, post cujus ortum translatus est à Deo. Mathusalem anno 187. genuit Lamech. Gygnætes nati sunt. Et concupierunt filii Dei, id est, Seth, filias hominum, id est, Cain. Lamech anno 182. genuit Noe, qui arcam ædificavit. Noe anno 600. venit diluvis. Fuerunt autem ab Adam usq; ad cataclysmum, id est, diluvis anni 1656.

Secunda ætas continet annos 292. Sem anno 2. post diluvis genuit Arfaxat, à quo Chaldæi. Arfaxat anno 35. genuit Sela, à quo Samaritæ & Indi. Sela anno 30. genuit Heber, à quo Hebræi. Heber anno 14. genuit Falch. Turris ædificabatur. Falch anno 30. genuit Reu. *Dii primum adorantur.* Reu anno 32. genuit Sarah. *Regnum Scytharum inchoat.* Sarah anno 30. genuit Nahor. *Regnum Egyptiorum nascitur.* Nahor anno 39. genuit Thare. *Regnum Assyriorum & Sicyoniorum oritur.* Thare anno 70. genuit Abraham. *Semiramis condidit Babyloniâ, & Zoroastres Magicam reperit.* Fuerunt autem anni ab Adam usq; ad Abraham 1947.

Tertia ætas continet annos 942. Abraham anno 75. propter imperium Dei, venit in terram Chanaan. Abraham anno 86. genuit Ismahel, à quo Ismahelitæ. Abraham anno 100. genuit Isaac. Isaac anno 60. ge-

nuit Jacob. Jacob anno 90. genuit Joseph. *Memphis in Egypto conditur.* Joseph annis 110. vixit. *Græcia segetes habere cœpit.* Hebræorum servitus in Egypto annis 147. & Cecrops Athenas condidit. *Moses annis 40. rexit Israel, sub quo Hebræi literas habere cœperunt.* Josue annis 26. rexit Israel. *Erichonius in Græcia primus junxit quadrigam.* *Judices à Mose usque ad Samuelem præfuerunt annis 305.* Othoniel annis 40. præfuit. *Cahmus Thebanorum Rex græcas literas invenit.* Lothannis 80. præfuit. *Amphion musicum claruit.* Debora annis 40. Primus Latinis regnavit Picus. Et *Apollo Medicina artem invenit.* Gedeon annis 40. Orpheus Linusq; musici claruerunt. Abimelech annis 3. Iste 70. fratres suos occidit. Thola annis 30. *Priamus regnavit in Troja.* Jair annis 22. *Carmenitas Latinas literas reperit.* Jephthe annis 6. Hercules flammis se iniecit. Abessa annis 7. Bellum decennale Trojæ surrexit. Aialon annis 10. Hic in 70. interpretibus non habetur. Labdo annis 8. Capta Troja. *Aeneas venit in Italiam.* Sâmlion annis 20. Ascanius Albam condidit. Heli sacerdos annis 40. Arca testamenti capitur, & Regnum Sicyoniorum finitur. Samuel & Saul annis 32. *Regnum Lacedæmoniorum exoritur, & Homerus fuisse probatur.*

Quarta ætas continet annos 462. David annis 40. regnavit. Carthago à Didone conditur. Gath, Nathan, & Asaph prophetaverunt. Salomon annis 40. *Templum Hierosolymis ædificatur, annis 480. egressionis ex Egypto expletis.* Ex quo apparet Samuelem & Saulem 32. annos, & non 40. præfuisse. Roboam 17. annis regnavit. Regnum Israel & Juda dividitur. Abia annis 3. Pontifex Abimelech insignis habetur. Asa annis 41. Aggeus, Amos, Johel, & Jehu prophetaverunt, & Azarias. Josaphat annis 25. Helias, Heliuseus, Abdias, & Micheas prophetaverunt. Joram annis 8. *Edom recessit à Juda, constituit sibi Regem.* Ochozias anno 1. Helias rapitur. Athalia annis 7. Jonadab filius Rechab sacerdos claruit. Joas annis 40. Zacharias filius Jojadæ lapidatur. Amasias annis 28. Amos propheta claruit in Israel. Ozias annis 52. Olympias prima à Græcis constituitur. Joatham annis 16. Elaias, Oseas, & Johel prophetaverunt. Et Romulus nascitur. Achaz annis 16. Roma conditur. Et Israel in Medos transfertur. Ezechias annis 29. Romulus 100. Senatores constituit. Manasse annis 55. Numa 2. menses adjecit, & Sibylla Samia claruit. Ammon annis 2. Tullus in Republica censum exegit. Josias annis 31. Thales Physicus claruit. Joachim annis 11. Hujus tertio anno Nabuchodonosor Judæam cepit. Sedechias annis 11. Templum Hierosolymis incensum est. Fuerunt autem ab Origine mundi usque ad terminum Judaici Regni III. 363.

Quinta ætas continet annos 580. Hebræorum captivitas annis 70. Judith Historia conscribitur. Darius annis 35. Hujus secundo anno templum Hierosolymis construitur, finitis 70. annis Judaicæ captivitatis. Xerxes annis 21. Herodotus Historiographus agnoscitur. Artaxerxes annis 40. Ezdras Legem renovavit. Et *Neemias Hierusalem restauravit.* Darius qui & Nothus annis XX. Hæc ætas habuit Platonem. Artaxerxes qui & Ochus annis 26. Demostheues & Aristoteles prædicantur. Xerxes Ochi filius annis 4. Xenocrates claruit. Darius annis 6. Alexander Macedo annis

annis 12. qui Hierosolymam cepit. Huc usque Regnum Perfarum, dehinc Græcorum. *Alexander* anno 5. *Asiam obtinuit*. Ptolemæus Lagi filius annis 40. Machabeorum liber primus inchoavit. Philadelphus annis 38. 70. interpretes claruerunt. Evergetes annis 26. Jesus sapientiæ librum composuit. Philopater annis 17. Machabeorum Liber secundus inchoavit. Epiphanes annis 24. *Romani Græcos obtinuerunt*. Philometor annis 35. Hunc Antiochus superans Judæos oppressit. Et Scipio Africam vicit. Evergetes annis 29. Brutus Hispaniam subegit. Sother annis 17. Thraces Romanis subjiciuntur. Varro & Cicero nascuntur. Alexander annis 10. Syria per Gabinium Romanis subjicitur. Ptolemæus Cleopatæ filius annis 8. Salustius Historiographus nascitur. Dionysius annis 30. Pompejus Judæam cepit. Cleopatra annis 11. Ægyptus Romanis subditur. Huc usque Regnum Græcorum, nunc Romanorum. *Julius Cæsar* annis 5. Hic primus *Monarchiam tenuit*, & ab hoc Cæsares appellati sunt. Octavianus annis 56. Hujus anno 42. Dominus noster JESUS CHRISTUS nascitur, completis ab Adam juxta Hieronymum annis 3999. Tiberius autem annis 23. Hujus anno 18. Dominus noster JESUS CHRISTUS crucifixus est. Gajus annis 4. Matthæus Evangelium scripsit. Claudius annis 14. Petrus Romam, & Marcus Alexandriam petierunt. Nero annis 13. Petrus & Paulus cruci, gladioque traditi sunt. Vespasiani annis 10. Hujus anno secundo Titus Hierosolymam subvertit, templum solò stravit, post annos primæ ædificationis 1089. Dominicæ autem incarnationis 71. Titus annis 2. Hic facundus & pius fuit. Domitianus annis 16. Johannes Apostolus in Pathmos relegatur. Nerva anno uno. Johannes Ephesum rediit, & Evangelium scripsit. Trajanus annis 9. Simeon Hierosolymorum Episcopus crucifigitur, & Johannes Apostolus quiescit. Adrianus annis 21. Aquila interpretis oritur. Antoninus minor annis 19. Montanus Catafrigarum auctor oritur. Commodus annis 13. Theodorion interpretis apparuit. Ælius Pertinax anno 1. nihil Historiæ habet. Severus Pertinax annis 18. Symmachus interpretis agnoscitur. Antoninus Caracalla annis 7. Quinta editio Hierusalem invenitur. Marcius anno uno vel Marcus. Aurelius Antoninus annis 4. Sexta editio Nicapoli reperitur, & Sabellius infelix oritur. Alexander annis 13. Origenes Alexandria claruit. Maximianus vel Maximus annis 3. Hic persecutus est Christianos. Gordianus annis 7. Fabianus Episcopus Romæ claruit. Philippus annis 7. Hic primus Imperator Christianus fuit. Decius anno 1. Antonius monachus oritur. Galienus & filius ejus Volusianus annis 3. Novatiana hæresis oritur. Valerius cum Galieno annis 5. Cyprianus & Cornelius martyrio coronantur. Claudius annis 2. Iste Gothos ab Illyrico expulit. Aurelianus annis 5. Hic etiam persecutus est Christianos. Tacitus annum unum. Probus annis 6. Manichæorum hæresis oritur. Carus annis 2. Iste de Persis triumphavit. *Diocletianus & Maximianus* annis 20. Isti Divinis libris exultis, vastari Ecclesias, affligi & interfici Christianos jusserunt. Maximinus filius Maximiani. Severus, & Galerius anno 1. Constantinus annis 31. Cujus 16. anno Nicæna synodus congregatur. Dominicæ incarnationis anno 318. Constantinus & Constans annis 27. Reliquiæ Sancti Andree, sanctique Lucæ Evangelistæ Constantinopolim transferuntur, & Antropomorphytarum

hæresis oritur. Per idem tempus Athanasius & Maximinus Trevirorum Archiepiscopus, atque Hilarius doctrina & fide clari habebantur. Julianus annis 2. Hic ex Monacho paganus factus, Christianos persecutus est. Jovianus anno 1. Iste cum omni exercitu Christianus efficitur. Valentinianus annis 11. Qui à Juliano ob fidem Christi militia fuerat privatus. Et Gothi hæretici facti sunt. Gratianus cum fratre Valentiniano annis 6. Ambrosius & Martinus Episcopi claruerunt. Valentinianus cum Theodosio annis 9. Hieronymus in Bethlehem toto mundo claruit. Theodosius ann. 11. Sanctus Johannes Anachorita claruit. Arcadius cum fratre Honorio annis 13. Johannes Chryllostomus, & Augustinus Episcopi claruerunt. Honorius cum Theodosio minore annis 15. Cyrillus Alexandria Episcopus claruit. Theodosius minor Arcadii filius an. 26. *Ephesina Synodus*. Nestorium cum suis fautoribus Pelagianis damnat, sub Celestino Papa. Marcianus annis 7. *Chalcedonense Concilium* sub Leone Papa 630. Patrum agitur. Leo major cum Leone minore annis 17. Ægyptus ab errore Dioscori liberatur. Zenon ann. 17. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur, & Accephalorum hæresis oritur. Anastasius 26. annis. Fulgentius Episcopus claruit. Justinus major annis 9. Accephalorum hæresis abdicatur. Justinianus annis 39. Hujus Sexto anno *primus cyclus Dionysii inchoavit*, Dominicæ incarnationis anno 532. Justinus minor annis 11. Armenii fidem Christi susceperunt. Tiberius annis 6. Ermingildus Rex Gothorum martyrio coronatur. Mauritius an. 21. Gregorius Papa Augustinum Archiepiscopum cum Monachis in Britanniam misit, ut genti Anglorum verbum Dei evangelizarent, Dominicæ incarnationis anno 596. Focas annis 8. Angli Saxones fidem Christi susceperunt. Eraclius annis 36. *Judæi in Hispania Christiani facti sunt*. Eraclius cum matre sua Martina annis 2. Pyrrhus Regiæ urbis Episcopus à Theodoro Papa damnatur. Constantinus Eraclii filius menses 6. Pauis Pyrrhi successor, ob eandem vesanam doctrinam damnatus est. Constantinus Constantini filius annis 17. Hic sextam synodum congregavit. Cujus rogatu Agatho Papa misit in Regiam urbem Legatos suos, in quibus fuit Johannes Romani Ecclesiæ tunc Diaconus, non longè post Episcopus pro adunatione faciendâ sanctæ Ecclesiæ. Hæc sexta synodus Constantinopoli acta est. Ubi assuerunt Episcopi 150. praesidente Georgio Patriarcha urbis Regiæ, & Macario urbis Antiochiæ, & convicti sunt, qui unam voluntatem & operationem astruebant in Christo falsâse Patrum Catholicorum dicta per plurima.

702. Anno Dominicæ incarnationis. Huc usque

703.

(Beda.

704.

705.

706.

707.

708. *Canrad Rex de Britannia Romam perrexit*. Ibi que attonsus ac *Monachus factus*, in jejuniis & precibus ad diem pervenit ultimum.

709.

710. Pippinus Major domus Regni Francorum perrexit in Alemanniam.

711.

712. Mortuus est Heriberdus Rex Longobardorum.

713.

714. Mortuus est Pippinus Major domus, cui successit Carolus filius ejus.

715. Mortuus est Dagobertus Rex, cuius pugna Francorum.

716. Pugnavit Carolus contra Regem Ratbodum.

717. Pugnavit Carolus contra Francos in Dominica die ante Pascha.

718. Vastavit Carolus Saxoniam plaga magna.

719. Occiso Francorum ad Sueffionis civitatem.

720. Pugnavit Carolus contra Saxones.

721.

722. Magna fertilitas facta est.

723.

724. Carolus perrexit Andegavis.

725.

727. Sanctus Egbertus migravit ad Christum.

728.

729. Cometæ stellæ apparuerunt.

730.

731. Carolus vastavit ultra Liguriam.

732.

733. Carolus perrexit in Frisiam.

734. Carolus vastavit Valcones.

736. Beda nobilis & præclarus Doctor obiit. *Initium Herveldensis Monasterii.*

737. (thia.

738. Carolus pugnavit contra Sarracenos in Go-

739. Carolus Saxoniam iterum intravit, & fecit eos tributarios. (liam.

740. Carolus Provinciam intravit usq; in Massi-

741. Carolus obiit, Major domus Regni Francorum, cui successerunt Carlmannus & Pippinus filii ejus. *Initium Altabensis Monasterii.*

742. Carolus Magnus natus est.

743.

744. Initium Fuldenfis monasterii.

745.

746. Sanctus Burchardus ordinatus est *Episcopus I. in Würzburg.*

747. Sanctus Wigbertus migravit à seculo. Carlmannus Romæ Monachus factus est.

748.

749.

750. Pippinus decreto Zachariæ Papæ per unctio- nem Sancti Bonifacii Archiepiscopi Rex appellatus est, qui antea Major domus vocatus est, & Hildericus Rex tonsoratus in Monasterium mittitur.

751. Zacharias Papa obiit, Stephanus electus est atq; occisus, & alter Stephanus electus atq; consecra-

752. (tus est.

753. Stephanus Papa ad Pippinum veniens defen- sionem petiit contra Haistulfum Regem.

754. Stephanus Papa duos filios Pippini Carolum & Carlmannum unxit in Reges.

755. Sanctus Bonifacius martyrio coronatur.

756. *Organa primum missa sancti Pippino de Gracia.*

757.

758. Pippinus Saxonibus superatis tributum im- posuit, ut CCC equos singulis annis persoluerent.

759.

760.

761.

762.

763.

764. Pippinus magnum conventum habuit in Carisiago, fuitq; hyems durissima.

765. Ruotgangus Episcopus corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris, & Nazarii de Roma advexit.

766. Victi sunt Sclavi in Weidahaburg à Francis.

767.

768. Pippinus Rex acquisivit Aquitaniam totam, & inde revertens ad Sanctum Dionysium VIII. Kal. Octob. obiit. Carolo Magno & Carlmanno Regnum

769. (reliquens.

770. Bertha Regina venit de Italia, & Desiderii Regii filiam adduxit in Franciam.

771. Carlmannus obiit, fratri Carolo Regnum re- linquens.

772. Carolus in Saxonia Ercspurg expugnavit, & sanum eorum, quod vocabatur Irminful destruxit.

773. Carolus ab Adriano Papa invitatus, Deside- rium Regem in Papia obsedit.

774. Carolus Papiam cepit, & Desiderium Regem in Franciam duxit. Eodem anno *Saxones Ecclesiam in Prideslaro, lignis & igne implentes an- cendere volébant, sed minime valebant.*

775.

776. Saxones Christiani effecti sunt.

777.

778. Carolus pugnavit contra Sarracenos, & Sa- xones Loganabhi vastant.

779. Sturm Abbas Fuldenfis Cœnobii obiit.

780.

781. Carolus Romam perrexit, ibiq; baptizatus est Carlomannus filius. Quem Adrianus Papa immu- tato nomine vocavit Pippinum. Ibi quoq; desponsa- ta est Rudrut filia ejus Constantino Imperatori. Caro- lus divisit terram inter Episcopos in Saxonia.

782. Caroli Comites occisi sunt à Saxonibus in loco qui dicitur Sungal.

783. Hildigart Regina obiit, cui Fastrat successit.

784.

785. Sanctus Lullus Archiepiscopus obiit, & Ca- rolus ad Italiam venit. Multa quoq; visa sunt prodigia. Signum enim crucis in vestimentis hominum appa- ruit, & sanguis è cœlo terraq; profluxit.

787. Carolus Romam veniens Beneventum pro- fectus est, & Monasterium sancti Benedicti adiit.

788.

789. Carolus subegit gentem Wilzorum.

790. Carolus perrexit in Panthioniam.

791. Carolus subegit gentem Avarorum, & *fun- data est Ecclesia sancti Bonifacii in Fulda.*

792. Conjunctio Pippini contra Patrem suum, quæ per Fardolfum publicata est. Unde Pippinus attonsus in Monasterium mittitur, cæteri q; omnes perdit, alii decollati, alii suspensi, miserabiliter sunt mortui. Et ipsi Fardolfo datum est Cœn obium sancti Dionysii.

793.

794. Hæresis Felicianæ damnata est in synodo Frankonsfurt, & Vastrath Regina obiit.

795. Adrianus Papa obiit in nativitate Domini.

796.

797.

798. Balchart Abbas Herveldensis obiit.

799. Leo Papa lingua truncata, excæcatus, & de Pontificatu ejectus, videns & loquens in Fran- ciam venit ad Carolum, in locum qui dicitur Heri- stelle.

800. Carolus à Romanis Augustus est appellatus.
801. Amarmurmulus Rex Persarum, Elephantem unum cum aliis muneribus Carolo misit.
- 802.
803. Leo Papa iterum venit in Franciam, & Saxones transalbiani translati sunt in Franciam.
- 804.
805. Carolus Caroli filius Bethemos vastavit.
- 806.
807. Mortalitas maxima facta est in Fulda.
- 808.
- 809.
810. Hohenburg castellum impositum est Albiæ flumini, ab Imperatore Carolo contra Danos,
811. Deposito Luitgeri Episcopi.
- 812.
813. Richolfus Moguntia Archiepiscopus obiit, & pons apud Moguntiam incendio perit.
814. Carolus Magnus Imperator obiit, cui Ludovicus successit, qui Episcopatum in Hildensheim construxit.
815. Baugolfus Abbas Fuldenfis obiit.
- 816.
817. Ludovicus Imperator Aquisgrani habuit synodum, ibiq; ordinavit vitam Monachorum.
818. Ludovicus Imperator in Britannia Nortmannum Regem vicit.
819. Ludovicus Judith filiam Welf, in uxorem accepit, & in Fulda dedicata est Ecclesia.
- 820.
- 821.
822. Inchoatio Monasterii nova Cerbeia.
- 823.
824. Ludovicus contra Vivomarcum Regem pugnavit, & Britanniam vastavit.
825. Vivomarcus occisus est in domo propria, & Haistolfus Moguntia Archiepiscopus obiit, cui Otgar successit.
826. Hiltvvinus ossa Sancti Sebastiani in Galliam transtulit.
- 827.
- 828.
829. Ludovicus Imperator depositus est à filiis suis Luitario, Ludovico & Carolo.
- 830.
831. Bun & Raban Abbates, fundamentum Ecclesie Sancti Wigberti foderunt VI. Idus Julii, secunda feria.
832. Corpus S. Aurelii in Germaniam delatum est, & Hirsburgia fundata. Conjuratio Ludovici contra Patrem suum.
833. Regnum Francorum ad Lotharium est conversum.
834. Pippinus & Ludovicus Patrem suum restituerunt in Regnum.
- 835.
- 836.
- 837.
838. Conjuratio Ludovici iterum ad Francofurt, & conversum est Regnum ad Patrem ejus.
- 839.
840. Ludovicus insequendo filium venit ad Herolfesfelt Monasterium III. Idus April. Ludovicus Imperator obiit, cui filius ejus Ludovicus successit.
841. Luitarius bellavit contra fratres suos Ludovicum & Carolum, in quo pralio penè ad internecio-
- nem delati sunt Franci, & Luitarius victus est, ubi & Adelbertus Comes occisus est.
842. Luiterus expulsus est à Regno, & Raban Abbas de monast.
843. Luiterus, Ludovicus, & Carolus pacem fecerunt.
844. Luitarius Rex, Regem Sclavorum Gesti-malum occidit.
845. Ludovicus venit ad Herolfesfelt. II. Kal. Novemb. & privilegia monachis dedit, lucq; sigillo munivit. Monachi quoque ejusdem Herveldenfis Monasterii reconciliati sunt cum Otgario Archiepiscopo, de decimis frugum & porcorum ex terra Thuringorum per fideles Legatos Domini Ludovici, Augustenses Episcopos videlicet & Præsides.
846. Ludovicus filius Ludovici Pannoniam subegit, & Bohemos domum rediens vastavit. Bun Abbas Herveldenfis obiit, cui Brunvart successit.
847. Oggarius Moguntia Archiepiscopus obiit, cui Abbas Fuldenfis Rabanus successit. Abbatiam Waldò suscepit.
848. Ad Moguntiam habito synodali concilio, Godescale hæreticus damnatus est.
- 849.
850. Dedicata est Ecclesia sancti Wigberti. V. Kal. Novembris, à Rabano Moguntiaensi Archiepiscopo.
- 851.
852. Translatio S. Lulli in cœna Domini.
- 853.
- 854.
855. Ludovicus Rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum Regem Maruhensium. Luitarius etiam Rex tonsuram & Monachicum habitum suscepit moriturus in Promia.
856. Rabanus Archiepiscopus obiit, cui Carolus successit.
857. Carolus Archiepiscopus Moguntia magnam synodum habuit.
858. Ludovicus Rex Ludovicum filium suum misit cum exercitu magno ad Abitritos.
859. Ludovicus & Carolus, atque Luitarius filius Luitarii fratris eorum cum juramento pacem fecerunt.
860. (runt.
861. Udò, Ernest, Berngerus Comites, & Waldo Abbas Fuldenfis honoribus depositi sunt, Thiodo Abbas successit.
- 862.
863. Carolus Archiepiscopus obiit, cui Luitber-nus successit.
864. Ludovicus Rex Ratzidum Regem Mare-hensium sibi subegit.
865. (hensium sibi subegit.
- 866.
- 867.
- 868.
869. Luiterus Rex à Benevento reversos Romanam venit, ibique ab Adriano damnatus est. Qui domum rediens penè cum suis omnibus periit. Eodem anno Thiodo Abbas Fuldenfis depositus, & Sigehardus electus est Vir religiosus.
- 870.
- 871.
- 872.
- 873.
- 874.
875. Ludovicus obiit, cui filius ejus Ludovicus successit. Brunvart Herveldenfis Abbas obiit, cui Drugo successit.

876. Pugna juxta Andarnaha facta est, inter Carolum & Ludovicum, Ludovici Regis filium.
- 877.
- 878.
879. Ludovicus Rex filius Ludovici Regis obiit, cui frater ejus Carolus successit.
- 880.
- 881.
- 882.
- 883.
- 884.
- 885.
886. (electus.
887. Carolus de Regno est ejectus, & Arnoldus
888. Carolus obiit.
- 889.
890. Luitbertus Archiepiscopus obiit, cui Sunderolt successit.
891. Sunderolt Moguntiz Archiepiscopus occisus est, cui Hatto successit.
892. Arn Episcopus occisus est. Et Drugo Abbas Herveldensis obiit, cui Harderat successit.
893. Prælium magnum factum est inter Bajoarios & Ungarios.
- 894.
- 895.
896. Arnoldus Romæ Imperator factus est.
- 897.
- 898.
899. Arnoldus Imperator obiit, cui Ludovicus filius ejus successit.
- 900.
901. Harderat Abbas Herveldensis obiit, cui Diethart successit.
902. Sclavi vastaverunt Saxoniam.
903. Adelbrah, & Eberhart, & Henricus occisi sunt.
- 904.
905. Cunrad Comes occisus est ab Adelberto.
906. Ungarii vastaverunt Saxoniam.
907. Adelbertus Comes occisus est, jubente Ludovico Rege.
908. Luitboldus Dux occisus est ab Ungariis.
909. Burchardus Dux Turingorum occisus ab Ungariis.
910. Ludovicus Rex pugnavit cum Ungariis & vicus est.
911. Ungarii vastaverunt Franciam.
912. Ludovicus Rex obiit, cui Cunradus successit. Hatto Archiepiscopus Moguntiz obiit, cui Herger successit.
- 913.
914. Otto Saxonicus Comes obiit.
915. Ungarii vastando venerunt usque in Fuldam.
- 916.
- 917.
918. Cunradus Rex fuit in Herolfesfeld.
919. Cunradus Rex obiit, cui Henricus Saxo successit.
- 920.
- 921.
- 922.
- 923.
924. Herger Archiepiscopus Moguntiz obiit, cui (Hildibertus successit.
- 925.
- 926.
927. Diethardus Junior Abbas Herveldiz factus est cum Senioris Diethardi consensu.
928. Diethardus Abbas Junior Episcopus ordinatus, & Burchardus Abbas electus est.
- 929.
930. Diethardus senior obiit.
931. Henricus Rex Abotritos subegit.
932. Diedo Episcopus obiit, cui Burchardus Abbas Herveldiz successit.
933. Megingoz Abbas Herveldiz electus est.
934. Henricus Rex Wucronin cum exercitu fuit.
935. Magna synodus fuit in Erphesfurt. Eodem anno Henricus Rex obiit, cui filius ejus Otto successit.
936. Otto Rex fuit in Herolfesfelde. Eodem anno Ecclesia Sancti Bonifacii exulta est.
937. Eberhardus Comes Henricum filium Henrici Regis captum projecit in vincula.
938. Eberhardus & Gisilbertus occisi sunt. Hildibertus Archiepiscopus Moguntiz obiit, cui Fridericus successit.
- 939.
- 940.
- 941.
942. *Dedicata est Ecclesia Sancti Maximini in Treviris.*
943. Synodus ad Bonnam congregata est.
- 944.
945. Nuncii Græcorum ad Regem Ottonem venerunt cum magnis muneribus in vigilia omnium (Sanctorum.
- 946.
947. Ettheit Regina obiit, cui Adelheit successit.
948. Synodus ad Ingelemheim congregata est, cui Marinus Legatus Apostolicus præsedidit.
949. Iterum nuncii Græcorum ad Regem Ottonem cum preciosissimis muneribus venerunt in memoria omnium Sanctorum, & Otto Rex dedit filiam suam Cunrado Duci.
950. Factum est magnum prælium inter Bajoarios & Ungarios.
951. Otto Rex perrexit in Italiam, & acquisivit Adelheidam Reginam, & Berngerum Regem subdidit sibi.
- 952.
953. Nimis crudelis dissensio exorta est inter Luitdolfum Regis filium, & Henricum patrum suum. Eodem anno obsessa est Moguntia, & Rossadal castellum, factaque est in illo loco magna pugna.
954. Fridericus Archiepiscopus Moguntiz obiit, cui Wilhelmus filius Regis successit.
955. Otto Rex Ungarios, cum magno periculo sui, suorumque magna eade prostravit in Lechsfelt in natali sancti Laurentii. In quo etiam bello Dux Cunradus cum aliis multis est occisus. Henricus quoque Dux Bajoariorum obiit.
956. Rudbertus Trevirensis Archiepiscopus obiit, cui Henricus successit, & Hadamarus Fuldenfis Abbas obiit, cui Hatto successit. Eodem anno Luitdolfus in Italiam perrexit, eamque sibi subegit. Et Megingoz Abbas Herveldiz obiit, cui Hagano successit.
957. Luitdolfus in Italia est mortuus, & inde ad Moguntiam portatus est, & ad Sanctum Albanum sepultus.
958. Signum crucis in vestimentis apparuit.
959. Hagano Abbas Herveldensis potestate sua relicta, ob infirmitatem corporis sui, eoque vivente Guntherus electus est in locum ejus.
960. *Venerunt Legati Rusciae gentis ad Regem Ottonem, deprecantes, ne aliquem suorum Episcoporum trans*

transmitteret, qui ostenderet eis viam veritatis. Qui consensit deprecationi eorum, mittens Adalbertum Episcopum fide Catholicum, qui etiam vix evasit manus eorum.

961. Venerunt Legati Domini Apostolici ad Regem Ottonem, invocantes eum Romam, in adiutorium Johannis Papæ. Filius ejus Otto Secundus in Regem ungitur Aquilgrani.

962. Otto Rex perrexit Romam, eumque Johannes Papa gratanter suscipiens, honorificè super Cathedralam Augustalem posuit, & benedictione atque consecratione sua Imperatorem fecit. Guntherus Herveldensis Abbas obiit, cui Egilolf successit.

963. Magna synodus facta est Roma, cui Otto Imperator presidebat, cum multitudine magna Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Clericorum, ac Monachorum. Ibiq; dejectus est Benedictus à sede Apostolica.

964. Berengerus Rex obsessus est in monte Sancti Leonis, ibiq; captus atq; in Babenberg ductus est cum Willa uxore sua.

965. Otto Imperator de Italia venit. Brun Archiepiscopus obiit, cui Volcmarus successit.

966. Otto Imperator tertia vice Romam venit.

967. Otto Imperator misit Legatos suos ad Wilhelmum Archiepiscopum & alios Principes, ut Ottonem filium suum cum omni dignitate Regali ad Italiam mitterent. Quem ipse suscipiens Romam perduxit, ut Papa Johannes posterior Imperatorem faceret, quod & libenter fecit.

968. Wilhelmus Archiepiscopus obiit, cui Abbas Fuldenensis Hatto successit. Abbatiam verò suscepit Wernher.

969. Hatto Moguntia Archiepiscopus obiit, cui Rutbertus successit.

970. Egilolfus Herveldensis Abbas obiit, cui Gozbertus successit.

971. Exultum est famosum templum in Dornburg.

972. Ottoni Juniori Imperatori missa est Theophana ab Imperatore de Græcia. Eodem anno Otto Senior Imperator, cum Juniori Ottone de Italia perrexit in Franciam.

973. Otto Imperator Senior cum Junio venit Quidilinburg, ibique celebravit sanctum Pascha. X. Kal. April. Illucque venerunt Legati plurimarum gentium, id est, Romanorum, Græcorum, Beneventorum, Italicorum, Ungariorum, Danorum, Sclavorum, Bulgariorum atq; Ruscorum cum magnis muneribus. Eodem anno Otto Imperator Senior obiit in Mimelieba Non. Maij, cui filius Secundus Otto successit.

974. Henricus Dux Bajoariorum & Abraham Episcopus cum Bolisclaione & Misichone inierunt contra Imperatorem pravum consilium. At Imperator tali nefando comperto consilio, congregavit omnes Principes suos, & quid inde faceret, consilium petiit. Qui dederunt ei consilium ut mitteret ad Ducem Henricum & Bopponem Episcopum, & Gebhardum Comitem, eosque ad placitum invitaret per edictum. Qui sine dilatione Deo donante dedit se in potestatem Imperatoris. Eodemque anno perrexit Imperator contra Haroldum in Sclavoivig.

975. Otto Imperator habuit magnum conventum in Wehinare: Eodem anno Imperator Bohemos vastavit & concremavit.

976. Otto Imperator perrexit ad Bajoariam, atq; Henricum Ducem expulit, Ottoniq; Duci Bajoariorum commendavit.

977. Imperator cum magno exercitu perrexit ad Bohemos, & maximam partem terræ illius incendio concremavit. Ipse quoque Henricus cum altero Henrico invaserant Bazoyvam. Quod Imperator ut audivit, festinato exercitum illud movit, urbemq; obsedit, & Henricum Ducem ad suam gratiam recepit, atque in Franciam perrexit.

978. Ad Imperatorem Ottonem venit in Pascha Polislavvo. Qui honorificè susceptus, magnisque muneribus ab Imperatore oneratus rediit domum. Aderat & Henricus cum altero Henrico, qui comprehensi in exilium missi sunt. Eodem anno Luitherus Rex cum electo numero militum repente invasit Aquilgrani palatium, seditque ibi tribus diebus. At Otto Imperator festinato cum exercitu insecutus est Luitherum usque in Sigonem fluvium, & usque ad Sancti Dionysii cenobium, eumque non adprehendit, quia fugiendo evasit.

979. Gero Comes à Waldone quodam accusatus, dum eum in singulari certamine occidisset, ipse tamen ab Imperatore decollatus est.

980. Otto Imperator perrexit in Italiam, & Gozberdus Abbas Ecclesiam construxit in Ordorf.

981. Adelbertus Magadaburgensis Archiepiscopus obiit, cui Hissillarius successit. Imperator natalem Domini Romæ celebravit.

982. Destructus est Episcopatus in Mersburg, miræque magnitudinis ædificium cecidit in Magadaburg. Eodem anno Otto Imperator valde periculosum habuit prælium cum Sarracenis in Calabria. In quo prælio occisus est Henricus Augustensis Ecclesie Episcopus, cum aliis plurimis Episcopis. In quo etiam prælio Idus Julii occisi sunt milites fortissimi. Hi scilicet Udo, Gebhardus, Guntherus, Bertholdus cum aliis multis, & Otto Dux atque Wernher Abbas Fuldenensis. Ipse Imperator vita comite vix evasit.

983. Otto Secundus Imperator Romam post male gestas res regressus obiit, ibidemque sepultus est. Henricus Dux Bajoaria Regnum invasit, sed à Principibus est reprobatus.

984. Filius Imperatoris Tertius Otto Patri successit in Regnum, unctus in Regem Aquilgrani à Johanne Ravennati Episcopo.

985. Gozberdus Abbatiam reddidit, cui Bernharius successit.

986. Otto Rex puer Bohemiam vastavit, sed Misiconem cum muneribus obviam suscepit.

987. Iterum Rex Bohemiam intravit, & eam ad deditionem coëgit.

988. Æstatis fervor nimius. Rupertus Moguntia Archiepiscopus obiit, cui Willigis successit.

989. Theophana Imperatrix Romam perrexit omnemque illam Regionem Regi subdidit.

990.

991. Theophana Imperatrix obiit. Ignis de Rhe-no ascendit, & villas proximas absumpsit. Godhardus Monachus factus est.

992. Otto Rex Brandenburg obsedit. Gerdach Hildesheim Episcopus obiit, cui Bernvart successit.

993. Wolfgangus Ratisponensis Episcopus obiit, cui Gebhardus successit. Filii Henrici Comitis. Henricus, Udo, Sigifridus contra piratas pugnant, quorum primus occisus, duo sunt capti.
995. Majolus Abbas obiit.
996. Otto Rex contra Crescentium Romam venit, ubi & Brunonem in sede Apostolica constituit, à quo & ipse Imperator factus est. Gotchardus Abbas factus est in Alaha.
997. Johannes Placentinus Episcopus sedem Apostolicam inavsit consilio Crescentii, Adalbertus Episcopus martyrizatur.
998. Crescentius ab Imperatore decollatus, cum duodecim suis ante urbem suspenditur. Johannes pseudopapa cæcatur.
999. Brun Papa, qui & Gregorius obiit, cui Gebertus qui & Sylvester successit. Adelheit Imperatrix obiit.
1000. Imperator ossa Caroli Magni Aquisgrani à pluribus eo usque ignorata invenit. Gaudentius frater Adalberti Martyris in Prago Archiepiscopus constituitur. (vit.)
1001. Imperator natalem Domini Romæ celebra-
1002. Otto III. Imperator obiit, cui Henricus Bajoarius successit. Egghardus Marchio Regni usurpatur Polodi occisus est.
1003. Pleriq; Principes à Rege deficiunt, sed post modicum correcti in gratiam recipiuntur.
1004. Miserandum Papæ incendium. Brun frater Regis, qui electioni ejus aliquandiu restiterat, in gratiam ejus rediit.
1005. Bernharius Abbas Herveldensis obiit, cui Godchardus successit.
1006. Guntherus nobilis Vir de Turingia Monachus factus est Herveldæ, sed postea ad Alaha transiit consilio Godchardi Abbatis. Fames valida.
- 1007.
1008. Nothger Leodienensis Episcopus obiit, cui Baldaricus successit. Guntherus Monachus tremum petivit.
1009. Ecclesia major Moguntiz quam Willigisus contruxerat, incensa est ipso die consecrationis suæ.
1010. Ansfrius, Trajectensis Episcopus obiit, cui Adelboldus successit.
1011. Willigisus Moguntiz Archiepiscopus obiit, cui Erchenbaldus successit. Abbatiam Brantho suscepit.
1012. Ecclesia Major in Babenberg ab Eberhardo primo ejusdem sedis Episcopo consecrata est. Gotchardus Abbatiam Herveldensem reliquit, cui Arnoldus successit.
1013. Henricus Rex cum Cunigunda Regina Imperiale nomen suscepit.
1015. Imperator ad Polonos cum exercitu abiit.
1016. Grando magna fuit, & multi fulmine exusti sunt.
1017. Megingoz Trevirorum Episcopus obiit, cui Boppo successit. Imperator contra Polonos iterum
1018. (exercitum duxit.
1019. Imperator Papæ Babenberg suscepit hospicio.
1020. Heribertus Colonienensis Archiepiscopus obiit, cui Pilegrinus successit. Erchenbaldus Moguntiz Archiepiscopus obiit, cui Aribo successit.
1021. Ingens terræ motus factus est in Bajoaria.
1022. Gotchardus Episcopus factus est Hildensheim.
1023. Gero Magadaburgensis Episcopus obiit, cui Hunfridus successit. Brantho Abbas Fuldenensis Episcopus factus est Halberstatensis. Richardus Fuldenensis Abbas successit.
1024. Henricus Secundus Rex, primus Imperator obiit, cui successit Cunradus.
- 1025.
- 1026.
1027. Cunradus Rex Imperator factus est in Pascha. Gebhardus frater Imperatoris coactus ex laico clericus fieri.
1028. Henricus Imperatoris filius Rex factus est Aquisgrani per Pilegrinum Coloniensem Archiepiscopus.
1029. Bruno Augustensis Episcopus obiit, cui Eppo successit. Wernher Argentinz Episcopus obiit, cui Wilhelmus successit.
1030. Cunradus Imperator Ungariam cum exercitu intravit.
1031. Arnoldus Abbatiam Herveldensem perdidit, cui Bardo successit. Sed is post dimidium annum Ariboni Moguntino Archiepiscopo defuncto successit. Rudolfus verò Abbas Herveldensis suscepit.
1032. Arnoldus amissa Abbatia Herveldensi obiit in Gellingen.
1033. Cunigund Imperatrix obiit. Imperator exercitum duxit in Burgundiam contra Udonem.
1034. Albuwinus Præpositus Herveldensis Abbas factus in Nuinburg.
1035. Rudolfus Abbas Herveldensis, ordinatur Episcopus Podelbronnon, cui Meginherus Vir venerabilis successit.
1036. Pilegrinus Colonienensis Archiepiscopus obiit, cui Herimannus successit.
1037. Incensum est Monasterium Herveldense. Gozelo Dux Udonem Comitem occidit, & cum eo ad sex homines.
1038. Godchardus Hildensheimensis Episcopus obiit, cui Dietmarus successit.
1039. Cunradus Imperator obiit Trajecti in Pentecoste, cui Henricus filius ejus successit. Richardus Abbas Fuldenensis obiit, cui Sigewart successit. Regenbolt Spirensis Episcopus obiit, cui Sybicho successit.
1040. Henricus Rex in Boëmiam duxit exercitum, ibique Werinherus Comes, & Reginhard signifer Fuldenensis, cum aliis multis occisi sunt. Petrus Ungarorum Rex à suis expulsus, ad Regem Henricum confugit, petens auxilium. Eberhard Episcopus Babenbergensis obiit, cui Suitgerus successit. Dedicata est crypta Herveldensis, atq; in eam translatae sunt reliquie Sanctorum confessorum Wigherti & Lulli.
1041. Henricus Rex secundò Boëmiam ingressus, Ducem ejus in deditionem accepit Prenzlao nomine, terramq; ejus tributariam fecit. Inde per Bajoariam regressus, Festum Sancti Michaelis Ratisponæ celebravit.
- Uban qui Ungarorum Regnum invaserat, eruptionem in fines Bajoariorum & Carentinorum fecit, multamq; prædam abegit. Sed Bajoarii coadunatis viribus insecuti, prædam excusserunt, multisq; occisis, reliquos in fugam coegerunt.
1042. Rex prima expeditione in Ungariam facta, prædictum Uban fugavit, usq; ad fluvium Raban pervenit, tres Urbes maximas cepit, acceptoq; à Provincialibus jurejurando in pace remeavit.

Hermannus Mimigardensiuurdenſis Episcopus obiit, cui Rudbertus successit. Heribodus Einſtatenſis Episcopus obiit, cui frater ejus Gezman successit. Cui post aliquod hebdomadas defuncto Geberhardus successit.

1043. Rex incarnationem Domini Goslarix celebravit. Illuc Dux Boemicus adveniens, benigne susceptus a Rege, & honorifice aliquandiu habitus, tandem in pace est dimissus. Ibi inter diversarum Provinciarum Legatos, Legati Ruscorum tristes redierunt, quia de filia Regis sui, quam Regi Henrico nupturam speraverant, certum repudium reportabant.

Ibi quoque Legati Regis Ungarorum pacem suppliciter orant, sed non impetrant, quoniam Rex Petrus, quem Uban per vim Regno expulerat, praesens erat, suppliciterque Henrici Regis auxilium, contra illius violentiam implorabat. Sigeward Fuldenſis Abbas obiit, cui Rohingus successit. Gisla Imperatrix obiit, & Spira sepulta est.

Rex *secunda expeditione in Ungaros facta, praedictum Uban ad placitam sibi pacem coegit, acceptusq; ab eo de pace juramentis & obsidibus, reversus nuptias celebravit in Ingelheim, in conjunctione Agnetis filiae Wilhelmi Comitis Pictavorum.*

1044. Rex natalem Domini celebravit Treviris, ibique omnes qui in Regiam Majestatem deliquerant, crimine absolvit, eandemque legem per totum Regnum promulgavit, ut omnes sibi invicem delicta condonarent.

Gozelo Dux Lotharingorum obiit, cujus filius Gotefridus nobilissimae indolis juvenis, atque in militari admodum exercitatus, quia Ducatum Patris non potuit obtinere, arma contra Reipublicam corripuit. Adelbertum Ducem, quem Rex Patri ejus subrogaverat, praelio victum occidit, caedes hominum & depopulationes agrorum quam maximas fecit, loca omnia usque ad Rhenum, praeter ea, quae vel murorum praesidio hostilem impetum subterfugebant, vel se data pecunia redemerant, in cinerem redegit.

Rex *tertia expeditione in Ungariam facta, praedictum Uban vicit & expulsi. Petroque Regnum restituit.*

Hazecho Wormatix Episcopus obiit. Cui Adelgerus successit, cui iidem paulo post humanis rebus exempto Arnoldus successit. Diotmarus Hildesheimensis Episcopus obiit, cui Ezelinus successit.

1045. Dux Gotefridus a Rege in deditioem acceptus, in Gibekenstein missus est custodiendus, sicque Regnum brevi tempore quietum & pacatum mansit. Petrus Ungarorum Rex Uban aemulum atque insidiatorem Regni sui captum decollavit. Brun Würceburgensis Episcopus obiit, cui Adelbero successit. Cathelo Citicensis Episcopus obiit, cui Eppo successit. Altbrandus Bremenſis Archiepiscopus obiit, cui Adelbertus successit.

1046. Rex natalem Domini Goslarix celebravit, ubi & socrus ejus de Pictavis cum Primoribus gentis suae aderat. Petrus Rex Ungarorum ab Andrea propinquo suo dolo circumventus caecatur. Egghardus Marchio subitanea morte praefocatus interiit. Drutmarus Abbas Corbeiensis obiit, cui Ruthardus successit. Dux Gotefridus custodia absolutus, dum videret nec intercessionem Principum, nec deditioem quam sponte subierat, sibi aliquid profuisse, & rei indignitate, & inopiae familiaris taedio permotus, bellum rursus de integro sumpsit. Inter alias, quas Reipublicae

intulit clades Neumago domum Regiam miri & incomparabilis operis incendit. Civitatem Verdonensem cepit, majorem in ea Ecclesiam concremavit. Sed post modicum facti in tantum poenituit, ut publice se verberari faceret, & capillos suos ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumptus ad reaedificandam Ecclesiam daret, & in opere caementario, per seipsum plerumque vilis mancipii ministerio functus, deserviret.

1047. Rex natalem Domini Romae celebravit, ubi tribus depositis, qui sedem Apostolicam contra Ecclesiasticas regulas invaserant, Suitgerum Babenbergensem Episcopus, Vicarium Apostolorum constituit. A quo in die sancto ipse vicissim, cum Agnete Regina, Imperiali nomine & honore est donatus. Inde Beneventum vicinasque Regiones peragrans, sanctum Pascha in redeundo Mantuae celebravit. Ascensionem in Augusta. Ubi Epponi Episcopo defuncto, Henricum subrogavit. Deinde exercitum navalem per Rhenum duxit in Frisiam contra Gotefridum, ejusque adiutorem Dioticum, ibique duas urbes munitissimas cepit, Rinesburg & Fleedingen. Suitgerus Papa, qui & Clemens, obiit, & Babenberg sepultus est. Rohingus Abbas Fuldenſis obiit, qui eodem anno Romae in natali Domini consecratus fuerat a Suitgero Papa. Guntherus Eremita obiit.

1048. Imperator natalem Domini Polethae celebravit. Ibi Legati aderant Romanorum, Suitgeri Papae obitum nuntiantes, eiq; successorem postulantes. Quibus Imperator Bopponem Prinsienſem Episcopus assignavit. Babenbergensem vero Episcopatum Hezekin Cancellario contradidit. Festum sancti Michaelis Imperator iterum Polethae celebravit. Ibi postero die Dietmarus Coines, frater Ducis Bernhardi, cum a milite suo Arnolde accusatus fuisset, de invito contra Imperatorem consilio, congressus cum eo, ut objectum crimen manu propria purgaret, victus & occisus est. Ecbertus Fuldenſis Abbas factus fuerat statim post natalem Domini.

1049. Imperator natalem Domini Frisingae celebravit. Ibi iterum Legati Romanorum Bopponis Papae morte nuntiata Rectorem Romanae Ecclesiae postulabant. Quibus Imperator Brunonem Tolosa Episcopum dedit.

1050. Leo Papa propter componendum Statum Ecclesiarum, & pacem Gallis reddendam Roma egressus, Moguntia Synodum celebravit praesidente Imperatore cum 42. Episcopis. Ubi Sibeche Spirensis Episcopus de criminibus, quibus accusabatur, sacra communione se purgavit. Et Dux Gotefridus intervenu Papae & Principum gratiam Imperatoris obtinuit. Expleta Synodo Imperator expeditionem movit super Balduinum. Papaverò reditum ejus Aquilgrani expectavit.

1051. Imperator natalem Domini Wormatix celebravit. Ubi Leo Papa ei vale faciens, mediocriter compositis, & causis Ecclesiasticis, & Regni negotiis, Romam reversus est, abducens secum Gotefridum Ducem & fratrem ejus Fridericum, qui Gebehardo postmodum in sedem Apostolicam successit. Item alios quam plures tam Clericos quam laicos in militari probatissimos, quorum Virtute Nortmannis qui Apuliam occupaverant, obviam ire parabat. Consecrata est Ecclesia in Goslarix ab Hermanno Colonsensi Archiepiscopo. Imperator Pentecosten celebravit Podelbrunnen. Ubi Bardo Archiepiscopus ad missam

habito semine, obitum suum instare prædicens, orationi fidelium se commendavit. Qui eodem mense decessit, eique Luipoldus successit. Dietricus Constantiensis Episcopus obiit, cui Rumolt successit. Hunfridus Magadaburgensis Episcopus obiit, cui Engelhardus successit. Natus est Imperatori filius Henricus IV. Rex, III. Id. Novembris.

1052. Imperator natalem Domini Poethæ celebravit. Ubi filio suo Henrico adhuc catechumeno Principes Regni sub juramento fidem promittere fecit. Pascha celebravit Coloniz, ibique prædictus puer ab Hermanno ejusdem civitatis Archiepiscopo baptizatus est. Rudolfus Podelbrunnensis Episcopus obiit, cui Immed successit.

1053. Imperator natalem Domini Goslariz celebravit. Ubi & Immed consecratus est à Luitpoldo Archiepiscopo. Leo Papa profectus contra Nortmannos, contulit eum eis propè Beneventum signa, & surgentibus statim in prima congressione Longobardis, Teutonici omnes penè ad unum interfecti sunt. Iple quoque obsessus est in Benevento, & vix tandem post multas tribulationes obsidione liberatus, cunctos dies quibus supervixit, tantæ calamitati in luctu & mœrore egit. Eo tempore Fredericus frater Gotefridi Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus Constantinopoli Apostolicæ sedis functus legatione abierat. Vbi in illa Synodo, cum Imperatorem Constantinopolitanum & Patriarcham evocasset, & illi Primatus sui majestatem vindicantes, dicto obtemperare dedignarentur, regressus urbem, sandalia sua, more Apostolorum, publice super eos excussit. Quo facto tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & Patriarcha, cum Clero & populo, sequenti die sicco & cinere obvoluti, ad eum procederent, & Apostolicam auctoritatem in eo, prout terram adorarent. Ibi quoque per Gotefridum Ducem hæretici deprehensi sunt, & suspensi.

Marchio Itolorum Bonifacius obiit, cujus viduam Beatricem Dux Gotefridus accipiens, Marchiam & cæteras ejus possessiones conjugii prætextu sibi vendicavit. Quo comperito Imperator Henricus gravi scrupulo perui geri cœpit, reputans ne forte per eum animi Itolorum semper avidi novarum rerum, ut à Regno Teutonicorum deficerent, sollicitarentur.

1054. Leo IX. Papa XI. Kal. Maji, beato fine quievit in Domino, Romæque sepultus est. Imperator interpellatus à Romanis, ut Antislitem sedis Apostolicæ provideret, Gebhardum Einstadensem Episcopum misit, datisque clanculo literis ad omnes, qui in Italia opibus aut Virtute militari plurimum poterant, deprecabatur eos, ut Ducem Gotefridum, ne quid fortè mali contra Rempublicam machinaretur, oblectarent, promittebatque seipsum, vita comite, proximo anno affuturum, & quid factu opus esset, visurum.

Huic Subdiaconus toxicum in calicem misit. Quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum populo orationem prosternitur, statimq; toxicator à demone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Dominico, cuidam altari iussit includi, & pro reliquiis in perpetuum conservari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem prosternitur, quousque Subdiaconus à demone liberaretur.

Fredericus Archidiaconus Constantinopoli regref-

sus, ubi comperit Leonem Papam humanis rebus excessisse, & alium jam Ecclesiastici Regiminis jura suscepisse, dona quidem, quæ ab Imperatore Constantinopolitano permagnifica deferebat, Ecclesiæ Romanæ consignavit, & statim urbe excedens, in monasterium Casinum se contulit, ibi deinceps Christo sub sanctæ professionis titulo militaturus. Quod factum malè plerique interpretabantur. Sed nemo qui sanum sapiebat, aliter hoc eum quam ardore fidei, & redio secularium negotiorum fecisse, credebat, præsertim cum eodem tempore & longi itineris labore exhaustus, & gravi corporis molestia pulsatus, diu se posse vivere desperaret.

Azelinus Hildensheimensis Episcopus obiit, cui Heccelo successit. Sivico Spirensis Episcopus obiit, cui Arnoldus successit. Hezken Babenbergensis Episcopus obiit, cui Adelbertus successit.

Imperatoris filius Henricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno Colonienfi Archiepiscopo, vix & agrè super hoc impetrato consensu Luipoldi Archiepiscopi, ad quem propter Primatum Moguntinam sedis consecratio Regis, & cætera negotiorum Regni distofutio potissimum pertinebat. Sed Imperator potius Hermanno Archiepiscopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra diocesis ipsius consecratio hæc celebranda contigisset.

1055. Henricus Imperator natalem Domini Goslariz celebravit, statimque exactis feriis soler nibus, in Italiam perrexit, vocatus è Legatione Romanorum qui nunciaverant nimium in Italia contra Rempublicam crescere opes & potentiam Gotefridi Ducis, & nisi turbatis rebus maturè confuleretur, ipsum quoque Regnum propediem ab eo, dissimulato pudore, occupandum fore. Sed ubi Italiam ingressus est, Dux Gotefridus missis in occursum ejus nunciis, mandavit nihil se minus quam rebellionem cogitare, paratum potius pro statu Republicæ, & Imperatoris salute, extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quod patriis finibus extorris, patriis possessionibus ejectus, opibus saltem uxoris suæ in peregrinatione sustentaretur, quam nec dolo, nec rapto, sed ipsius placito, & celebratis solenniter nuptiis in matrimonium sibi junxisset. Beatrix quoque dissimulato metu Imperatori obviam processit, & vix impetrata dicendi copia, ait, nihil se egisse præter quàm quod jure gentium sibi agere licuisset. Destitutam se priori marito, desolatæ domui patronum paravisse, & ingenuam ingenuo siue suco nefariæ cujusquam machinationis nupsisse. Nec qui, nec boni memorem eum esse, si id sibi pace ejus non liceret, quod in Imperio Romano feminis Nobilibus semper licuisset. Imperator itaque accepto à Primoribus consilio, Gotefridum crimine absolvit, non tam probans satisfactionem ejus, quàm metuens ne malis recentibus exasperatus, Nortmannis infestantibus Italiam, Ducem belli se præberet, & fierent novissima ejus pejora prioribus. Beatricem tamen quasi per deditorem acceptam, secum abduxit, hoc illi culpæ objiciens, quod contractis se inconsulto nuptiis, hosti publico Italiam prodidisset. Deinde anno integro intra Italiam commoratus, cuncta quæ rei utilitas exposcere videbatur, magnificè pro loco & tempore ordinavit.

1056. Guntherus tunc temporis Cancellarius visionem vultu memoria dignam, Dominum in solio Majestatis suæ sedere, & elevato in altum brachio distri-

dicere

dicere. Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Quam visionem protinus mortalitas subsecuta est Principum Regni. Eaque expleta vidit eodem rursus schemate *Dominum residere, & remisso jam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus. Ignis suscensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Hermannus Colonienſis Episcopus obiit, cui anno Goslariensis Præpositus successit. Imperator regressus de Italia, sanctum Pascha Podelbrunnæ celebravit, brevique commoratus in Goslaria, perrexit ad villam Civois, in confinio sitam Regni Francorum ac Teutonicorum, colloquium ibi habiturus cum Rege Francorum. A quo contumeliosè atque hostiliter objurgatus, quòd multa sibi mentitus fuisset, & quòd partem maximam Regni Francorum dolo à Patribus ejus occupatam reddere tamdiu distulisset. Cum Imperator paratum se diceret, singulariter cum eo conferta manu objecta refellere, ille proxima nocte fuga lapsus, in suos se fines recepit. Imperator natiuitatem Sanctæ Mariæ Goslaræ celebravit, ibique Victorem Papam, qui & Gebhart, magnifico apparatu suscepit hospitio, collectis scilicet ad ornandam tantæ diei solennitatem cunctis penè Regni opibus & Principibus. Inde profectus Worsfelden / cum ibi aliquamdiu venationi deditus moraretur, comperit Wilhelmum Marchionem & Diodericum Comitem cum infinita multitudinè Saxonici exercitus, quos contra Luticios miserat, malè gestis rebus occubuisse. Nec multo post ipse corporis molestia correptus, cum VII. aut eo amplius diebus lecto decubasset, diem clausit extremum. Præsentem erant, quasi ad officium tanti funeris ex industria evocati, Romanus Pontifex, Aquilegiensis Patriarcha, Patruus Imperatoris Ratisponensis Episcopus, item aliarum innumerabiles tam Laici quam Ecclesiastici ordinis Dignitates. Notatumque est nulla retrò majorum memoria, sine publica indictione, tot Illustres personas in unum confluisse. Corpus ejus Spiram translatum est, & celebratis Regio more exequiis, die natalitio Apostolorum Simonis & Judæ, quo scilicet die etiam natus fuerat, sepulturæ est traditum. *Regnum pro Patre obtinuit filius ejus Henricus IV. annorum infansulus, anno postquam in Regem unctus fuerat, tertio. Summa tamen rerum & omnium, quibus facta opus erat, administratio penes Imperatricem remansit, quæ tanta arte periclitantis Reipublicæ statum tutata est, ut nihil in ea tumultus, nihil simultatis, tanta rei novitas generaret.*

Arnoldus Spirensis Episcopus obiit, cui Cunradus successit.

Conradus filius Imperatoris, Dux Bajoariz obiit. Ducatum ejus Imperator Imperatrici dedit, privato jure, quoad vellet, possidendum. Dedi Palatinus Comes à quodam Clerico Bremensi occisus est, quem à fratre suo Archiepiscopo susceperat, pro criminibus quæ ei objiciebantur, exilio deportandum, sepultusq; est, jubente Imperatore, in Goslaria. Wilhelmo Marchioni successit Udo Comes, Vir valde industrius, & Regi consanguinitate proximus.

1057. Rex natalem Domini Ratisponæ celebravit, præsentem adhuc Victorem Papam, qui, exinde compositis mediocriter, prout tunc copia erat, Regni negotiis, in Italiam regressus, V. Kal. Aug. migravit ad Dominum, *Einſtattensem Episcopatum, quo se ille Papa factus, non abdicaverat, Gunzo suscepit.* Tum vero uni-

versi quicquid Principum, quicquid plebis Romanæ erat, uno animo, pari voluntate, in electionem consenserunt Friderici fratris Gotefridi Ducis, extractumq; de Monasterio Casino, ubi lucerna Dei ardens & lucens sub lecto monasticæ quietis deliteſcebat, super candelabrum extulerunt Sedis Apostolicæ. Nec quicquam sanè multis retrò annis lætioribus suffragiis, majori omnium expectatione, ad Regimen processerat Romanæ Ecclesiæ. Sed tantam spem (heu) frustrata est mors immatura. Udo Marchio obiit, cui filius ejus Udo Junior successit. *Principes Saxonia crebris conventiculis agnabant de injuriis, quibus sub Imperatore affecti fuerant, arbitrabanturq; pulchre sibi de his satisfactum fore, si filio ejus, dum adhuc ætas opportuna injuria esset, Regnum eriperent, nec procul ab fide aberat, filium in mores, vitamque patris pedibus, ut ajunt, iturum esse.* Accessit ex insperato, magnum turbandis rebus adjumentum. Otto frater Guilielmi Marchionis, sed in matrimonio impari, matre scilicet Sclavica natus, Vir acer ingenio, & manu impiger. Is apud gentem Boëmorum jam à puero exulaverat, sed comperta morte fratris, magna spe obtinendæ hæreditatis regressus in Saxoniam, à cunctis illic Principibus benignè accipitur, magnisque omnium adhortationibus instigatur, non modò Marchiam, quæ sibi jure hæreditario competeret, sed ipsum quoque Regnum affectare. Ubi alacrem paratumque negotio advertunt, fidem omnes dicunt, suas quisque manus, suam operam pollicentur, Regemque ubicunque fortuna opportunum fecisset, interficere constituunt. Perculis metu omnibus, quibus serum publicarum sollicitudo aliqua erat, & magnopere intentis ad sedandam turbam, quæ oriebatur, placuit Regem ocys in Saxoniam venire, & periclitanti Reipublicæ, quæ quæ possit ratione, consulere. Itaque natalem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erfenburg celebraturus erat, eò quicquid Principum erat in Saxonia, ad colloquium evocari jussit. Quò dum pergerent pro sua singuli copia, magna militum manu stipati, contigit ut Brun & Eberdus patruales Regis, casu inciderent in multitudinè prædicti Ottonis, conglobato agmine ad cohortem Regiam proficiscentis. Hi præter causam publicam, privatis quoque inimicitis infestissimi illi erant. Nec mora, dato militibus signo ad pugnam, equis subdunt calcaria, & pari utraq; pars audacia, paribus odiis, in mutua vulnera ruunt. Ibi in prima fronte Brun & Otto, ambo pleni irarum, ambo sui tegendi immemores, dum hostem ferirent, tam concitatos in se vicissim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incurſu equo excussum lethali vulnere transfoderet. Amisſis Ducibus aliquandiu utramque aciem anceps pugna tenuit. Sed Eberdus quanquam graviter faucibus, dolore tamen interempti fratris efferatus, rapido cursu in confertissimos hostes præcipitem se mittit. Bernardi Comitum filium, egregium adolescentem, sed vix dum militiæ maturum interficit, cæteros languidius, quoniam Ducem perdidissent, pugnantes in fugam convertit. Sic *Reſpublica maximo metu liberata est, & Saxones ademptio rebellionis signifero, nihil ulterius quod secus esset, contra Regem moliri sunt.* Cuono cognatus Regis Dux factus est Carentinorum. Frater ejus Henricus Palatinus Comes Lothariorum, instinctu dæmonis monasticam vitam professus est in Gorziam. Sed per paucos dies, vulgante se dæmonio, quo illusus fuerat, Sanctæ conversationis habitum, quo se angelus satanæ in

angelum lucis transfiguraverat, abiecit, uxoremque suam & possessiones desertor Dei & transfuga recepit.

1058. Rex natalem Domini Merseburg celebravit, aderatque ibi inter alios Regni Principes, etiam Hildebrand Abbas de Sancto Paulo, mandata deferens ab Sede Apostolica, Vir & eloquentia & sacrarum literarum, eruditione valde admirandus. Ego N. valgatam toto orbe Abbatis Meginheri placitam Deo conversationem emulatus, rei familiaris curam, ne in via Dei praegravarer, abieci, sanctamque vestem ab ejus sanctissimis manibus, Idibus Martiis, heu nimium impar tali armatura, suscepi. Pater memoriz Stephanus Papa, qui & Fridericus, cum in civitate Florentia moraretur, iv. Kal. Aprilis naturae mortali debitum solvit, & verè (ut speramus) de hac convalle lachrymarum ad gaudium transiit Angelorum. Indicio sunt signa & prodigia, quibus sepulchrum ejus in eadem civitate usque hodie divinitus illustratur. Sedem Apostolicam protinus, inconsulto Rege & Principibus, invasit Benedictus quidam Lateranensis, ad jurus factione popularium quos pecunia corruerat. Otto de Suinfurde Dux Suevorum obiit. Ducatum ejus Rudolfus obtinuit, & ut Regi in dubiis tunc rebus ex affinitate devinctior fideliorque in Republicam foret, toror quoque Regis ei desponsata est, tenera adhuc ætate, traditaque est Episcopo Constantiensi nutrienda, dum thoro conjugali maturelceret. Cuono Dux Carentinorum, contractis ingentibus copiis, ad occupandum Ducatum suum, quem tanto tempore, metu rebellionis non inviserat, primam profectioem parabat. Sed morte præventus, cœptum iter non explevit. Ego N. Presbyter ordinatus sum à Scasnaburg in jejunio autumnali, à Lupoldo Archiepiscopo, statimque peregrinationem Hierosolymitanam aggressus sum, zelo Dei, sed utinam secundum scientiam. Eberdus qui & Eppo Abbas Fuld. xv. Kal. Decembris obiit. Cui Sigisfridus ejusdem cœnobii Monachus successit.

1059. Natalem Domini in civitate Marovvua celebravit in confinio sita Hungarorum & Bulgariorum. Romani Principes satisfactionem ad Regem mittunt, se scilicet fidem, quam Patri dixerant, sibi quoque ad possent servaturos, eoque animo, vacanti Romana Ecclesia, Pontificem usque ad id tempus non subrogasse, ejus magis super hoc expectare sententiam, orantque, sedulo, ut quem ipse velit transmittat, nihil ejus ordinationi obstat, si quis, non per legitima electionis ostium, sed aliunde ascendisset in ovile ovium. Rex habita cum Primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romanique per Gotefridum Marchionem transmittit. Ita Benedicto qui injussu Regis & Principum Sacerdotium usurpaverat, reprobato, Gerardus qui & Nicolaus Pontificatum obtinuit. Is eodem anno ab Abbate Meginhero interpellatus propter decimationes Saxoniarum, literas & mandata direxit Burchardo Halberstadensi Episcopo, ne statutos Patrum terminos transgredereetur, ne Monasterium Herveldense superfluis concertationibus inquietaret, si pergeret molestus esse, necessario se Apostolicæ auctoritatis virga usurum adversus ejus inobedientiam, præsertim, cum Monasterium illud sub Jurisdictione esse Romani Pontificis tot prædecessorum ejus privilegia testarentur. Abbati quoque epistolam scripsit verbis consolatoriis, quæ usque impræ-

sentiarum in Chartario servatur Herveldensis Monasterii. Ego exacta peregrinatione Hierosolymitana, xv. Kal. Octob. ad Monasterium reversus sum, & quod in omni illa profectioe mea præcipuum à Deo postulaveram, Meginherum Abbatem superflitem invenni. Timebam scilicet, quoniam sine benedictione illius profectus fuisset, si offensus inreconciliatusque decessisset, magni criminis reum me teneri apud Dominum. Sed non absuit propitia Divinitas redeunti, quæ tanto illo itinere sæpe usque ad ultimam necessitatem periclitatum, misericordissimè texerat. Incolumem reperi, peccatum indulsit, & quasi ex inferis redvividus em ergerem, sic obviis, ut ajunt, manibus me gratulabundus excepit. Mirum autem in modum, diceret, vitam ejus absolutioni meæ ex industria servatam fuisse, eodem die quo me crimine absolverat, febre corruptus est, & sic per cæto dies gravi ægritudine decoctus, vi. Kal. Octob. feliciter consummato cursu, quievit in Domino, Vir magnarum in Christo Virtutum, & verè, quod omnium modernorum Abbatum pace dixerim, unicum sua ætate in Teutonicis Regionibus rectè ac monasticè vivendi exemplar. Is, ut prædictum est, cum Burchardo Halberstadensi Episcopo diuturnam traxerat litem propter decimationes Saxoniarum, quas ille Herveldensi Monasterio ereptas, per occasionem Episcopalis Regiminis sibi vendicabat. Contra cujus improbitatem cum nec forenses, nec Ecclesiasticæ leges quicquam valerent, & Abbas sæpe querimonia in jus relata surdis tribunibus fabulam narrasset, tandem brevi antequam vita excederet, mandavit ei per Fridericum Palatinum Comitum, se quendam tanquam viribus imparem, causa cadere, Deo tamen vires ad invendam æquitatem non defuturas esse, proinde parati ambo essent, ut intra paucos dies ad tribunal æquissimi Judicis Dei causam dicerent, victurum ibi esse, non qui plus posset, sed cujus causa justior esset. Nec fecellit eventus. Nam post dormitionem Abbatis pauci dies intercesserant, & ecce Episcopus cum prædictæ rei gratia synodum indixisset, & animo jam equo illuc properare vellet, repente Divina animadversione ictus torruit, reportatusque ad cubiculum, ascitis ocyus Presbyteris suis, per Deum obiit, ut decimationes suas Herveldensi Monasterio restituerent, atque omnem in perpetuum super hac re litem præciderent, se rentque, cunctis qui eadem tentassent, sic infeliciter rem cessuram, ut sibi cessisset, qui injustæ exactiois tam acerbam vindicem ipsum experiretur Dominum. Cumque Magadaburgensis & Hildensheimensis Episcopi visitatum eum advenissent, cum magno ejulatu ferebatur, se juxta prædictum eximii Abbatis ad tribunal Dei jamjam abripi, & pro invasis rebus, alienis rationem exigere, rogabatque obnixè, ut missis Herveldiam nunciis, veniam sibi pro admissis supplices precarentur. Nec multo post diuturnis miserabili genere morbi visceribus expiravit. Udo quoque Archipresbyter ejus, quo ille potissimum in hanc sæviriam inarserat, quique exactor atque administer hujus calumniz vehementissimus extiterat, eodem anno subitanea morte, sine confessione, sine sacra communione interiit, à diabolo (ut fama vulgatioe loquebatur) suffocatus. Meginhero Abbati vi. Idus Novembris substitutus est Ruothardus Corbejensis disciplinæ Monachus, qui in Monasterio Corbejensi Abbas quondam fuerat ordinatus. Sed quorundam criminum postea falsò, ut creditur, insimulatus, Abbatia amissa, nonnullos per diversa Monasteria privatus jam exege-

exegerat annos. Burchardo Episcopo successit Bucco Goslariensis Præpositus. Qui præcessoris sui recenti adhuc exitio conterritus, ab infestatione Herfeldensis Monasterii temperabat. Minabatur tamen plerumq; magna se facturum, sed ultra verba non processit. *Lupoldus Archiepiscopus Moguntinus*. v. 11. Idus Decembris obiit, relicto in monumentum sui Monasterio Sancti Jacobi, quod propriis impensis extruxerat Moguntia, foris murum, in monte qui dicitur Speciosus. Cui successit Sigifridus Abbas Fuldensis. Abbatiam vero Wideradus obtinuit ejusdem Cœnobii Monachus, ejusdem quoque familia oriundus.

1060. Rex natalem Domini Wormatiæ celebravit. Ubi & Synodus indicta fuerat, sed excusantibus se Episcopis per infirmitatem & pestilentiam, quæ tunc temporis vehementer grassabatur in Gallia, ad effectum non pervenit. Sitto Verdenensis Episcopus obiit, cui Ruchberdus successit. Gebhardus Ratisponensis Episcopus obiit, cui Otto successit. Cunradus Spirensis Episcopus moritur, in cuius locum Einhart promovetur.

1061. Andreas Rex Ungarorum, videns Belem quendam propinquum suum, Regnum affectare, & Ungaros a se paulatim ad eum deficere, uxorem suam & filium Salomonem, cui Imperator filiam suam parvulo parvulam desponderat, cum multis opibus, ad Regem Henricum transmisit, petens ut & sibi misso exercitu subveniret, & suos, donec rebus tranquillitas redderetur, servaret. Rex Wilhelmum Marchionem Thuringorum, & Epponem Citicensem Episcopum cum Duce Boemorum & exercitu Bajoarico illuc misit. Sed Marchio & Episcopus priores Ungariam ingressi, non expectato Duce Boemorum cum Bele signa contulerunt, atque infinitam multitudinem Ungarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Ungari ad ferendum suis auxilium frequentes confuissent, videntes missi Regis tanta multitudinem se numero & viribus impares esse, sinibus hostium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per qua exitus esse poterat, occluserant, tum ne quid cibi aut potus in via reperiretur, providerant. Cumq; insuper abantes crebra incursione infestarent, & illis semper periculum virtute propulsantes, magnas hostium strages darent, tandem diuturna cade exhaustis viribus, Andreas equo fortè excussus, pugnantium pedibus est conculcatus, Episcopus captus, Marchio fame magis, quam ferro expugnatus, se dedit. Cujus Virtus tanta admirationi apud Barbaros fuit, ut Joas filius Belis pro illius cum gentis moribus hæud desperatæ indolis adolescens, ultrò Patrem exoraret, non modo ut eum jure belli intactum sineret, sed etiam, ut affinitate sibi jungeret, desponsata ei filia sua sorore Jojade. Imperatrix Ducatum Bajoariz, quem post mortem Cunradi filii sui usque ad id tempus per seipsam administraverat, Ottoni dedit, videns eum Virum industrium & juvandis Regni negotiis satis opportunum.

Henricus Palatinus Comes Lothariorum uxorem suam manu propria interfecit, & sic tandem publicata evidentius infestatione dæmonis, quam diu dissonalaverat, missus est in Monasterium Efdernachen, ibique diuturna vexatione consumptus interiit.

1062. Wilhelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Ungariam, & sponsam suam cum magna opum suarum ostentatione adducere pararet, inter eundem secunda mansione morbo correptus obiit. Sponsam ejus Udalricus Marchio Carentino-

rum cognatus ejus accepit, Marcham Otto frater ejus obtinuit. Sed is beneficia Moguntini Episcopatus aliter obtinere non potuit, nisi promitteret decimas se de suis in Thuringia possessionibus daturum, & ceteros Thuringos ut idem facerent, coacturum. Quæ res multorum malorum seminarium fuit, detestantibus omnibus Thuringis factum ejus, & asserentibus, mori se male, quam Patrum suorum legitimam amittere. Imperatrix nutriens adhuc filium suum, Regni negotia per seipsam curabat, utebaturque plurimum consilio Henrici Augustensis Episcopi. Unde nec suspicionem incesti amoris effugere potuit, passim fama jactitante, quod non sine turpi commercio in tantam coaluissent familiaritatem. Ea res Principes graviter offendeat, videntes scilicet, quod propter unius privatum amorem, sua, quæ potissimum in Republica valere debuerat, auctoritas penè obliterata fuisset. Itaque indignitatem res non ferentes, crebra conventicula facere circa publicas functiones remissius agere, adversus Imperatricem popularium animos sollicitare, postremo omnibus modis nituntur, ut a matre puerum distraherent, & Regni administrationem in se transferrent. Ad ultimum, Colonien- sis Episcopus, communicatis cum Ecberto Comite, & cum Ottone, Duce Bavarorum, consiliis, navigio per Rhenum ad locum, qui dicitur Sancti Suitberti insula, venit, ibi cum Rex erat. Qui dum quadam die post solennes epulas factus fuisset hilarior, hortari eum Episcopus cœpit, ut navim quandam suam, quam ad hoc ipsum viro opere instruxerat, spectatum procederet. Facile hoc persuasit puero simplici, & nihil minus quam insidias suspicanti. Cumque navim ingressus fuisset, stipantibus eum his quos Episcopus factionis suæ socios ac ministros paraverat, repente remiges insurgunt, remis incumbunt, navim dicto citius in medium fluminis impellunt. Rex nova rerum facile confusus, incertusque animi, nec aliud quam vim & necem sibi paratam arbitratus, in flumen se precipitem dedit, citiusq; eum aqua violentior suffocasset, nisi Ecbertus Comes dato post eum saltu, periclitantem, ipse quoque non minimum periclitatus, vix & agere morti eriperet & navim restitueret. Exin blanditiis, quibus poterant delinitum Coloniam perducunt. Cætera multitudo per terram subsequitur, criminantibus plurimis, quod Regia Majestas violata, sui que imposita foret. Episcopus ut invidiam facti mitigaret, ne videlicet privatæ gloriæ potius quam communis commodi ratione hæc admisisse videretur, statuit, ut Episcopus quilibet, in cujus diœcesi Rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti Respublica pateretur, provideret, & causis quæ ad Regem delatæ fuissent, potissimum responderet. Imperatrix nec filium sequi, nec injurias suas jure gentium expostulare voluit, sed in propria recedens, privata deinceps ætatem agere proposuit. Nec multo post tædium passa ærumnarum seculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, quam citò & velociter ex sufflante Spiritu Dei exsiccetur scœnum temporalis gloriæ, cogitavit seculo renunciare, statimque ad explendum quod cogitaverat præceps abiisset, nisi in ea impetum spiritus amici maturioribus consiliis inhibuissent.

1063. Rex natalem Domini Goslariæ celebravit, Ubi ipsa die, dum ad vesperam sellæ Episcoporum locarentur, inter Camerarios Hecelonis Hildensheimensis Episcopi, & Camerarios Widerads Fuldensis Abbatis, gravis concertatio oborta est, & primò jurgiis, dein pugnis res gesta est, citoque ad gladios prorupissent, nisi

Otonis Ducis Bajoariorum, qui causam Abbatis tuebatur, auctoritas intercessisset. Causa vero talis erat. *Consuetudo* erat in Regno *per multos retro Majores conservata, ut semper in conventu Episcoporum Abbas Fuldenfis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret.* Sed Episcopus causi batur neminem sibi, intra diocesim suam, post Archiepiscopum debere praeferi, animatos ad hoc & operam gloria, qua antecessores suos longè supergrediebatur, & temporis opportunitate, quia Rege adhuc in puerilibus annis constituto; singuli quod sibi ininus suggessisset, facere impunè poterant.

Gerardus Papa qui & *Nicolaus* obiit. In cujus locum per electionem Regis, & quorundam Principum Parmensis Episcopus sublitutus est, & *Romam per Bucconem Habestadiensem Episcopum missus.* Cui *redenti pro premio bene curata legationis pallium dedit, & alia quadam Archiepiscopatu insignia.* Quod Archiepiscopus Moguntinus ad obtusandum sui prioratus fastigium factum interpretatus, indignissimè tulit. Sed per Archiepiscopi Coloniensis interventum satisfactione accpta, quievit indignatio ejus. Rex Pentecosten Goslarie celebravit. Ibi dum ad vespertinalem synaxim Rex & Episcopi convenissent, rursus *depositione sellarum Episcopalis tumultus exoritur,* non fortuita ut prius conversione, sed praemeditata diu inachinatione. Nam Episcopus Hildensheimensis acceptæ prius contumelie memor, *Ecbertum Comitem, cum expeditis militibus, retro altare occulera.* Hi audito tumultuantium Camerariorum strepitu ocyus advolant, *Fuldensium alios pugnis, alios fistibus cadunt, prosternunt, & de sacrario Ecclesie inopinato periculo attonitos facile proturbant.* Quibus illicò ad arma conclamantibus, *Fuldenses* quibus arma in promptu erant, *facto grege Ecclesiam irumpunt, in medio chori psallentiumq; fratrum manu conferunt, rem non jam fistibus, sed gladiis gerunt.* Pugna atrox committitur, atque *per totam Ecclesiam pro hymnis & canticis spiritualibus, vociferatio adhortantium & ululatus morientium exardit.* Super altaria Dei *tristes jugulantur hostia, passimq; per Ecclesiam sanguinis currunt flumina, non legali ut quondam Religione, sed hostili crudelitate profusa.* Episcopus Hildensheimensis capto editiori loco, tanquam militari quodam classico, suos, ut fortiter praeliarentur, hortabatur, & ne loci Religione ab armis terrerentur, suæ auctoritatis & promissionis titulum obtendebat. Multi utrinque vulnerati, multi occisi sunt, inter quos precipui erant Regenbodo signifer Fuldenfis, & Bero Ecberto Comiti charissimus miles. Rex inter hæc vociferans, & sub obtentu Regiæ Majestatis populum adjuvans, furdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus à suis, ut vitæ propriæ pugna excedens consuleret, vixque inter constipatam arctius multitudinem eluctatus in Palatium se recepit. *Hildensheimenses* qui instructi praemeditatque ad pugnam venerant, *superiores efficiuntur.* *Fuldenses* utpote quos inermes, inopinatosque subito exortæ seditionis procella contraxerat, *sui fugatique, atque de Ecclesia expulsi sunt.* Fores illicò obserantur. *Fuldenses* qui primo tumultu ad arma tollenda paulò longius discurrerant, frequentes, armatique adsunt, atrium Ecclesie occupant, aciem instruunt, ut de Ecclesia progressos statim adorianur. Sed nox concertationem diremit. Postero die severissimè habita quaestione, Ecbertus Comes facilè crimen removit, non tantum

juris, & legum patrocinio, quantum favore & indulgentia Regis, cujus patruelis erat. Totum accusationis pondus in Abbatem versum est. Hæc, inquit, omnium quæ acciderant caput formitemque fuisse; hunc ad disturbandam quietem Regiæ curtis praemeditato furore venisse, argumento rei esse, quod tacta vi hominum, tanta bellici apparatus pompa instructus; nullo periculi metu urgente eo venisset. Tum verò urgebat & ille Apostolicæ Sanctitatis ac Mosaicæ mansuetudinis Episcopus, qui tanti sanguinis effusione manus suas Deo consecraverat, & violatæ Ecclesie injurias trunculentius; atque immitius, quam Rex suas, persequeretur. In quorum corpora prius ferro debacchatus fuerat, ad perimendas horum animas gladio spiritus modo fulminabat, praecedens tam defunctos, quam eos qui cædi superfuerant, de corpore Ecclesie. *Abbatem, præter acerbitatem rei, quæ acciderat, odium quoque gravabat nominis monachiei, quod in veterata malitia homines seculi semper obfucare atque opprimere conabantur.* Sic undique impetitus, oppugnatus, oppressus, post tot tantasque contumelias privatus abcessisset; nisi quem nec lex, nec innocentia tueri poterant, pecunia tutata fuisset. Nam *distrahitis ac dilapidatis rebus Fuldenfis Monasterii, se suosq; charissimo mercimonio redemit.* Quantum Regi, quantum auriculariis, quantum Episcopo datū sit, haud satis certò comperimus. Cautum enim fuerat, ne passim vulgaretur. Hoc haud dubiò constat; *se in tempestate exhaustas atque attritas esse illius Monasterii opes, quæ usque ad id temporis florentissima erant, cunctiq; Galliarum Ecclesie eminebant, ut modo ibi prius opulentiæ vix monumenta reperias.* Abbas post hæc accepta licentia, Fuldam reliquit, amaro & confecto nimis super tantis calamitatibus animo. Et ecce ibi acerbiori penè rerum asperitate excipitur; & secundum Prophetæ elogium, fugiens arma ferrea, incidit in acum æreum. *Fratrei Fuldenfes à principio austerrum ejus, & minus quam decuit populare, ingenium offenderant. Auxit ipse invidiam, & facem non minimam emulationi subdidit, prædæ Ecclesie militibus improbè erogando, & victualia fratrum, priorum Abbatum liberalitate statuta, minuendo.* *Murmurabant de his quotidie, & intestinis simultatibus quætebantur Monasterium.* Tolerabantur tamen timore magis quam amore, ne scilicet immaturè vulgata querimonia, favor Regis & Principum eum tuerentur. At ubi nuncius acceptæ in Goslaria cladis Fuldæ venit, tum verò & recentis vulneris dolore; & præteritorum memoria accensi, fremere omnes, & se vicissim hortari, ut tantam temporis commoditatem divinitus oblatam non negligerent, agendo negotio nihil præter operam indultriamque suam deesse, urgeri hominem propriis iniquitatibus ad interitum, agerent nunc singuli pro virili portione & se suumque Monasterium liberarent acerrimo non patre; sed hoste, qui Fuldense nomen, coelo prius æquatum, probro nunc ludibrioque cunctis exposuisset. Sic inflammata seditioni, tanquam oleum igni addidit injuria recentior. Regenbodo qui in illa Goslaticensi congressione occubuerat, equum unum magni pretii fratribus Fuldensibus ob recordationem animæ suæ dedit, quem protinus Abbas ipsis inconsultis, laico cuidam dedit. Hunc efferatis animis, intemperatissimis clamoribus fratres repetunt, diu se tyrannidem ejus, magis quam dominatum, servili patientia tulisse, non ultra laturos fore, redde-

redderet ocyus per vim erepta sibi alienæ liberalitatis beneficia, si cunctaretur, non jam clandestinis muffitationibus se acturos; sed palam aditis tribunalibus Divinam & humanam opem contra violentiam ejus imploraturos. Abbati pondus malorum primo consilium respondendi ademerat; dein totus ad preces lachrymasque versus, orare & obtestari per Deum, ne juxta vetus proverbium, ignem gladio scrutarentur, ne Goslariensis contumeliæ vulnus, recens adhuc, & necdum in cicatricem obductum, novis doloribus exulcerarent, memorarentur, calamum conquassatum non conterendum, nec linum fumigans in favillas cinerisque redigendum, parcerent si minus existimationi propria, at calamitati ejus & miseriæ, quæ tanta esset, ut hostibus quoque suis lachrymas excutere posset, se si Angelus Domini persequens eum paululum remisisset, si ab tantis malis, vita comite, unquam respirasset, non modo adempta redditurum, sed duplicatis quoque muneribus cumulaturum. His qui ætate & sensu maturiores erant, citò hæc verba satisfecerant; sed juvenus more suo; nihil veniæ, nihil laxamenti admittebat, diu simplicitati suæ per mollia verba insultatum fuisse, fidem ejus tanto tempore, tot rebus spectatam ultrà fallere non posse, eos mores, eam improbitatem hominis esse, quicquid urgentibus in præsentiarum malis non fecisset, id nisi iterum vis adhiberetur, perpetuò infectum fore, propterea se ab jure suo non cessuros esse, donec ad expugnandam animi ejus duritiam, omnia divinæ, omnia humanæ opis suffragia pertentassent. Abbas diu immoratus, ubi se videri nihil supplicando agere, nec copiam sibi esse ad reddenda, quæ exigebantur, præsertim exhaustis penè cunctis opibus Monasterii, nec sufficientibus tamen ad exaturandam ingluviem avaritiæ eorum, qui in Goslariensi tumultu læsi fuerant, tandem Regis visione accersitus, ad cohortem Regiam proficiscitur, dato necessariis suis negotio, ut terroribus & blandimentis, quaquæ via possent, efferatæ juventutis animos mitigarent. Sed hoc in irritum cessit. Denique post abcessum ejus Principes juventutis quibus potissimum incentoribus tantum malum exarserat, totam ad eunt congregationem, indicant animo sibi fixum esse, ut eruptione facta de Monasterio, Regem ubicunque gentium reperitur, perquirant contra sævitiam Abbatis ejus potentæ patrocinium exposcant, orantque, ut quibus valetudo non obstat, secum proficiscantur; qui verò ætate vel morbo prægravante id non possint, scripti sui astipulatione factum eorum corroborent. Res fœda & dictu quoque horrenda visa est senioribus, fusi que in terram per Deum precabantur, ne se & ipsum Fuldensis spei exiguum quod restabat perditum irent, turbatam graviter Goslariensi clade rem Fuldensem, si ipsi Monasterii limen ea mente excessissent, non turbendam modo; sed omnino in præceps ituram. Nihil illi his sermonibus moti, jam enim pertinacia in amentiam atque in rabiem severterant, concitè per Monasterium discurrunt, invicem se ad audendum facinus adhortantur, & sic tandem *adultæ conspiratione sedecim numero, crucem sibi præferentes, antiphona imposta, claustris Monasterii erumpunt. Sequebantur eos eminentius majores natu, qui sanum aliquid sapiebant, cum tanto luctu atque ejulatu, ac si eos ad sepulturam funebri pompa ultimum vale audirent efferret. Itaque ne rei tam atrocis novitas repente nunciata Regi stuporem incuteret, unum ex numero suo citato, quan-*

tum poterat, equo præmittunt, qui literas ad Regem tantæ calamitatis indices perferat, & qua vi, qua necessitate, ad hæc extrema experienda coacti sint, edoceat. Ipsi paulatim pedestres servatis ordinibus subsequuntur. Postquam nuncius eò pervenit, lectæque sunt literæ, horror quidam perculit omnes qui in Palatio erant super tam procaci facto, mirabanturque *inter eximios & Apostolica conversationis Veros, tantum flagitii potuisse reperiri, ut privatas injurias tam pessimo exemplo ulciscerentur, nec filii patris in ea potissimum calamitate misererentur, in qua hostes quanquam suos ad miserationem & ad lachrymas provocare potuisset. Placuit itaque omnibus insigne hoc facinus insigni aliquo exemplo vindicari. Tum Rex consilio usus Coloniensis Archiepiscopi & Ottonis Ducis Bajoariorum, quorum tunc arbitrio Respublica administrabatur, præcepit, ut ipse Bajulus literarum cum aliis tribus, qui auctores seditionis fuerant, per diversa Monasteria in custodia habendi mitterentur. Ad compescendam verò ceteram multitudinem, quoniam nec spiritu lenitatis, nec virga monastica correptionis sanari potuissent, Abbas militari manu uteretur. Tunc Abbas missis obviam militibus sine vi & tumultu eos Fuldam reduci jussit, & extra Monasterium custodibus adhibitis suum prætolari reductum. Ipse quoque Regi valò facto, eos è vestigio est subsecutus. Ibi collectos fratres, & primos militum Fuldensium diu ea consultatio tenuit, *laicorum an Monachorum judicio in eos animadverti oporteret. Vicit ea sententia, quæ censebat, eos qui excusso jugo regula, contempto Abbate, per contumaciam egressi & nec dum in Monasterium recepti essent, laicorum potius lege judicandos fore. Ita Abbas laicorum jurisdictionem secutus, duos ex eis, alterum Presbyteratum, alterum Diaconi honore insignes, jussit publice virgis casos & attonfos expelli. Reliquos multis plagis maceratos, per vicina Monasteria aliura alio transmisit. De singulis tamen non pro modo culpa, sed pro natalium suorum claritate, vel obscuritate, mitius vel atrocius sumptum supplicium est. Viderit Abbas an vi doloris impulsus, injurias suas acerbius quam decuit vindicando, modum forte excesserit. Id constat injustam esse ea tempestate maculam Fuldensi Monasterio, quæ longa forsitan succedentium temporum serie ablui & extergi non possit.**

Bel, qui Regnum in valerat Ungarorum, obiit, Joas filius ejus *satiis putans moderatis opibus in pace perfri, quam immoderatas ambiendo calamitatem, atque excidium parere genti suæ, mandavit Regi Henrico, si sibi apud Salomonem filium Andree Regis natalibus & meritis suis condignus honor haberetur, subditum se ei fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eorum armis, fide quam acie dimicare. Eadem Ungari omnes assidua Legatione pollicebantur. Ita Rex Henricus Ungariam cum exercitu ingressus Salomonem in solum Patris restituit, juncta ei in conjugium sorore sua, ablatisque omnibus, quæ Regi scrupulum movere, vel Regni statum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.*

Educatio Regis atque ordinatio omnium rerum publicarum penes Episcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Coloniensis Archiepiscoporum auctoritas. A quibus cum in partem consilii Adelbertus Bremensis Archiepiscopus assumptus fuisset, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque Archiepiscopatus prærogativam, ille sæpius colloquen-

do, obsequendo etiam atque assensando, ita sibi Regem brevis devinxerat, ut ceteris Episcopis posthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipse in Regno communi penè Monachiam usurpare videretur. Secundas post eum partes agebat Wrenher Comes, juvenis tam ingenio quam aetate ferox. Hi duo pro Rege imperitabant, ab his Episcopatus & Abbatia, ab his quicquid Ecclesiasticarum, quicquid secularium dignitatum est, emebatur, nec alia cuiquam licet industris atque egregio viro spes adipiscendi honoris ullius erat, quam ut hos prius ingenti professione pecuniarum suarum redemisset. Et ab Episcopis quidem & Ducibus metu magis, quam Religione temperabant. In Abbates vero, quod hi injuriæ obviam ire non poterant, tota libertate grassabantur, illud præ se ferentes, nihil minus Regem in hos juris ac potestatis habere, quam in villicos suos vel in alios quoslibet Regalis fisci dispensatores. Et primo quidem prædicia Monasteriorum favoribus suis prout libitum erat distribuere, & quod reliquum erat, crebra Regalium servitorum exactione usque ad feces ultimas exhauriebant. Dein convalente audacia, in ipsa Monasteria impetum faciebant, atque ea inter se tanquam provincias partiebant; Rege ad omnia, quæ jussus fuisset, puerili facilitate annuente. Itaque Bremensis Archiepiscopus duas occupat Abbatis, Laurensem & Corbejensem, præmiun hoc asserens esse fidei ac devotionis suæ erga Regem. Ne id invidiosum apud ceteros Regni Principes foret, persuaso Rege, dat Coloniensi Archiepiscopo duas, Malmendren & Endan. Moguntino Archiepiscopo unam, in Selechinstat. Ottoni Duci Bajoriorum unam in Alaha, Rodolfo Duci Suevorum unam in Kenbeten. Igitur Bremensis Archiepiscopus, ut totam tyrannidi suæ vacantem redderet Corbejensem Abbatiam, ridiculam commentatur fabulam. Disseminatis per Curtim Regiam rumoribus, divulgat, Episcopum civitatis cujusdam transalpina, cui Pole nomen est, humanis rebus excessisse. Huic successorem persuaso Rege subrogat Abbatem Corbejensem, jubetque ut destitutam Rectore Ecclesiam quantotius eat invisere. Verum inter moras quibus ille itineri necessaria parabat, dum quidam de Italia venientes, Episcopum qui mortuus dictus fuerat, vivum & incolumem nunciassent, irridere omnes & detestari fraudem Archiepiscopi cœperunt. Tum Otto Dux Bajoriorum ad prohibendum tantum nefas Divino spiritu animatus, multis conatibus circumquaque explicitis, vix & agrè obtinuit, ut tam Abbati quam Monasterio Corbejensi suus honor, sua dignitas incolumis servaretur. Porro cum in Monasterium Laurense satellites Archiepiscopi venissent, nuntiantes, quod Regia donatione locus ipse in jus potestatemque Archiepiscopi concessisset, juberentque ut Abbas constituto loco non pigritaretur occurrere, tantus dolor & indignatio omnes invasit, ut nec manibus in Legatos ipsos temperassent, nisi jus gentium plus, quam ira valuisset. Contumeliosè auditis, contumeliosius multo sunt dimissi. Quod postquam Regi nuntiatum est, missis aliis nunciis, jussit Abbati sub interminatione salutis propriæ, ut Abbatia se abdicaret, festinusque Monasterio excederet. Ille, comperta priusquam Legati advenirent Regis sententia, benignè eos suscepi jussit, atque in diem posterum, eorum, quæ in mandatis habebant, audientiam distulit. Nocte paucis sibi adhibitis inde discedens, in loca tenuissima omnibus, præter admodum paucos ignoratis se recepit, cum & prius

omnes Ecclesie thesauros clanculo exportatos in tenebris locasset. Ita Legati die postero cui jussa Regis exponerent non habentes, multumque Viri prudentiam admirantes, infecta Legatione redierunt. Tum milites ejus quos eo tempore & opum gloria & militaris rei industria clarissimos habebat, collatis viribus, montem qui proximus adjacet Monasterio occupant, castellum extruunt, præsidium imponunt, parati Archiepiscopum ab infestatione Monasterii, capitis quoque sui periculo acere.

1064. Caulabantur Romani Principes, quod Rex eis inconsultis Romana Ecclesia Pontificem constituisset, & ob eam injuriam defectionem meditari videbantur. Propter quod placuit Coloniensem Archiepiscopum Romam mittere. Qui veniens eò, cum aliud turbatis rebus invenire non posset remedium, judicavit ordinationem, quæ inscio Senatu Romano facta fuisset, irritam fore, & sicamoto Parmensi Episcopo, per electionem eorum Anselmum Luccensem Episcopum pro eo ordinari constituit. Verum ubi ipse peracta Legatione regressus est in Galliam, Pannensis Episcopus armata multitudine non modica, Luccensem Episcopum Sede Apostolica per vim deturbare aggressus est. E contra favoribus illius ad arma impigrè concurrentibus, congressio facta est, multi que hinc & inde vulneribus acceptis corruerunt. Sic depravata Ecclesiastici rigoris censura, homines non ut quondam ut præessent Ecclesie Dei, in jectam manum traherentur, sed ne non præessent, armati manu præliberantur, fundebantque, mutuo sanguinem non pro ovibus Christi, sed ne non dominarentur ovibus Christi. Anselmus tamen, qui & Alexander, & virtute militum & favore Principem sedem obtinuit. Alter vero eisi per contumeliam repulsus, tamen quoad vixit, ab jure suo non cedebat, huic semper derogans, hunc adulterum Ecclesie Dei, hunc pseudoapostolum appellans. Missas quoque seorsum celebrans, ordinationes facere, & sua per Ecclesias Decreta & Epistolas more Sedis Apostolicæ destinare non desistebat. Verum nullus attendebat, criminantibus universis, quod in ultionem privatæ contumeliæ, Sedem quanquam Apostolicam, homicidio maculasset.

Henricus Augustensis Episcopus obiit, in visus Regi, in visus Episcopis omnibus, propter superbè administratam Regni gubernationem, tempore Imperatricis. Embricho ei successit. Præpositus Moguntinus, Vir Pontificalis Modestix & Gravitatis.

Wertherus Comes villam Monasterii nostri, quæ dicitur Stryberg, inconsulto Abbate à Rege petiit, & impetravit. Pro qua recipienda diuturnum agonem desudavimus, dimitantes adversus tanti hostis sævitiam, non armis carnalibus, sed jejuniis & crebris orationibus. Unde ille mordaciter magis quam facete jocari solebat, in magno munere dignum se esse apud Regem, qui Monachos ejus languidos prius in opere Dei & tepidos, novis facibus adhibitis, exuscitasset, invitosque ad jejunia & nudipedalia coegisset.

Sigefridus Moguntinus Episcopus, & Gunterus Babenbergensis, & Otto Ratisponensis, & Wilhelmus Trajectensis Episcopi, item alii quam plures columnæ & capita Galliarum, autumnali tempore Hierosolimam proficiscuntur.

1065. Rex natalem Domini Goslarix celebravit, Pascha Wornatix. Ubi Archiepiscopus Bremensis inter sacra missarum solennia, dum debitum tunc festivitati sermonem faceret, hominem ab infestatione demonis

damonia purgavit, suis pro eorum suis, quam totius populi, qui praesens erat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupentibus scilicet, quod *Vir tam pessima in populo existimationis, qui vitam Virtutum non haberet, signa Virtutum faceret.* Sed æmuli ejus invidiosè hoc interpretabantur, non meritis ejus, sed praesentium populorum supplicationi adscribendum esse tantæ rei effectum.

Ibi per concessionem ejusdem Archiepiscopi, primum se Rex arma bellica succinxit, statimque primam susceptæ armaturæ experientiam in Archiepiscopum Colonensem dedisset, & ad persequendum eum ferro & igni præceps abiisset, nisi res turbatas Imperatrix tempestivo valde consilio composuisset. Inter cætera id potissimum invidiæ ei erat, quod ante aliquot annos, dum Imperatrici jus Regni rerumque gubernacula eripere vellet, ipsum penè Regem in ultimum discrimen præcipitasset.

Heceloni Argentorati Episcopo paulò antè defuncto, successor substitutus est Werher propinquus Werheri Comitis.

Interea prædicti Episcopi Hierosolymam pergentes, dum magnitudinem opum suarum, genibus per quas iter habebant, inconsultius ostentarent, ultimum sibi periculum consciverunt, nisi rem humana temeritate prolapsam, divina misericordia restituisset. Nam Barbaros qui ex urbibus & agris ad spectandos tam illustres Viros catervatim profluebant, primò peregrini cultus ac magnifici apparatus ingens miraculum, dein (ut fit) non minor prædæ spes ac desiderium cepit. Itaque cum transita Licia fines Sarracenorum introissent, & jam à civitate cui Ramulo nomen est, una vel paulò plus mansione abessent, proximo parasceve ante Pascha circa tertiam diei horam *incurtionem passi sunt ab Arabibus, qui comperto tam insignium Virorum adventu, undiq; ad spolia diripienda frequentes armatique confluerant.* Plerique Christianorum religiosum putantes, manu sibi auxilium ferre, & salutem suam quam peregrè proficiscentes Deo devoverant, armis corporalibus tueri, prima statim congressione prostrati, vulneribus multis confecti, & omnibus, quæ habebant à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ expoliati sunt. Inter quos Wilhelmus quoque Trajectensis Episcopus brachio penè plagis debilitato, nudus ac semivivus relictus est. Cæteri Christiani jactu lapidum, quod genusteli fortè locus ipse affatum ministrabat, non tam periculum propullabant, quam mortem quæ præsens urgebat, differre conabantur. Pedem etiam paulatim subtrahendo, ad villam declinabant, quæ ab ipso itinere spacio mediocri distabat. Capernaum hanc fuisse ex similitudine vocabuli conjiciebant. Quam ut ingressi sunt, Episcopi omnes atrium quoddam occupant, humili septum maceria & & tam fragili, ut etiam si nulla vis adhiberetur, sola vetustate facilè corrueret. In cujus medio domus erat cœnaculum habens satis editum, & ad repugnandum quasi ex industria præparatum. Hujus superiora Episcopus Moguntinus & Babenbergensis cum Clericis suis, inferiora cæteri Episcopi sibi vendicant. Laici omnes ad arcendum vim hostium, & maceriam defendendam impigrè discurrunt, & primam quidem certaminis procellam lapidum jactu, ut prædictum est, sustinuerunt. Dein cum Barbari magnam telorum nubem in castra conjecissent, & ipsi plerumque impressione in eos facta clypeos & gladios manibus eorum vi extorsissent, non solum jam maceriam tueri suffi-

ciunt, sed portis etiam interdum erumpere, & pugnam cominus laceffere audent. Quorum impetum dum Arabes nullo jam loco, nulla acie sustinere possent, consilium tandem à tumultuaria congressione ad obsidionem vertunt, & inedia atque lassitudine conficere aggrediuntur, quos ferro expugnare non poterant. Itaque multitudinem, qua superabundabant, conglobatis scilicet circiter XII. millibus partiuntur, ut alii aliis vicissim ad oppugnationis studium succedentes, nullam illis vel paululum respirandi copiam facerent, suspicantes quod propter inopiam rerum omnium quibus vita humana sustentari solet, dimicandi laborem non diu toleraturi forent. Ita Christiani toto parasceve, toto Sabbato sancto usque ad tertiam ferè horam Paschalis diei sine intermissione oppugnabantur, nec eis hostilis improbitas vel modicum temporis punctum, quo saltè somni perceptione corpora recrearent, indulgebat. Nā cibum nec potum, mortem præ oculis habentes, desiderabant, nec si magnoperè desideraretur, quid sumerent, omnium inopes habebant. Cumque die tertio labore & inedia exhausti ad extremum pervenisissent, & fortia plerumque conatos Virtus jejunio infracta frustraretur, quidam ex numero Presbyterorum exclamavit, *non recte eos agere, quod in armis suis plus quam in Deo spei ac roboris ponerent, & calamitatem quam eo permittente incidissent, propriis viribus propulsare conarentur, propterea placere sibi, ut se dederent, præsertim cum tridua jam abstinentia militaribus rebus eos inuites prorsus reddidisset, non esse Deo difficile, ut deditis eis et ab hoste subjugum missis, misericordiam præstaret, qui suos toties etiam in ultima necessitate conclusos, mirabiliter liberasset.* Ut hoc quoque inferret, Barbaros nequaquam propter ipsos occidendos tanto molimine grassari, sed ut pecunias eorum auferrent, quibus si potiti fuissent, liberos eos deinceps intactosque sine vi, sine molestia abire passuros. Placuit consilium omnibus, statimque ab armis ad preces versi, per interpretem, ut in deditonem acciperentur, orabant. Quo comperto Dux Arabum citato equo in primos advolat, & cæteros quidem longius summovet, cavens, ne temerè admissa multitudine præda confuso distraheretur. Ipse decem & septem honoratissimos gentis suæ secum assumens, castra ingressus est potentia, relicto ad portas præsidii causa filio suo, ne quis fortè prædæ avidus post se non vocatus, irrumperet. Cumque ad motis scalis in cœnaculum, ubi Moguntinus & Babenbergensis Episcopi latitabant, cum paucis ascendisset, Babenbergensis Episcopus, cui licet Junior ætate esset, tamen propter Virtutum prærogativam & totius corporis admirandam dignitatem præcipuus à cunctis honor deferrebat, rogare eum cepit, ut omnibus quæ haberent usque ad novissimum quadrantem sublatis, nudos se abire sineret. Ille & victoria elatus, & præter ingentem morum barbariam, accepta quoque tot congressionibus clade, nimium efferatus, ait, *se adversus eos jam triduo, non sine grandi damno, exercitus sui ea mente bellum gessisse, ut suis conditionibus erga victos uteretur, non quas ipsi constituerent, ne ergo falsa spe eluderentur, se omnibus quæ haberent sublatis, carnes eorum comesturum & sanguinem bibiturum.* Nec moratus, linteum quo caput more gentis obvolverat, expediens, facto vinculo, in collum Episcopi injecit. Episcopus, ut erat Vir liberalis verecundiæ, & maturæ admodum gravitatis, ignominiam non ferens, tanto nisu pugnam ei dedit in faciem, ut uno ictu consternatum ad

paupimentum usque precipitem daret, vociferans insu-
per, prius cum poenas, pro impietate daturum, quod
impuras manus in Sacerdotem Christi, profanus &
idololatra mittere praesumpisset. Irruunt protinus
alii Clerici & laici, & tam huic quam caeteris qui in
coenaculum ascenderant, adeo arctis nexibus manus
a tergo constringunt, ut sanguis plerisque rupta cute,
per unguis profluere. Perlato audacis facti iudicio
ad eos qui in inferiori parte domus consistebant, ipsi
quoque, his qui apud se erant Arabum Principibus
idem faciunt. Dein laici omnes sublato in altum cla-
more, vocatoque in auxilium sibi omnium rerum opi-
fice Deo, rursus arma capessunt, maceriam occupant,
praesidium quod circa portas erat, conferta manu fun-
dunt fugantque. Et sic alacres, sic innovatis inopino
succesfu viribus ubique rein peragunt, ut nihil lassitu-
dinis, nihil incommodi ex triduana eis inedia & labo-
re accessisse putares. Alacritatem tantam repente ex
trepidatis rebus & ultima desperatione coortam nimium
admirati Arabes, nec aliam novitatis huius causam su-
spicati, quam quod de Principibus suis sumptum fuisset
supplicium, infelicitissimis animis in pugnam ruunt, &
facto grege per arina, per vias in caltra percurrere
parant. Et acta res foret, nisi mature orto consilio,
Christiani vinctos eo loco Principes statuere, ubi
atrocissima vis hostium & creberrimus telorum inber
incumbebat, apposito super capita eorum spiculato-
re, qui districtum in manibus gladium tenens clama-
bat per interpretem, nisi ab oppugnatione quis cerent,
non armis se adversum eos, sed Principum capitibus di-
micaturos. Tum ipsi Principes, quos praeter vinculo-
rum acerbiter imminens quoque cervicibus gla-
dium vehementer angebat, cum magno ejulatu suos
obtestabantur, ut moderatius agerent, ne obstinate
certamen hostibus inferentes, eos ad supplicium ne-
cemque suam, cum incisa spes esset veniae, inflamma-
rent. Patris periculo attonitus filius Ducis Arabum,
quem ad portam atrii a Patre causa praesidii relictum
supra memoravi, citato gradu in confertissimos suo-
rum cuneos se dedit, & furentis exercitus impetum,
voce & manu increpitans, retinuit, & tela in hostes ja-
cere prohibuit, quae non hostes ut ipsi putarent, sed
Principes sui propriis pectoribus excepturi forent.
Per hanc occasionem paululum ab armis & incurso-
nibus vacatione data, nuncius venit in castra ad Chri-
stianos, missus ab his, qui in paralceve omnibus amif-
sis, nudi & saucii usque Ramulo pertenderant. Is ama-
ritudine & metu confectis mentibus magnum attulit
refrigerium, indicans Ducem praedictae civitatis, licet
paganum, Divino tamen (ut putabatur) instinctu ani-
matum, cum ingentibus copiis ad ipsos liberandos
advenire. Nec latere potuit Arabibus advenientium ho-
stium fama. Statimque omnes avertis ab aliorum op-
pugnatione ad seipos salvandos cogitationibus, prae-
cipiti fuga, quod quemque spes evadendi vocabat, dis-
labuntur. In ea trepidatione dum alii & alia curanda
discurrerent, unus vinctorum evasit, opera usus Sarra-
cenorum cuiusdam quem Ducem itineris Christiani habe-
bant, tanto omnium dolore, tanto gemitu, ut ab eo
cujus indulgentia dimissus fuerat, vix manus inhibe-
rent. Nec multo post Dux ipse (ut nunciatum fuerat)
cum exercitu advenit, pacificeque in atrium a Christia-
nis susceptus est, suspensis tamen omnibus inter spem
& metum, ne forte non sublata calamitas, sed hostis
tantum mutatus esset, & propter novitatem rei difficile
credentibus, quod satanas satanam ejicere, hoc est, Pa-
ganus paganum ab infestatione Christianorum cohi-

bere vellet. Primò omnium vinctos sibi praesentari jus-
 sit. Quos cum aspexisset, & quae facta fuerant ordine
 audisset, maximas Christianis gratias egit pro magni-
 ficè gestis rebus & expugnatis Reipublicae acerrimis
 hostibus, qui Regnum Babylonium jam per multos
 annos assiduis populationibus infestassent, & magnas
 plerumque adversum se instructas acies, commisso
 certamine obtivissent. Traditos eos custodibus Regi
 Babyloniorum vivos servari praecipit. Ipse accepta à
 Christianis, quanta convenerat, pecunia, secum eos
 Ramulo perduxit. Inde adhibito eis expeditorum ju-
 venum praesidio, ne qua denuò latronum incurfione
 periclitarentur, ulque Hierosolymam eos perducere jus-
 sit. Nihil deinceps difficultatis in eundo, nihil in
 redeundo perpeffi, Liciam pervenerunt, gratias Deo
 referentes quòd emensis tot rerum asperitatibus vi-
 vos eos & incolumes in tutum restituisset. Ex hoc per
 Christianorum fines reditum facientibus, omnia ce-
 debant ex sententia. Verum postea quam in Ungari-
 am ventum est, Gunterus Babenbergensis Episco-
 pus (heu) immatura morte praeventus, prosperae ac lae-
 tae reversionis lugubrem omnibus exitum fecit. De-
 cessit autem X. Kal. Aug. aetate integra & ad perfruen-
 dum hoc seculo maximè matura, Vir praeter morum
 gloriam & animae divitias, corporis quoque bonis ad-
 primè ornatus. Natus erat ex primis Palatii, privatis
 possessionibus praeter Episcopatum affluentissimus,
 linguà promptus & consilio, literis eruditus tam Di-
 vinis quam humanis, tum statura & formae elegantia
 ac totius corporis integritate ita caeteris emittens
 mortalibus, ut in illo Hierosolymitano itinere ex ur-
 bibus & agris spectandi ejus studio profluere, & be-
 ne secum actum crederet, cui eum videre contigisset.
 Unde cum positus eis in diversorio, plerumque turba
 intemperans propter eum nimis molesta foret, com-
 pulsus est aliquoties à caeteris Episcopis, ut in publi-
 cam procederet, & obsidentem fores multitudinem
 suo spectaculo à caeterorum vexatione avocaret. Tan-
 tum hunc transitoriae felicitatis splendorem vitae in-
 nocentia & morum temperantia clariorem in eo cu-
 mulatioremque faciebant. Nam tantam in se utriusq;
 hominis gloriam, quam omnes mirabantur solus ipse
 ita propter Deum contemnebat, ut intimae quoque
 conditionis hominibus populari se communemque
 praerberet, & à servis suis plerumque maximas verbo-
 rum contumelias inultus acciperet. Celebris ergo pom-
 pa funeris in patriam reportatus, & magnis omnium,
 qui eum noverant, planctibus exceptus, in Babenbergensi
 Ecclesia, ubi à puero adoleverat, sepultus est.
Succesit ei in Episcopatum Hermannus Vicedominus
Moguntinus, qui in eadem Hierosolymitana peregrina-
tionem constitutus, dum cum invalescente morbo, ad
exitum urgeri videret, Legationem praemissit ad neces-
sarios suos, quibus patria excedens, suae rei familiaris
dispensationem delegaverat, petens, ut sibi ad Episco-
patum qua possent ratione, aditum patefacerent. Quod
& sedulo fecerunt, profuso in coemptionem ejus argenti
& auri inestimabili pondere.

Eilbertus Patavii Episcopus obiit, cui Altman Ca-
 pellanus Imperatricis successit, qui dum ipso tempore
 cum caeteris Principibus Hierosolymam abiisset, per
 interventum Imperatricis absens designatus est Epi-
 scopus.

Arnolfus Wormatiz Episcopus Vir pontificalis
 modestus & sanctitatis migravit ad Dominum, succes-
 sitque ei Adelbertus Monachus ex Monasterio San-
 cti Galli, frater Rudolphi Ducis, uno pede omnin-
 debi-

debilis, Vir per omnia dignus spectaculo. Erat enim fortitudinis magna, edacitatis nimis, crassitudinis tanta, quæ aspicientibus horrorem magis incuteret, quam admirationem, nec ita Centimanus Gygas aut aliud antiquitatis monstrum, si ab inferis emergeret, stupentis populi oculos in se atque ora converteret.

1066. Rex natalem Domini Goslarie celebravit. Ubi ab ipso jam initio autumnus usque ad eam partem hyemis, tanquam stavis castris, se continuerat, sumptus habens Regia magnificentia multum impares. Nam præter pauca quæ ex redditibus Regalis filci veniebant, vel quæ Abbates coactio famulatu ministrabant, cætera omnia in quotidianos usus ejus quotidianis impensis emebantur. Hoc adeo fiebat odio Bremensis Archiepiscopi, quem omnes criminabantur sub prætextu Regia familiaritatis, monarchiam usurpasse manifestæ tyrannidis. Et ipse ergo consuetæ Regi servitium mittere detrectabant, & ille in alias Regni partes Regem abducere solebat, ne scilicet cum aliis Principibus communicando Principatum consiliorum & familiaritatis, ipse sibi aliquid immineret de fastigio usurpata singularitatis. Sed non ultra laturo injuriam videbantur Principes Regni. Archiepiscopi Moguntinus & Colonienis cum cæteris, quibus curæ erat Respublica, crebra conventicula faciebant, atque omnes in commune quid facto opus esset consulere rogabant. Dein jam adulta conspiratione, diem generalis colloquii omnibus indixere Regni Principibus, ut Triburiam convenientes, Bremenem Archiepiscopum communem omnium hostem communibus omnines studiis oppugnant, Regique denunciarent, aut Regno ei cedendum esse, aut familiaritate & amicitia Bremenensis Archiepiscopi defugiendum. Per lato Goslariam atrocis rei nuncio, Rex ad statutam diem concitus properabat, cum quo & Werenher Comes veniens, in villam Ingelheim, cujus pars aliqua ad nostrum quoque Monasterium pertinet, hospitatum diverterit. Ubi dum milites ejus ab incolis prædas agerent, & illi ad arma conclamantes manu vindicare se niterentur, atrox pugna coorta est. In qua dum Werenher Comes ad ferendam suis opem impigre discurreret, à quodam nostri Monasterii vilissimo mancipio, vel ut alii ferunt, à fœmina saltatrice, clava percussus in capite corruit, atque ad Regem semivivus est reportatus. Admonitus ab Episcopis qui præsentibus erant, ut pro peccatis suis Deo in extremo jam spiritu constitutus satisfaceret, seque Herveldensium Monachorum precibus interemptum recognoscens, villam Kirchberg, quam injuste invaserat, redderet, nullo modo adquevit, donec Episcopi consensu facto, minitarentur se ei sacram communionem morienti non duros, nisi prius tanti peccati pondere se exonerasset. Sic tandem pudore magis quam Religione victus, reddidit, statimque vita excessit. Statuta die tristitia in Regem omnium vultus, tristis erat sententia, ut aut Regno se abdicaret, aut Archiepiscopum Bremensem à consiliis suis atque à Regni consortio amoveret. Tergiversanti, & quid potius eligeret hæsitanti, Archiepiscopus consilium dedit, ut proxima nocte ablati secum Regni insignibus clam aufugeret, & Goslariam aut in alium locum se reciperet, ubi ab injuria tutus foret, donec turba hæc conquiesceret. Adveniente vespera thesauros Regios per satellites & socios fraudis suæ, jam exportare ceperat, cum repente ad ministrum Regis consilium hoc, nescio quo indicio, permanavit, qui statim raptis armis cur-

tim Regiam circumdederunt, totamque deinceps noctem ducentes pervigilem, ne quid novi accideret, affervabant. Facto mane infensis adeo animis, omnes in Archiepiscopum coorti sunt, ut nec manibus temperassent, nisi Regia Majestas vix & ægè iracundiam cohibuisset. Contumeliosè itaque ejectus est de curte Regia, cum omnibus tyrannidis suæ fautoribus, misitque cum eo Rex amicorum suorum non modicam manum, ne scilicet ab æmulis suis insidias in via pateretur. Sic iterum rerum publicarum administratio ad Episcopos rediit, ut singuli suis vicibus quid Regi, quid Republicæ facto opus esset, prævidèrent.

Rex Pascha Trajecti celebravit, Eberhardus Trevirorum Archiepiscopus, dum in Sabbatho sancto tantæ diei mysterium solenniter populo exhibuisset, regressus in Sacramentum caput in sinum Archidiaconi reclinavit, circumstantibusque fratribus spiritum exhalavit. Episcopatum ejus per interventum Colonienis Archiepiscopi susceptum Cuno Præpositus Colonienis. Graviter & indignè nimis tulit tam Clerus quam populus Trevirorum, quod ipsi in electionem ejus admissi consultiq; non essent, seque vicissim hortabantur, ut insignem hanc contumeliam insigni aliquo exemplo eluerent. Erat tum temporis Major domus Ecclesiæ Trevirorum Diedericus Comes, adolescens, tam natura ferox, quam ætate. Is die quo Episcopus urbem ingressurus sperabatur, cum ingentibus copiis ei obviam processit, atque in ipso lucis crepusculo, priusquam hospitia progredieretur, super eum irruens, paucos resistere tentantes occidit, cæteros inopino terrore percussos facile fudit fugavitq;, opes quas amplissimas adveherat diripuit, ipsum Episcopum captum traditumq; in manus carnificum, de rupe altissima præcipitari, & sic interfici jussit. Corpus ejus à religiosis Viris collectum atque in Monasterio Dolejensi sepultum est, ubi usque in præsens tempus magnis, ut fertur miraculis divinitus sæpè illustratur. Successit ei in Episcopatum Udo concordante in electionem ejus tam Clero quam populo.

In festis Paschalibus per quatuordecim ferè noctes continuas Cometa apparerat. Quo in tempore atrox & lacrymabile nimis prælium factum est in partibus Aquilonis, in quo Rex Angliæ cum tres Reges cum infinito eorum exercitu usque ad internecionem delevit.

Rex Frideslare veniens gravissimam ægritudinem incidit, ita ut à Medicis desperaretur, & Principes de Regni successione consilia conferte cœpissent. A qua infirmitate vix dum plenè resumptis viribus Pentecosten Herveldiæ celebravit. Nec multo post nuptias in Triburia Regio apparatu celebravit, in conjunctione Berthæ Reginae, filia Ottonis Marchionis Italarum.

Reginherus Misnensis Episcopus obiit, cui Crast Præpositus Goslariensis successit. Sed is dum suscepto Episcopatu, Goslariam venisset, post refectionem in cubiculum, ubi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo consilio infoderat, quasi paululum requiescere volens, sese inclusit, cumque jam die vergente in vespem, præter modum consuetudinemque suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes cubicularii, pulsare ostium cœperunt. Sed nec pulsantibus nec vociferantibus ullum dabatur responsum. Tandem effractis foribus irruentes, invenerunt eum fractis cervicibus,

colore terro, ex animam ipsi thesauris suis miserabilem in modum incubantem. Episcopatum pro eo suscepit Benno prædictæ Goslariensis Ecclesiæ Canonicus.

1067. Otto Marchio Thuringorum obiit, gaudentibus admodum in morte ejus omnibus Thuringis, eo quod ipse primus ex Principibus Thuringorum, ut prædictum est, decimas ex suis in Thuringia possessionibus dare consensisset, & per hoc calamitatem maximam genti suæ invexisse videretur. Marchiam ejus Ecbertus patruelis Regis suscepit.

Einhardus Spirensis Episcopus obiit, cui Henricus successit Goslariensis Ecclesiæ Canonicus, tanta dignitati vix dum per ætatem maturus, & non tam electione Principum ad hanc profectus, quam indulgentia Regis, cui in puerili ætate fuerat familiarissimè assensatus.

Benno Osenbruggensis Episcopus obiit, cui alius Benno successit.

Rex in natalem S. Martini Goslariam veniens, graviter infirmari cœpit, atque eadem valetudine per multos dies laborans lecto recubabat.

1068. Rex natalem Domini Goslariz, nec dum sospitate ad plenum recuperata, celebravit, à quo Ecbertus Marchio, exactis diebus festis, digressus, cum se in in sua recepisset, modica febre pulsatus terminum vitæ accepit. Sed Marchiam adhuc vivens adquisierat filio suo tenerrimæ ætatis infantulo, quem ei vidua Ducis Ottonis de Swinenfurt pepererat. Cui tamen ipse paucis diebus ante quàm vita excederet, repudium scribere cogitaverat, & contra leges, ac statuta canonum viduam Ottonis Marchionis matrimonio sibi jungere, quod hæc forma elegantior, & efferatis moribus suis opportunior videretur. Sed mors opportunè interveniens, nefarios conatus ejus intercepit.

Ravenger Patriarcha Aquileiensis obiit, cui Sigehardus Cancellarius successit. Pro quo Bibo Cancellarius est substitutus.

1069. Rex natalem Domini Goslariz celebravit, Pascha Quedelburg, Pentecosten Coloniæ. Post Pentecosten Wormaciæ cum Principibus Regni colloquium habuit. Ibi primum cum Episcopo Moguntino rem secretè agit, ejusque opem ad perlicendum, quod mente machinetur, obnixè implorat, si impetret, se deinceps ei subditum, & dicto obtemperantem fore, ad hoc Thuringos armata manu, si aliter nequeat, coacturum, ut decimas sine ulla in perperam contradictione persolvant. Annuente Episcopo, & pactione utrinque firmata, Rex ad publicum refert, sibi cum uxore sua non convenire, diu oculos hominum secoluisse, ultra fallere nolle, nullum ejus crimen quo justè repudium mereatur afferre, sed se incertum quo facto, quo Dei judicio, nullam cum ea maritalis operis copiam habere queat. Proinde per Deum orare, ut se male ominata compede absolvant, patianturq; a quo animo discidium fieri, ut illa sibi, & ipse ei, si ita Deus velit, felicioris matrimonii viam patefaciat, & ne quis violatum semel pudorem causetur, oblatè iterum nupturæ, se sub jurejurando confirmare, quod eam, ut accepit, sic incontaminatam inlibatq; virginitalis pudore conservaverit. Foeda res & ab Regia Majestate nimium abhorrens visa est omnibus, qui aderant. Negotio tamen cui Rex tam fervidè animum adjecisset, detractare singuli religiosum arbitrabantur. Episcopus quoque tam pretiosa pollicitatione redemptus,

quantum poterat salva verecundia, haud ægrè causam Regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri decernentibus, Synodum conficiendo negotio indixit Moguntiz proxima post Festum Sancti Michaelis hebdomada. Hac expectatione rebus suspensis Regina Loresham, ut statutum tempus ibi præstolaretur, missa est. Rex aliò quò Regni negotia vocabantabiit. Interea Dedi Marchio Saxonicus, cum viduam duxisset Ottonis Marchionis, tertio prius anno defuncti, prædia etiam quæ ille à diversis dominis beneficii loco habuerat, summa vi nitebatur acquirere. Cum nullus daret postulanti, indignitatem non ferens, Regi, per quem potissimum stetit ne darentur, bellum parabat, crebriq; colloquiis Thuringos ad societatem armorum sollicitabat, promptum hoc fore sperabat, eo quòd Rex Archiepiscopum adjuvando in exigendis decimationibus, multum à se avertisset animos eorum. Incitamentum tamen illi furoris vel maximum erat uxor Irvissima. Hæc placido hominis ingenio, & per ætatem jam mansuefacto, juveniles animos inspirabat, sæpius obrundens, quia si vir esset, non inultus injurias acciperet, nec priori marito ejus audacia se imparem gereret, quo & Virtute & opulencia superior esset. Rex accepto nuncio graviter permotus, ingentes copias, & quæ pluribus etiam bellis satis essent, celestimè contraxit. Tum verò Episcopus Moguntinus tempus se accepisse ratus, per occasionem publici belli privatum in Thuringos odium vindicaret, infestissimus aderat, Regem quàm atrocissimè rem agere instigabat, ipse quoque totis amicorum, totis Moguntini Episcopatus opibus cœpto annitebatur. Non fecellit Thuringos efferatus in se animus Episcopi, nec ipsi in eum mitiores spiritus gerentes, Legatos ad Regem miserunt, se nihil iniquum, nihil quòd secus sit moliri adversus eum, nec arma contra Rempublicam suo consilio aut favore sumpta esse, paratos se potius hostem publicum capitis quoque sui periculo expugnare, promptius autem ac devotius id facturos esse, si decimationum leges priorum Regum & Episcoporum indulgentiâ sibi statutas rata inviolataq; fore pateretur, quòd si Episcopus ad eos rem divinam, non divinis, sed humanis armis expugnatum veniret, & decimas jure belli sibi extorquere vellet, quas nec jure Ecclesiastico, nec lege forensi potuisset, jam pridem se sacramento obstrictos obligatosq; fuisse, ut raptores & prædatores inultos non sinerent, satius sibi esse mori in bello, quam amissis patrum legitimis perjuros vivere. Rex ad hæc benignè respondit, auxiliumque suum si in fide permanerent, certissimos sperare jussit. Dehinc ubi res matura visa est, infesto agmine Thuringiam intravit. Duo ibi castella quibus Marchio præsidium imposuerat Bichelingen & Schidingen; alterum per dedicationem, alterum manu expugnatum recepit. Cæteris illico admovendus erat exercitus. Sed Marchio advertens nullo loco vel munitione sustineri posse impetum Regis, incisa spe resistendi, se suaque omnia dedit. Thuringi, etsi ut promiserant erga Regem & causam publicam devoti fidelesque essent, in Episcopum tamen Moguntinum hostilia pleraque fecere, probris & convitiis in faciem lacessere, milites ejus dum prædas agerent, facto grege sæpius incursare, rapinam excutere, fundere, fugare. Nonnullos denique ministros ejus, nec hos mediocri fortuna vel humili loco ortos, dum ab exercitu Regis paulo longius prædatum abiissent, comprehensos suspenderent.

Jussum

Jussum tamen eis est ab Rege facile & contemptim, ut decimas darent, non quo reculantibus vim ferre in animo esset, sed ne non reddito, promisso, Archiepiscopum offenderet. Dedi Marchio aliquandiu habitus in custodia, tandem adempta possessionum & reddituum non modica parte dimissus est. Filius ejus *Dedi Junior Patrem ea tempestate infestius acer viuis, quam alius quisquam insectatus est.* Ob eam rem exacto bello in ingenti gloria esse coepit apud Regem, egregia indolis adolescens nisi ambitionis spiritu & praepropera dominandi cupidine praeceptis raperetur. Is non multo post, cum nocte quadam ad necessitatem naturae secessisset, apposito extrinsecus insidiatore confossus in inguine, & occisus est. Quis necis ejus author fuerit, non satis constat, quanquam dolo noverca interfectum, vulgi sermonibus passim jaetaretur. Illud haud dubie liquet, Monasteria & Ecclesias moriente eo magna formidine exoneratas esse, cum mentibus omnium certissima opinio infedisset, eum augendum opum studio non Deo, non homini parciturum, qui Patri proprio non pepereisset.

Imminente jam die qui scidendo Regis conjugio dielus fuerat, Rex Moguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundem comperit, Legatum Sedis Apostolicae suum Moguntia adventum praestolari, qui discidium fieri prohibeat, & Episcopo Moguntino Apostolicae animadversionis sententiam minitetur, quod tam nefariae separationis se auctorem promiserit. Consternatus illico quod rem diu exoptatam perdidisset e manibus, pariter quo venerat in Saxoniam redire volebat. Vix & aegre tamen amicorum consiliis superatus, ne Principes Regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Moguntiae occurrere jussisset, Francofurt abiit, ibique eos qui Moguntia convenerant, statuto die adesse jussit. Quod dum frequentes venissent, Petrus Damianus, is Legatus erat Sedis Apostolicae, Vir aetate & vitae innocentia admodum reverendus, mandata exposuit Romani Pontificis: pessimam rem & ab nomine Christiano uicium ab Regio multum abhorrentem esse, quam moliat. Si minus humanis legibus vel Canonum sanctionibus terreretur, parceret saltem fama & existimationi propria, ne scilicet tam sedis exempli venenum ab Rege sumpto initio totum commacularet populum Christianum, & qui ultor esse debuisset criminum, ipse auctor & signifer fieret ad flagitium. Postremo si non steteretur consiliis, se necessario vim Ecclesiasticam adhibiturum, & canonum lege zelus prohibitorum. Ad hac suis manibus nunquam Imperatorem consecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo, quantum in se esset, fidem Christianam prodidisset. Tum vero in eum coorti omnes qui aderant Principes, aiebant aequa censere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriae suae & Regii nominis Majestatem tam turpis facti colluvione macularet, praeterea ne parentibus Reginae causam defectiois & justam turbandae Reipublicae occasionem daret, qui si viri essent, cum armis & opibus plurimum possent, tantam filiae suae contumeliam procul dubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac oratione fractus magis quam inflexus, si id inquit, fixum obstinatumque est vobis, imperabo egomet mihi, feramque ut potero onus quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiae odio, annuis quidem ut in Regni consortium Reginae revocaretur, ipse tamen ut congressum ejus conspiciat, vitaret, adhi-

bius sibi vix XL militibus in Saxoniam concitus rediit. Regina cum caetera multitudine & Regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumque ad eum Goslariam venisset, vix compulsus ille a familiaribus suis, ut ei obviam procederet, satis superque pro consuetudine eam benigne suscepit. Sed protinus refrigercente amore ad ingenium suum, atque ad pristinum rigorem animi rediit, & quia consilia scidendi conjugii saepe jam tentata non processerant, statuit deinceps communicato cum ea solum Regni nomine sic eam habere quasi non haberet.

Maxima eo anno vinearum omniumque sylvestrium arborum sterilitas fuit.

Meginvvardus Abbas Hildesheimensis Abbatiam suscepit Augiensem, patefacto in eam sibi per multam largitionem adiuv.

Romulus Constantiensis Episcopus maturae admodum gravitatis vir obiit, cui Carolus successit Magdaburgensis Canonicus. Is a Clericis Constantiensibus primo benigne susceptus est, sed processu temporis dum pro libito suo magis quam ex ratione remgeret, indignantes Clerici a communione ejus se abstineri coeperunt, propter Simoniacam haeresim, per quam Episcopatum usurpasse dicebatur, id quoque ei crimini dantes, quod plerosque Ecclesiae thesauros furtive abstulisset. Qua accusatione Romam perlata, Romanus Pontifex mandata direxit Moguntino Archiepiscopo, ne ullo modo ab eo consecraretur, donec in sui praesentia causa diligentius ventilaretur.

Tolosae Episcopus obiit, cui Bibo Cancellarius successit, pro quo Adalbero Canonicus Mettensis Cancellarius est substitutus.

1070. Rex natalem Domini Frisingae celebravit. Episcopus Moguntinus & Coloniensis & Babenbergensis a Domino Apostolico evocati, Romam venerunt. Ibi Episcopus Babenbergensis accusatus, quod per Simoniacam haeresim, data pecunia, Episcopatum invasisset, multa & preciosa munera Papa dedit, & per haec efferatam adversum se mentem ejus ad tantam mansuetudinem reduxit, ut qui non sine periculo honoris & gradus sui evasurus putabatur, non solum impunitatem criminis, quod objectum fuerat consequeretur, sed etiam pallium & alia quadam Archiepiscopatus insignia, ab sede Apostolica pro benedictione perciperet. Moguntinus Archiepiscopus ultro se Episcopatu abdicare, atque in otium privatae conversationis recedere, magnopere cupiebat. Sed tam Romani Pontificis auctoritate, quam eorum qui praesentes erant, maturioribus consiliis & vix aegre abductus est a sententia. Omnes in commune acerbe objurgati, quod sacros ordines per Simoniacam haeresim venderent, & eminentibus indifferenter communicarent, manumque imponerent, tandem accepto ab eis jurejurando, quod hac ulterius facturi non essent, in sua cum pace dimissi sunt.

Dux Lotharingorum Gotefridus omnibus penes terris magnitudine suarum rerum gestarum comperitus & cognitus obiit, & Verdunis sepultus est, cui filius ejus Gotefridus successit, praestantis quidem animi adolescens, sed gibbosus.

Udalricus Marchio Carentinorum obiit.

Rex Pascha in Hildesheim celebravit. Ibi inter milites Regis & milites Episcopi seditio facta est. Sed milites Regis in congressione superiores facti ple-

rosq; ex militibus Episcopi peremerunt, captosq; seditionis auctores ex edicto Regis in vincula cōjecerunt.

Rex Ascensionem Domini Quedelenburg, Pentecosten Merseburg celebravit.

Augustissimum in Quedelenburg templum, cum omnibus attiguis sibi ædificiis, incertum, Divina ultione an fortuita calamitate, incensum, atque in cineres redactum est.

Clarus eo tempore in Palatio & magnæ in Republica auctoritatis erat Otto Dux Bajoariorum. Sed sicut semper gloriam sequi solet invidia, invidentes ei pleriq; homines nequam, qui malitiæ suæ potentiam ejus atque immoderatam gloriam obstare querebantur, sollicitis opportunitatem ad opprimendum eum querebant. Itaque quendam Eogenem nomine hominem ingenuum, sed omni flagitiorum genere infamatum, in necem exitumq; ejus subornaverunt. Is crimen adversus eum detulit, quod se ad occidendum Regem, precibus & pollicitationibus multis, sæpenumero sollicitasset, atque in argumentum fidei gladium ostentabat, quem sibi ab eo in hos tam sceleratos nefariosq; usus datum assererat. Si inficiaretur, paratum se quovis indicio verbis suis fidem facere. Qua accusatione vulgata, hi quos ratione communis commodi aliquando offenderat, omnes infestis infestisque aderant, & iracundiam Regis adversus eum inflammare summa vi, summa ope nitebantur. Igitur Rex cum Moguntiam cum cæteris Principibus ad colloquium evocavit, quid delatum esset exposuit, negantique inducias in sex hebdomadas dedit, ut Kal. Augusti Goslariam veniens, objectum crimen congressum cum accusatore suo manu propria reselleret. Cum in hæc verba discessum esset, causari Principes de iniquitate conditionis cæperunt, nec bonum, nec æquum esse dicentes, ut homo nobilissimus, integerrima apud omnes existimationis, nec ulla unquam sinistri rumoris macula attaminatus manum conferre juberetur cum homine sceleratissimo, qui si quid ingenuitatis à parentibus accepisset, id per furta, per latrocinia, denique per omnia vitorum probra jamdudum oblitterasset. Ille tamen & indignitate rei efferatus, & Deo innocentie suæ teste & conscio fretus, cum quovis etiam indigno, etiam præter natales suos pugnare malebat, quam tanti sceleris suspitione teneri. Igitur die sabbata, ad proxima Goslarie loca, cum armata multitudine venit, missis ad Regem nunciis, mandavit, si sibi tuto venire, si tuto causam dicere liceret, paratum se coram venire, & conditione quam Principes Regni æquam judicassent, crimen cuius insimulatus fuerat, resellere. Rex ad hæc atrociter & acerbè respondit, se ei nec in veniendo, nec in causa dicenda pacem aut securitatem polliceri, id solum expectare, ut juxta conditum Goslariam cominus veniret, & si quid de innocentia sua præsumeret, conferta cum adversario suo manu, æquissimo Judici Deo rem committeret, ni id faceret, se omnia legum dissidentium simultate, relegato sententiarum certamine, pro convicto confessoque eum in tanti sceleris immanitate habiturum. Relato ad Ducem hoc responso, nec tutum, nec satis honestum ejus rationibus visum est, hi qui rectè ei consultum cupiebant, ut sic inflammata adversum se Regis iracundia illudendum se, vexandumq; objiceret, cum sibi integris ad hæc rebus & crimine necdum comprobato, tuto coram venire non licuisset, quod tam jure cæli quam jure fori omnibus semper reis, omnibus in causis licuisset. Ita incisa spe venia, infectis rebus in sua se recepit, satius putans, quoad posset armis salutem ineri, quam ad exsaurianda

hostium suorum odia turpiter more pecudum jugularis. Poltera die Rex Principes Saxonie, quod ex his oriundus esset, & hi propter privatas inimicitias maxime invilum eum haberent, sententiam super eo rogavit. Qui eum tanquam manifesti criminis deprehensum, reum Majestatis judicaverunt, & si caperetur, capitali in eum sententia animadvertendum fore, decreverunt. Illico amici Regis ferro & igne persequi eum singuli pro virili portione adgrediuntur. Plerique etiam nec fide erga Regem, nec studio erga Rempub. nec cultione cujusquam privatae injuriæ: sed sola rapinarum cupiditate arma contra eum capiunt. Ita undique laxatis, impetibus irarum habentis, omnes in eum irruunt, prædiaz ejus & possessiones alias diripiunt, vastant, incendunt, ministros ejus agrorumque cultores, si quos fors obtulisset, obruncant, lacerant, jugulant. Sic postremo præter modum modestiamq; ira immoderatio debacchabatur, ut nec ab Ecclesiis, nec templis, quæ ille propriis impensis Deo construxerat, hostilis sævitia impetus temperaret. Deinde Rex collecto exercitu egressus, extremam operi manum per seipsum impoluit. Princeps quos ei consanguinitate vel alia necessitudine obnoxios noverat, aut acceptis obsidibus, aut jurejurando, ne ad eum deficerent, obligavit. Castellum ejus Hanenstein à quo ad primum statim belli terrorem præsidium abductum fuerat, funditus everti jussit. Alii castello quod Telsenberg dicitur exercitum jam admoverat. Sed hi qui intus erant, etsi loci situ inexpugnabiles essent, & copiis omnibus quæ administrando bello necessariæ erant, affatim affluerent, ultrò tamen se dedere, quam ancipitem belli fortunam tentare maluerunt. Relicto illic præsidio Rex in ulteriora loca ad demoliendas uxoris quoque ejus possessiones exercitum abduxit, villas multas opibus & ædificiis ornatissimas incendit, bona diripuit, in mulieres & pueros, nam viri in montes & in saltus devios se abdiderant, foeda & hostilia multa commisit, tantaque in ea expeditione acerbæ & crudelia perpessi sunt à Rege proprio homines innocentes, & nulla saltem suspitione criminis cuiusquam infamati, ut nihil acerbius, nihil crudelius à barbaris perpessi potuissent. Tandem Dux Otto perdoluit, & calamitatum pondere superata est constantia patientiæ. Itaque assumptis secum ad tria millia viris electis, & omni militaris disciplinæ studio exercitatis, impetum in Thuringiam fecit, villas Regalis fisci rebus cunctis affluentissimas incendit, prædam multam abegit, & milites suos quorum plerosque ad societatem belli sola spes rapinarum allegerat, hæc primum mercede inescavit, fidosque æ firmos sibi effecit. Ita populabundus ultra Heschennenvvege pervenit. Ibi confluentibus ad se agrorum suorum cultoribus, quibus milites Regis præter miseram vitam nihil reliquum fecerant, partem aliquam prædæ distribuit, verbera divinx animadversionis fortibus animis tolerare admonuit, & pro se, quando arma ferre non possent, suppliciter ad Deum vota facere flagitavit. Interea Thuringi, qui se ante aliquot annos sacramento obstrinxissent, ne latrones aut raptores inultos sinerent, rerum suarum direptionibus exacerbati ad arma conclamant, conglobatis properè ingentibus copiis, hostes è vestigio insequuntur, inventisque haud procul ab Heschennenvvege certamen inferunt. IV. Non. Sep. Nec diu anceps pugna fuit. Nam his, qui cum Duce Ottone erant impigrè occurrentibus, vix primam prælii procellam sustinentes in fugam vertuntur, & alii in proximos montes & sylvas evadere,

evadere, alii pariter quò venerant, citatis equis reverti sumò conamine nitebantur, haud latis auspiciò tentatam fortunæ aleam detestantes. Ipse denique quò primò, ut res certamini committeretur, vehementissimus auctor in contorque fuerat Rutgerus Comes, is nunc primus fugiendi auctor ac signifer apparebat, omniq; (ut vulgo dicitur) vento citator, montes & colles modernus Idithun transmittibat. Trecenti plus minusvé in ea congressione ex Thuringis corruerunt. Ex parte altera unus occisus, duo sunt vulnerati. Dux Otto signo receptui dato, cum à cæde hollium vix & ægrè militem suum revocasset, aliquandiu eisdem castris commoratus est, & vergente jam in vesperam die plerisque Principes exercitus sui singulos in sua cum pace dimisit. Ipse adhibitis sibi quantas res poscere videbatur copiis, in ulteriorem Saxoniam contendit, ibique totam hyemem usque ad natalem Domini exigit, partim rapinis & deprædationibus victitans, partim ex possessionibus Magni Comitum, quem belli periculatorumq; omnium socium & innocentæ suæ devotissimum assertorem habebat. Is filius erat Ottonis Ducis Saxonie, egregius adolescens, boni & equi in pæe supra annos suos servantissimus, & in bello audacia & virtute militari nulli secundus. Per lato ad Regem nuncio acceptæ in Helchenenvege cladis, omissis rebus aliis Goslarium concitus remeavit, nec inde usquam ante natalem Domini abcessit, timens scilicet, ne tam charam, tamque acceptam sibi villam, quam pro patria ac pro lare domestico Teutonici Reges incolere soliti erant, hostes per absentiam ejus, quod minitari, & crebris usurpare sermonibus dicebantur, in favillas cineresque redigerent.

Adalberus Wormacie Episcopus propria ut fertur, crassitudine præfocatus interiit, cui Adalbertus successit.

Kribo Diaconus frater, Wilhelmi & Ottonis Marchionum, occisus est; à propriis servis suis, Vir tam Divinis quam secularibus literis ad primè eruditus, sed propter lasciviam morumque intemperantiam, meritò bonis omnibus gravis & invisus.

Sylvestrium arborum eadem quæ priore anno sterilitas permanfit. Sed *vinearum tanta fertilitas fuit, ut plerisque in locis præ multitudine vix colligi vindemia possent.*

1071. Rex natalem Domini Goslarie celebravit. Ibi per interventum Rudolphi Ducis Suevorum, Welf filius Azzonis Marchionis Italarum, Ducatum Bajoarie suscepit. Is filiam Ottonis Ducis Bajoariorum uxorem duxerat, & per jusjurandum altera jam vice matrimonio fidè dixerat. Quamdiu itaque res tranquillæ erant, quamdiu etiam bellum temerè coeptum sine grandi permutatione rerum sedari posse sperabat, maritalem uxori affectum & honorem deferēbat, & causam loceri, quantum poterat, armis & consiliis tuebatur. At ubi animadvertit datam in eum esse sententiam, & bellum, iracundiamq; Regis magis indies adversus eum crudelcere, leges omnes, vinculaq; omnia, quibus vicissim propinquitatem firmaverant, abruptit, satius putans, perjuri crimen & violatæ fidei verēcundiam sustinere, quam res suas florentissimas, desperatis ac perditis ejus rebus, admiscere. Et primo in tam trepidis rebus petenti auxilium denegavit, dein filiam ejus à complexibus suis & thori consortio segregavit, Patrique remisit. Postremò ad ipsum ejus Ducatum occupandum omnem operam intendit, nihil pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum re-

dituum ac possessionum suarum dilapidaret, dummodo quod cupiebat, assequeretur. Directus est ergo dolus in manu ejus, & potuit & invaluit, cunctis detestantibus quod clarissimam atq; inopinatissimam in Republica dignitatem tam cæca ambitione polluisser. Noverat Rex haud satis placitum Principibus Bajoarie, quòd hoc tum contra morem & jus, tum ipsis inconsultis factum fuisset, & propterea *quantomocius ire in Bajoariam cogitabat, ut tumultum, si quis forte oriretur, per seipsum reprimeret.* Sed è diverso haud nefcius erat, si ipse longius abiisset, hostes illico in Goslarium impetum facturos, & clarissimum illud Regni domicilium in cinerem redacturos. Accepto à familiaribus suis consilio, quosdam Saxonie Principes illic præsidii causa reliquit, & ipse, sicut instituerat, in Bajoariam proficisci parabat. Interea Dux Otto videns sibi nihil jam spei reliquum esse, cujus & bona omnia flamma hostilis absumpsisset, & Ducatum alius in suam potissimum contumeliam invalisset, *statuerem in extremum discrimen adducere, & cum Rege ubi primùm copia heret, collocatis signis dimicare.* Itaque montem, qui dicitur *Hufengun*, occupavit, ut scilicet militibus suis quomodocumq; res in prælio cecidissent, receptus foret. *Eum eisi natura & situ ipso satis munitum, munitiorem tamen manu atq; opere fecit, ibiq; convecta ex circumjacentibus agris præda Regem præstolabatur.* Rex accepto nuncio nihil moratus, quantas in ea trepidatione potuit copias ex Saxonia ex Thuringia, atq; ex Hassia celerrimè contraxit. Cæteris Principibus qui longius aberant mandavit, ut si forte res sine mora & diuturnitate confici non posset, sibi quam citius possent armata manu concurrerent. Plurimum eo tempore Rex consiliis utebatur Eberhardi Comitum, sapientis admodum Viri. Is videns hostes sic à bella exercitatos, sic ipsa jam desperatione, qua plerumq; timidus etiam viriutem addere solet, efferratos, sine magno detrimento Resp. nec vinci nec vincere posse, abiit ad Ducem Ottonem, eumq; per Deum obtectari coepit, ne se suosq; in tantum discrimen præcipitaret, nec dum ei omnem spem veniæ, omnem respirandi facultatem ereptam esse. Si de monte quem occupaverat, exercitum abduceret, seque Regi iustis conditionibus dederet, sub juramento se ei promittere, quod & veniam culpæ, cujus insimulatus fuerat, & omnium quæ jure belli amiserat, restitutionem ei à Rege impetraret. Annuente eo, rem ad Regem detulit, & eum haud difficulter in sententiam adduxit, quippe cum tædere eum jam belli coepisset, quod propter privatum hominis amorem à Principibus per ingenium trahi, ac segniter geri videbat. Pace per jusjurandum utrinque firmata, *inducia data sunt Ottoni Duci usque in Pascha, ut Coloniam veniens, deditonem lege, quam Principes equam judicassent, persiceret.* Inter has inducias cum Dux Otto exercitum, singulos in sua dimisisset, Rether Comes, partium ejus haud leve momentum, occisus est ab hostibus suis, propter quasdam privatas similtates.

Saricho Abbas Corbeiensis obiit, cui Werenher ejusdem cœnobii Monachus successit.

Rex sicut instituerat in Bajoariam abiit, ibiq; compositis mediocriter, prout tum copia erat, Regni negotiis, ad Rhenum rediit, *castellum Hamerstein*, quod à superioribus Regibus jam olim dirutum fuerat, *summo nisu instauravit.* Pascha Colonie celebravit. Ibi rursus Ottoni Duci inducias usque in Pentecosten dedit. Exacta sollemnitate Paschali Leodium abiit.

abit. Ibi ad eum vidua Balduini Comitis venit, Regiz Majestatis patrociniū expetens contra violentiam improbitatemque Ruberti fratris Balduini, qui & fratrem pralio victum vita privasset, & Comitatum ejus, expulsis uxore & liberis, tyrannica crudelitate occupasset. Non ingratum fortassis lectori fecero, si geltæ rei Historiam quā paucis potero absolvam. *In Comitatu Balduini ejusq; familia id multis jam seculis servabatur quasi sancitum lege perpetua, ut unus filiorum, qui Patri potissimum placisset, nomen Patris acciperet, & totius Flandria Principatum solus hæreditaria successione obtineret. Ceteri vero fratres aut huic subditi, dictoq; obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregrè profecti, magis propriis rebus gestis florere contenderent, quam defidia ac socordia dediti, egestatem suam vana majorum opinione consolarentur.* Hoc scilicet fiebat, ne in plures divisa provincia, claritas illius familia per inopiam rei familiaris obsoleret. Igitur cum Balduinus senior duos genuisset filios Balduinum & Rubertum, Balduinum omnium quæ habebat hæredem instituit. Ruberto, ubi primū ætas faciendis stipendiis matura visa est, naves paravit, aurum, argentum, & cæteras longinquæ profectiois impensas affatim præbuit, jussitque ut ad gentes exteras iret, & si Vir esset, propria sibi Virtute Regnum divitiasque pararet. Ille Patri adquietens, assumpta secum multitudine, qua Regio prægravari videbatur, navem ascendit, & in Gallitiam ire, camq; si votis Deus successum annuisset, sibi subdere cogitavit. Cumque post paucos dies ad ignota quædam littora adplicuisset, & egressus in terram, ab incolis loci prædas agere cœpisset, illi ex omnibus partibus ad arcendam vim illicò armati conveniunt, facta congressione, cum, cum aliquandiu pugnam fortiter sustinuisset, in fugam vertunt, fugientem usq; ad naves persequuntur, lociosq; ejus benè ad internecionem prosternunt. Ipse cum paucis vix fuga elapsus, ad Patrem tantæ calamitatis nunciū rediit. A quo propter malè gestas res contumeliosè repulsus, alia rursus via quando hæc non successisset, fortunam tentare adgreditur, omnia paratus, etiam extrema perpeti, ut maculam veterem factis recentioribus elueret. Reparatis navibus, & numero militum instaurato, marinis iterum fluctibus se credidit, in Regionem longinquam, ubi sedem vaganti Deus ostendisset, iter facturū. Et ecce post paucos dies tempestate infestissima circumventus, multis suorum naufragio amissis, ipse nudus, omniumq; rerum egens, vix & agrè in litus evasit. De hinc assumpto plebejo habitu, inter eos qui Hierosolymam causa orationis pergebant, Constantinopolim ire parabat. Vocatus eò crebris Legationibus Nortmannorum, qui sub Imperatore Constantinopolitano militabant, quiq; ei, si illuc veniret, totius Græciæ Principatum pollicebantur. Sed Imperator Constantinopolitanus comperto hoc consilio, omnia flumina, per qua transitus in Græciam esse poterat, appositis custodibus observari fecit, ne deprehensus illicò trucidaretur. Sic conatus cœptumq; ejus irritum fuit. Tandem advertens sic infeliciter sibi cedere quamcunq; viam tentasset amplificandæ gloriæ suæ, deinceps in perpetuum ab oppugnatione exterarum gentium animum avocavit, atq; in Frisiam quæ confinis est Flandriæ, cui Thidericus quondam Comes, & post hunc Florentius frater ejus imperaverat, irruptionem fecit. Bis ibi commisso pralio victus ac fugatus est. Tandem incolæ loci multis certaminibus exhausti, cum animum ejus vel ad mor-

tem, vel ad victoriam obstinatum cernerent, ultro se ei dederunt. Quod ubi frater ejus Balduinus compertit, jam enim Pater ejus morbo ac senio confectus, naturæ concesserat, armata multitudine his eum fedibus proturbare magna vi, magno molimine parabat. Cui cum exercitu adventanti Rubertus Legatos obviam misit, obtestans per Deum, ut se fratrem suum reminisceretur, nec jura Germaniæ, apud barbaros quoq; semper sacrosancta & inviolata pollueret, miseretur potius peregrinationis, laborum & calamitatum in quibus totam aetatem suam derivisset, gauderet ipse beatam sorte sua, quod totam communis Patris hæreditatem, quam jure gentium secum dividere debuisset, solus sine consorte obtineret, se Patri finibus extorrem, paterna hæreditate destitutum, ab summa gloria Majorum suorum ad ultimam egestatem coactum, exterarum gentes bello lacessisse, terras ac maria concuasse, nihil deniq; prætermisisse, ne de portione paterna substantiæ, quæ se contingeret, fratri molestus esset. Nunc laboribus exhaustum, adversitatibus defatigatum, vix & agrè parvissimo terrarum angulo in sedisse, cujus nullam partem constet ad ejus dominium pertinere. Postremo id se animo fixum habere, nec ab sententia ulla vi, ulla necessitate abduci posse, ut hic aut instans jam senectutis requiem, aut honesta saltem mortis sepulchrum sit habiturus. Nihil ille his verbis motus, exercitum haud segniter ad Frisiam admovebat. Tum Rubertus necessitate compulsus armata juventute, quam secum lectissimam habebat, obviam ei processit, commisitque pralio ex parte Balduini multi occisi, plures vulnerati, omnes infugam versi sunt, quos dum ipse locopulos sistere, pugnamque restituere summo conamine moliretur, in confertissimos hostium cuneos temerè invehens, occiditur. Cujus morte comperta Rubertus illicò in Flandriam irruptionem fecit, eamque sibi tanquam ex jure debitæ successiois totam mancipavit. Filius erat Balduino impubes adhuc adolescens, & necdum armis militaribus maturus. Is repente & perempti Patris & hostilis irruptionis atroci nuncio attonitus, ad Regem Francorum, Philippum nomine, confugit, auxilium, & necis paternæ vindictam expetens, eò quod Pater ejus tam ipsi, quam Majoribus ejus sæpe in arduis rebus commodissimè affuisset, & civitates qualdam ex his, quas Rubertus occupaverat pro donativo ab eo accepisset. Ille rei indignitate gravissimè permotus, statim temerè & tumultuario tantum milite collectum exercitum duxit in Flandriam, de magnitudine virium suarum & hostis imbecillitate nimium præsumens. Sed Rubertus quod viribus erat impar, eò magis ut rem altu tractaret intentus, simulato aliquandiu metu, & fugiendi studio, ex insperato atq; ex insidiis copias suas super exercitum Regis effudit, tantumq; eis terrorem incussit, ut abjectis armis fugiendo salutem consulere summa conarentur. Filius Balduini cum deinceps parum spei in armis Francorū poneret, assumpta matre sua ad Regem Teutonicorum Henricum Leodii (ut prædictum est) tum temporis positum venit, operumq; ejus adversus patrum violentiam supplex imploravit, atque ut magis eum sibi obnoxium faceret, Comitatum Reginheri quondam Comitis, cum castello munitissimo, Mons nomine, quæ scilicet prædia mater ejus à priore marito suo dotis nomine acceperat, sancto Lamperto tradidit. Quæ rursus Episcopus Leodiensis Duci Godefrido, ille itidem ipsi filio Balduini beneficii loco dedit. Hoc Rex quasi pretio redemptus, Epi-

Episcopo Leodienti atq; Duci Godefride, item aliis Lotharingæ Principibus præcepit, ut in arduis rebus præsidio illi essent, & Rubertum si injustè invasis sedibus ultrò excedere nollent, vi & armis expellerent. Qui protinus coadunato exercitu, in Flandriam profecti sunt. Sed comperto quòd Rubertus cum Rege Francorum jam in gratiam redisset, & expiata veteri contumelia firmum sibi cum fidelibus fecisset, infestis rebus in sua redire, temerarium judicantes cum Rege potentissimo privatis viribus acie configere. Sic Rubertus deinceps Flandria Principatu in securitate potiebatur.

Frates de Monasterio proturbati, quotidie aure Regias obtundebant pro repetitione Monasterii Malmendrensis, quod Abbati ereptum, Rex consilio Bremensis Episcopi, ut prædictum est, dono dederat Colonienli Archiepiscopo. Cumq; nihil ille precibus, nihil lachrymis, nihil ipsa perurgentium importunitatem moveretur, inito consilio, & ut fertur Divina revelatione ad hoc faciendum incitati, ossa Beati Remacii levanti, Leodium defertur, & Rege celebri quodam loco convivium agente, super mensam ipsam apponunt, obsecrantes per Deum, ut si minus filiorum, saltem Patris tanti miseretur jam cum Christo regnantis, & de injuriis suis quotidie ad tribunal æterni Judicis proclamationem faciens, cui nisi sua restitueret, ultra ei propter penuriam rerum necessariarum militaturi non essent. Hoc supplicationis genere quod ad captandam benevolentiam comparatum fuerat, Rex versa vice nimium effertus, concitus se relictis epulis in Palatium proripuit, & quo exemplo in Abbatem tam audacis facti incentorem animo dvertere deberet, plenus irarum cogitabat. Sed ecce mensa cui superposita erant sacra reliquia, Divina Virtute confracta corruit, ministrisq; Regis haud obscuri nominis viro, crura pedesq; contritus, qui paulo post exorata per intercessionem Beati Remacii pietate divina, ita pristina restitutus est sospitati, ut ne cicatrix quidem in argumentum lationis abolite relinqueretur. Atq; ita deinceps per totam noctem, sequentemq; diem, tanta circum sanctum corpus coruscabat miraculorum multitudo, ut corporali quodammodo proclamatione videretur Beatus Remacius jus suum expostulare. Attonitis omnibus tantæ rei novitate, Rex impio vehementissimo correptus, ne fortè si cunctaretur, cœlestis in eum protinus ultio procederet, non solum ablata restituit, sed recentibus etiam donis pro munificentiâ Regia magnificè cumulavit.

Hinc digressus Pentecosten Halberstat celebravit. Ibi Ottonem Ducem cæterosq; ingenuos, qui cum eo arma contra Republicam lumpfisse arguebantur, in deditioem suscepit, Principibusque Regni in custodia habendos, & statuto die sibi restituendos commendavit.

Meginvvardus Abbas Augiensis dignitate sua ultro se abdicavit, offensus tum infestatione quorundam militum suorum, qui eum gravibus contumeliis affecerant, tum importunitate Regis, qui frequentibus eum edictis urgebat, ut prædia Monasterii, quæ tam ejus quam priorum Abbatum largitione dilapidata, vix jam in usus fratrum sufficere poterant, militibus suis in beneficium erogaret. In locum ejus non per electionis ostium, sed per Simoniacam hæreseos cuniculum protinus irrupit Robertus Abbas Babenbergensis cognomento nummularius, annumeratis in ararium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis

quæstibus & uluris, quas etiam privatus adhuc in Monasterio exercebat, infinitam sibi pecuniam conflaverat & propterea mortes Episcoporum & Abbatum anxia expectatione jamdudum suspiraverat. Cumq; eos diutius vivendo, vota sua & effrenatæ ambitionis impetum, quo præceptis rapiabatur, morari, graviter & impatientissimè ferret, eo vesania evasit, ut præter occulta munera, quibus auriculariorum favor redimendus erat, Regi centum pondo auri promitteret, ut ejecto eximia Sanctitatis Viro Abbate Widerado, sibi Abbatia Fuldensis traderetur. Et profectò quòd non nefariè concupiverat, flagitiosissimè obtinisset, nisi paucis quibus Leges Ecclesiasticæ chariores erant, in faciem Regis, ne id faceret, obstitissent. Is pseudomonachus, dicam expressius, vi doloris impulsus, is angelus Sathanæ transfiguratus in Angelum lucis, ita sanctam & angelicam Monachorum professionem infamavit, corrupit, vitia vitæ, ut Monachi nostris temporibus atq; in his Regionibus non innocentia assistentur atq; integritate vitæ, sed quantitate pecunie, nec quaratur in Abbatibus eligendis quis dignius præesse, sed quis carius Abbatiam possit emere. Ita propria hujus invento, novo atque infaulto hujus aucupio, hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, ut Abbatia publicè venales prostituantur in Palatio, nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inveniat. Monachis inter se non de observantia regulæ zelo bono, sed de quæstibus & uluris zelo amaro contententibus. Sed hæc ut dignè deseri possint pro magnitudine sua, & proprio volumine, & prolixiore opus habent tragœdia. Ad cœptum potius revertamur.

Advocatus Augiensis Monasterii, postquam pecuniarium hunc Abbatem advenire comperit, & quanta largitione aditum sibi in ovile Christi lupus rapax patefecisset, audivit, missa obviam Legatione denunciavit ei sub interminatione salutis propriæ, & intra possessiones Augiensis Monasterii præsumeret accedere, alioquin occursum se, & armata manu vindicaturum in libertatem, quos ipse tam caro mei cimonio emisset in servitutem. His ille auditis nimium animo consternatus est, tum propter gravem jacturam pecuniarum suarum, tum propter ereptum sibi tantam de faucibus, cui diu anxie inhiasset, honorem. Et primò quidem animum induxerat, rem armis experiri, & ut dici solet, ignem gladio scrutari, hoc est, Simoniacam hæresim homicidiis cumulare. Sed alferentibus his qui cum eo erant, supra vires suas esse negotium, confuso (ut dignum erat) & confecto animo abiit, in possessiones fratris sui, prætolaturus ibi, quos exitus tam tristibus initiis fors esset allatura. Nam Abbatiam Babenbergensem interea susceperat Ecebertus Gorziensis disciplina Monachus. Ad cujus ingressum, omnes protinus fratres, quos prior ille Abbas suis, hoc est, mercatoris atq; usurariæ artis disciplinis instituerat, & quasi filios pater in vitam moresque suos (pedibus ut dicitur) ire docuerat, tanquam folia quæ vento raptantur, diffugerunt.

Carolus, cui Rex Constantiensem Episcopatum dederat, assiduis proclamationibus pro ordinatione sua Sedem Apostolicam adpellabat. Contra fratres Constantientes obstinata contentione oblectabantur, nec contra Canonum instituta is, qui præter Simoniacam hæresim, furti quoq; infimulatus fuerat, sibi Episcopus ordinaretur. Papa cum ei molesti essent, cognitionem causæ à se ad Archiepiscopum Moguntinum rejecit, jussitq; ut utriusq; vocatis ad synodum,

rem diligentissime ventilaret, & si crimina, quæ obiectabantur, refellere non posset, nulla cum ratione consecraret. Hac de causa synodum Archiepiscopus Moguntia indixit in mensem Augustum. Rex concertationem hanc iniquo valde animo ferebat, propter amicitiam Caroli, & plurima servitia, quibus etiam in refamiliari plerumque à Papa pro simili causa objurgatus fuisset, & quàm vix & agrè sine damno gradus sui evasisset, & quòd postea recentibus literis Sedis Apostolicæ, ne sine diligentissima discussione manus illi imponeret, commotus fuisset. Itaq; instantibus jam Kal. Aug. Rex Moguntiam properabat, cupiens ipse in discussione tanti negotii cum Archiepiscopo cognitor assidere. Inter eundem Herveldiam venit. Inde digressus die postera, in villam, quæ dicitur Utenhusen prandendi gratia divertit. Cumque refecti jam ferventissimo accelerandi itineris studio certatim omnes caballos repererent, accidit, ut Lupoldus quidam de Merzburg Regi charissimus, cujus opera & consiliis familiarissime uti solitus erat, caballo forte laboretur, & proprio muerone transfossus illicò expiraret. Cujus calamitas intolerabili dolore & mœstitia Regem confecit; statimque Herveldiam reportatum in medio Ecclesiæ cum magnifica funebris officii pompa sepelivit. XXX. quoque mansos pro anima ejus Monasterio contradidit, in loco qui dicitur Mertenelelt. Notatum autem est, *hunc ipsum gladium fuisse, quo famosissimus quondam Rex Hunorum Attila in necem Christianorum atque in excidium Galliarum hostiliter debacchatus fuerat.* Hunc siquidem Regina Ungarorum, mater Salomonis Regis, Duci Bajoariorum Ottoni, dono dederat, cum eo suggerente atq; annitente Rex filium ejus in Regnum paternum restituisset. Cumq; cum Dux Otto filio Dedi Marchionis Dedi Juniori in argumentum pignusq; individux dilectionis ad tempus præstitisset, illo, ut prædictum est, perempto, Regi, & per Regem Lupoldo huic casu obvenerat. Unde plerique Ducis Ottonis fautores, Divino hunc iudicio per eum, qui Ducis Ottonis fuisset, gladium, occisum interpretabantur, eò quo ad illum persequendum & de palatio eiciendum is potissimum Regem iustigasse diceretur. *Legitur autem de hoc gladio in gestis Getarum, qui & Gotthi dicuntur, quòd Martis quondam fuerit, quem bellandi præsidem & militarium armorum primum repertorem gentiles mentiebantur; cumque post multa tempora, pastor quidam in terra leviter absconsus deprehenderet, ex sanguine bovis, cujus pedem dum in gramine pasceretur vulneraverat, isque eum Attila Regi detulerit, divinaturnque illi fuerit, omnium tunc temporis armis respicuum responsis, quòd gladius idem ad interitum Orbis terrarum atque ad perniciem multarum gentium fatalis esset.* Quòd verum fuisse oraculum, multarum nobilissimarum in Galliis civitatum hodieque testantur excidia, in tantum, ut gladius ipse vindex iræ Dei sive flagellum Dei à Barbaris quoq; diceretur. Hæc, quoniam gladii hujus mentio inciderat, per excessum sint dicta. Rex magnificè ac regaliter curato funere, Moguntiam (sicut instituerat) properavit. Cumq; statuta die in synodo cum Episcopis assedisset,

aderat Carolus, aderant & fratres Constantienses, magnam ei molem criminum obiectantes. Contra quos Rex quantum salva verecundia poterat, dedit opera nitentur, & modo obiecta purgare, modò pondus obiectorum, quæ non poterat purgare callidis sermonibus conabatur attenuare, plerumque & jam instantium ac perurgentium procacitatem, verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam opposita auctoritatis suæ Majestate restringere tentabat. Primum & secundum diem in hoc negotio insumpsit. Cumque accusatorum constantiam, nec veritate responsionis, nec arte ditionis eludere posset, ad ultimum *probatis, quæ obiecta fuerant, criminibus, baculum Episcopalem ab eo recepit.* Verbis tamen exquisitissimis mœstitiam ejus consolabatur, promittens, quòd dum primum sibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compensaret. Ipsi diebus Regina quæ unà cum Rege Moguntia aderat filium peperit. Sed is baptizatus statim obiit, delatusque in Hartesburg, ibi sepultus est. Episcopatum Constantiensem Rex Ottoni Canonico Goslariensi dedit, recentisque calumniæ exemplo conterritus, confestim eum consecrari fecit, ne quis scilicet adversus eum scrupulus denuò per dilationem consecrationis oriretur.

Inter Ducem Polonorum & Ducem Bohemorum infestissima dissensio erat. Propter quòd eos Rex in civitatem Misene autumnali tempore evocatos durissime corripuit, & ut deinceps suis singulis terminis contenti essent, nec se vicissim temerariis incursionibus lacesserent, *sub obtemperantia Regi Majestatis præcepit,* alioquin se hostem & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma intulisset.

Hoc anno Colonienfis Archiepiscopus expulsis de Salefeld Canonicis, vitam illic instituit monasticam, missis eò de Sieberg, & de Sancto Pantaleone Monachis. Quo in tempore, & ego illuc veni, conferre cum eis de ordine & disciplina Monasterialis vitæ volens, eò quòd magna quadam & præclara de illis vulgi opinione jactarentur. Denique sicut vulgò assiduitate vilescunt omnia, & popularium animi novarum rerum avidi magis semper stupent ad incognita, nos quos usu noverant, nihili æstimabant, & hos, quia novum inusitatumq; aliquid præferre videbantur, non homines sed Angelos, non carnem sed spiritum arbitrabantur. Et hæc opinio tam Principum quàm privatorum mentibus altius pressiusque infederat. A quibus ad populum derivatus rumor tantum terroris plerisque in hac Regione Monasteriis injecit, ut ad ingressum illorum, aliàs XXX. aliàs XL. aliàs L. Monachi austerioris vitæ metu scandalizati, de Monasteriis abscederent, satiusque ducebant de salute animæ in seculo periclitari, quàm supra virium suarum mensuram vim facere Regno cælorum. Et reverà non immeritò Dominus super nostrates Monachos despectionem effundere videbatur. Nam quorundam pseudomonachorum privata ignominia, nomen Monachorum vehementer infamaverat, qui omissis studio Divinarum rerum totam operam pecuniis & questibus insumebant. Hi pro Abbatis & Episcopatibus aures Principum importunè obrundebant, & ad honores Ecclesiasticos non via Virtutum, ut Majores nostri consueverant, sed per ambitionis præruptum, & male partiarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denique in coemptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant,

seculu-

secularesque emptores largitionis suæ immoderantia excluderant, nec venditor tantum audebat extorcere, quantum emptor paratus erat exsolvere. *Mirabatur mundus unde tantus pecuniarum scateret fluxus*, unde Crœsi & Tantili opes in privatos homines congestæ fuissent, & eos potissimum homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter simplicem victum & vestium nihil rei familiaris habere se mentirentur. Illa Dominici agri zizania, hæc vineæ Dei arida sementa & stipula æternis ignibus præparata totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerant, & secundum Apostolum: *modicum fermentum totam corruperat massam*, ita, ut omnes similes æstimaremur, nec esse in nobis putaretur qui faceret bonum, non esse usque ad unum. Propter hoc Principes Regni ad instituendam in Galliis Divini servitii scholam, Transalpinos Monachos evocabant. Nostrates autem quicumque in illorum instituta ultro concedere noluisse de Monasteriis cum ignominia eiciebant. Ego tamen (ut prædixi) ad eos veniens, & per XIV. hebdomadas apud eos partim in Salefeld, partim in Sigiberg commoratus, animadverti nostras, quam illorum consuetudines, regulæ Sancti Benedicti melius congruere, si tam tenaces propoliti, tamque rigidi paternarum nostratarum traditionem æmulatores vellemus existere.

Archiepiscopus Moguntinus à festivitate Sancti Michaelis usque in Pentecosten mala veletudine laborabat, ita, ut etiam desperaretur à Medicis, & de successione ejus plerique intentissimis studiis satagerent.

Carolus quem ab Episcopatu Constantiensi dejectum supra diximus, regressus ad Misdaburgensem die octavo sexto Kal. Januarii obiit.

1072. Rex natalem Domini Wormatiæ celebravit. Inde peragrata aliquanta Regni parte Goslarium regressus, totam ibidem quadragesimam exegit.

Burckhardus Camerarius Archiepiscopi Moguntini Episcopus ordinatus est in Basilea.

Primus tunc in Palatio erat Adalbertus Bremensis Archiepiscopus qui triumphatis æmulis suis, qui eum ante aliquot annos de Palatio ejecerant, solus nunc Rege fruebatur, receptus non modò in gratiam & familiaritatem, sed penè in Regni consortium & omnium, quæ publicè vel privatim agenda erant, societatem. Ita Regem callidis subreptionibus suum fecerat. Sed is morbo & ætate exhaustus, cum diu per exquisitissimas Medicorum operas morti oblectatus fuisset, quasi naturam arte eludere posset, mediante quadragesima XVI. Kal. April. debitum conditioni persolvit, & pertinacibus odiis hominum, quod nunquam potuerat, vivendo, tandem aliquando satistecit moriendo. Erat planè Vir admirandæ compunctionis, & potissimum dum salutarem Deo hostiam immolaret, totus in lachrymas effluebat. Virgo quoque, ut ferebatur, ab utero matris permanebat. Sed has in eo Virtutes nimium in oculis hominum morum insolentia & jactantiz levitas obfuscabant.

Corpus ejus ex Goslaria in sedem Episcopatus sui delatum atque sepulchrum est.

Rex Palmas Coloniz, Pascha Trajecti celebravit. Ubi dum ei populus vehementer obstreperet pro injuriis & calamitatibus, quibus passim per totum Re-

gnum innocentes opprimebantur, pupilli & viduæ diripiebantur, Monasteria & Ecclesie vastabantur, & ruptis iniquitas habenis in omne quo voluisset facinus impune bacchabatur, permotus tandem, vel ipsa rei acerbitate, vel proclamantium importunitate, annitentibus in hoc ipsum cunctis Regni Principibus, exoravit Coloniensem Archiepiscopum, ut post se rerum publicarum administrationem susciperet. Diu illi restitit petenti, partim memoria veterum injuriarum, partim quia homo totus in Deum suspensus, Divinis quam secularibus negotiis implicari maluisset, superatus tamen unanimitate postulantium, privatim commodum publico postposuit. Tum primùm Respublica in pristinum statum dignitatemque reformari cœpit, frænaque injecta sunt vaganti usque ad id tempus licentiæ. Nam cum Rex omnem causarum cognitionem à se ad Archiepiscopum tanquam ad patrem ac salutis suæ tutorem rejicere soleret, *ille nec gratia cujusquam, nec odio ab jure ad injurias unquam abduci poterat, sed judicabat omnia sicut scriptum est, sine personarum acceptione, nec considerans personam pauperis judicio, nec honorans vultum potentis. Divites si qui per potentiam pauperes oppressisse delati fuissent, severissima animadversione castigavit, castella eorum quæ male agentibus perfugium erant, funditus everti jussit, plerosque ex ipsis & genere & opibus clarissimos in vincula conjecit.* Inter quos illum nostra ætate nominatissimum Egenen, qui Duci Bajoariorum Ottoni calamitatis tantæ causa extiterat, cum plurimi adversus eum pro privatis injuriis & deprædationibus faciem Regis interpellassent, teneri fecit, eumque catenis oneratum, plerumque ad spectaculum vulgi deduci jussit, ad gratificandam scilicet popularium animis Regiam severitatem. Postremò eo moderamine, eâ industria, atq; auctoritate rem tractabat, ut profecto ambigeres, Pontificali eum, an Regio nomine digniorem judicares, atque in Rege ipso, qui in cultu atque locordia penè præceps ierarat, paternam Virtutem & paternos mores brevi exsuscitaret.

Rex Aquigrani profectus, Sanctum Spem confessorum, & brachium Justi Simeonis, cujus mentio est in Evangelio, & caput Anastasii Monachi & Martyris, aliorumque Sanctorum reliquias ibi accepit, atque in Hartesburg transtulit. Treveris quoque apud Sanctum Paulinum XIII. corpora sanctorum, Thebeæ ut putatur Legionis reperta sunt, quorum hæc nomina in tabulis plumbeis conscripta ibidem reperta sunt, Palmatius, Syrius, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Sothor, Hormista, Papyrius Constans, Jovianus. *Dumq; ex crypta ubi Sancti pausabant, terra portaretur, os quoddam incaute projectum, sanguinem sudit non modicum, & usq; hodie permanet sanguinolentum.* De passionibus eorum hæc ad nos ab ipsis Treverensibus scripta perlata sunt. *Relictoribus Maximiani Imperatoris Prefectus Legionem Thebeam jussu ipsius circumquaque persecutus, Treverim propter ipsos IV. Non. Octobr. est ingressus, & eadem die occidit, ibi Ducem ejusdem legionis, Tirsium cum omnibus comitatibus suis. Sequenti autem die Palmatium Trevericæ civitatis Consulem & Patricium cum omnibus ejusdem civitatis Principibus interfecit. Tertia vero die eadem exercuit in plebe sexus utriusque. Horum autem Martyrum corpora innumerabilia in Sancti Paulini Archiepiscopi jacent Ecclesia.*

Rex Ascensionem Domini Goslariz, Pentecosten Magadaburg celebravit. Ubi Adalberto Bremensi Archiepiscopo in quadragesima (ut prædictum est) defuncto, successerem constituit Liemarum, optimæ spei juvenem & omnium Liberalium Artium adprimè insignem. Ibi quoque Otto Dux Bajoariorum post integrum annum deditiois suæ gratiam Regis recepit, data vel Regi, vel his qui Regi pro eo suggererant, non modica portione prædiorum suorum.

Rex in natalem Sancti Jacobi Wormatiz occurrit matri suæ Agneti Imperatrici de Transalpinis partibus redeunti. Ubi sex aut eo amplius annos jam demorata fuerat, sub nimia austeritate vitam instituens, ad eò ut communem humanarum virium mensuram excederet, jejuniorum ac vigiliarum patientis. Reversionis autem ejus in Galliam hæc causa erat. *Rudolphus Dux Suevia* ab his, qui ei male consultum cupiebant, *accusatus apud Regem fuerat, quod iniquum contra Regem contraq; Rempublicam moliretur.* Propter quod assiduis Legationibus ad curiam Regiam, ut causam diceret, accersebatur. Sed *ille licet ab culpa remotissimum se sciret,* conterritus tamen Ducis Bajoariz Ottonis recenti exemplo, & aliorum quorundam, quos Rex præcipitata sententia absque discussione legitima damnaverat, *temerè in periculum se dare volebat.* Cumque esset Imperatrici ob vetus meritum suum acceptissimus, propinquitate etiam devinctus propter filiam ejus, quæ ei ut prædictum est, nupserat, sed intra paucos dies celebratæ conjunctionis decesserat, misit, eamque obnixis precibus in Galliam evocavit ad sedandam, quæ oriebatur, intestini belli tempestatem. Nam *firmiter apud se statuerat, si pax non convenisset, armata potius manu quoad posset salutem tueri, quam probri & contumeliaz deformandum Regia se tradere potentia.* Imperatrix quanquam cuncta seculi negotia Religionis obtentu in perpetuum abjurasset, nec à proposito tamen suo nimium abhorreere, nec ab Ecclesiastica functione alienum fore judicavit, si viro optimè erga se meritò in angustiis rebus opem ferret, & filio juveniliter tumultuanti modum imponeret. Venit itaque Wormatiam amplissimo stipata numero Abbatum & Monachorum, & prædictum Ducem, cum interposita fide Colonienfis & Moguntini Archiepiscoporum, coram venisset, omni criminis suspicione abolvit, statimque compositis propter quæ venerat, à filio abcessit, ut non tam carnali affectione quam communis commodi ratione ad hanc secularis negotii administrationem se adductam liquidò cunctis patefaceret. Dux quoque à Rege dimissus in pace protinus se in sua recepit, certum tenens non integro abolitas ab animo Regis inimicitias, sed ademptam interim nocendi facultatem esse. Ibi etiam Hugo Cloniensis Abbas, qui cum Imperatrice eò advenerat, Ruberto Augiensi Abbati Romani Pontificis mandata & literas derulit, quod scilicet Apostolicæ Sedis anathemate de corpore Ecclesiæ præcisus esset, quod omne ei Divinum officium præter Psalmodiam interdictum esset, omnis ei in perpetuum ad Abbatiam Augiensem, vel ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam accessus occlusus esset, propterea quod de Simoniaca hæresi insinulatus, & ut objectum crimen purgaret, ad synodum secundo ac tertio vocatus venire distulisset. Ita ille compulsus à Rege baculum pastoralem, quem non ut pastor, sed ut mercenarius usurpaverat, multa cum amaritudine reddidit.

Clara & celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria Sancti Sebaldi in Nürnberg, & Sancti Hermarad in Hasengun, & magno populorum concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur.

Archiepiscopus Moguntinus in nativitate Sanctæ Mariæ Moguntia egressus, cum in Galliciam quasi orationis causa protectionem simulasset, in Cloniacente Monasterium secessit, dimissisque his qui una venerant, abdicatis etiam omnibus quæ habebat, statuit ibi deinceps privatus ætatem agere, atque ab omni secularium negotiorum strepitu sub voluntariæ paupertatis titulo in perpetuum ferriari. Sed breviperlit in proposito, revocante eum tam Clero quam populo Moguntiacensi, vix & ægrè abstractus de Monasterio, in natalem sancti Andree Apostoli Moguntiam rediit, atque opus arduum quam præcipitanter arripuerat, tam præcipitanter, quoniam communi omnium sententiæ oblectari non poterat, deseruit.

Ruthardus Abbas Herveldensis Mense Januario ærotare cœpit, & sic per annum continua ægitudine decoctus, cum evasurum se desperaret, Abbatia & pastoralis dignitate, quam per infirmitatem administrare non poterat III. Id. Decembris ultrò se abdicavit, anno postquam Abbati Maginhero successerat tertiodecimo jam exacto. Successitque ei protinus secundum ipsius postulationem. H. ejusdem Cænobii Monachus.

Adalbero Metensis Episcopus obiit, cui Herimannus Leodiensis Præpositus successit.

1073. Rex natalem Domini Babenberg celebravit. Ibi Bertoldo Duci Carnotensium Ducatum sine legitima discussione, absenti abstulit, & Marcvardo cuidam propinquo tradidit. Rudolfus quoque Dux Suevorum tumultum aliquem Republicæ machinari formidabatur. Sed discurrerentes utrinque frequentes Legati, & illum, ne præcipitanter in arma prouderet, & Regem ne cunctantem obstinata importunitate læcesseret, salubri moderamine obstinata importunitate læcesseret, salubri moderamine retinebant. Ibi quoque *Coloniensis Archiepiscopus offensus his qua plurima præter æquum & bonum fiebant in Palatio, petiit à Rege vacationem deinceps dari sibi ab rerum publicarum administratione, cautatus in senium jam vergentem ætatem, & laboriosis Regni negotiis minus minusque indies sufficientem.* Quod Rex haud difficulter annuit, quia pravis libidinibus suis & juvenilibus ineptiis jam dudum animadverterat eum graviter offendi, & plerunque quantum salva Regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo ubi se in sua recepit, *Rex tanquam severissimo Padagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestia & temperantia frenis, præcipitem se dedit.* Montes omnes colliculosque Saxonie & Thuringia castellis munitissimis extruxit, præsidiumque imposuit. Quibus cum victus necessaria minus sufficerent, permisit, ut ex proximis villis & agris hostili more prædas agerent, & ad ipsa castella munienda circumquaque manentes cogerent, & impensas affatum convecrare & per se ipsos fervili manu desudare. Verùm ne manifestè tyrannidis notaretur, si contra innocentes atque in Regnum proprium tam barbara crudelitate grassaretur, ut impictatem suam quadam Religionis specie palliaret,

Archi-

Archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigavit, ut decimationes Thuringia, sicut ante plures annos instituerat, exigeret, pollicens se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes Regia Majestate coacturum, ea tamen pacatione, ut ipsarum decimationum partem sibi, quæ & Regia magnificentia & tanto labori suo digna foret, iribueret. Ita Episcopus vanissima spe animatus, Synodum indixit in Erphesfurd VI. Id. Martii. Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiscopus, stipatus uterque magno grege Philosophorum, imò Sophistarum, quos ex diversis locis summo studio conciverant, ut Canones sibi non pro veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, & causam ejus quomodo veris non poterant, sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergo cum Rege & Archiepiscopo Moguntino Herimannus Babenbergensis Episcopus, Hecel Hildensheimensis Episcopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus. Quinon ad discutiendam juxta Ecclesiasticas leges causam fuerant evocati, sed ut id quod Rex volebat, arte dictionis & sententiarum pondere, postremo qua possent ratione & consilio obtinerent, quam plerique eorum, id quod Rex moliebatur vehementissimè improbarent, sed ne liberè quod sentiebant eloquerentur, & Regis terrore & privata Archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebar præterea Rex circa se armorum copias non modicas, quibus eos si qui fortè negotium inturbare conarentur, militari manu coerceret. Thuringorum spes & fiducia potissimum in Abbate Fuldensi & Abbate Herveldensi nitentur, quod hi Ecclesias decimales plurimas & prædia infinita haberent in Thuringia, & hi, si causa cecidissent, sibi unà cadendum esset. Qui publica discussione interpellati pro decimarum redditione, primò per Deum rogabant Archiepiscopum, ut antiquis tradita Monasteriis suis legitima rata inconvulsâ, manere sineret, quæ & Sedes Apostolica & veteribus & recentibus scriptis crebrò sibi firmasset, & præcessores ejus Moguntini Pontifices summi ac Sanctissimi Viri usq; ad Luitpoldum Episcopum nunquam infringere tentassent. Id atroci responso Archiepiscopus repulit, scilicet præcessores suos sua aetate pro suo arbitratu Ecclesie Dei moderatos fuisse, eosque rudibus in fide auditoribus & penè adhuc neophytis lac possum dedisse, non escam & sapienti dispensatione muliâ indulgisse, qua processu temporis, dum in fide convalescissent, successorum suorum industria rescari vellent. Se autem jam adultæ, vel potius senescente Ecclesia, spiritualia comparare spiritualibus, nec jam parvulis lac; sed perfectis solidum cibum ministrare, atque à filiis Ecclesie leges Ecclesiasticas exigere. Proinde esse eis aut ab unitate Ecclesie secedendum, aut Legibus Ecclesie æquanimiter acquiescendum. Tum illi, rursus per Deum orare, ut si in Romani Pontificis auctoritate, si in Caroli aliorumque Imperatorum privilegiis, si præcessorum ejus Moguntinorum Pontificum indulgentia, nihil sibi præsidii aut spei reliquum esset, ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & Canonum scita æquam judicassent, & cæteræ per orbem terrarum Ecclesie usitatas haberent, scilicet ut quarta parte ipse pro suo suorumque missorum servitio contentus, tres reliquas portiones Ecclesiis, quibus antiquitus attributæ fuissent, permitteret. Econtra Episcopus non ea mente se ait tantum laborem trivisse, & jam per

cem ferme annos laboriosum hoc laxum voluerit ut tandem aliquando voti compos effectus, ultro jure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipsis pro libito suo partiendas addiceret. Primus ac secundus dies in hac concertatione jam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, ultra pars utri cessura foret. Jamque in eo res vertebatur, ut Thuringi improbatâ Synodo Sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione nominis Divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpisset, capitali sententia animadversurum, & omnia quæ ejus essent usque interneconem dissipaturum, clademque ejus dici multis postea seculis non abalendam. Ita Abbas Herveldensis suorum periculo conterritus, quoniam aliud in arctum conclusis rebus non patebat effugium, rem consilio Regis permisit, quatenus prout ipse bonum & æquum judicaret, causam inter se & Archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione in hanc tandem pacationem medianse Rege Abbas & Archiepiscopus consenserunt, ut Abbas in decem suis decimalibus Ecclesiis duas partes decimarum, tertiam Archiepiscopus acciperet. In reliquis vero ejus Ecclesiis dimidia Abbati, dimidia Archiepiscopo contingeret. Ubi vero Ecclesia decimalis propria Archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes Dominicales Archiepiscopi curtes, in quacunque essent parochia ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub jugum missio Abbate Herveldensi, statim Thuringi omni spe adempta, eo quod in illius prudentia & eloquentia plurimum fiducia sibi posuissent, non ultra restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dari professi sunt. Fuldensis Abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito persistit. Sed cum nec Regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet, tandem rerum difficultate superatus, ad hanc conditionem non tam consilio quam imperio & metu Regis coactus est, ut in cunctis decimalibus Ecclesiis partem dimidiam decimarum ipse, dimidiam Archiepiscopus acciperet. Dominicales autem curtes suas sicut Archiepiscopus omnes ab omni decimarum redditione liberas haberet. Tum Rex liciens haud bene placitura Romano Pontifici, quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ utriq; Abbati præcepit, ut neque per seipos, neque per nuncium, neque alio quovis modo pro infimulanda Synodo Apostolicam Sedem interpellarent.

Atque ita omnibus quæ intenderat pro voluntate exactis, concitus Ratisponam contendit, sanctum Pascha ibi celebraturus. Cumq; in civitate Augusta diem Palmarum ageret, Rudolphum Ducem Suevorum & alios quosdam qui sinistrum aliquid contra Remp. moliri jam pridem delati fuerant, in gratiam recepit. Dein sanctum Pascha, sicut instituerat, Ratisponæ, Pentecosten in Augusta celebravit.

Alexander Papa, qui & Anselmus decessit, cui Romani protinus inconsulto Rege successorem elegerunt Hildebrandum, Virum sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia tempore quoque priorum Pontificum omni Virtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei ferventissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoveri cœperunt, ne Vir vehementis ingenii & acris erga Deum fidei districtius eos pro negligentis suis quandoque discuteret. Atque ideo communibus omnes consiliis

Regem adorari, orabant, ut electionem qua ejus injussu facta fuerat, irritam fore decerneret, asserentes, quod nisi impetum hominis prevenire maturaret, malum hoc non in alium gravius, quam in ipsum Regem redundaturum esset. Statim Rex à latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos Proceres conveniens causam ab eis suscitaretur, quare prater consuetudinem Majorum, Rege inconsulto, Romana Ecclesia Pontificem ordinasset, ipsumque si non idoneo satisfaceret, illicitè accepta dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam benignè à prædicto Viri susceptus est. Cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit, se Deo teste, honoris hujus usque nunquam per ambitionem affecturum, sed electum se à Romanis & violenter sibi impostam fuisse Ecclesiasticæ Religionis necessitatem, cogitantes nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tum Regem, quam Principes Teutonici Regni consensisse certa Legatione cognosceret, hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus inde veniens nunciatus intimaret. Hoc ubi Regi est renunciatum, libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio ut ordinaretur, mandavit. Quod & factum est anno sequente in Purificatione Sanctæ Mariæ.

Interea hi qui in castellis supra memoratis erant, graviter nimis imminerebant populo Saxonie & Thuringie. Omnia quæ in villis & agris erant Indies erupione facta diripiabant, tributa & vectigalia sylvarum & camporum importabilia exigebant, & plerunque sub prætextu decimarum totos simul greges abigebant. Ipsos Provinciales, & plerisque ex his honesto loco natos, & re familiari florentissimos, vilium mancipiorum ritu servire sibi cogebant. Filias eorum & uxores consensibus & penè aspicientibus maritis, violabant. Nonnullas etiam vi in castella sua raptas, & quanto tempore libido suggessisset, impudicissimè habitas, ad ultimum maritis cum ignominiosa exprobratione remittebant. Quorum si quis inter tantam mala suspirare & internum animi dolorem levi saltem querimonia solari atque evaporare ausus fuisset, statim, velut qui gravem injuriam Regi fecisset, in vincula conjiciebatur. Nec inde exire poterat, nisi totius suppellectilis lux distractione vitam salutemque suam redemisset. Cumque ex omnibus locis catervatim quotidie pro his Regiam Majestatem interpellarent, quæ unicum antehac omnibus afflictis refugium esse consueverat, cum gravi consumelia rejectiebantur, dicente Rege, ista eos pro injusta decimarum retentione pati, sequi tanquam vindictam cause Dei necessario armata manu eos coercere, qui Legibus Ecclesiasticis sponte nollent acquiescere. Itaque videns Rex omnes circumquaque manentes metu attonitos, & ad suscipiendas quascunque imposuisset condiciones patientissimos, magnum quiddam & à nullo Majorum suorum ante hac tentatum machinari cepit, videlicet ut omnes Saxones & Thuringos in servitutem redigeret, & prædia eorum fisco publico adjiceret. Cavebat tamen ne consilium hoc immaturè vulgatum, & effectu careret, & Principibus Regni iustæ murmurationis occasionem præberet. Itaque secretò cum Rege Danorum colloquium facit, & cum eo magna quadam parte Saxonie, quæ Udoni Marchioni pertinebat, pacificatur, ut in conficiendis rebus quas animo agitabat, auxilio sibi foret, & se Saxonibus ex uno latere bellum inferente, ipse eos ex alio latere adoriretur. Id ipsum aliis qui Saxonie contigui erant Regibus & gen-

tibus injungit. Ubi satis adminiculatorum vilium est, cunctis Regni Principibus expeditionem indixit in Polonos, id causæ prætextens, quod Bohemos contra vitium suum bello impetissent, & fines eorum ferro & igne infestassent. Hanc ut dixi causam in promptu habebat. Ceterum ut fama vulgatio postmodum loquebatur, sub occasione Polonorum volebat in Saxoniam exercitum ducere, & deletis usque ad internecionem Saxonibus loco eorum, gentem Suevorum constitinere. Hac enim illi gens erat acceptissima, & eorum plerisque, obscuri & penè nulli Majoribus ortos amplissimis honoribus exulterat, & primos in Palatio sequebatur, & ad eorum cuncta Regni negotia disponebantur. Quæ res cum valde exosum in visumque Principibus reddiderat, & eorum plerique indignitatem rei non ferentes, nisi pro responso necessario evocati in totum Palatio abstinebant. Igitur exercitum suum in expeditionem adunari constituit, septimo die post assumptionem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Quæ expectatione suspensis & intentis omnibus, ipse jam ferocius solito atque infestius agebat, posthabitu Principibus, solos circa se Suevos assiduo habebat, ex his sibi amicularios à secretis, ex his tam familiarium quam publicorum negotiorum procuratores instituebat. Tum Saxones omnes servilis conditionis esse, crebro sermone usurpabat, nonnullos etiam ex eis missis nunciis objurgabat, cur sibi juxta conditionem natalium suorum, ut ipso verbo utar, serviliter non servirent, nec de redditibus suis fiscalia sibi obsequia impenderent. Contradicentes quasi qui Majestatem Regiam violassent, totis Regni viribus persequi & de Regno protrahere minabatur. His atque hujusmodi indicibus Principes Saxonie malum quod cervicibus suis impendebat, animadvertentes, statimque graviter anceps periculo permoti, clandestina conventicula crebro faciebant, & se vicissim quid facto opus esset, in medium consulere hortabantur. Una omnium voluntas, eadem erat sententia, eamque dato & accepto vicissim sacramento confirmabant, male se mori, atque extrema omnia prima experiri, quam acceptam à parentibus libertatem per dedecus aruere. Hujus conjurationis auctores ac signiferi quidam erant Bucco Halberstatensis Episcopus, Otto Dux quondam Bajorum atque Herimannus frater Ottonis Saxonici Ducis, qui superiore anno decesserat. Sed Bucco licet frequentibus injuriis à Rege laceratus fuisset, tamen quia Vir eximie Sanctitatis erat, & optime in Ecclesia Dei existimationis, credi nullo modo potest, aliter in hanc audaciam prorupisse, nisi zelo Dei & sola communis commodi ratione. Ceteri duo, præter publicam gentis suæ causam, etiam privato odio jam pridem à Rege desciverant, propter Magnum Ottonis Ducis Saxonici filium quem Rex in deditione acceptam jam per biennium in custodia tenebat. Huic veniam admissi non alias impetrare poterant, nisi Ducatu & aliis, quæ sibi ex defunctis parentibus hereditario jure competeabant, in perpetuum se abdicaret. Quod ille nulla ratione se facturum protestabatur, etiam si sibi quicquid ætatis reliquum esset, in custodia & in vinculis exigendum, etiam si per omnes cruciatus & per omnia suppliciorum genera anima ponenda esset. Cumque nihil supplicando, nihil pecuniarum atque infinita prædia offerendo, nihil sua uterque erga ipsum Regem atque erga Rempublicam multa sæpe bene merita commemorando, proficerent, ad ultimum Otto Dux quondam Bajorum seipsum Regi obtulit,

quandis vellet in vinculis habendum, & omnia sua tanquam priori conventionem nihil actum esset, pro arbitratu suo distribuenda, dummodo propinquum suum, qui solo suarum partium studio in eam calamitatem devenerat, deditioe absolveret. Adhuc fertur Rex atrox nimis dedisse responsum, ipsum & omnia quae ipsius essent, jampridem deditiois jure in potestatem Regiam cessisse, nec cum obiecto quondam crimine adhuc ita purgatum, ut sui vel suarum rerum jure gentium traditionem ullam liberam haberet. Ea vox acerbè prolata, acerbius est accepta, magnumque odii seminarium irarumque fomitem ministravit. His auctoribus orta seditio, ita brevi totum Saxoniae populum quasi rabie quadam infecit, ut omnis dignitas, omnis conditio, omnis aetas quae modò faciendis stipendiis idonea foret, uno animo, pari voluntate, ad arma conclamarer, & se sub sacramento promitteret, aut obstinatè morituros, aut gentem suam in libertatem vindicatuos. Erant in ea conjuratione Principes isti, Wezel Magdaburgensis Archiepiscopus, Bucco Halberstatensis Episcopus, Hezel Hildensheimensis Episcopus, Werenher Mersburgensis Episcopus, Eilberthus Mindensis Episcopus, Immet Poderbrunnensis Episcopus, Friderich Mimegardefurdensis Episcopus, Benno Misinensis Episcopus. Otto Dux quondam Bajoariae, Udo Marchio, Dedi Marchio, & omni Marchione animosior atque implacator uxor ejus Adela, Egbertus Marchio Thuringorum puer adhuc infra militares annos, Friderich Palatinus Comes, Diedericus Comes, Adalbertus Comes, Otto Comes, Conradus Comes, Henricus Comes, tum vulgus promiscuum supra LX. millia erat, quid ad asserendam libertatem patriae legesque tuendas promptissimo animo manus operamque suam promittebant. Et verè Divinitus oblatam sibi esse occasionem dicebant, qua jugum iniquissimae dominationis à cervicibus suis excuterent. Dux Saxoniae necdum aliquis constitutus fuerat, quia, sicut supra memoratum est, Dux Otto paulò ante humanis rebus excesserat, & filius ejus Magnus cui Ducatus legitima successione debebatur, adhuc in castello Hartesburg deditus servabatur, & quia Rex in bona ejus inhiaverat, id praestolari putabatur, ut malorum pondere ac longae deditiois rædio fatigatus, ultrò jure suo cederet, & Ducatum cui Rex voluisset, dandum permitteret. Liemarus Bremenensis Archiepiscopus, Eppo Citicensis Episcopus, & Benno Osenbruggensis Episcopus, quia in communem sententiam gentis suae concedere nolabant, de finibus Saxoniae effugati, ad Regem se contulerunt, eique toto belli hujus tempore individi comites adhererunt. Igitur circiter Kal. Augusti adulta jam satque roborata conjuratione Legatos mittunt ad Regem, tum temporis Goslariae constitutum, postulantes, ut expeditio, quam in Polonos instituerat, sibi remitteretur, se adversum acerrimos hostes Luticios die ac nocte in procinctu atque in acie stare, & si paululum manus remittant, illico finibus suis insultantibus adversarios, & omnia caede atque incendio depopulantes aspicere. Ad horum vim arcendam vix sibi satis copiarum esse. Proinde stultum fore, ut exieris ac longe positus gentibus arma inferant, qui domesticis ac penè intestinis sine intermissione bellis quaerantur. Præterea postulant, ut castella quae ad eversionem Saxoniae per singulos montes colliculosque extulerat, dirui juberet. Ut Principibus Saxoniae,

quibus sine legitima discussione bona sua ademerat, secundum Principum suorum jurisdictionem satisfaceret. Ut relicta interdum Saxoniae, in qua jam à puero residens oratio atque ignavia penè smarcessisset, etiam aliam Regni sui partem inviseret. Ut vilissimos homines quarum consilio seque Remque publicam precipitem dedisset, de Palatio rejiceret, & Regni negotia Regna Principibus, quibus ea competere, curanda atque administranda permitteret. Ut abscisio grege concubinarum, quibus contra scita canonum, attrito frontis rubore, incubabat, Regnam quam sibi secundum Ecclesiasticas traditiones thori sociam Regnique consortem delegisset, conjugali loco haberet & diligeret. Ut cetera flagitiorum probra quibus dignitatem Regiam adulescens infamaverat, nunc saltem maturato sensu & aetate abdicaret. Postremo per Deum rogant, ut iustis postulantiibus sponte annueret, nec sibi magni cuiusquam atque inusitatis facinoris necessitatem imponeret. Si ita faceret, se promptissimo animo ei, sicut haecenus, servituros, eo tamen modo, quo ingenuos homines atque in libero Imperio natos Regi servire oporteret. Sin autem, Christianos se esse, nec velie hominis, qui fidem Christianam capitalibus flagitiis prodidisset, communionem maculari. Quod si armis cogere instituisset, sibi quoque nec arma deesse, nec militaris rei peritiam. Sacramento se ei fidem dixisse, sed si ad aedificationem, non ad destructionem Ecclesiae Dei Rex esse vellet, si iustè, si legitime, si more Majorum rebus moderaretur, si suum cuique ordinem, suam dignitatem, suas leges intactas inviolatasque manere pateretur. Sin illa prior ipse temerasset, se jam sacramenti hujus religionem non teneri, sed quasi cum barbaro hoste, & Christiani nominis oppressore, iustum deinceps bellum gesturos, & quoad ultima vitalis calor scintilla superesset, pro Ecclesia Dei, pro fide Christiana, pro libertate etiam sua dimicatuos. Vehementer Regem permovit hæc legatio. Verum consiliariis ejus dicentibus, quod ad primum belli terrorem, tanti motus irarum deflagaturi essent, paululum resumpro spiritu, leviter & contemptim Legatis respondit, nihilque certi reportantes dimisit. Quod ubi suis nunciarunt, atrox omnium mentibus ita incanduit, seque mutuo feromone, ut contemptum sui manu vindicarent, hortabantur. Obstinatam, inquit, in malis ingenium, nisi ærior vis adhibeatur emolli non poterit, & nisi ad vivum propiusque medullas mucro adigatur, sensus doloris non admittet. Igitur armati instructique Goslariam contendunt, ibique mediocri à villa intervallo castra locant, statimque efferato animo in eum irruissent, & jus suum non jam Rhetoricis allegationibus, sed bellicis terroribus expostulassent, nisi Bucco Halberstatensis Episcopus, & pauci admodum qui sanum aliquid sapiebant, impetum tumultuantis turbæ salubri moderatione inhibuissent. Rex accepto nuncio vicini jamque instantis periculi graviter mente consternatus, prope in Hartesburg se contulit, eoque secum Regni insignia & thesaurorum suorum, quantam in ea trepidatione potuit, partem convexit. Erant tum temporis cum eo Eppo Citicensis Episcopus, & Benno Olenbrugge nensis Episcopus, eorumque consilio & prius tranquilla, & nunc turbata Republica, omnia faciebat. Casu quoque nuper advenerat, nescio quid privatae causæ acturus in Palatio, Bertoldus Dux quondam Carinthorum. Huic Rex quam sanctis obtestantibus se purgabat, quod Ducatum ejus nulli alii tradidisset;

Ed Marcvvardus privata præsumptione fines alienos invaſiſſet, nec ei quicquam de jure ſuo propterea imminutum eſſe, ſi ſuo injuſtu, ſine conſulto Principum honores publicos homo ineptiſſimus tene- raſſet. Ille licet hæc ficta eſſe ſciret, & Regis ma- litiam non tam voluntate, quàm fortunæ violentia correctam eſſe, tamen ſuſcepit ſatiſfactionem, pro- miſitque operam ſuam Reipublicæ utilitatibus nul- quam defuturam. Huncitaque, quia Vir erat ſum- mæ prudentiæ & popularis Eloquentiæ, cum duobus ſuprà memoratis Episcopis Rex Legatum miſit ad Saxones. Ad quos cum veniſſent, rogabant eos per Deum, ut ab armis qua honeſto licet nomine, peſſimo tamen exemplo, ſumpſiſſent, maturè diſcederent, nec rem ſupra modum ſupraque vires ſuas tentarent, que à cæteris Regni Principibus nimium improbanda fo- ret, utpote quam nec ſua, nec Majorum ſuorum me- moria unquam gens ulla tentäſſet; juſtam eorum eſſe cauſam, quos ſummis ſæpè injuriis Regis inclementia ad hæc extrema experienda coëgiſſet, honori tamen ſuo magis conſulendum, quàm iracundia, & deſerendum Regis Majeſtati, qua apud Barbaras etiam nationes ſemper intacta inviolataque fuiſſet. Proinde remiſſo armorum ſtrepitu, pacatis animis, ſopitis ſimultai- bus, tempus locumque conſtituerent, quò Rex to- tius Regni Principes evocaret, ut juxta communem ſententiam & objecta purgaret, & quæ correctionis egere viderentur, corrigeret. Ad hæc illi: Non ead- em, inquiunt, cæteris Regni Principibus, & nobis incumbit neceſſitas rebellionis. Cæteris enim gentibus vacatione data, & penè ſeriatas omnibus, nos ſolos ſibi peculiariter elegerat, quos ſecundum Prophetæ elogium in planſtris ferreis, quorum Regionibus, poſt inſitum ſemel Principatum, nunquam excederet, qui- bus poſt erepta patrimonia, libertatem quoque eri- peret, & natalibus omnium infamatis duriffima ſer- vitutis jugum injiceret, ad quorum oppreſſionem ſin- gulis montibus colliculisque præſidium imponeret, ut aquas noſtras pecunia bibere, & lingua noſtra præcio comparare cogeremur, quorum uxores & filia mili- tibus ſuis publice libidinis victimas proſtitueret, quo- rum terram, quod omnium, qua paſſi ſumus, graviſ- ſimum ducimus, inauditiſſe adinventionibus, nec Chri- ſtiano ore nominandis criminibus inceſſaret. Si cum cæ- teris Regni Principibus hæc nobis communis eſſet injuria, meritò ad illorum cognitionem communem- que audientiam nos rejiceret. Nunc autem, cum nobis aut privata calamitate cadendum, aut privata Virtute injuriis ſit obviam eundum, nihil noſtra in- ter eſt, ſuper noſtris miſeriis aliorum expectare ſen- tentiam. Quapropter ſi eum malefactorum tan- dem aliquando piget poenitetque, in argumentum non fictæ poenitentia, caſtella quæ in perniciem no- ſtram extruxit, abſque procrastinatione diruat, pa- trimonia nobis per vim ſeu per calumniam erepta, reſtituat, poſtremo juſjurandum nobis det, quod legitima genti noſtræ à primis temporibus conſtituta, nunquam deinceps infringere mo- liatur. Si hoc facit, licet ſæpe eluſi, ſæpe verbis pacificis in dolo irriſi, tamen utcumque adhuc cre- dimus bona pollicenti. Sin autem, omni dilatione relegata, nec expectatis aliarum gentium, aut aliorum Principum decretis, jugum quod cervici- bus noſtris impendet, excutere conabimur, libros- que noſtros, noſtra vel morte vel victoria in liber-

tatem aſſeremus. In hæc verba Legatos dimiſerunt. Qui iterum miſſi, iterumque remiſſi in eadem eor- ſententia obſtinatos invenerunt. Itaque omnes vias, per quas deſcenſus eſſe poterat de caſtello, adhibitis cuſtodibus, obſervari ſtatuereunt; ſumma ope id præ- cavendum æſtimantes, ne qua ei copia fieret effu- giendi, & in alias Regni partes bellum transferendi. Et proſectò ſi id ritè curäſſent, facili diſpendio & paucis admodum diebus res conficeretur, quæ poſt- modum tanto tempore tracta, in extremum penè di- ſcrimen cunctas Regni Provincias attraxerat. Ne- que hoc ipſum Regem latebat. Idcirco modis om- nibus intentus agebat, qualiter hoſtium cuſtodias falleret, & de angultiis Saxonæ in latiffimam Regni arcem bellum trajiceret, maximeque ad Episcopos Rheni quos ſibi ob crebra ſua merita fidos firmosque in adverſis fore ſperabat. Caſtellum in altiffimo col- le ſitum erat, & uno tantum itinere ipſoque difficil- limo adiri poterat. Cætera montis latera vaſtiſſima ſylva inumbrabat, quæ exinde per multa millia paſ- ſuum continua vaſtitate in latum extenditur, uſque ad confinium Thuringiæ. Et ideò nulla obſidentium diligentia conſuſis egreſſum vel ingreſſum eripere poterat. Rex collato cum ſuis conſilio, frequentes ad eos Legatos miſſebat, pacem poſtulans, & omnium, qua illos offenderant emendationem pollicens. In quam acionem intentis ſuſpenſisque omnibus, & jam propter res bene geſtas immatura ſecuritate torpen- tibus, noſte quadam, cum nihil minus ſuſpicarentur, ipſe Bertoldum Ducem, & duos ſuprà memoratos Episcopos & alios pleroſque familiares ſuos ſecum aſſumpſit, & præmiſſis ante ſe in ſarcinis Regni inſi- gnibus, & quanta tempus & res patiebantur, parte theſaurorum, clavis egreſſus eſt de caſtello, dato negotio- bus, qui intus remanebant, ut poſtera die, quanta poſſent arte, præſentiam ſui ſimularent & hoſtium ani- mos à ſuſpicionibus fuga ſua avocarent. Triduo per vaſtiſſimam ſylvam jejuni (ut ſerunt) gradiebantur, angultiſſimo & paucis ante hæc comperto tramite, quem venator quidam Dux itineris, dum venandi ſtudio ſolertius ſylvarum abdita rimaretur, depre- henderat, undique circumſpectantes gladium, & ad quemlibet perſtrepentis auræ ſonitum, incurſus hoſtium jamque jugulo incumbentem interitum formidantes. Quarto die inedia, vigiliis ac longi itineris labore uſque ad extremam laſſitudinem con- ſecti Eſchenevege pervenerunt. Ubi cibo ſomno- que paululum recreati, poſtero die Idib. Aug. cum jam miles frequentior ad Regem confluere cœpiſ- ſet, Herveldiam contenderunt. Quatuor deinceps diebus ibidem commoratus eſt, operiens exer- citum, quem in expeditionem contra Polonos de toto Regno ſuo evocaverat. Jam enim dies inſta- bat, quem coadunando militi conſtituerat. Adel- bero Würceburgenſis Episcopus, & Herimannus Babenbergienſis Episcopus, & alii plerique Princi- pes, qui ad militiam proficiſcentes in vicina loca jam devenerant, audito quod acciderat, pro- perè ad Regem adhuc Herveldiæ conſtitutum, concurrerunt. Rudolfus Dux Suevorum cum E- piſcopis Rheni, Suevo, atque Bajoariz circa Moguntiam caſtris poſitis, nuncium Regis præ- ſtolabatur, per quem certius edoceret, quonam in loco ei occurrere deberet. Audierat enim cum ab hæc expeditione ad alia Regni negotia animum

negotia animum revocasse, sed quam mutandæ sententiæ necessitas repente incidisset, certò nõ compererat. Plerique tamen jactabant, eum conjurationis hujus conscium participemque extitisse, ideoque tam lento gradu ad malitiam procedere, ne aut Regi in tanto discrimine, contra propositum suum, pudore victus auxilium præberet, aut si negaret, defectionem suam consiliumque immaturè prodere cogere-
 retur. Rex itaque missis nunciis mandavit, ut tam ipse quam cæteri, qui cum eò erant Principes, citato quantum possent itinere, sibi occurrerent in villa, quæ dicitur Capella haud procul ab Herveldia. Quo cum venissent, pedibus eorum provolutus, orabat per respectum Dei, sub cujus testificatione sibi fidem dixissent, ut super infelicibus eventis suis misererentur pariter & indignarentur, cõmunia ipsorũ beneficia præcepta sibi esse paucorũ malignitate, qui in memores jurisjurandi, in memores beneficiorũ, quibus eos sæpenumero & privatim & publicè sibi obligasset, cum Regno etiam vitam sibi eripuissent, nisi fugæ præsidio periculum declinasset, violatæ Regiæ Majestatis injuriam non ad se solum pertinere, publicam esse contumeliam omnium eorum qui se Regem creassent, & quorum auxilio ab improbis hominibus tutus esse debuisset: proinde omnes pro virili portione satagerent, ne Regiã dignitas, quam à Majoribus suis honestissimam atque præclarissimam acceperant, sua ignavia fuscetur, neve tam pessimum exemplum suorum temporum ad posteros suos inultum transmitterent. Hæc memorando, tam deformitate casuum suorum, quam miserabilis querimonie prosecutione omnibus qui aderant lachrymas excussit. *Erant, qui censerent, quomodo in expeditionem contra Polonos armati instructique venissent, ut protinus in Saxoniam exercitus duceretur, & recentis contumeliæ vulnus recentis vindictæ antidoto curaretur. Alii decernebant, non esse rem præcipiantur adgrædendam, gentem Saxonum esse robustissimam, & bellorum usu propter ingenitam feritatem exercitatissimam, qua insuper frequentibus injuriis efferata, ruptis jam omnibus juris & legum retinaculis, aut mori aut vincere sit obstinata.* Propterea dandas sibi esse, quibus domum redeant, copias instruant, impensas augeant, ut multiplicatis sumptibus ad præhendendum in quaslibet moras bellum durare valeant. Horum sententia ab omnibus comprobata decrevit Rex, ut septimo die post festum S. Michaelis miles in expeditionem adunaretur in villa Herveldensis Monasterii, quæ dicitur Bredingen. Ita assumptis secum, qui advenerant Principibus abiit, Triburiam & cætera circa Rhenum loca iuvifere. Missis etiam circumquaque nunciis obnixè non solum Principibus, sed & popularibus, ne à se deficerent, supplicabat, multa largiendo, plurà pollicendo, nonnullis etiam sua restituyendo, quæ superioribus annis, dum prosperis successibus immoderatus indulgeret, per calumniam abstulerat. Saxones comperto quod elusis custodibus suis Rex in alias Regni partes evasisset, vehementer sunt contristati, arbitantes, id quod res exigebat, nihil sibi deinceps otii aut remissi habendum, nec pestem hanc ut hætenus intra domesticos parietes cohibendam, sed revelata facie, bellum publicum cum hoste publico gerendum: ideoque sibi expedire, ut quantacunque possent gentes & Regna adversus Regem concitarent. Protinus Legatos miserunt ad Thuringos, auxilium petere & rogare, ut ipsi pro sua quoque libertate, & frequentibus contumeliis, quibus lacessiti fuerant, arma sumere non pigritarentur. Thuringi celeberrimo conventu habito in loco qui dicitur Tritenburg, ubi Legationem Saxonum audierunt, *promptissime assensu sunt*, nec ulla unquam legatio laxioribus adclamationibus excepta est. Nec mora, jusjurandum dant nusquam se defuturos negotio, communem sibi esse cum eis rebellandi necessitatem, & ideo commune periculum, communem etiam, si Deus annueret, victoriam futuram, seq; usq; ad extremũ spiritum pro communi utilitate dimicatuos. Denunciant præterea Abbati Fuldensi & Abbati Herveldensi, & cæteris Principibus, qui in Thuringia prædiorum aliquid haberent, ut ad ferendum genti suæ auxilium die statuto conjuraturi venirent, ni id facerent, se bona eorum protinus omnia direpturos. Legati etiam Regis supervenerunt, ingentia eis beneficia pollicentes, si sedes Saxonum bellicue societatem respuerent. Sed cum gravi contumelia sunt repulsi, in tantum ut nec manibus in eos furor populi temperasset, nisi paucorum sapientium moderatio propter jus gentium, quod Legatis est deferendum intercessisset. Archiepiscopus Moguntinus, Erdesfurd eo tempore morabatur. Hunc adorti in communem sententiam concedere urgebant, nec prius Regionibus illis excedere passi sunt, donec datis obsidibus fidem suam fumarat, nihil se adversum eos armis aut consilio moliturum, quantum nonnulli existimarent, tam cum quam Archiepiscopum Colonensem, & alios plerosque Rheni Principes jam à principio conjurationis hujus conscios participesque extitisse. Id tamen dum incertus adhuc rerum eventus pendebat, summa ope dissimulabant. Igitur quoniam in exterarum gentes Regem persequi consilium non erat, omnem operam suam ad expugnanda castella ejus verterunt. Hæc autem sunt castella, quæ ipse, postquam Pater ejus decesserat, extruxit, quæ tamen ad præsens memoriã occurrunt, *Hartespurg, Wiganienstein, Moseburg, Sassenstein, Sparenberg, Heimenburg, Asenberg, Vokenroth.* Friderici Palatini Comitiss fuerat, idque ei Rex quadam Legum violentia eripuerat, præsidiumque suum imposuerat Lüneburg quoque oppidum maximum Ottonis Ducis Saxonici, situm in confinio Saxonum & Luticiorum occupaverat, militesque lectissimos cum Eberhardo filio Eberhardi Comitiss de Ellenburg imposuerat, non aliam ob rationem, nisi quod omnia quæ prædicti Ducis fuerant, in potestatem Regiam, jure deditionis per Magnum filium ejus venisse, argumentabatur. Alia præter hæc quam plurima extruere aggressus fuerat, sed cum ab incepto repente oborta bellorum tempestas revocavit. *Herimannus frater Ducis Saxonici* jam pridem antequam Rex Saxonia effugaretur, *Lüneburg obsederat, militesq; Regis*, quoniam temerè ingressi alimenta non habebant, paucis diebus *ad deditionem coegit*, nec tamen dimittere vietos aut punire volebat, sed intra oppidum diligentia custodia, ne effugerent observatos, secundum Prophetam pane arcto & aqua brevi sustentabat, *mittensq; ad Regem, mandavit, ut si suos, qui obsidebantur, vivos intactosq; recipere vellet.* Magnum fratris sui filium deditione absolveret, sibiq; remitteret, ni id faceret, se de his tanquam de hostibus qui fines alienos contra leges invasissent, juxta leges gentis suæ capitale supplicium sumpturum. Diu Rex quid ageret ambigebat. Inhumanum scilicet fore sciebat, si suis extrema necessitate circumventis non consulèret. Sed reputabat e contra quantum rationibus suis deperiret, si eum de

cujus interitu sibi totius Saxoniarum dominatum pollicitus fuerat, dimitteret, sui que compotem faceret, praesertim cum propter recentes injurias quibus eum jam triennio in custodia habitum afflixerat, gravius caeteris omnibus Republicam vexaturus timeretur. Non paucis diebus haec deliberatio cum incertum suspensumque tenebat. Et profecto vicisset avaritia, privatisque utilitatibus salutem militum posthabuisset, nisi Principes Regi crebris Legationibus fatigati ab his qui obsidebantur, unanimi consilio eum adorirentur, & non tam supplicando quam comminando & terrendo absententia deducerent. Itaque in assumptione Sanctae Mariae, cum adhuc Herveldix eslet, misit, qui Magnum custodia exemplum suis resisterent, & eos, qui in praedicto castello jamjam puniendi servabantur, obsidione & periculo liberarent. Thuringi quoque conglobata ex vicinis locis multitudine Heimbürg castellum obsederunt, paucisq; diebus vi & armis oppugnatum coperunt atque succenderunt. Eos qui intus erant castello everso, dimiserunt impunitos, ut scilicet se probarent non hostili odio adversus Regem arma sumpsisse, sed tantum ut injurias, quibus Regio eorum per calumniam opprimebatur, propullarent. Protinus alii castello quod Azenberg dicebatur, exercitum admovent, & quia propter difficultatem locorum militari manu capi posse desperabatur, castris circumquaque positis latagebant, ne cui ingrediendi vel egrediendi copia fieret, ut quos humana vis non poterat, alimentorum inopia expugnaret, haud dubie scientes, quod cibaria quantumvis copiose congesta, multitudini, quae intus erat, in longum tempus sufficere non possent. Interea Rex videns conjurationem magis magisque, indies convalescere, copiasque hostium augeri, conterritus etiam damno castellorum suorum, quorum alia jam capta, alia summo molimine oppugnari audiebat, rogavit Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos, ut Saxones convenirent, & turbata rebus aliquod remedium invenire conarentur. Qui dicto obtemperantes, mandaverunt Principibus Saxoniarum, ut sibi in Monasterio Corbejensi 1x. Kal. Septemb. occurrerent, de communi commodo tractaturis. Episcopus Colonienfis casu nescio, an per industriam remoratus, die statuto non venit, nuncios tamen misit, qui pro se causam dicerent, promittens omnibus quae ipsi de suis Republicae utilitatibus rationabiliter statuissent, se promptissime assensurum, & pro communi salute, quantum posset, operam daturum. Moguntinus Archiepiscopus residens cum Saxonibus, qui occurrerant, sedulo nitebatur pacare eos, Regique reconciliare. Sed illi e contra, praeter vulgatas ubique injurias suas, quibus ab eo vehementer attriti fuerant, graves causas afferbant, quibus probarent eum sine magna Christiana Religione salutem non posse ulterius regnare, ea scilicet in familiarissimos amicos, ea in uxorem, ea in sororem propriam Abbatisam de Quedlenburg, ea in alias personas naturae necessitate sibi conjunctissimas facinora patrassent, quae si secundum Ecclesiasticas Leges judicarentur, & conjugium, & militiae cingulum, & omnem prorsus seculi ulum, quanto magis Regnum abdicare censeretur. Longis itaque contentioneibus ad hunc finem postremo res deducta est, ut decernerent XII. ex sua gente XII. ex parte Regis obsides dari, quarum fide interposita, ipsi tunc ad colloquium venire possent cum caeteris Principibus Regni, ut causa, quae adversus Regem afferrent, eorum iudicio discernerentur & sermionarentur, ipso Rege, si in

expedire videretur, praesente, & crimina quae objicerentur, si posset, resillente. Dandis accipiendisque obsidibus dies statutus est Idus Septembris infra Thuringiam, in loco qui dicitur Hoenburg. Habenda autem cum Principibus colloquii dies statutus est XIII. Kalend. Novemb. in confinio Thuringiae & Hassiae, in villa quae dicitur Gerstengen. In hanc conditionem discessum est. Saxones tamen de apparatu belli & oppugnandis Regis castellis nihil propterea remittebant. Cumque Regi quae gesta fuerant, nunciata fuissent, visum est his, qui partes ejus adjuvabant, multum abhorere a Majestate Regia, ut ipse Saxonibus pro se obsides daret, nimirumq; gravari nomen Regium foedissima conditionis injuria. Quapropter Moguntinus & Colonienfis Episcopi statuta die Hoenburg profecti, obtinuerunt, ut omissis ex utraque parte obsidibus, ipsi tantum pro pace firmanda fidem suam interponerent, & hoc pignore venturis ad colloquium Principibus, omnem periculi metum adimerent. Interea Rex Legatos misit ad Lutitios, gentem Saxonibus infestissimam, cuiq; infinitam pecuniam promisit, ut Saxonibus bellum inferrent, asserens eos nunc intestinis simulatibus occupatos, facili externorum bellorum impulsu posse usque ad internecionem deleri. Quod ubi Saxonibus compertum est, ipsi quoque nuncios ad eos miserunt, & multo copiosorem eis pecuniam promiserunt, ut ab infestatione sua tam iniquo tempore quiescerent, quod si non facerent, ne inani opinione fallerentur, se utrique hosti, si ea necessitas incumbat, & multitudine & Virtute militum posse sufficere. Barbaros alii Regis, alii Saxonum foedus pecuniamq; suscipiendam clamitabant. Unde orta per imperita multitudine intemperantiam seditione, tanta se caede lanaverunt, ut multa millia hominum in ea congressione interfecta referantur, atque ita deinceps multis diebus in seipso & in sua viscera hostili gladio debacchantes, externis bellis necessario supercedere cogebantur. Rex quoque Danorum memor firmatae jam pridem cum Rege pacationis, cum exercitu navali applicuit ad Saxoniam, & tractis per longa terrarum spatia navibus, in fluvium qui administrando negotio opportunus videbatur, ique & ferro Regionem infestare parabat. Sed miles ejus vehementer detestabatur militiam, objiciens, quod sibi, quoties externorum hostium incursionibus quaterentur, Saxones pro muro fuerint, nec ullis unquam, cum faculem suppetere lacefferint injuriis. Postremo si calamitatem quae ad praesens urgeret, quandoque propullarent, graves poenas injuste hujus infestationis a populo Danorum exacturos. Cum hac privatis & publice jactitarent, Rex veritus, ne in eo discrimine a milite desertus, ludibrio fieret hostibus, naves retrahi jussit, & nulla Regioni clade illata Saxonia excessit. Ita tantus ille bellici apparatus fervor impunè deflagavit. Principes Saxoniae XIII. Kalend. Novemb. juxta conditum venerunt in Gerstengen cum XIV. millibus armatis, caetera multitudine ad custodiae Regionis atq; in obsidione castellorum derelicta. Aderant etiam ex parte Regis Moguntinus Archiepiscopus, Colonienfis Archiepiscopus, Mettensis Episcopus, Habenbergensis Episcopus, Gozelo Lotharingorum Dux, Rudolfus Suevorum Dux, Bertholdus Carinthiorum Dux, missi a Rege, ut causam quam adversum se afferrent discuterent. Ipse eo venire noluit, sed in civitate Würceburg exitum rei praestolabatur, praecavens scilicet, ne tumultuantis populi furor, sua magis praesentia efferatus, aliquid forsitan in se, quod se-

cus esset, admitteret. Igitur Principes Saxoniae Principum, qui à Rege venerant pedibus provoluti, rogabant per Deum, ut ad ventilandam causam suam intenti cognitores, & iusti iudices adessent, nec perpendere, quantum quaque in Republica inusitatum opus aggressi essent; sed quæ calamitas eos ad hæc extrema coegisset. *Accepta deinde dicendi copia, suas singuli injurias exposuerunt, quæ in ipsos singulos, quæ etiam ingentem suam Rex nefanda facinora commisisset, quibus præterea inauditis criminibus ipsam Regii nominis Majestatem polluisset. Obstupuerunt Principes, qui à Rege venerant, & præ immunitate scelerum secundum Prophetam tinniebant aures omnium, nec eos quod pro libertate sua, pro conjugibus, pro liberis, arma sumpsissent, sed quod intolerabiles contumelias muliebri patientia tam diu subportassent culpandos censebant. Cumq; toto triduo consilia contulissent, & quid factum opus esset, communi sollicitudine perquirerent, hac postremo cunctis sententia convenit, ut reprobatum Regem, alium, qui gubernando Regno idoneus esset, eligerent.* Id tamen haud temerè publicari placuit, donec Rege per occasionem pacis in remotiores partes Regni abducto, cum cæteris Regni Principibus consilium hoc communicarent. Propter hoc vulgari jubent in plebem, in hanc sententiam utriusque partis Principes consensisse, ut Saxones Regi pro admittenda in eum atque in Rempublicam temeritate satisfactionem congruam proponerent. Rex autem eis & facti impunitatem, & injuriarum quibus ad defectio- nem eos coegisse insimulabatur, de cætero securitatem sub jurejurando promitteret. His rebus conficiendis tempus statutum est in natale Domini Regem eam festivitatem Colonie celebraturo. Et profecto Rudolphum Ducem ibidem absque dilatione, Regem constituissem, nisi ille pertinaciter resistendo juraret, nunquam se in hoc consensuram, nisi à cunctis Principibus conventu habito, sine nota perjurii, integra existimatione sua, id facere posse decerneretur. Saxones in sua cum pace redierunt. Cæteri Principes Würceburg profecti sunt. Regi quæ gesta fuerant nuntiaturi. Qui protinus nihil hæsitans, pedibus ut dici solet, in sententiam abiit, & dummodo pax conveniret, quas- cunque conditiones imposuissent, se promptissime laturum, spondit. Celebrata ibidem omnium Sanctorum Festivitate, Ratisponam ire instituit, animadvertens quod Principes Rheni aliquando Saxonici furoris labe jam infecti, minus minusq; indies ad exhibenda sibi obsequia devoti ac benevoli essent. Cumque inter eundem aliquot diebus Nurenbergæ moraretur, quidam qui lateri ejus jam diu familiarissimè observatus fuerat, Regenger nomine, incertum, aliorum instinctu, an privato in eum odio suscitatus, repente prorupit in medium, & Ducibus Rudolpho & Bertholdo grave adversus eum crimen detulit. Ego (inquit) & alii plerique quos pessime machinationis suæ Rex idoneos fore administratos speraverat, nuper multis precibus magnisq; sollicitationibus ab eo sollicitati sumus, ut vobis ac cæteris Regni Principibus Würceburg convenientibus, & secretioris colloqui gratia paululum à multitudine remotis, armati in vos irrueremus, & trucidatis seditionis auctoribus, ipsum periculo, Rempublicam perturbatione liberaremus. Et cæteri quidem satis impigrè susceperunt negotium. Solus ego tam Justitiæ respectu, quam futuri iudicii metu deirectabam opus nefarium, & quantum oblectari obstinatæ sententiæ audebam, dehortari eum conabar à proposito. Quapropter

tanta in me incanduit indignatione, ut à contubernio suo, quo me hæctenus cæteris familiarius perfruitum optime nostis, protinus me amoveret, & jugulandum apparitoribus suis objecisset, nisi periculum imminens penetralibus properè excedendo declinasset. His dictis in argumentum fidei locum expressit, confcios nominavit, & si Rex inficiaretur, paratum se ait, cum ipso si id leges paterentur, vel cum quovis homine conferta manu, rem Divino iudicio committere. Vehementer hæc verba permoverunt prædictos Duces, cum esset is, qui deferbat homo haud obscuri nominis in Palatio, & apud suos inviolatæ existimationis. Præterea ea res potissimum dictis fidem conciliabat, quod Rex & aliis quibusdam Principibus suis simili modo necem paravisse, & plerosque ex familiaribus suis etiam occidisse, jam pridem infamatus fuerat. Itaque Legatos ad eum mittunt, mandantque se jam nulla religione teneri sacramenti, quo ei fidem subjectionemque firmasset, cum ipse prior fidem prodidisset, & de salute sua tractantibus insidias machinatus fuisset. Proinde nisi objecta diluisset, nullam deinceps à se vel in tranquillibus rebus fidem, vel in perturbatis auxilium sperare debere. *Ægrè nimis id passus Rex statim ad populum retulit de importunitate Rudolphi Ducis, qui ut invadendi Regni occasionem inveniret, cum verum sibi crimen impingere non posset, falsis suspicionibus & arte compositis rumoribus impeteret, & obruere conaretur innocentiam suam. Sed procul ait facessant verborum pugna, cessent callida argumentorum phantasmata. Ego non verbis, sed manu mea refellam mendacium, & neglecta interim Regi nominis Majestate, cum ipso Duce Rudolpho congressus, detegam cunctos fidei hujus criminationis, quæ malitiam suam palliare conatur, ut si Regnum amiserit, non mea culpa sed per illius subplantationem perjuriumque intelligat amisisse.* Tunc Udalicus de Gosheim, unus ex his, qui consilii participes, & sceleris administrati destinati fuisse, accusabantur, lenibus verbis dolorem Regis mirigare studebat, rogabatque eum, ne aliquid quod infra Regiam Magnificentiam esset, vi doloris impulsus profiteretur, se melius multoque rectius cum Regin- gero, vel cum quolibet homine collata manu & suam & ipsius innocentiam asserturum. Statimque ad Ducem Rudolphum abiit, seque paratum dixit quocun- que modo ipse æquum judicasset, mendacium Regin- geri refellere. Ille satisfactionem nec suscepit, nec aperta fronte abnuvit, sed ait se super hac re delibera- tione cæterorum Principum sententiam expectaturum. Rex sicut instituerat, Ratisponam contendit, omnibus invisus, omnibus suspectus, nec ipse jam cui- quam hominum satis fidei habens, cum hi quoque quos intima familiaritate sibi devinxerat, ad primam ingruentis tempestatis nubeculam à se defecissent. Interea Saxones crebris Legationibus urgebant Prin- cipes Rheni, ut vel sibi constituendi Regis potestatem face- rent, vel ipsi quando & dignitate & multitudine superio- res essent, quemcunque vellet Saxonibus suffragium ferentibus, eligerent & constituerent, nec sinerent Rem- publicam unius hominis ignavia ad extremam usque vastitatem deperire. His accensus Archiepiscopus Moguntinus, cui potissimum propter Primatum Moguntinæ sedis eligendi & consecrandi Regis au- ctoritas deferrebat, Principes de toto Regno Mogun- tianam evocavit, ut communi consilio Rudolphum Ducem Regem constitueret. Quod ubi Regi compertum est, assumptis secum quoscunque donis, vel promissis, ad studium

studium suarum partium allicere potuit; *concius de Bajoria remeavit*, ratus ante omnia impediendæ tantæ rei curam agendam. Cumque propè Wormatiam in locum, qui dicitur Lovendeburg venisset, gravissima ægritudine correptus, multis diebus lecto decubabat, spemque maximam hostibus suis fecerat, tantos irarum motus sine sanguinis effusione posse confici. Sed ab infirmitate vix dum plenè recreatus *Wormatiam festinavit, ubi est magna pompa à civibus in urbem susceptus est*, qui & paulo ante, ut sua erga eum studia clariora facerent, milites Episcopi ingressum ejus prohibere tentantes, urbe expulerant, & ipsum Episcopum, nisi maturè fuga lapsus, civitate excessisset, comprehendissent & vinctum ei misissent. Venienti ergo ei armati instructique obviam procedunt non ad vim faciendam, sed ut conspecta eorum multitudinis, armorum apparatu, expeditorum juvenum frequentia, animadverteret in arduis rebus suis quantum spei in eis ponere debuisset. *Operam suam benigne spondent, jusjurandum dant, sumptus ad bellum ministrandum ex sua re familiari singuli pro virili portione offerunt, & quoad vivant, pro honore ejus devotè se militaturos confirmant. Ita Rex civitate munitissima positus, hanc deinceps belli sedem, hanc Regni arcem, hanc ubicunque res cecidissent, mississimum asylum habere caput*, eò quòd ille & civibus frequens, & murorum limitate inexpugnabilis; & ubertate circumjacentium Regionum opulentissima, & omnibus quæ in bello uti esse solent, copiis instructissima. Porò hi, qui ab Archiepiscopo Moguntino ad colloquium Moguntiam evocati fuerant, audito, quòd Rex concitus adventaret, plures metu percussi eò venire dissimulaverunt. Pauci qui venerunt, cum de tantis rebus sine aliorum Principum discussione sententiam ferre non auderent, irriti frustratique discesserunt. Ad quos Rex Legatos mittens, multis precibus eis *vix & agre extorsit, ut sibi familiaris colloqui gratia in Oppenheim occurrerent. Quo dum datis utrinque obsequiis propter periculi suspicionem venissent, pedibus eorum provolutus, suppliciter orabat, ut memoris justis Judicis Dei, memores sacramenti, quo se Deo mediante obligassent, fidem sibi servarent in adversis, si quid ante hac excessisset, juvenilibus annis, & avari in usum prone veniam darent, deinceps & malo correctum, & annorum sensusque maturitate roboratum, quæ parvuli sine evacuatum, & quæ Virtutis, quæ honoris, quæ Regia dignitatis, quæ postremo virum deceant, cogitatum, & amplexum.* Ad hæc illi responderunt, frustra eum à se fidem ex petere, quam ipse nec Deo unquam, nec homini prestitisset, de quo ambigerent in pace an in bello, amicis an inimicis infestior suspectiorque esset, quique ante paucos dies positus sibi in Würceburg, & de salute ejus tractantibus clanculo carnifices mortemque præparasset. Sin aliquid haberet obtendere, aut per quorundam factionem falsis criminibus se impetum putaret, sinnerat Udalicum de Cosheim sicut professus fuisset, manum conferre cum Regingero, ut si vicisset, eos deinceps fidos sibi obnoxiosque sine omni in perpetuum contradictione haberet. Libenter Rex suscepit conditionem, statuitque ut certo die post octavam Epiphaniæ congressi propè Moguntiam in insula Rheni, qui dicitur Morayua utriusque partis allegationem iusto Judicis Deo decernendam permitterent. *Ea tempestate hi qui in Hartenburg erant multa & præclara militaris audacia facinora fecerunt. Nam* septennero erumpentes, prædas in vicinis Regioni-

bus & strages hominum non modicas agebant, priusquam Saxones ad vim arcendam frequentes confluerent, se in castellum receperant. *Maximè autem Goslarie sibus propter viciniam exitiales erant.* Plurimos enim eorum peremerunt, & bona eorum quæ extra villam reperta fuissent, crebra incursione populabantur, & mercatores exterarum gentium, ne consuetas merces eò conferrent metu vitæ amittendæ inhibebant. Cumque tempore quodam ad modicum inter eos pax convenisset, quidam ex castello Goslarie privatæ rei aliquid ibi acturi venerunt. Ubi cibo potuque dillenti, dum nimia potione inebullissent, sicut *ebrietas mater esse solet jurgiorum*, cœperunt adversum eos, cum quibus accumbebant, ineptos inconditosque sermones jacitare, & Saxonibus ignaviam experbare, quod non militari; sed ovina mente adversus Regem arma sumpsissent. Indignati qui aderant Saxones seditione concitata eos trucidaverunt, forasque projecerunt. Quod ubi his qui in Hartenburg erant, compertum est, dedita opera se in ultionem sociorum suorum accinxerunt, & quia villam viris fortibus, vallibus & ferris undique munitam incurfare, haud satis tutum putabatur, dolo eos circumvenire parabant. Erat quidam *Goslarie Præfæctus Bodo nomine*, Regi tempore pacis acceptissimus, nunc quoque turbata publica, fidem inviolatam ei servans, occultè tamen metu Saxonum, ne deprehensus, factione vulgi, omnia sua amitteret. Is edocuit ab his, qui in castello erant, *pastores*, qui Goslarie pecora servabant, *precio corrupti, ut gregem paulo longius à villa in pastum egerent.* *Missi de castello equites ea protinus abegerunt, ceteri in montibus & sylvis armati se abdidit.* *Per lato Goslarum rumore ab actorum, unanimiter ad arma conclamant, luminis omnes viribus in certamen ruunt, nec quisquam alterum operiebatur, sed citato quisque quantum poterat equo, prior hostem insequi prædamque excutere contendebat. Illi paululum fuga simulata, cedebant insequentibus, donec eos ultra locum insidiarum incautos protraherent: Tunc sub lato undique clamore, tam hi qui in castello remanserant, quam hi qui in vicinis montibus se occultaverant, impetum in eos fecerunt, & tandem palantes fugientesque, prosternebant, donec non ratio; sed fusi sanguinis horror ac satietas occidioni finem facerent.* Propter hæc & alia hujusmodi placuit Saxonibus proximum castello collem occupare, militesque imponere, qui contra excursions hostium sine intermissione intenti sollicitique excubarent. Nec sic tamen audaciæ eorum modum impoluerunt, sed ubicunque opportunitas se præbuit, multa & in eos, à quibus asservabantur, & in alios provinciales hostilia fecerunt. Interea instante jam natali die Domini milites Regis, qui Asemburg obsidebantur, assiduo Legatos ad Regem mittebant, rogantes per Deum, ut ad ereptionem eorum aliquod consilium exquireret, quandoque deficientibus alimentis extrema jam inedia tabescerent, & nisi maturè periclitantibus consuleretur, aut moriendum sibi esse, aut in hostium potestatem concedendum. Rex Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos ad colloquium evocans, obnixè rogavit, ut Saxones convenirent agerentque cum eis, ut ab oppugnatione castellorum, datis saltem ad modicum tempus induciis recederent. Illi quanquam laborem hunc in irritum cessurum haud dubiè scirent, tamen quia molestus erat, facturos se quod rogabantur, promiserunt, statimque missis Legatis, mandaverunt Principibus Saxonie, ut sibi proxi-

proxima hebdomada post Epiphaniam Corbejæ ad colloquium occurrerent. Hoc anno post exortum bellum Saxonicum, nulla deinceps exactio facta est decimarum in Thuringia, gaudentibus Thuringis, quod occasionem invenissent, ut traditas sibi à Patribus leges manu militari tuerentur, & dolente Rege, quod dum decimis immoderatus inhiaret, pene Regnum cum vita amisisset. Hoc etiam anno famosissimus ille Egen, qui Duci Bajoariæ Ottoni capitale illud crimen intenderat, comprehensus in quodam latrocinio à popularibus cæcatus est, & ad tantam cæcitatem redactus, ut deinceps ostiatim circumeundo stipem publicam peteret. Gilo quoque Comes & Adalbertus cum IV. filiis suis, quibus incentoribus idem perditus tragicam hanc fabulam confinxerat, ab hostibus suis ob privatas quædam inimicitias, occisi sunt in castello ipsius Gilonis Hollenden, Deo vindicante innocentiam Ducis Ottonis.

1074. Rex natalem Domini Wormatiæ celebravit, longè aliter ibi visitans, quàm Regiam magnificentiam deceret. Nam neque ex fiscis Regalibus quicquam servitii ei exhibebatur, neque Episcopi aut Abbates, vel aliæ publicæ dignitates consueta ei obsequia præbebant, sed in sumptus quotidianos necessaria civili precio coemebantur. Erant tamen cum eo nonnulli ex Principibus, sed hi neque cum eo servitorum apparatu, neque cum ea militum aut apparitorum frequentia qua soliti fuerant, sed cum paucis & penè privato habitu ad salutandum eum venerant, ne scilicet manifestæ defectionis notarentur, si evocati ad curtē venire detrectarēt. Quos tamen ille nullo modo à se abscedere permittebat, reputans, quod si minus auxilii sibi hostibus tamen multum terroris allaturi essent, dum tam illustres in Regno personas adversus se congregatas audirent. Moguntinus & Colonienfis Archiepiscopi die statuta Corbejam juxta conditum venientes, sicut in mandatis à Rege habebant, rogabant Saxones qui ibidem occurrerant, ut ab oppugnatione castellorum exercitum abducerent. At illi nulla ratione hoc se facturos responderunt. Præterea vehementer eos objurgarunt, quod dum deliberando & modo colloquia, modò inducias expetendo tempus tererent, & Regi audaciam auxissent, & sibi maximas commoditates vindicandæ libertatis corrupissent, proinde recederent, nec sibi ultra verbis pacificis in dolo illuderent, se in eum locum progressos esse, ubi jam non muliebribus colloquiis, sed militaribus armis res expedienda sit. Vix tandem sedata multitudine ab his qui sapientiores erant, unanimi consensu statuerunt, ut proxima hebdomada post Purificationem Sanctæ Mariæ Fritslar convenirent, ibique communicato cum cæteris Regni Principibus consilio, periclitanti Republicæ Rectorem, qui omnibus placuisset, constituerent. Regi quoque mandaverunt, ut si ita sibi expedire judicaret, die statuta præsto adesset, & jus suum non per epistolas aut per internuncios, sed præsens ipse viva voce exposculet. Postquàm in hanc sententiam digressi sunt, Thuringi tertia de hinc die eos qui in Asenberg erant, inedia expugnatos in deditionem acceperunt, impunitosque dimiserunt, castellum succenderunt, statimque alii castello quod Spatenberg dicebatur exercitum admoverunt. Castellum Vokenrot paucis antè diebus cœptum fuerat obsideri. Et quia Regina in eo toto tempore belli hujus scrutabatur, jussu Regis profectus eò Abbas Herveldensis, consentientibus Thuringis eam inde accepit, atque Herveldiam adduxit prægnan-

tem, & jam de partus vicinitate indies anxiantem. Cumque ibi diebus multis moraretur, nesciente scilicet Rege, propter perturbationem Reipublicæ, quò eam mittere posset servandam. II. Idus Febru. feria IV. peperit filium. Is quomodo infirmari & jam expiraturus putabatur, tertio die baptizatus est ab Ezzone Altenburgenfi Episcopo, qui tunc fortè apud Abbatem hospitabatur, & nomine atavi sui Cunradus est vocatus. Et quomodo alii non aderant, qui dignè eo munere fungerentur, Abbas & alii plerique fratres Herveldensis cœnobii cum de sacro fonte susceperunt.

Reginger, qui ad suggillandum Regem contra Udalricum de Cosheim proposuerat, ante paucos dies ineundæ congressionis dirissimo dæmone arreptus, horrenda morte interiit.

Interea Rex, cum videret, quod paulatim à se Principes deficerent, & hostium ferocitas sua magis patientia in crudelceret, pudore compulsus pariter & necessitate, statuit extremam fortuna aleam tentare, & cum Saxonibus, ubi primum copia fieret, collatis signis dimicare, magis eligens vita honestè, quam Regnum per dedecus amittere. Multum enim annos militum ab eo evocaverat, quod suis, qui quotidie oppugnabantur, expellebantur, non subveniebat, & aliis pro salute ejus anxie defudantibus ipse intra muros Wormatiæ inerti otio torpescibat, ut hoc crimen elueret, vel morte pacisci cupiebat. Igitur misit ad omnes Principes Regni, eosque per Deum obsecrabat, ut sibi auxilio venirent, multa sua erga eos in præteritum benemerita commemorans, plura in futurum pollicens. Et multi quidem Episcoporum protinus ad eum convenerunt, sed hi consiliis præbendis paratiorès quàm stipendiis faciendis. Nam militibus suis domi relictis, ipsi cum paucis & penè privati aderant, ea scilicet mente, ut & de inobedientia apud eum excusarentur, & causam ejus, quam vehementissimè omnes improbabant, non multum adjuvarent. Sed Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Colonienfis, Episcopus Argentorati, Episcopus Wormatiensis, quem civitate sua supra expulerat. Præterea Duces omnes Bajoariæ, Sueviæ, Lotharingiæ, Mosellæ Regionis, Carentinorum, milites etiam Fuldenfis & Herveldensis Abbatum constanter ei contradixerunt, nolle se ad oppressionem innocentem arma ferre, qui si etiam aliquid, quod gladio vindice plecti debeat, admisissent, ad hoc eos gravis & facile excusabilis necessitas impulisset. Rex Wormatiæ egressus VI. Kal. Febru. Herveldiam cum exercitu venit. Eo die visum est in cælo signum mirabile. Orisente sole, dua simul columna, auræ coloris, splendidissimi fulgoris, dextra laevaque oriebantur, quæ usque quo sol aliquantiù lineis in altum excresceret, eodem jubare rutilantes permanebant. Præcedenti quoque nocte cælestem arcum, circa gallorum cantum, serenissimo cælo, plerique viderunt. Frigus erat validissimum, & hyberna siccitate arebant omnia, in tantum ut flumina non superficie tenus glacie constricta, sed tota præter solitum in glaciem conversa viderentur. Unde panis inopia vehementer laborabat exercitus, eo quod propter rigorem fluminum ubique cessante molarum usu, ipsum, quod fortè invenissent, frumentum comminuere non poterant. Rex pridie quam Herveldiam veniret, misit Abbatem Herveldensem ad Saxones, qui in ulteriore ripa Wirræ fluminis ad XL. millia congregati residere ferebantur, investigare ab eis, an nuntii sui tuto ad eos ire ac redire possent. Ipse transgressus Herveldiam, in proximis

ximis villulis reditum Abbatis præstolabatur, duobus ferme millibus à prædicto fluvio, nec ulterius castra movere voluit, donec miles frequentior conveniret, & ipse diligentius perquireret, an aliqua spes recuperanda pacis reliqua esset. Siquidem audierat Saxonibus placuisse, ut ei ingressum Thuringiæ non concederent, sed statim in ipsa ripa fluminis prædicti, quod Hassiam Thuringiamque dirimebat, instructa acie exciperent venientem. Fluvium glacies pedeltri itinere commicabilem fecerat. Ea res majorem ei metum incutiebat, ne fortè dum adhuc imparatus imparque tantæ multitudinì esset, hostes super eum nulla itineris difficultate præpediti repenti irruerent. Ideoque consiliariis suis graviter succensere dicebatur, quod eum Wormatia ingredi, & in tantum discrimen ultrò se præcipitare permisissent. Saxones enim in tantum abundare multitudinè ferebantur, ut undecim millia plebis, quomodo subito clamore in expeditionem evocata cibos secum non sumpsissent, in domos suas, tanquam minus sibi necessaria, remitterent. Inter has moras exercitus Regis prædæ, quàm pugnæ avidior, per contiguas Herveldiæ villas longè lateque discurrerat, easque hostiliter depopulabatur, & sub prætextu necessarij victus, quo in militiam aleretur, præter miseram vitam nihil reliquum faciebat innocentibus. Neque Rex prohibebat injuriam, *ut militem hoc precio redemptum devotiorè sibi faceret.* Qua clade ita attritæ atque exhaustæ sunt possessiones Fuldenfis Monasterii atque Herveldensis, ut ingravescente alimentorum inopia, magna cum difficultate fratres retinerentur in Monasteriis, Abbas Herveldensis reversus à Saxonibus, reulit eos præter omnium opinionem mitia atque pacifica respondere, quòd scilicet non ita expertes rationis, ita sint immemores vulgari etiam apud barbaras nationes jurigentium, ut nesciant ab injuria Legatorum etiam inter atrocissimas inimicitias temperandum, se extrema necessitate compulsos in aciem processisse, nec ad persequendum quenquam, sed ad se protegendos injuriasque propulsandas arma sumpsisse, si ea necessitas adinatur, etiam nunc pacem, quàm bellum malle, & districtos jam gladios libenter in vaginam remittere. Grata admodum erat his qui cum Rege erant responsio. Tunc *missi sunt quatuor ex Episcopis, agere cum eis de pace, & promittere ex nomine Regis, quòd omnibus, quæ rationabiliter postulassent, & quæ electi ex utraque parte jaces aqua censuissent, propius annueret, dum ipsi quoque vicissim justis conditionibus adquiescerent, & mansuetudinè ejus, quàm manuum militarem experti mallent.* Ad hæc illi responderunt: *Nihil aliud se postulare, quàm quòd multis jam sæpè Legationibus postulassent, scilicet ut castella quæ ad oppressionem per Saxoniam & Thuringiam extruxeris, sine dilatione durni jubeas, ut sua singulis patrimonìa per vim seu calumniàm erepta, restituas, ut Duci Ottoni, ad quem extinguendam falsa criminatione & pessimo nefarii hominis artificio, impudenter abusus sis, Ducatum Bajoria reddas, ut Episcopo Moguntino, Episcopo Coloniensi, Duci Rudolpho, postremo omnibus qui in hac dissensione ab eo defecissent, aut aliquid quod eum laderet, aliorum patrimonij studio admisissent, impunitatem tribuas, nulla, in perpetuum offensa hujus pœnas exigas, ut libertatem gentis suæ & legitimam à primis temporibus statuta, rata atque inviolata manere sinas, ut totam in sola Saxonia aeternam inerti ocio deditus non transigat, sed interdum Goslaria decedens, Regnum suum, quòd Majoram ejus*

*industria latissimam sit, circumbeat, Ecclesiis & Monasteriis, viduis & orphanis, & ceteris, qui calumniarè patiuntur, justa faciat, & Regiam dignitatem quam nomine præferat, Regalium morum & operum claritate exornet. Si hæc se facturum fidelissimè pollicentur, & ad firmamentum indubitata fidei fidejussores sibi dei eosdem, quos nunc habes recuperandæ pacis intercessores Principes Regni, paratos se arma deponere, pacem suscipere, & deinceps dicto obtemperantes vivere. Sin hæc respuas, sacramento se obstrictos esse, ut quamdiu sibi vitalis caloris ultima scintilla supervivat, pro libertate, pro legibus, pro patria indefessi dimicent. Dura nimis Regi visa est exactio, cœpitque huc & illuc anxius tergiversari; fidemque Principum suorum appellare, ne se sub jugum tam fœdæ conditionis ad sui omnium ignominiam mitti paterentur, illud præ ceteris intolerabile judicans, quòd castella sua destruire & hostibus suis præmia pro suppliciis reddere cogebatur. Cumque spreta pace, quæ offerebatur, sequenti die exercitum recenserit, aciemque ad pugnam instrui placuisset, misit circumquaque ad habitacula Principum, jubens ut suos singuli ad aciem instruendam producerent. Omnes promptissimè se dicto parere sponderunt, sed redemptibus nunciis, nullus castris est egressus, de tractantibus cunctis, opus nefarium, ut eis quorum causam justissimam æstimarent, certamen inferrent. Ex alia quoque parte castra Saxonum non minima seditione quæciebantur. Plebs universa tumultuabatur contra Principes, quòd se frustra in tantas bellorum procellas impulissent. Cum enim nunc victoriam omnia spondeant, & opportunitas ad votum ardeat, ad quam ab exordio belli anhelantibus semper animis suspiravissent, ipsi repentina pœnititudine correcti, manus supplices tendant, pacem petant, & ei à quo toties elusi sint, iterum se eludendos muliebri socordia & puerili levitate tradant. Duci quoque Ottoni vehementer insistebant, ut accepto super se Regno Ducatum sibi præbere, intundi certaminis, & prospera omnia promittenti Deo, manus suas operamque non negaret. Tunc *circumstantes Regem hi, quorum consilio familiarius uti consueverat, cum subieci fugienda conditionis studio Divina atque humana omnia sollicitantem viderent. Nullum, inquit, Rex habemus diviticulum, aut equantimèter suscipienda est conditio, quam imposueris, aut Regnum cum magno vitæ periculo amittendum. Acie tu confugere, periculumq; animi propulsare; sed qua virtute prius, is miles hostem congressus proteret, qui modo ad recensendum exercituum nomen dare jussus, ne castris quidem exire voluit, parvulo intervallo abest hostium infinitus exercitus, sed cunctis hostibus plus tibi formidandi sunt hi, qui lateri tuo familiariter obversantur, qui interim tibi simulata fide blanda loquuntur, quomodo eos, quibus se sacramento obligaverunt, prælio lacessere non coguntur. Quod si classica infonnerint, & pressus pectus pede aut feriri aut ferire angustia loci coarctabuntur, nimirum aut dicto tuius diffugiens, aut se deserto ad partes hostium transibunt. Unde satius fuerat Wormacia non excedere, quàm in extremum discrimen progressum fidei Principum tam iniquo tempore experimentum querere. Unum tamen patet incisa spei & undique impeditis rebus effugium, si fuerint se, quæ postularis, incantantur promittas. Haec & juveniliter exultantem**

hostium

hostium ferocitatem eludere, & periculum, quod faucibus urget, evadere, & Regnum deinceps sopitis in perpetuum cunctis simultatibus poteris obtinere. Tum ille non tam ratione victus, quam necessitate, cum omnia prius in cassum pertentasset, diverticula, tandem accitis ad concilium Principibus permisit ut pro suo arbitratu tantos motus componerent, promittens, se indubitata fide omnibus annuere, quæ ipsi conscientibus tantis rebus competere judicassent. At illi responderunt, non aliam prorsus patere viam subterfugendi, quod stricto jam mucrone cominus intenteretur, prælii, quam ut faceret quæ Saxones postulassent. Quod cum sub testificatione nominis Christi spondisset, profecti sunt ad eos XV. Episcopi, & quicquid Principum in castris erat, referre illis Regis voluntatem. Multæ ibi dictæ sententiæ, multa sunt conquisita argumenta, cum propter suspectam Regis ferocitatem & sæpenumero spectatam fidem, nulla Saxonibus viderentur satis tuta consilia. In longum protracta deliberatione, ad ultimum hoc pacto recuperandæ paci consenserunt, ut si quando Rex acceptæ læsionis memor sententiam revocare, aut aliquid eorum, quam inmodum supra necesse compulsi statuisset, in irritum ducere conaretur, omnes eodem quo nunc sacramento obstricti arma repeterent, injuriæ obviam irent, & tanquam evidentis perjurii reum cunctis Regni Principibus suffragium ferentibus de Regno proturbarent. In hæc verba omnes, ut erant, conglobato agmine, ad videndam faciem Regis processerunt ipso die Purificationis Sanctæ Mariæ, præeuntibus his, qui temperandæ pacis mediatores fuerant Episcopis & aliis Principibus. Quos ille venientes honorificè suscepit, osculum præbuit, & pacis conditiones, quas per internuncios significaverat, vivæ vocis auctoritate roboravit. Ita compositis omnibus ex sententia, his qui partes suas impensis curaverant, dona juxta magnificentiam Regiam largitus est, dimissisque singulis in locum suum, ipse junctus Saxonibus Goslarium perrexit. Destinatis etiam circumquaque nunciis, mandavit, ut ab oppugnatione castellorum exercitus abduceretur, & hi qui in castellis erant, nihil deinceps hostile in Provinciales facerent, sed ubi primum cibaria quæ in diutinam administrationem affatim congesta fuerant, consumpsissent, ipsa castella Provincialibus traderent funditus diruenda. Nec Saxones magnopere curabant has inducias, quamvis non minimum haberent suspectas, cum in potestatem suam redactum scirent, communi sententiæ non posse refragari. Igitur cum venisset Goslarium, juvenes qui in Hartesburg fuerant, quiq; propter res bene gestas in magna apud eum admiratione habebantur, vehementer improbabant conventionem pacis, & quia secundum Prophetam dolus directus fuerat in manibus eorum, multa & supra mensuram suam magnifica ei promittebant de viribus suis, si in procinctu perstitisset. Ostentabant etiam ad experimentum Virtutis suæ titulos interfectorum Goslariensium, dispositos per omne illud spatium, quod à Goslaria usque in Hartesburg duobus ferme millibus interjacet. Hæc audiendo malis affuerus animus, & per ætatem gloriæ militaris avidus paulatim reformabatur ad ingenium suum, atque ad rigorem pristinum, factiq; jam non mediocriter pœnerebat. Cumq; à Saxoni-

bus promissa sua reposcerentur, cepit rursus callide responsionibus tergiversari, & petere, ut ad conventum Principum Regni communemq; audientiam res integra differretur, quatenus eorum judicio de singulis quod honori, quod utilitati Reipublicæ conducere, statueretur. Illis annuentibus præcepit, ut VI. Id. Martii Principes de toto Regno Goslarium convenirent. Statuto die cæterorum Principum nullus eo venit. Saxones & Thuringi cum infinita multitudine de tota Saxonia & Thuringia sacramento evocati aderant, & haud procul à Goslaria castra metati, Legatos ad Regem miserunt, agere cum eo de conditionibus, quibus inter se & cum pax convenisset. Triduo integro & hi modo supplicando, modo terrorem bellicum intentando acriter instabant, & ille sedulitatem instantium lubricis responsionibus eludere conabatur, & modo de absentia Principum causabatur, ad quorum judicium ea res potissimum spectaret, modo obnixè flagitabat, ut cæteris omnibus juxta conductum manentibus, sola castella quæ summis impensis ad munimentum Regni extruxisset, sibi condonarentur. His scilicet salvis facilem ducebat cæterarum rerum jacturam, eo quod speraret se in his utcumque res cecidissent, semper refugium habiturum, & perpetuas à Saxonibus omnibus, quam nunc intulissent, contumeliæ pœnas exacturum. Jamq; spretis Legatorum supplicationibus, reprobatis familiarium suorum consiliis, fixus obstinatusq; persistebat in proposito, cum subito nunciatur, quod Saxones omissis internunciis, per quos antehac res agebatur, armati instructiq; ad Palatium tenderent, nec jam promissa reposcere, sed ei valesfacto, Regem quem deinceps belli Ducem habeant, constituere vellent. Præterea Archiepiscopus Bremensis, Episcopus Citicensis, Episcopus Osenbruggensis, & cæteri qui propter impensius studium partium ejus Saxonia effugati, possessionibus nudati, pluribus ignominii deformati fuerant, unanimiter circumsteterunt, cum per Deum obsecrantes, ut si minus propriæ, saltem eorum calamitatis misereretur, qui propriis sedibus odio nominis ejus expulsi, anno jam ferme integro per omnes miseras vitam traxissent, fidem se ei in adversis intemeratam servasse, & quæcunque præter voluntatem accidissent, communicato labore tolerasse, nunc quoniam Deus tantas rerum procellas benigna vice in sedem reduxisset, gauderet forte sua, & ne deinceps tale naufragium incideret, tura nunc statione locatus provideret. Quod si res tranquillas & propitia Divinitate jam ad honorem ejus ex sententia compositas, rursus inturbare atque implicare vellet, quos exitus habiturus esset, ipse prospiceret, se superioribus malis jam usque ad extremam lassitudinem defatigatos, necessario deinceps loca & tempori concessuros, & genti suæ, ne denuo patria expellantur, obnoxios futuros. Inter hæc verba, cum Saxones jam armata multitudine atrium Palatii replisset, & ad vim faciendam paratos, inconditis motibus perstreperet cerneret, tandem anceps periculo permotus, consensit, ut Duci Ottoni, Ducatum Bavoria reposcanti, intra anni spacium juxta Principum jurisdictionem satisfaceret. Castella vero sua omnia sine dilatione destrueret, sed ea conditione, ut Saxones & Thuringi sua quoque castella, quæ tempore Regni ejus extructa fuissent, pari modo diruerent, cætera etiam omnia quæ

in Gerstengen pollicitus fuerat, fide integra exolverentur. Nec perficiendis quæ promiserat, improbitas Saxonum ullas indulſit inducias. Unde continuo missis circumquaque nunciis Vokenrot & Spatenberg, & cætera castella de quibus quæſtio promulgata fuerat, succendi ac penitus dirui fecit. *In Hartsburg muri tantum sunt dirui, quantum ad infirmam munitiõnem difficultatemq; loci adimendam ſufficeret.* Cæteris ædificiis status manſit incolumis, eo quod Eccleſia illic conſtructa & Canonicorum congregationi inſtituendæ locus attributus fuiſſet. Ita pacatis Saxonibus Rex Goſlaria decedens Wormatiã abiit, ibique totam quadrageſimã ab omni deinceps belli apparatu ſeriatuſ exegit. Porro *vulguſ Saxonie id poſſimum, quod contiguuſ caſtello Hartsburg villula incollebat, vehementer offenderat, quod in Hartsburg nulla ſervata eſſent reliquia, nec quicquam tantis laboribus actum putabant ſtante, atq; incolumi caſtello, quod omnium cladium, quas acceperant, caput principiumq; extitiſſet, & quod circumjacentis Regionis opulentiffimas quondam villas, nunc in horrorem vaſtamq; ſolitudinem redegiſſet, non detuliſſe Regem cultui Divino, ſed ſub prætextu Religionis crudelitatis ſuæ patrociniũ quæſiſſe, ut ſcilicet inſtaurato poſt modicum bello, cum hæc ira Saxonibus deferuiſſet, locum habeat, ubi milites ſuos ruruſ ad everſionem Saxonie tuto emitat, tuto recipiat, & tunc tantò vitis incumbat inſeſtior, quanto nunc diſcedat Saxonum lætis ſucceſſibus efferacior. Hæc viciffim intemperatis clamoribus ſerendo in magnam ſe ferocitatem inflammavunt. Igitur tertio die poſtquam Rex abceſſerat, *inſciis inconſultiſq; Principibus, facto grege, in Hartsburg irruunt, quod reſiduũ erat murorum, à fundamento deliciunt, lapides longe lateq; diſpergunt.* Cæteris ædificiis quæ indulgentia Principum integra ſervaverat, idem faciunt, Eccleſiam quæ accelerandi operis ſtudio interim lignis elegantiffimè conſtructa fuerat, incendunt, theſauros diruunt, altaria conſringunt. Poſtreinò ne qua Regi inſtaurandi caſtelli occaſio reliqua eſſet, filium ejus & fratrem, quos ille ad gratificandũ popularibus locum, ibi tumulaverat, effodiunt, aguntq; omnia quantum poſſunt, ne adminiſtrando bello deinceps mons complanatus ullam præſtare poſſit opportunitatem. Reliquias Sanctorum quæ effractis altaribus erutz fuerant, & effoſſa defunctorum corpora Abbas ex vicino Cœnobio opportunè ſuperueniens furenti vulgo eripuit, atque in ſuum Monafterium cum honore tranſiit. Perlatuſ ad Principes Saxonie rumor admiſſi facinoris, grandi eos formidine perculit, ne Rex tanta injuria exacerbatus cauſaretur ab ipsis fœdus eſſe violatum, & juſtam exinde occaſionem inſtaurandi belli naſtus, cunctas adverſus eos Regni vires concitaret. Id conſultò prævenire cupientes, graviter in eos, qui tale flagitium admiferant, animadvertunt. Deinde Legatos ad Regem mittunt, obſecranſes per Deum, ut ſe habeat excuſatos, nec conſciõs ſe tanti ſcleris, nec incentores extitiſſe, patratumque non ſecus, quam ipſum graviter & iniquo animo ferre, quod ſi minus fidei habeat negantibus, paratos ſe quovis genere ſatiſfactionis dictis fidem facere, & violatæ pacis à ſe ſuſpicionem amovere. Ille vehementer*

efferatus, quòd dolorem priſtinum, qui nec dura in cicatricem cutem obduxiſſet, recentibus injuriis exulcerãſſent, quandoquidem, inquit, nec Forenſes leges contra violentiam Saxonum quicquam proficiunt, nec injurias meas deſertus à milite armis perſequi valeo, ad Leges Eccleſiaſticas jam neceſſitate coactus confugiam, & ubi humana ceſſant auxilia, Divinam opem implorabo. Protinuſ Legatos Romam miſit, Sedem Apoſtolicam contra eos interpellare, qui Eccleſiam incendiſſent, altaria conſregiſſent, ſepulchra violãſſent, & odio viventis, in ſepultos cineres barbara crudelitate debacchati fuiſſent. Paſcha Babenberg celebravit, erantq; cum eo Archiepiſcopuſ Moguntinuſ, Dux Carentinorum Bertholduſ, & alii quãmplures ex his, qui bello Saxonico ab eo deſecerant. Cum enim crimen rebellionis Saxonibus donãſſet, aliis Regni Principibus, qui conjurationis ſocii fuerant, quod juſtè ſuccenſeret, non habebat. Ipſo tempore *Colonia rã acciãſ digna omnium bonorum miſeratione & lachrymã*, incertum levitate vulgi an fictione eorum, qui vicem Regis in Archiepiſcopum ulciſci cupiebant. Id magis venit in ſuſpicionem, quòd cum celeberrapud omneſ eſſet nomen Wormatienſium, pro eo quod Regi fidem in adverſis ſervãſſent, & Episcopum rebellare tentantem civitate expuliſſent, Coloniẽſes peſſimum exemplum æmulati, ſuam quoque devotionem inſigni aliquo facinore Regi gratificari vellent. Ad patrandum quod nefariè machinabantur, caſu idoneam attulit occaſionem. Archiepiſcopuſ Paſcha Colonie celebravit, eratq; cum eo Episcopuſ Mimigardevurdenſis ad communicandã tantæ ſolennitatis gaudia familiaris amicitie obtentu evocatuſ. Cumq; exactis ex parte feriis paſchalibus abcedere pararet, hi qui Archiepiſcopi domeſtica negotia curabant, jubentur ad evectionem ejus navem idoneam providere. Luſtratiſque omnibus, unam mercatoris cujuſdam prædivitiſ navim, quia in eos uſuſ competens videbatur, occupant, eamq; in miniſterium Archiepiſcopi, ejeãtis mercibus quas habebat, ocuſ expediri jubent. Negantibus famuliſ qui navim ſervandã ſuſceperant, vim niſi mature juſta capeſſant minitantur: Illi quantum poterant citato curſu ad dominum navis rem deſerunt, & quid factu opuſ ſit, conſulunt. Habebat ille filium adultæ ætate, non minus audacia quam viribus excellentem, & tum propter generis affinitatem, tum ob merita ſua primoribus civitatis maxime charum & acceptum. Iſ aſſumptiſ famuliſ ſuiſ & juvenibuſ ex civitate, quantos in ea trepidatione in auxilium ſuum conſciſcere potuit, concituſ ad navem evolat, & miniſtroſ Archiepiſcopi acriter, ut navis exoccuparetur, inſiſtenteſ, cum injuria proturbat. Dehinc Advocatuſ urbiſ in idem opuſ ſuccedenteſ, tumultuſq; inſtauranteſ ſimili conſtantia repellit, fundit & fugat. Jamq; & hiſ & illi ſui ſinguliſ amici armati ſubſidio adcurrunt, & ad magnũ diſcrimen pugnamq; ancipitem reſ ſpectare videbatur. Perlatuſ nuncio ad Archiepiſcopuſ, quod atrociffima ſeditione conſunderetur civitas, miſit ſeſtinanteſ ad ſedandoſ motuſ populi, irarumq; plenuſ minabatur ſe proxima ſeſſione ſeditioſoſ juveneſ merita pœna coërcituroſ. Erat quippe Vir omni genere Virtutum florentiſſimuſ, & in

causis tam Reipublicæ quàm Ecclesiæ Dei spectatæ sæpius probitatis. Sed unum in tantis Virtutibus vitium tanquam tenuis in pulcherrimo corpore nævus apparebat, quod dum ira incanduisset, linguæ non satis moderari poterat, sed in omnes, sine personarum acceptione, rixas, & convitia amarissima rotabat. Hoc in se, cum iram paululum digessisset, vehementer & ipse reprehendebat. Vix ad modicum dirempta est concertatio. Sed ferocissimi & elatus primo successu juvenis non cessabat, interurbatæ omnia, percurrensque civitatem varios sermones per populum seribat de insolentia & austeritate Archiepiscopi, qui toties injusta præciperet, toties innocentibus sua adimeret, toties honestissimos civis procacissimis verbis, incesseret. Nec difficile fuit id hominum genus in omnem quod velles, tanquam folium quod vento rapitur, transformare. Quippe qui ab ineunte ætate inter urbanas delicias educati, nullam in bellicis rebus experientiam habebant, quiq; post venditæ mercæ inter vina & epulas de re militari disputare soliti, omnia quæ animo occurrissent, tam facilia factu quàm dictu putabant, exitus rerum metiri nesciebant. Præterea in mentem veniebat Wormatiensium inligne præclarumque facinus, quod Episcopum suum insolentius agere incipientem urbe expulissent & cum ipsi multitudine, opibus armisque instructiores sint, dedignantur quod inferiores æstimentur audacia, & Archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem, tamdiu muliebriter patientur. Conferunt Primores inepta consilia, sedit vulgus intemperans novarum rerum studio, & per totam civitatem spiritu diabolico raptatum ad arma conelamat. Nec jam Archiepiscopum urbe expellere, sicut Wormatienses, sed per omnes cruciatus irucidare sicopia detur, conspirat. Natalis erat Beati Georgii Martyris, qui eo anno IV. frater hebdomadæ paschalis obvenerat, & Archiepiscopus celebrata missarum solennitate apud Beatum Georgium, cum sermonem faceret ad populum, præfatio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quod civitas diabolo in potestatem tradita esset, & propediem peritura nisi jamjam impendentem iram Dei, per pœnitentiam inflectere maturarent. Igitur post meridiem, inclinata jam die in vespertum cum igni oleum iracundiæ accessisset ebrietas, ex omnibus partibus urbis ruunt, ad curtem Archiepiscopi & eum celebri quodam loco cum Episcopo Mimigardevurdensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa jaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis & vulneribus confectos in fugam vertunt. Inter hæc conspicantur quàm plurimi, ipsum talium furiarum incitorem dæmonem præcurrere insipienti populo galeatum, loriatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec ulli quàm sibi similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes, ut se in pugnam sequerentur, concitaret, in ipso impetu quo portarum seras effracturis vociferando iruebat, repente ex oculis sequentium disparuit. Archiepiscopum sui inter cuneos hostium nubemque jaculorum vix & agrè expeditum in templum S. Petri abripiunt, foresque non modo seris & vectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant, sæviant foris & instat inundantis aquæ ru-

giunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, & per omnia Episcopi penetralia discurrentes, fores infringunt, thesauros diripiunt, vasa vinaria concidunt, & dum vina in diutinos usus summa ope congesta præcipitantius effundunt, repletum subito cellarium, ipsos, quod dictu quoque ridiculum est, inopinis fluctibus periclitatos penè suffocaverat. Alii Capellam Archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta Pontificalia diripiunt, dumque omnem suppellectilem sacri ministerii curiosa imò furiosa diligentia evertunt, reperientes illic quendam præ timore se in angulo occultantem, & putantes quod Archiepiscopus esset, interficiunt, non sine gratulabunda exprobratione, quod petulantissimæ linguæ tandem aliquando modum imposuerint. Sed cognito quod decepti similitudine essent, & Archiepiscopus intra templum S. Petri, & loci religione, & murorum firmitate se tutaretur, undiq; conglobari ipsum templum obsident, muros perfringere dedita opera moluntur. Postremo nisi oculus sibi tradatur Archiepiscopus, ignem quoque se adhibituros imitantur. Tum hi qui intus erant, videntes obstinatos esse ad necem ejus animos populi, nec ebrietate sola quæ tempore digeri solet, sed pertinacibus etiam odiis & phrenetico quodam furore homines agitari, suadent ei, ut mutato habitu effugere conetur de Ecclesiâ, & fallere obsidentes, hoc facto & sacras ædes incendii, & se mortis periculo liberaturus. Opportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Seditione in mediam noctem protracta horrebant omnia tenebris & taligine, ut haud facile cuiquam esset vultus occurrentium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium. Item de dormitorio in atrium domumque Canonici cujusdam adhaerentem muro civitatis. Isque ante paucos dies orræ seditionis impetraverat ab Archiepiscopo, Deo ad salutem Archiepiscopi hoc ipsum misericorditer providente, ut rupto muro civitatis parvulum sibi posticum facere sineretur. Ibi eductus Archiepiscopus, applicitis properè in evictionem ejus & comitum ejus, quatuor equis abusi, opaca noctis tenebris, ne ab obviantibus agnosceretur, commodissime usus, repertoque post modicum Episcopo Mimigardevurdensi, locis jam pulchre pro ea tum talamitate constipatis in locum, cui Nussen nomen est, pervenit. Interim hi qui circa templum erant crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confusa vox tumultuantium, & fidem Dei Omnipotentis testantium, quod non evasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiam si in minima terræ reptilia se transfiguraret. Econtra hi qui obsidebantur, nunc supplicando, nunc pollicendo, quod diligentissime questum, si inveniretur, ipsis tradituri essent, callide ludebant operam perurgentium, usquequò Archiepiscopum longius evehitum, usque in tuto jam loca progressum esse arbitrarentur. Tum demum reclusis foribus ipsos ingredi, & pro libito suo quærere sinunt, adjiciuntque frustra eum quæreri intra septa templi, quem certo comperissent primo incursum congestæ multitudinis, clara adhuc die, urbe egressum jam in longinquas partes transire potuisse. Idque magis suspicandum, quod contractis undique per moram nocturni temporis

copiis, primo malè ad occupandam armis civitatem sit adventurus. Igitur ingressi, cum omnia templi penetralia diligentius investigando evertissent, vix tandem admissa fide, quòd falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula dispersiunt. Inter hæc arreptum quendam de turba super portam urbis, ad ignominiam Archiepiscopi suspendunt, magis in hoc furori suo, quo præcipites raptabantur, satisfaciendo, quàm quòd crimen ullum suspendio dignum misero obtendere possent. Mulierem etiam quendam de summitate murorum præcipitant, fractisque cervicibus interficiunt, hoc ei crimini dantes, quòd homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuisset. Sed hoc scelus commodiori tempore & pacatiore animo vindicare debuerant. Induxerât etiam in animum, nisi Deus consulens servis suis, breviâset dies amentiarum eorum, ut Monachos de S. Pantaleone omnes trucidarent, pro eo quod expulsis ab Archiepiscopo prioribus Monachis novum illic inusitatumque religionis genus instituissent. Præterea juvenes impigros citatò quantum possent gradu ad Regem ire jubent, nunciare ei, quæ gesta fuerant & suggerere, ut quantocyus veniat vacantem, expulso Archiepiscopo, civitatem occupare, in eo verti salutem civitatis, & ipsius utilitatem maximam, ut grandia molientem de vindicanda injuria sua Archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Postquam auditum est per Provinciâ, & celebri rumore vulgatum, quòd Colonienfes Archiepiscopum probris & contumeliis affectum urbe fugâssent, *exhortâit omnis populus novitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quòd Vir tantarum in Christo Virtutum tam indigna perpeti Deo aspiciente potuisset. Magna ejus in pauperes liberalitas, multa in Divinis rebus devotio, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corripendis, qui malè agerent severitas omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes ad suam magis injuriam pertinere violatam Pontificalis nominis Majestatem, & mori sibi satius esse, quàm ut tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor vel quinque millia circumquaque, ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui per ætatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detrectante, conglobati que in unum rogant Archiepiscopum & cunctantem vi impellunt, ut ad recuperandam civitatem quantocyus festinet, se pro eo dimicaturus, & si ea necessitas incumbat, oves pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos. Quòd nisi Colonienfes maturent venientem suscipere, & pro ipsius arbitrato satisfacere offenso, se aut ingesto igne populum cum civitate consumpturos, aut dissipato muro eum super congeriem occisorum in cathedram Pontificalem reducturos. Ita Archiepiscopus quarto die postquam exierat, magno vallatus agmine ad urbem accessit. Quod ubi Colonienfibus compertum est, & se tanta tamque, effertata multitudinis*

impetum nec muro nec acie sustinere posse, animadvertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas vane scere cepit, magnò terrore concussi obviam Legatos de pace miserunt, ter eos confitentes, & omnem quam vita incolumi juberentur, pœnam pendere paratos. Archiepiscopus dignò penitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum celebrata missarum solennitate apud S. Georgium, eos qui Pontificem sede propria expulissent, qui Ecclesiam homicidio polluisent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui cætera Religionis jura ausu barbaro temerâssent, Episcopalis Banno ad satisfactionem vocavit. Protinus omnes nudis pedibus, lanceis ad carnem induti, processerunt, vix & ægrè impetrata pace multitudinis, quæ circa Episcopum erat, ut hoc tuto facere sinerentur. Nam & vehementer eis succensebant, quòd dum immoderatus clementiam ostendendo popularis fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora hujus sceleris impunitate animaret. Archiepiscopus eos postero die ad suscipiendam secundum Canonum scita penitentiam tam immanis flagitii ad S. Petrum præstò esse jubet. Ipse progressus ad S. Gereonem, ibi extra urbem pernoctare statuit, ventusque quòd tradita civitate vis concitæ multitudinis inhiberi non posset, sed partim injuria, partim prædæ cupidine accensi acerbius sævirent in populum, obnixè rogat Provinciales qui secum erant, ut singuli in sua cum pace recederent, satis se opera eorum usum, & evidens tulisse documentum, quid animi oves erga pastorem, filii erga patrem gererent, asperrimam partem negotii multa eorum Virtute exactam esse, cætera quæ restent facillè jam privata ac domestica manu posse confici. Proinde quòd bonum, felix, faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportantes spem, quòd hujus beneficii gratia apud eum, seu vivum, seu defunctum perpetuò mansura foret. Hoc vix impetrato milites suos quantos ad comprimendos urbanos motus, si quis forte levitate vulgi instaurarentur, sufficere putabas, præcedere in civitatem jubet, secuturus ipse proximaluce, cum eorum qui præcessissent diligentia, ne quid forte insidiarum laseret in civitate, præcavisset. Ea nocte sexcenti aut eo amplius Mercatores opulentissimi ex urbe profugi ad Regem se contulerunt, intercessionis ejus opem adversus Archiepiscopi sævitiam imploraturi. Cæteri ingresso Archiepiscopo civitatem & toto triduo juxta conditum expectanti minimè se præsentaverunt ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Unde indignitatem rei non ferentes Episcopi milites, inscio, ut plurimi asserunt, atque inconsulto Archiepiscopo arma rapiunt, domos incurfant, possessiones diripiunt, occurrentes partim sternunt, partim captos in vincula conjiciunt, & prorsus ut veritati vel coacti assentiamur, multo ferocius quam tanti Pontificis existimationi competeret, justæ ultionis negotium exsequuntur. Sed gravior morbus aciori indigebat antidoto. Filius supra memorati mercatoris, qui primus seditione inflammavit populum, & pauci alii luminibus sunt orbati, nonnulli virgæ casti ac detonsi, omnes gravissimo rei familiaris damno multati, atque jusjurandum dare compulsi, quòd deinceps Archiepiscopo civitatem, contra omnium hominum violentiam, quantum consilio & armis possent, vindicaturi essent.

essent, & eos, qui ex urbe profugerant, quoad dignè Archiepiscopo satisfecissent semper pro infestissimis hostibus habituri. Ita civitas paulò ante civibus frequentissima, & post Moguntiam caput & princeps Gallicarum urbium subito penè redacta est in solitudinem, & cujus plateæ vix capiebant stipata viantium examina, nunc rarum ostendit hominem, silentio & horrore omnia desiderii quondam ac deliciarum loca possidentibus. *Nec futurum hoc dubia significaverant prasagia. Peregrinus quidam ad celebrandam palmarum festivitatem illuc ipso anno advenerat. Is vidit per somnum corum quendam horrenda magnitudinis per totam volitare Coloniam, & terribiliter crocitando populum tali spectaculo attonitum huc & illuc agitare, supervenire post hac virum tam veste quam forma præcellentem, qui & corum horrido sonitu perstreperem urbe expelleret, & populum mente consternatum jamq; extrema omnia formidantem casta formidine absolveret. Cumque à circumstantibus interpretationem somni horrore concussus quæreret, audivit quod civitas propter peccata populi, diabolo in potestatem tradita fuisset, sed interventu Georgii Martyris liberata instantis jam atque à Deo prædestinati interitus necessitatem evasisset.*

Rex celebrata in Babenberg Paschali solennitate, in Nurenberg perrexit obviam Legatis Apostolicæ Sedis. Erant autem hi, mater ejus Imperatrix, Episcopus Ostiensis, Episcopus Prenestinus, Episcopus Curienfis, Episcopus Cumentis, missi à Romano Pontifice componere, si possent, multo jam tempore vacillantem statum Galliarum. Nec tamen cum Rege sermonem communicare sæpius rogati consenserunt, donec secundum Ecclesiasticas leges pœnitentiam professus per judicium eorum anathemate absolveretur, pro eo quòd propter venditas Ecclesiasticas dignitates Symoniacæ hæreseos infimulatus fuisset apud Sedem Apostolicam. Itaque petierunt verbis Romani Pontificis, ut Synodum tenere intra Gallias pace Episcoporum sinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Episcopi tanquam inutilitatem longeque à suis rationibus alienum, nec se hujus auctoritatis privilegium ulli alii præter quam ipsi Romano Pontifici unquam delaturos affirmabant. Siquidem *intenderat Romanus Pontifex, ut omnes Episcopos & Abbates, qui sacros gradus pretio redemissent, discussione habita deponeret.* Jamque hac de causa Babenbergensem Episcopum, & alios nonnullos ab omni Divino officio suspenderat, donec coram venientes inultum sibi crimen hæreseos digna satisfactione purgarent. Et Rex quidem cupidè hoc volebat, odio Wormatiensis Episcopi & quorundam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia involvendos, & dignitatis suæ detrimenta passuros spe certissima præsumperat. Sed quia per Legatos res tanta confici posse desperabatur, consultò in audientiam ipsius Romani Pontificis dilata est. Rex dimissis Legatis, non solenni more indictam expeditionem, sed repentino ac tumultuario miute collectum exercitum ducere parabat in Ungariam, comperto quòd Salomon Rex Ungarorum à Jajade Beli filio bello inpetitus & tribus jam præliis victus amisso exercitu vix de Regno effugisset. Ut ejus miseræ subve-

niret, & affinitati præstabat, quam, tradita illi in conjugium sorore sua, contraxerat, & utilitatibus propriis, quia magnam ei partem Regni sui pollicitas fuerat, si ejus beneficio expugnatis hostibus in Regnum restitueretur. Cumque Ratisponam venisset, insecuta est eum Legatio familiarium ejus, nunciantium quòd Wilhelmus cognomento Bonifacius Rex Anglorum, ab Archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectus, cum magno exercitu adventaret, Regni Sedem Aquisgrani occupare paratus. Territus Rex tam atroci nuncio, an privatæ rei curam externis negotiis antehabendam ratus, omissa in Ungariam expeditione ad Rhenum concitus remeavit. Pentecostem Moguntia celebravit, splendide ac populariter ab Archiepiscopo Moguntiacensi acceptus atque habitus. Inde cum Coloniam ire instituisset, multum spirans irarum & comminationis in Archiepiscopum Coloniensem, ille missis in occursum ejus nunciis, mandavit falsam omnino ac scenicis figmentis similem esse fabulam, quam in eum æmuli sui composuissent, hi nimirum qui eum paulò ante urbe expulissent, & nunc ad opprimendum eum, quoniam armis non possent mendacis grassarentur, se non ita rationis expertem, vel communis commodi negligentem esse, ut in ultionem privatæ injuriæ patriam suam barbaris prodere velit, nec ea levitate è puero vitam instituisse, ut quisquam sanum aliquid sapiens tam inepta de se suspicari possit. Impetrata per Legatos coram veniendi copia, in Andernachen Regi occurrit. Cumque Rex de his quæ compererat, severissimè quaestionem promulgaret, proditæ quidem Reipublicæ crimen quòd objiciebatur sacramento purgavit. Cætera quæ delata fuerant, ait Rex se veteri amicitia ac Pontificali nomini condonare, nec pro jure suo exoptulare velle. Ita non extincto sed interim cohibito furore Coloniam processit. Ibi postero die ad judicandum populo assedit, sperans per accusationem eorum, quos Archiepiscopus propter injurias suas pœna affecerat, occasionem sibi futuram, ut eum seditione concitata, rursus civitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes saltem reum Majestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas responsi veritate ac sententiarum gravitate tanquam araneorum telas dirupuit. Postquam Rex innocentia ejus ac vitæ integritate, consiliis quoque omnis septa vidit, nec ullum patere locum calumniæ, ad aliud se vertit genus injuriarum. Exegit ab eo non precibus quidem, ut oportuit, sed imperiosa quadam auctoritate, ut Colonienfibus admittæ in se temeritatis veniam daret, excommunicatosq; Ecclesiæ reconciliaret. Præterea ut ad firmamentum conservandæ se erga in perpetuum fidei sibi ex militibus suis obsides daret. Utrumq; illi cum magna constantia negavit, obsides quidem, quòd nullus Regum priorum tale quid ab aliquo præcessore suo postulasset, excommunicatorum autem reconciliationem, quòd sine digna pœnitentiæ satisfactione excommunicatos in Ecclesiam recipi leges Ecclesiasticæ verarent. Imminabat ille vehementer cominans omnia se incommoda illaturum, & cuncta quæ illius sunt, ferro & igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum

Colonienſibus conſpirâſſet ad eum interficiendum, ſed nunquam retinendæ vitæ ſtudio ab jure ad injuriam declinaturum. Diu anceps erat pugna & utrorumq; milites magna concuſſerat ſollicitudo, expectatione tam triſtis ſpectaculi. Tandem evictus Rex ab his quorum conſiliis plurimum tribuebat, flexit ſententiam, & ait malle ſecum eo beneficiis certare quàm maleficiis, & ſi eum fidum ſibi devotumq; in cauſis Reip. experiretur, primum deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus Archiepiſcopo, Aquisgranum perrexit, & adverſus ea, quæ de irruptione barbarorum fama vulgaverat, eam Regni partem, quantum poterat communivit.

Ruthardus Abbas Herveldeniſis Monafterii V. Id. Junii deceſſit, Vir in ſacris Scripturis adprimè eruditus, & ſic ad loquendum expeditus, ut nemo illa ætate verbum Dei copioſius, nemo ſubtilius, nemo elegantius tractaret. Alias in obſervatione Sanctæ regulæ paululum quàm mores & tempora expeteret, remiſſior erat. Is miro judicio Dei, qui, quos diligit, corrigit, & flagellat omnem filium, quem recipit, ante diem mortis ſuæ ſenſu defecit, & per continuos duos annos & ſex menſes phreneli pariter & epileſia graviffimè vexabatur. Deſunctus eſt autem anno integro & ſex menſibus exactis poſteaquam Abbatia ſe abdicaverat. Quod tamen factum adeo pœnitens deſtebat, quoties à ſtupore atque hebetudine mentis paululum reſpiraverat, ut ambiguum eſſet, morbo an mœrore gravius acerbuiſq; taſceſceret.

Mediante Julio reſreſſum Regem de Lotharingia Wormatiam, iterum adierunt *Legati Regis Ungarorum* orantes obnixè, ut memor affinitatis, memor atq; ſimul à puero ætatis, maturius ſubveniret expulſo. Et quia preces tardius movebant, privatis occupationibus intentum, *datis XII. obſidibus fidem ei firmabant, quòd ſi ejus beneficio in Regnum reſtitueretur, deinceps ei tributarius dictoq; obtemperans foret, & ſex ei muniffimas Ungaria civitates in argumentum nunquam irrumpendæ fidei traderet.* Hac mercede redemptus, illico miſſis circumquaque nunciis Principes in expeditionem ſolenni indictione evocavit. Sed alii temporis anguſtias, alii rei familiaris inopiam, plerique quod opes ſuæ bello Saxonico nimium attritæ fuiſſent, item alii aliud excuſationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipſe tamen ne tantum Reipublicæ commodum caſu oblatum, ſua ignavia corrumperetur, gregario tantum ac privato milite contentus, in feſto exercitu ingreſſus eſt Ungariam, & nonnullas ejus Regiones hoſtiliter peragravit. Porro *Joas qui Ungariam occupaverat, conſperto ejus adventu, ſumma induſtria id operam dedit, ut in locis, in quibus irruptione hoſtium timebatur, nihil homines alimentorum, nihil animalia pabuſorum reperirent, & ſiciple cum omnibus ſuis in quandam inſulam propter locorum difficultatem omninò hoſtibus inacceſſibilem, ſe contulit.* *Exercitus Regis, qui ad tanti belli adminiſtrationem nihil ſumptuum præparaverat, graviffima ſtatim laborabat inedia, adeo ut homines plerofq;, animalia penè omnia brevi peſtilentia & ſames consumerent.* Quà neceſſitate compulſus, Rex, nullo inſigni facinore perpetrato Ungaria exceſ-

ſit, & poſt Feſtum S. Michaelis Wormatiam reverſus, ordinatis ibi pro tempore & copia Regni negotiis Ratiſponam rediit, diſpoſitum habens id quod reliquum erat temporis uſque ad natalent Domini in peragrando Bajoariæ, atque Alemanniæ civitatibus inſumere.

Hildebrandus Papa cum Epicoſis Italiæ conveniens jam frequentibus Synodis decreverat, ut ſecundum inſtituta antiquorum canonum, Patres uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut dependantur, nec quiſquam omninò ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamq; calibem proſiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Epicoſos Galliarum tranſmiſſeſ, præcipiens ne ipſi quoq; in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omninò foeminas perpetuo anathemate reſecarent. Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremiſſit *tota ſuſcio Clericorum, hominem planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait: Non omnes cupiunt, hoc verbum, qui poſeſt capere capiat.* Et Apoſtoli: *Qui ſe non continet nubas, melius eſt enim nubere quàm uri,* violenta exactione homines vivere cogeret, ritu Angelorum & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ ſrena laxaret, quod ſi pergeret ſententiam confirmare, *malle ſe Sacerdotium quàm conjugium deſerere,* & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebib. Angelos comparaturus eſſet. Nihilominus ille inſtabat, & aſſiduis Legationibus, Epicoſos omnes ſocordix ac deſidiæ arguebat, & niſi ocyus injunctum ſibi negotium exquerentur, Apoſtolica ſe cenſura in eos animadverſurum comminabatur. *Archiepiſcopus Magnantinus* ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tantò tempore inolitam conſuetudinem revelleret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis, & *primò eis in dimidium annum inducias, & delibèrandi copiam dedit,* hortans eos, ut quod neceſſariò faciendum ſit, ſpontè faciant, & tam ſibi quàm Romani Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos, quod ſecus ſit, decernendi. *Ad ultimum congregata Synodo in Erphesfurt menſe Octobri preſſus jam imminere,* ut relegata omni tergiverſatione in præſentiarum aut conjugium abjurarent, aut ſacri altaris miſiſterio ſe abdicarent. *Multas contra illi rationes afferebant,* quibus inſtantis perurgentisq; improbitatem eludere, ſententiamq; caſſare niterentur. Cumq; adverſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, qua ſe ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam compulſum obtendeſſet, nihil argumenta, nihil ſupplicationes preceſſeſque proficerent, egreſſi tanquam ad conſultandum, *conſilium ineunt, ut in Synodum non redeant,* ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. *Nonnulli etiam conſaſis vocib. clamitabant, melius ſibi videri, ut in Synodum reſreſſi ipſum Epicoſum, priuſquam execrabilem adverſum eos ſententiam promulgaret, Cathedra Epicoſpali deturbarent, & merita morte mulctato, inſigne monumentum ad poſteros tranſmiſſerent,* ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem Sacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. *Cum ad Epicoſum relatum eſſet, hoc eos machi-*

machinari, communitus à suis; ut tumultum qui crebatur, marita moderatione praverteret, *misit ad eos foras, rogavitq. ut sedato pectore in Synodum recederentur se*, cum primum opportunitas arrisisset, Romam missurum; & *Domini Apostolicum, si qua posset ratione, ab hac sententia austeritate detraheretur. Postero die* admissis in auditorium communiter Laicis & Clericis; *vetere illam de reddendis decimis querelam replicat*, & quasi nihil bello Saxonico, nihil actum sit conditionibus, quibus paulo superius in Gerstengen pax convenerat, de integro Thuringos omnes de injusta, decimarum retentione, reos addicere molitur; nec recogitat hanc causam originem seminariūque extitisse omnium calamitatum, quibus per plures jam annos Respublica incommodissime vexabatur. *Indignè nimis rulerunt hoc Thuringi*; utpote, qui propter recentem belli successum tumidos adhuc spiritus gerebant; sibi que vanissime persuaserant, quod post triumphatum Regem; & acceptum gustum audaciæ eorum; nullus deinceps futurus esset Episcopus; qui eis aliquam super hac re movere molestiam auderet. Primò tamen temperatis responsionibus ei *suggerunt, non aliā se ratione in Gerstengen recuperanda paci consensisse, quam ut legitima sua, à primis diebus statuta, rata sibi in perpetuum atq. inconversa manerent.* Cum hæc replicando *surdis auribus fabulam narrare viderentur*, subito efferata mente se foras proripiunt, ad arma conclamant, & ad momentum contracta ingenti multitudine, *in Synodum prorumpunt*; & nisi maturius milites Episcopi intercessissent, & blandiendo rationem querendo potius quam repugnando; quoniam viribus impares erant; ferocientis turbæ impetum inhibuissent, *in ipsa Cathedra Episcopali Episcopum oppressissent.* Ita soluta est Synodus; tam Episcopo, quam cunctis, qui assederant, Clericis, ultima formidine consternatis, & passim per omnes Ecclesiæ angulos latebras sibi quærentibus. Statur Episcopus ab Ephesure discedens; reliquam partem anni usque ad Epiphaniam in Helegenstat exegit, & per omnes festos dies inter sacra missarum solennia, eos qui sanctam Synodum turbaverant; ad pœnitentiam sub Episcopi Banno evocavit.

M. LXXV. Rex natalem Domini Argentorati celebravit. Cumque adessent quam plurimi ex Principibus, quos ille dedita opera de toto Regno ad diem Festum evocaverat; habuit cum eis mysterium consilii sui; & eos modis omnibus ad instaurandum bellum Saxonicum sollicitabat; multa in præsens largiebatur; plura in futurum pollicebatur, nullum postremo vel infimæ conditionis, qui modo conficiendis tantis rebus commodus putaretur, relinquebat; quem non; dato vicissim & accepto jurejurando, fidum sibi & obnoxium faceret. Cum ea potissimum pollicitatio omnes ad consentiendum infllecteret, quod *sub iuramentatione iurisjurandi singulis promittebat*, si eorum auxilio Saxoniam Thuringiamque recuperasset, quod ipsi *utramque Provinciam pro arbitrato suo inter se partientiam*; & perpetuo iure possidendam traditurus esset. Ita ira æstuans, nihil quam sanguinem eorum, qui se offenderant, malebat. Quod tamen anno jam integro quam maxime dissimulaverat, ad eum ut Principes Saxonie, quoties ad eum venissent; magnifice

susciperet, & ad absentes pacifica sæpenumero atq; honorifica mandata destinarer.

Paucis post diebus Moguntiam venit, ibique occurrit ei Ruzenorum Rex Demetrius nomine; deferens ei inestimabiles divitias in valis aureis & argenteis & vestibus valde preciosis, *petiitq. ut auxilio sibi foret contra fratrem suum*, qui se per vim Regno expulisset, & Regnum tyrannica immanitate occupasset. Missus est protinus à Rege Burchardus Treverensis Ecclesiæ Præpositus, agere cum illo de injuriis quas fratri intulerat, & commone, ut Regno, quod injustè invasisset, ultro decederet, aliquin auctoritatem & arma Teutonici Regni propediem experturum fore. Is Legationi huic propterea opportunus videbatur, quod ille, ad quem mittebatur, sorore ejus in conjugio habebat, & ipse hac de causa apud Regem, ne quid in illum interim gravius decerneretur, summis precibus obtinuerat. Ruzenorum Rex, Dedi Marchioni Saxonico, cujus ductu eo advenerat à Rege commissus est servandus, donec Legati reverterentur.

His diebus contigit gravi scandalo Babenbergen-sis Ecclesiæ statum labefactari. Herimannus Episcopus Ecclesiam in honorem Beati Jacobi Babenberg foris murum propriis impensis extruxerat, ibiq; Clericos XXV. scientia, moribus, & Canonice conversationis disciplinis haud obscuros congregaverat, & eis quæ ad victum vestitumq; sufficerent, assatim providebat. Cuius is, quem congregationi præfecerat, morbo præventus, diem clausisset extremum, nactus opportunitatem temporis, Clericos expulit, & locum ipsum, cum omnibus appendiciis suis Egbertho Abbate de Sancto Michæle tradidit, ad instituendum illic Ordinem Monasticum. Non offensus crimine aliquo Clericorum, cum ut dixi honestissime juxta Ecclesiasticas Leges vitam instituerent; sed monasticæ conversationis munditia delectatus, in toto Episcopatu suo, si fieri posset, hanc solam esse vitam cupiebat, zelo quidem Dei, sed non secundum scientiam sic æmulatus Rachelis pulchritudinem, ut Lia fecunditatem in thalamum cœlestis sponsi non crederet admittendam. Clerici, qui expulsi fuerant graviter ferebant, sine causa destitutos se esse stipe Ecclesiastica; qua alebantur. Clerici quoq; majoris Ecclesiæ Babenbergen-sis, tam illorum, quam suam vicem dolebant; quod scilicet nō sine magna sui Ordinis injuriā tantum Episcopus deferret Ordini Monastico. Igitur junctis precibus adorti sunt eum, obsecrantes per Deum, ne his, quibus nullum crimen impingeret, sine legitima discussione & audientia eriperet canonicè suscepta Ecclesiasticæ sustentationis beneficia, nec sineret eos destitutos spiritualis militiæ stipendiis, quibus præterea nihil amplius esset rei familiaris, probro & ostentui fieri secularibus. Episcopatum Babenbergen-sis paucas habere congregationes Clericorum, & idcirco nō tam Monachis sibi opus esse quam clericis, quorum ipsi solatio diebus solennibus, in processionibus, in susceptione hospitem uterentur; præterea Ecclesiam, quam noviter ipse extruxisset, loco celebri in medijs huc & illuc divertantium barbarum fluctibus sitam, nec à majore Ecclesia Babenbergen-si plus XXX. passibus disparatam, multo Clericis opportuniorem esse quam Monachis, qui scilicet Monachi cum abominationes Egyptiorum, immolare jubeantur Domino Deo suo; secerni à multitudine, & sicut scriptum est, viam trium dierum

clerum ire debeant in solitudinem, ne si ea quæ colunt & primâ ducunt, seculares immolent coram oculis eorum, scandalizati lapidibus irrisionum suarum obruant, & infament sanctam & Apostolicam vitam. *Si Deo familiarius adhæreant Monachi, tanquam honestior & sublimior portio corporis Christi, non idcirco Clericos tanquam membra putrida penitus abscindendos esse ab Ecclesia.* Quia licet stellæ ab stellis differant in claritate, unam tamen cœli faciem decentissimè distinguant sua varietate. Et licet membra disparia sint, & suis singula functa officiis, concordi tamen, licet dispari famulatu necessitatem expleant, unius ejusdemque corporis. Episcopus nec ratione movebatur nec supplicatione, asserens honorem, quem deferret Monachis in nullo præjudicare Clericis, bona autè quæ in usus pauperum proprio labore congessisset, sui juris, sui arbitratus esse, utrum Clericis attuleret, an Monachis. Clerici & inopia familiari, & indignitate rei vehementer exacerbati, Regis & omnium Principum Regni aures quotidiana proclamatione obrundebant pro injuria sua. Cumque nihil usquam opis, nihil spei esset, versi ad validissimum illud quod in sancta Ecclesia, ultimè semper necessitatis unicum esse præsidium consuevit, *Romam pergunt, & recitata Romano Pontifici per ordinem suæ calamitatis Historia, Apostolica sedis patrocinium contra tanti calumniatoris violentiam suppliciter implorant.* Adest simul totius Cleri Babenbergensis Legatio, quærelam ingeminant, & *Romani Pontificis patientiam vehementer incusant, cur Ecclesiam Dei tam diu sinat hominis hæretici communionem maculari, qui non ut pastor per ostium, sed ut fur & latro per Symoniacam hæresim, & ingentium pecuniarum profusionem irrepserit in ovile ovium,* qui apud prædecessorem ejus Nicolaum Papam tanti criminis insimulatus, ut dici solet, ignem gladio, hoc est hæresim perjurio purgaverit, qui Cathedram Episcopalem & sanctæ prædicationis ministerium, expers ipse omnino literarum, contra sacros Canones impudenter occupasset, qui ante Episcopatum cunctis capitibus criminibus atque omni probiorum genere Moguntinæ civitati, in qua nutritus sit, celebrem se spectabilemque fecerit, qui pecuniariam atque usurariam artem, qua à puero sit institutus, postquam cœlestium talentorum negociator constitutus sit, multò sollicitius exerceat, ita ut Abbatis & Ecclesias intra diœcesim suam sitas quas fœdè comparaverit, scædissimè vendat, & *familiam Babenbergensis Ecclesia paulò ante opulentissimam, ac bonis omnibus florentissimam ad summam redegerit paupertatem,* qui nunc super omnia mala sua, ut in vestimentis ovium libentius lupinam exerceat feritatem, & facilius illudat simplicium innocentia transfiguratus in Angelum lucis Angelus Sarranæ, Clericos absque ulla discussione de Ecclesiis suis ejiciat, atque omnibus in quibus possit locis, vitam monasticam, non tam amator Religionis quam subdolis simulator instituat. Postremò per Deum omnipotentem exorant, ut tandem aliquando expergefactus Simon, Petrus baculum pastoralis zeli exerat contra lupum, improbè rapientem & dispergentem oves Dei, & Symonem Magum iterum in Ecclesia Dei nummulariorum mentas & æra proponentem, cum pecunia sua mittat in perditionem. Romanus Pontifex jam pridem

enim à sacri altaris ministerio suspenderat. Præfenti autem relatione efferatus, *absq; dilatione excommunicavit eum,* ea scilicet ex causa, quod de gravissimis criminibus jam olim accusatus, & ut causam diceret, crebrò per biennium Romam evocatus venire contempsisset. Clericis quoque qui se per calumniam expulsos querebantur, *Ecclesiam suam restitui præcepit,* & destinatis ad Clerum Babenbergensem literis, mandavit, ut se à communionem illius abstinere, contestatus quàm sanctè, quod si communionem aliquando ac Pontificatum quem contra Ecclesiasticas Leges invalisset, nunquam deinceps se vivo, recepturus foret. Quod ubi Clericis Babenbergensibus Legati sui retulerunt, & iram veterem armavit tantæ pollicitationis fiducia. Occultata interim Apostolicæ sedis Legatione, *mittunt ad Episcopum,* qui tunc temporis Babenberg consistebat, eique denunciant, *ut quantocyus de urbe discedat,* non posse eum ultra sibi Episcopum esse, *quomodo & Episcopatum per Symoniacam hæresim contra Ecclesiasticas Sanctiones coemisset, & eum administrare, ignarus omnino literarum, non possit.* Atrocissimè per se Legationi adjecta est gravitas contumelia. *Adolescens quidam ex numero Clericorum & animo ferox & ætate, versiculum brevem ex Psalterio proposuit. Hujus inquit capituli, non mysticum sensum, non allegoricam significationem, sed verbum ex verbo fidus interpretes, si mihi rectè explicaveris, ego te omni quæstione liberatum, cunctis criminibus quibus te impetimus, absolutum, dignissimum placè Episcopatu pronunciaro.* Ille insolita re attonitus, cum quid hoc esset, unde nova hæc & inusitata mitium ante hæc Clericorum, asperitas procederet, turbulentus suscitaretur, & dictis atrocibus responsa atrociora redderet. Repentè in medium ducunt *Legati sedis Apostolicæ,* & præter literas, quas manibus præferunt, viva voce *ex nomine Romani Pontificis denunciant, ut nullum deinceps Pontificalis officii jus potestatemq; habeat, sciatq; se Apostolicæ excommunicationis gladio de corpore universalis Ecclesiæ præcisum esse,* propterea quod objectum sibi crimen Symoniacæ hæreos, toties Apostolicis Epistolis Romam evocatus, purgare distulisset. Præcipiunt etiàm Clericis Babenbergensibus, ut nullum ultra ei tanquam Episcopo honorem reverentiamque deferant, sed ab eis communionem modò se abstineant, ne deprehensi tanquam Ecclesiasticæ factionis transgressores similem cum eo sortiantur, excommunicationis vindictam. Ibi primum Episcopus circumventum se fraude Clericorum suorum advertit. Quibus acriter insistentibus, ut quantocyus Episcopatu abdicatus abscederet, cum nulla ratione satisfacere posset, asserentque sub testificatione nominis Divini, nullum se in Ecclesia opus Dei acturos fore ipso in ea persistente. Incertus confususque animi misit ad Episcopum Moguntinum, fidissimum sibi amicum, quem multis sæpè beneficiis privatim & publicè sibi devinxisset, qui que omnium quæ in acquirendo vel administrando Episcopatu gessisset, conscius sibi particepsque extitisset, rogavitque, ut quàm citissimè veniret, & tumultuantem intestinis simultatibus Clerum quoquo posset modo, compelleret. Ille nihil

moratus affuit, egitque ut rogabatur, cum Clericis ne obliti pudoris ac modestiæ suæ, in Episcopum suum, quem propter Deum patris loco venerari debuissent, sine causa exardescerent, cum eos nec dicto, nec facto quod iuste in querelam vocare possent, sciens provocasset. Vel si quid quod eos læderet fortè inscius admisisset, se cognitore atque arbitro paratus esset, quovis modo satisfacere offensis: parcerent, si minus ejus innocentia, at honori atque existimationi propria, ne ad contemnendos Episcopos suos cæteri per orbem terrarum Clerici hoc animarentur exemplo; & rebellionis atque contumaciæ pestilens hic morbus sumpto à Babenbergensibus initio, totum inficeret corpus gregis Dominici. Nihil illi placationis, nihil laxamenti admittentes, gravissimis eum convitiis confutarunt, iustissimè dicentes, in eum quoque Apostolicæ excommunicationis anathema procedere debuisse, qui hominem omnibus probris infamatum, & nihil in moribus, nihil in scientia dignum sacerdotio afferentem, per Symoniacam hæresim Episcopum ordinasset. Nec ad excusandas excusationes in peccatis obtendere posse ignorantiam, cum actus ejus omnemque vitæ institutionem, tanquam qui in laribus suis diu familiarissimè obversatus sit, optimè cognovisset, & omnibus quæ in cœmendo Episcopatu acta sint, medius ipse atque intimus interfuisset. Videns Archiepiscopus obstinatos in contentione Clericos nulla ratione mitigari posse, ne quid pro amico suo intactum intentatumque relinqueret, assumpto eo Romam ire statuit, sperans *Romanum Pontificem vel pecunia, vel supplicatione expugnari posse*, ut eum crimine atque anathemate absolveret. Sed inter eundem reputans haud satis tutum esse, ut eum non prius explorato Romani Pontificis animo, Romam perduceret, suavitè ei in extrinsecis Ecclesiæ Babenbergensis possessionibus reditum suum præstolari, & ipse cum paucis ut instituerat, concitus Romam contendit. Quò dum venisset, vix & ægrè, ut à Romano Pontifice in communionem susciperetur obtinuit, & qui in alienis criminibus patronum se paraverat, ipse de propriis insimulatus, quòd Babenbergensem Episcopum per Symoniacam hæresim sciens ordinasset, penè gradus sui periculum incurrerat. Ad ultimum discedendi iussum est, ut ab eis communionem omni modo abstineret, & promulgatam adversus eum Apostolicæ excommunicationis sententiam omnibus Teutonici Regni Principibus notam faceret, & cum primum conficiendæ rei temporis opportunitas arrisisset, alium pro eo Babenbergensibus Episcopum ordinaret. Quòd ubi Babenbergensi Episcopo compertum est, nullam deinceps spem sibi reliquam nisi in clementia Romani Pontificis fore ratus, conductis qui causam suam apud Sedem Apostolicam dicendi arte tueretur, Romam perrexit. Sed Romani Pontificis constantia, & invictus adversus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ. Multis lachrymis, multis supplicationibus, multis Rethorica arte compositis disceptationibus vix hæc solum obtinuit, ut ea conditione anathemate absolveretur, quatenus ubi primum in patriam redisset, Monasterium ingrederetur, atque ibi deinceps à cunctis in perpetuum seculi a-

ctibus feriatas, scandalizatam sua ambitione Ecclesiam digna satisfactione desereret. Ita regressus in patriam, cum iussa Romani Pontificis retulisset ad milites suos, quibus se multa largitione admodum popularem acceptumque fecerat, vehementer restiterunt, indignissimum fore dicentes, & nulla retrò Majorum memoria in Ecclesiis Galliarum hoc accidisse, ut sine publica audientia & Canonica discussione, quod nec infimis quidem gradibus competeret, Episcopus deponeretur, non hanc privaram illius esse injuriam, ad communem potius spectare contumeliam, omnium qui tuendæ Babenbergensis Ecclesiæ dignitati operam suam deberent, & ejus Episcopo sub jurejurando fidem dixissent, & idèò extrema omnia prius se experturos esse, quàm servatum ad sua tempora illius Ecclesiæ honorem fernerent fœdissimo hoc exemplo contaminari. His ille promissis animatus, *neglecto Romani Pontificis decreto, Babenberg rediit* ibique IV. vel V. hebdomadas commoratus, præter altaris officium, in cæteris omnibus, quæ scilicet ad exteriorem Episcopii administrationem pertinebant, nullo modo jure suo cedebat, irritam reputans excommunicationem, quam non canonicè in se promulgatam cavillabatur. Quibus diebus in civitate Babenbergensi nullum publicè actum est opus Dei, Clericis refugientibus atque omnino execrantibus communionem ejus. Cæteram ejus anni partem in extrinsecis Babenbergensis Ecclesiæ possessionibus militum suorum præsidio fultus, exegit. Verum neque Rex, neque Episcopus, neque alius quisquam qui sanum saperet, ei communicare volebat.

Rex Pascha Wormatiæ celebravit. Quò dum ad saluandum eum quidam ex Principibus Saxonie pergere instituisent, missi obviam eius Legati, denunciaverunt, ut ocyus in sua redirent, alioquin haud tuto visuros esse faciem Regis, quem post tam graves contumelias digna adhuc satisfactione non placassent. Ibi primò malum, quod cervicibus impendebat adverterunt. *Rex omnibus quæ bello administrando necessaria erant, assatim provisit jam & instructis, solenni edicto cunctis, qui in Regno suo erant, expeditionem indixit in Saxoniam*, dieinque & locum statuit coadunandi exercitus, videlicet VI. Id. Junii, in possessione Herveldensis Monasterii, in loco qui dicitur Bredingen. Misit etiã Legatos ad Saxones, qui tunc in eundi consilii gratia frequentes Goslariam conveniant, dicere eis, memorem se gravium injuriarum, violatæ Regiæ Majestatis, & turpis fugæ, qua extremo in periculo vitæ consulere coactus fuisset. Nec se cunctis generaliter Saxonibus crimè hoc intèdere, paucos fuisse Principes, qui imperitã multitudinè & naturali levitate semper novarum rerum avidam hac rabie inflammassent. Ab his concitatæ seditionis & turbatæ Reipublicæ pœnam se, quoniam Legibus nõ poterit, armata manu exacturũ. Proinde rogare se cæteros, & sub interminatione gratiæ suæ præcipere, ne hostes publicos armis aut opibus tueantur. Si obediãt, veniam se eis dare veteris culpæ, quod tam inusitati facinoris socii participesque antehac extitissent. Sin minus, excusationem deinceps non habituros esse peccati, quòd scientes præmonitiq; admisisset. Ad hæc Saxones, *gravissimè ajebãt, habemus legationẽ, & nisi Principes nostri de omnib. quæ obscurantur*

tur, juxta Magnificeniam Regiam ei satis facere spondeant, eos sine mora vel captos, & in vincula con-
jectos ejus examini reservabimus, vel in favillam redactis omnibus, quæ ad eos pertinent, Saxonia procul effugabimus. Quod si justis & Regio nomine dignis conditionibus parati sunt, vel objecta purgare, vel quæ peccaverunt expiare, oramus & per Deum obtestamur ut honori potius suo, quàm iracundia consulat. Nec ante publicam Principum cæterorum audientiam & legitimam discussionem aliquid in eos quod se non deceat, decernat. Diem potius statuat, locum designet, copiam destruere coram veniendi, & tunc causam dicendi, ut secundum Palatinas leges justa examinatione habitâ, vel puniat convictos, vel absolvat innocentes. Quod si ira immoderatio nullam admittit satisfactionem, nec alio pacto quàm sanguine Principum nostrorum restinguere poteris, quid prodest ambiguis responsionibus sententias involvere. Extrema impietatis fore judicamus, ut Principes nostros deseramus, & eos pro nobis jugulandos objiciamus, quos haud dubie scimus nullo privato odio vel gratia, sed sola emenda salutis nostra, & vindicanda libertatis nostræ causa contra Regem arma sumplisse. Quapropter id supplices petimus, ut eadem nobis & illis venia concedatur admissa presumptionis. Aut si nulla supplicationum victima expiari potest quod fecimus, eodem in nos & in illos supplicio animadvertatur. Tunc Bucco Halberstatensis Episcopus, Wechel Archiepiscopus Magdaburgensis, Magni Dux Saxonie. Otto Dux quondam Bajoarie, & cæteri Principes, quos Rex specialiter tam truculenta conminatione impetebat, dixerunt; Nequaquam se sibi conscios esse, quod pacem, qua anno priore in Gerstingen convenerat, facta aliquo vel dicto violassent. Nam si Rex instinctu eorum, vel consilio factum suspicaretur, ut Ecclesia in Hartespurg incenderetur, thesauri diriperentur, corpora sepulchris ejicerentur, aut aliud ali-
quid contra statutum illius conventionis perpetraretur, paratos se esse, ut quavis conditione, quam modo cæteri Principes Regni equam judicassent, crimen resellerent, & innocentiam suam assererent, insuper ipsam Ecclesiam propriis impensis ambiciosius quàm fuerat instaurarent, amplioribus ornamentis excolerent, omnia etiam, quæ ineptum vulgus maligno spiritu suscitatum ausu nefario infregisset, diripisset, temerasset, multiplicius restituerent. Super hæc omnia auri & argenti & prædiorum suorum, quantum salvo pudore suo & Regni Majestate, accipere vellet, prompta mente darent, dummodo in gratiam rediret, & gladium quem in cervicibus eorum, & in everisionem totius Saxonie iratus extenderat, placatus remitteret in vaginam. Quod si obstinatum adversus omnes preces & supplicationes animum gereret, se deinceps contra eum nec arma laturos, nec aciem instructuros, sed nudis pedibus venienti obviam processuros; & sententiam quamcumq; vel iratus distulisset, porrecto jugulo, excepturos. In hæc verba nuncios Regis dimiserunt, & ipsi protinus suos eadem ad eum responsa deferentes destinârunt. Quos ubi Rex advenire comperit, præcepit ut nulla ratione in conspectum suum admitterentur, mandavitque eis per occultos indices, ut quantum recederent, nec se oculis ejus, cui contumeliam fecissent, sic temere ingererent, alioquin Regia censura coercerentur se hostes publicos &

insidiatores Regni, qui sub prætextu Legationis mendacia sua per populum sererent, ad sollicitandos animos Principum, & expeditionem suam impediendam. Ita Legati sine effectu reversi sunt. Iterum alios atque alios miserunt, sed eodem omnes rigore obfirmatas contra se tam fores quàm aures Regias invenerunt. Semel cum unus Legatorum captata loci & temporis opportunitate se improvisus in conspectum Regis proripuisse, & quæ in mandatis habebat, proloqui cœpisset, vix ad primum sermonis exordium, dato silentio, statim cum gravi indignatione rejectus est, & cum ab Udalrico quodam Regio satellite in crastinum servandus abductus, vel potius abreptus fuisset, proximo mane elusis custodibus, vix visa comite effugit. De hinc crebris Legationibus adorti Ducem Rudolphum, Ducem Bertholdum, Ducem Gozelonem, & cæteros Principes, quos superiore bello conjurationis socios habuerant, fidem implorant, fœderis quod pepigissent, admonent, obtestanturque per Deum, per ejus nomen in unius ejusdemque militiæ sacramenta jurassent, ut assint periclitantibus, & sicut prius gerendo bello favorem suum, ita nunc reparandæ paci, quoniam eos belli pœniteat, auxilium consiliumque suum non subtrahant. Sed Regis prudentia qua supra ætatem suam mirum in modum callebat, omnia sepe-
rat, omnes vias, omnes aditus obstruxerat. Siquidem à cunctis Principibus suis jusjurandum acceperat, quod nullas eorum Legationes se inconsulto susciperent, quod eos nec armis publice, nec consiliis secreto tutaretur, nec sibi pro eis preces aliquando supplicationesque deferrent, donec se acceptæ ab eis ignominie maculam digna animadversione eluisse ipse iudex testisque fateretur. Ita quocumque intendissent, quamcumque viam pertentassent, omnia obfirmata, implicata, impedita reperiunt. Exin crebra per Saxoniam Thuringiamque conventicula faciunt, quid factu opus sit consulunt, discussis & ventilatis omnibus, quæ tanto malo remedium aliquod polliceri videbantur, cum nulla usquam humani auxilii spes eluceret, statim unanimes à Deo sibi deinceps querendum esse subsidium, qui solus tam obstinatum Regis ferocitatem emollire, & rem implicitam expedire queat. Jubent ergo, ut per totam Saxoniam & Thuringiam depositis cultioribus indumentis, sacco & laneis vestiantur, cibo & potu statim diebus abstineant, sumunt in pauperes pro sua quisq; re familiari conferant, & per Ecclesias nudis pedibus discurrentes, Deum communi lamentatione deprecantur, ut manum suam, quæ humano ubique cessante adjutorio, sola jam possit opitulari, undique conclusis, ad ereptionem eorum extendat. Præterea placet, ut die quo Regis exercitus juxta publicam indicationem in Bredingen coadunandus conveniret, ipsi in loco qui dicitur Lupezens millibus ab eis disparati, castra locaret, & iterum atque iterum repetitis supplicationibus aures ejus & Principum ejus obtundentes, si evincerent, gratias Deo, sin autem in eodem loco venientem præstolati, collatis signis, æquissimo judici Deo rem committerent. Superveniunt etiam hinc Luticiorum, hinc Polonorum nuncii, suam utrique operam, socias manus & pares ad cuncta quæ belli artibus transigenda sint, animos pollicentes. Et quod parati

parati sunt die, quem Saxones designaverint, armatorum copias quam maximas Saxoniam mittere. Vel si hoc malint, contra Danos & alias gentes, quas vulgatum erat, ad irruptionem Saxoniam a Rege sollicitas esse, stationes jugesque excubias agant, ut hac parte sollicitudines exonerent, alias occupatos. Hoc nuncio paululum recreatis animis digressi, quantum temporis supererat, usque ad diem coadunandi exercitus, in jejuniis & vigiliis exigunt, Ecclesias indefessi obsident, in cinere voluntantur & cilicio, noctes perinde ac dies precibus infumunt, nullum postremo Religionis genus, quod ad placandum Deum Ecclesiastica traditione comparatum sit, prætermittunt. Sed ira Dei, quæ in eos exarserat, major erat quam ut lachrymis restinguere, hostiis & muneribus mitigari posset. Rex Pentecosten Wormatiæ cum paucis celebravit, Principibus in præparationem militiæ singulis privata sollicitudine occupatis. Statua die venit in Bredingen cum infinita multitudo, planeque omnium unanimi consensu constitit, nulla unquam retrò majorum memoria tantum exercitum, tam militariter instructum in Regno Teutonico, a quoquam Rege contractum fuisse. Quicquid in Regno Episcoporum erat, quicquid Ducum, quicquid Comitum, quicquid Ecclesiasticarum aut secularium Dignitatum, omnes summa vi, summa ope, in hoc bellum enisi convenerant. Nemo prorsus, nisi quem forte gravis admodum & omnino inexplicabilis necessitas, quæ oppressura esset fratrem suum Magdaburgensem Episcopum, & consobrinum suum Halberstatensem Episcopum spectator adesset, vacationem impetraverat, haud gravatè hoc concedente Rege, eo quod post primam defectionem invisum semper eum suspectumque habuisset. Leodiensis Episcopus Vir præter decrepitam ætatem longa etiam ægritudine exhaustus, Reginam interim servandam susceperat, & hac occasione ipse quoque militia defungebatur. Uterque tamen milites suos amplissimo numero transmisit. Dux quoque Bohemorum aderat, tanto stipatus agmine, ut se solum bello Saxonico sufficere posse, vana spe elusus, arbitraretur. Wideradus Abbas Fuldenis, præter quod ab ineunte ætate uno pede graviter claudicaverat, jam per biennium ita paralyti dissolutus erat, ut nisi baculo aut ministrorum humeris innixus nusquam progredi posset. Eum tamen nec tam molesta valetudo excusare poterat a militia, id potissimum curante Rege, ut omnium Principum suorum titulis ac fascibus quam maximè insignem faceret expeditionem. Cumque ad locum coadunandi exercitus, ferventissima ætate, vehiculo sedens pergeret, strepitu circumfusæ multitudinis, & vi concitati pulveris suffocatus, penè spiritum exhalaverat. Relatus in Monasterium a stupore quidem mentis post paululum respiravit, nullum tamen ultra verbum proloqui potuit, atque ita deinceps per VI. hebdomadas gravissima corporis molestia decoctus. XVII. Kalend. August. humanis rebus exemptus est. Vir planè ferventis in Deum fidei, suis tamen omnibus admodum invisus, propterea quod in diebus ejus Fuldense nomen multis calamitatibus vehementer attritum, & penè omnino obliteratum fuisset. Sed ad co-

ptum unde digressi sumus redeamus. Missi a Rege exploratores speculari exercitum Saxonum, retulerunt eos multitudine & armis haud impares, cætero belli apparatu etiam superiores esse, opes multas, & sufficientes in longum quoque tempus sumptus convexisse, nihil permotos tantorum hostium adventu, in proximo castra locasse, post laborem itineris otioso jam animo fixis tentoriis recreando corpori indulgere, hoc statuisse, ut Legatos supplices de pace mittant, si non impetrent, æquo certamine adorianur venientes. Facile & contemptim hoc auditum est ab his, qui cum Rege erant, *passim jactantibus, nec ferreas vel adamantinas acies multitudini & Virtuti sua impugnabiles fore*, secum esse militem lectissimum, qui in faciendis stipendiis ætatem exegisset, & quem singuli Principes diligenti delectu habito de toto orbe exquisissent. Illinc vulgus esse ineptum, agriculturæ potius, quam militiæ assuetum, quod non animo militari, sed Principum terrore coactum contra mores & instituta sua in aciem processisset, & ideo non expectaturum, ut commissum prælium solo concurrentis exercitus strepitu & clamore terrendum, fugiendum, & fundendum esset. Rex non tam metuebat, ne prælio, quam ne supplicatione vinceretur, ne Principes sui eis bellum inferre religiosum ducerent, qui se ad quascunque conditiones pacatissimos præberent, & ignominiam suam vindicta, qua nihil ardentius cupiebat, e manibus sibi raperetur. Hoc præcavens quam maximè saragebat, ut ante exercitus committerent, quam Legati Saxonum pacem postulaturi venissent, plurimum in hoc ipsum aniriente Duce Suevorum Rudolpho, propterea quod anno priore Regnum affectasse infamatus, suspicionem hanc novis erga Regem studiis abstergere cupidissime volebat. Profectus Rex de Bredingen die prima venit in Elenen. Sequenti die præcipitato nimium gradu duorum penè dierum iter confecit, atque in Beringe castra posuit, haud multo a Saxonibus intervallo. Jam fixis tentoriis singuli, quæ exhaustis lassitudine corporibus necessaria forent circumquaque dispersi providebant. Rex etiam refrigerandi gratia se in lectum reclina-verat, cum subito Dux Rudolphus ingrediens, nunciat Saxones brevissimo spatio abesse, & incertum negligentes an ignaros advenientium hostium, inter epulas & pocula ineptis lascivire lussibus, qui si vel ad punctum temporis inultum habeant, quod sumpta contra Rempublicam & Leges Majorum arma, sic improbè conspectibus Regis inexistissent, ignominiam hanc Teutonici Regni nullis deinceps seculis abolendam esse, placere sibi cum adhuc major pars supersit diei, ut acies instruat, prælium committatur, vel si prælium detrectantes intra castra se turgent, ipsa castra admoto exercitu expugnentur. Rex ei pronus in terram gratias agit, & hujus beneficii, quoad vivat nunquam se immemorem futurum, Deo in testimonium ascito pollicetur. Ita ambo se tentorio proripiunt, dato ad pugnam signo, ocyus omnes assunt, longe lateque parentes campos occupant, singuli Duces suas seorsum Legiones instruunt. Et quia nec situs loci, nec multitudo patiebatur, ut uno eodemque tempore omnibus unà fieret manus conferendi copia,

pia, datum negotium est Duci Rudolpho, ut ipse cum suis prima acie confligetet, peculiari scilicet *Suevorum privilegio, quibus ab antiquis jam diebus lege latum est, ut in omni expeditione Regis Teutonici ipsi exercitum præcedere, & primi committere debeant.* Cæteris jussum, ut propter assistentes pugnantibus, prout res posceret, auxilio concurrerent. Rex in quinta erat Legione, quam ex lectissimis & erga se admodum spectatæ fidei juvenibus stipatam ornatissimamque instituerat. Ita paulatim servatis ordinibus ad castra Saxonum procedunt. Saxones qui sibi *fulcissime persuaserant, scilicet illud quo à Rege aberant, vix ab equite expedito, nedum ab exercitu, sarcinis aliisque, impedimentis implicato, uno die transmitti posse, nihil minus quam Regem eo die ad se perventurum suspiciabantur.* Ideoque *vana securitate resoluti omne studium ab armis ad curam corporum verterant.* Cum repente conspicantur cælum pulvere obtenebratum, exercitum super arenam maris innumerabilem, totam adjacentis campi latitudinem, instar locustarum occupasse, & ferè jam emenso, quod in medio erat, spacio, ad ipsa castra opprimenda, nisi maturent, egredi, citato paululum gradu properare. Inopinata te trepidi, & se invicem inertæ, quod hostem non prævidissent incusantes, protinus sublatis in cælum vocibus concla nant, arma rapiunt, portis prorumpunt. Pauci lorice corpora muniunt, cæteri dum morarum impatientes ruunt, nec vestes, quibus se paulò antè largiori otio indulgentes exuerant, resumere meminerunt. Nullus alterum cunctantem operitur, sed singuli passim, prout ocyus seriusve arma expedierant, accurrunt. Quam plurimi etiam trans fluvium Unstrut longius metati prius infelicitè gestæ rei, quam committendi certaminis nunciū acceperunt. Nec Legionis ordinare angustia temporis sinebat, nec militem adhortari, nec castra consuetis stationibus munire, nec aliud quicquam facere, quod militaris disciplinæ solennitas exigebat. *Repentinus Regis adventus omnia prævertit.* Vix tandem ex illa trepidatione resumpto spiritu, cum in globum densissimum tumultuaria se statione stipassent, non expectato signo, ut consuetudo est pugnaturs, equis subdunt calcaria, & summo nisu præcipientes feruntur in adversarios, hæud procul ab Hohenburg. Nec imperum sustinere vel ad horam Suevi potuissent, nisi loco motis jamque pedem retroferentibus Dux Welf cum exercitu Bajoarico concurrisset. *Prima certaminis procella hastas & lanceas consumpsit.* Reliquam partem gladiis, qua pugnandi arte plurimum excellit miles Saxonicus, peragunt, *præcuncti singuli duobus vel tribus gladiis, tantaque vi, tanta ferocitate, tanta feriendi calliditate grassantur, ut hostibus etiam non minus admirationi quam terrori essent.* Ibi Ernest Marchio Bajoariorum, Vir in Regno clarissimus, & multis sæpè adversum Ungaros victoriis insignis graviter vulneratus est, & cum in castra semivivus relatus fuisset, postero die expiravit. Ibi Engilberthus Comes, ibi duo filii Eberhardi Comitis de Ellenburg, ibi quam plurimi Nobiles ex Suevis, quam plurimi ex Bajoariis corruerunt, paucique admodum sine vulneribus prælio excesserunt. Rudolphus Dux multis sæpè gladiis impetitus, quanquam tenacissimè lori-

cæ præsidio ictus omnes frustraretur, multis tamen ex assidua contusione membrorum affectus est incommodis. In exercitu Saxonico præclarissime enituit Virtus Ortonis Ducis quondam Bajoariæ. Is fortissimis juvenibus septus, modo in prima acie pugnam laceffere, ubique acrior vis hostium incubuisset cominùs adesse, insistentium vultus gladio ferire, per hostiles cuneos quaqua versum viam sibi ferro parare; modò in postremis cessantes adhortari, causæ qua arma sumperant, admonere, & ut nunc, quod sæpè quam sanctè jurassent, libertatem suam manu vindicarent, omnes in commune per Deum obsecrare. Strenuè profectò & egregii militis, & optimi Ducis officio fungebatur. Protractum à media die usque in horam nonam certamen jam in eo erat, ut duorum Regnorum exercitus Sueviæ & Bajoariæ terga verterent, & Regi frequentes nuncii salutem suorum in extremo sitam nunciabant, cum repente ex uno latere Herimannus Comes de Glizberg, ex alio latere Babenbergenses milites signa inferunt. Tum Dux Bohemorum, tum Gozelo Dux Lotharingorum multis prius periclitantium in prælio Legationibus & supplicationibus fatigatus, suas uterq; copias incitatis ad cursum equis immitit. Non ultra Saxones vim multitudinis sustinere poterant, paulatimque cedentes, cum inclinatas jam ad fugam acies Dux Otto restituere obsecrâdo, inceptando, inertiam desidiâque exprobrando diu multumque conatus fuisset, tandem versis frenis omnes diversas in partes aufugerunt. Tum verò *ut semper in fuga hostium ignavissimis & fortissimis par solet esse audacia, par gloria, omnes in exercitu Regis Legiones confusis ordinibus, omnes etiam plebeji ac rustici, qui castrorum usibus servilem operam dependebant, ocyus se ad persequendos fugientes expediunt, equos calcaribus enecant, latissimos campos dicto citius transvolant, obstantiam quæque conculcant.* Fugientes cum in castra, tanquam illic latibulum habituri, se recepissent, capris castris & direptis exagitant, loca omnia per quæ fuga est, per milliaria duo vel tria circumquaque cædibus cruentant, cadaverum aceruis exagitant. Et quia concitatus unguis equorum pulvis oculis prospectum, rebus discrimen eripuerat, ut hæud facillè socios ab hostibus visu caligante secer- nere possent, quam plurimos ex sociis suis, dum hostes arbitrantur, interficiunt. Principes Saxonie & Nobiles, præter duos mediocri loco natos, omnes vivi integrique evadunt, tum peritiam locorum, tum obtenebrati aëris densitate, tum equorum velocitate incommodissime usi. Porro in vulgus pedestre, quod congressis equitibus adhuc in castris resederat, ira ultra modum omnem modestiamque debacchata est hostilis feritas, ut Christianæ verecundie obliti, pecudes sibi, non homines jugulare viderentur. Plurimam etiam partem fluvius Unstrut, dum metu gladii imminentis præcipientius irruunt, absorbit. Cædi nox finem fecit. Et quod ultra fluvium persequi fugientes hæud satis tutum putaretur, conversi milites ad spolia diripienda *tantam in castris hostium invenimus ciborum affluentiam, tantam auri & argenti vestimentorum, præciosarum multitudinem, ut non ad bellum inferendum, sed ad epulum præbendum*

Regis exercitus, & ostentandam opum suarum magnificentiam occurrere viderentur. Rex paulò post occasum solis inter faustas, ut solenne est militum, acclamationes, in castra revertitur, lætus & æstuans gaudio, quod hostes infestissimos insigni victoriâ subegisset, maxime jactantibus militibus, quod illos & illos de primis Principibus Saxonie manu propria peremissent. Cumque ad locum congressionis reversi, alius Dominum suum, alius patrem, alius fratrem alius cognatum, aut alia quavis necessitudine sibi devinctum in acie corruisse reperissent, lætitia omnis in mœrorem, cantus versus est in vocem flentium. Planctu & ululatu castra universa perstrepebant. Sequentem diem in eisdem castris agentes, occisos terra obruant. Qui clariores inter eos ditioresque extiterant, in patriam, unde quisque oriundus erat, sepeliendos remittunt, vulneratis curam adhibent, quos militiae in reliquum inutiles vulnera reddiderant, suis in patriam curandos destinant. Nec facillè æstimari poterat, quot haec, quot illa in acie cæsa essent millia, hoc tamen palam constante, plus hic Nobilium, plus illic cecidisse plebejæ multitudinis, & propter amissionem clarissimorum Virorum majus victores quam victos tulisse dispendium. Mœrore & luctu affectis omnibus, gravior accessit dolor & facti poenitentia, comperto, quod Principes Saxonie, quos ad unum interfectos pridie vano rumore vulgaverant, omnes integro numero viverent, atque ad iterandum prælium novas denuo copias pleni animorum contraherent. Graviter nimis ferebant, & inter se haud obscuris mullationibus fremebant, quod maximo sui piaculo, minimo Reipublice emolumento manus suas innoxia plebis sanguine polluisent. Rex ipse quam plurimum verabatur, ne miles in irritum, fusi tanti sanguinis poenitens, religionis obtentu deinceps militiam detrectaret, quam sine peccato & gravi offensa Dei administrare non posset. Pessimæ rei pessimum Moguntinus Archiepiscopus remedium adhibuit. Collato cum paucis familiaribus Regis consilio, repente processit in publicum, & Principes Thuringie nec Canonicè ad Synodum evocatos, nec synodali audientia secundum Ecclesiasticas Leges discussos, præcipiti sententia excommunicavit, ea scilicet causa, quod eum anno priore, Erphesfurt cum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladiis intra Ecclesiam impetissent. Et ne quis ei fortè hoc crimini daret, quod contra Canonum scita miseros homines, tam inexplicabilibus negotiis ad præsens implicitos, tam iniquo tempore adortus fuisset, quando tantis undique bellorum procellis jactati, non causis dicendis vacare, sed vitam suam fuga vel armis servare necesse haberent. Ait à Romano Pontifice sibi hoc permissum esse, ut absque legitimis induciis, absque legitima discussione, die quo sibi occurreret, eos justo anathemate ab Ecclesia recideret. Nullum tamen sapientem latere potuit, quod potissimum spectaret hoc factum, eò scilicet ut exercitus Regis promptior, deinceps fidentiorque adversum eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret, se nec peccatis obnoxium fore, nec poenis, quas leges Ecclesiasticæ statuunt homicidis. Igitur

movit exercitus de loco certaminis, & transiens à Thuringia, ingressus est Saxoniam, omnia circumquaque ferro & igne depopulans, tantasque in villis singulis reperit opes, fecundissima scilicet Regione, & nullis ante hac bellis acta, ut avidissima plebi castrorum, quæ sola spe rapinarum exercitum sequebatur, copia pareret fastidium. Rex tamen assiduas ad Principes Saxonie Legationes, tum suo, tum Principum suorum nomine destinabat, hortans eos, ut se dederent, atque in clementia ejus potius quam in armis suis, quæ semel infeliciter tentassent, spem sibi deinceps ponerent. Sed illi haud dubiis indiciis compertum habentes, quanto in eos odio æstualet, extremæ dementiæ esse judicabant, ut ei præcipitanter sanguinis sui jus potestatemque facerent, cujus iram tantis ante expeditionem supplicationibus mitigare nequissent. Tamen mandaverunt ei verbis supplicibus: *Se pacem quam bellum, clementiam ejus quam indignitatem semper maluisse, & eam si alio pretio quam proprio sanguine redimere potuissent, nunquam ad hac extrema audenda experiendaque processuros fuisse, quod si vel nunc saltem post illam cladem cor ejus tetigisset Deus, ut calamitatibus eorum condoleret, quos penè usque ad internecionem prostravisset, se hoc gratanter amplecti, & oblitteratis à corde suo omnibus malis, quibus in eos iram odiumque suum explisset, deinceps ei fides devotosque futuros, Si autem hoc aliter quam per deditonem fieri non posset, consultius sibi esse, ut salva existimatione sua, incolumi libertate sua, in congressione publica morerentur, quam dediti, riu pecudum jugularentur, vel diu in custodia habiti, insuper fame & siti, aliisque cruciatibus macerari, omni morte tristorem vitam exigerent.* Ad ultimum jussu Regis profectus est Episcopus Moguntinus, & alii quidam ex Principibus, & hæc eadem viva voce cum eis egerunt, obsecrantes eos per Deum, ut postquam male auspiciatam rem certamini commisissent, & cladem multis post hac seculis non abolendam accepissent, nunc saltem malo suo coacti, resipiscerent à stultitia, nec se gentemque suam obstinata desperatione omnino perditum irent, se in conspectu omnia cernentis Dei fidem suam interponere, quod si se ultro dedissent, aut eadem die, aut brevissimo post tempore deditone absolvendi essent, salvis sibi dignitatibus, beneficiis, prædiis, & aliis facultatibus suis. Econtra illi, satis sibi agebant re ipsa cognitam & spectatam esse, & Principum fidem, & Regis atrox atque implacabile ingenium, cum post illas condiciones pacis, quas priore anno in Gerstingen Rex, Principibus suffragium ferentibus, quam sanctè firmasset, tam crudeliter in eos culpæ, quam tunc condonaverat, vindictam exercuisset, nec Principum fides periclitantibus quicquam opis præsidiique contulisset. Proinde frustra eos rogare, ut fidem suam nunc experiantur, quasi incognitam, quæ in campis Thuringia luce clarius multo, non incommodo experti fuissent. Ita defixi in sententia persistentes, haud procul à Magdaburg locis munitissimis se continebant, quia licet multitudine abundarent, congressionibus tamen deinceps abstinendum, nisi in evitabilis necessitas incidisset, decreverant. Tamen Udo Marchio, & Episcopus Merseburgensis, & pauci alii Nobiles Saxonie deditoni

ditioni consenserunt. Ex quibus Udo Marchio dato pro se obside filio suo, statim deditioe absolutus est. Episcopus in Monasterium Lorensan missus, alii diversis Principibus, ut ad tempus servarentur, commendati sunt. Rex usque Halberstat cum exercitu venit, omnia ut ceperat circumquaque ferro & igne depopulans. Goslatiam quoque cum paucis perrexit, parcens loco ditissimo, & sibi semper gratissimo, ut quam, admilla multitudine, sentiret depraedationis injuriam. Cumque exercitus indies fame & siti deperiret, veteri frumento partim igne, partim tantae multitudinis visibus absumpto, novo autem necdum maturo, cumque spes nulla esset sine largioribus induciis, & majoribus impensis bellum hoc confici posse, exoratus Rex a Principibus Saxoniam excessit, & transitis finibus Thuringiae, ubi Eschenvege pervenit, exercitum dimisit, accepta a Principibus firmissima sponsione, quod ad iterandam expeditionem XI. Kal. Nov. Majores & ambiciosius instructas, sibi in Gerstingen copias adducturi essent. Quo in tempore *nunciatum est Regi Dietvvinum, eodien- sem Episcopum, Virum multis ornatum Virtutibus, & per plures jam annos Sacerdotio perfunctum ab hac luce migrasse.* Cui protinus Rex per interventum Gozelonis Ducis, propter ejus excellens in militia meritum, *successorem constituit Henricum quendam Verdunensem Canonicum, ipsi Duci consanguinitate proximum.* Quo ille beneficio Regi devinctus, operam suam futurae expeditioni quam maximam pollicebatur. Rex dimisso exercitu, concitus Wormatiam venit. Nec multo post, *Burchardus Praepositus Trevirensis Ecclesiae, qui ad Regem Ruzenorum Legatione Regia functus ierat, reversus est, tantum Regi deferens auri & argenti, & vestium preciosissimum, ut nulla retro memoria tantum Regno Teutonico, uno tempore illatum referatur.* Qua Regem mercede ad hoc tantum redimere volebat Rex Ruzenorum, ut fratri suo, quem Regno expulerat, adversum se non praeberet auxilium. Quod certe gratis etiam impetrare potuisset, qui intestinis ac domesticis bellis occupatus, ad externa, tamque remotis gentibus inferenda bella nullo modo vacabat. *Per se magno muneri, magnam addit precium temporis opportunitas.* Nam ingentibus recentis belli expensis aetrium Regis exhaustum fuerat, & miles vehementer instabat, nuper exactae militiae praemium efflagitans, cui nisi ad votum Regia largitione satisfecisset, haud dubie constabat, quod eum ad reliquam negotii partem, quae profecto Major restare timebatur, minus devotum habiturus esset.

Moguntinus Archiepiscopus efferatus in Halberstatensem Episcopum, pro eo quod per eum potissimum sterile videretur, ne Saxones deditioe consentirent, spiritali armatura debellare parat, quem militari manu non potuerat. Legatum ei mittit, eumque ad Synodum evocat, intentans ei crimen perjurii, ea de causa, quod contra Republicam, cui sub iurjurando fidem spondidisset instructam acies Dux ipse belli duxisset, & hac occasione Episcopatu eum deturbare, si vota sequatur effectus, machinatur, parum recolens, seipsum eadem noxa teneri, quia & ipse & cu-

*Si Principes Regni, qui nunc partium Regis erant, in hac eadem contra Regem bella a principio conjuraverant. Sed nuncius metu hostium, per quorum terras transeundum erat, retardatus est, ne ad legitimas inducias, sicut solenne est, ei diem diceret. Atque ita ineptum consilium eadem levitate evanuit, qua ceptum fuerat. Synodum tamen eodem anno mense Octobri Moguntiae congregavit. Ubi inter alios Episcopos, qui convenerant, aderat *Curienfis Episcopus, Apostolica Sede vacans & mandata deferens, quibus ei sub interminatione gradus & ordinis sui praecipiebat, sicut ab te quoque multis Legationibus praeeperat, ut Presbyteros omnes, qui intra suam diocesim essent, egeret, aut impraesentiarum conjugibus renunciare, aut se in perpetuum sacri altaris ministro abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique allidebant, Clerici, ita enim verbis confutabant, ita manibus & totius corporis gestu in eum debacchabantur, ut se viva comite, Synodo excessurum desperares. Sic tandem rei difficultate superasum, statuis tibi deinceps tali quaestione omnino superfedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum, quando vellet, & quomodo vellet peroraret.**

*Henricus Spirensis Episcopus, cum jam thesauros Ecclesiae Spirensis penè omnes puerili levitate dilapidasset, & praedia militibus suis in beneficium erogasset, in tantum, ut vix in dimidium annum sumptus ei ex redditibus Ecclesiae ministrari possent, inopinata morte subraclus est. De cujus obitu dignam memoria visionem vidit Clericus quidam, qui ei defuncto protinus in Episcopatum successit, nomine *Hermannus, putabat se in Choro Spirensi cum Episcopo & ceteris Clericis stare, & ecce ingrediebantur Chorum tres viri, unus exacta aetate canitie veneranda, duo juvenes tanquam in obsequium senioris destinati. Cumque in medio Chori aliquandiu taciti constitissent, ait senior his, qui circa se erant, juvenibus Quid tardatis quod vobis jussum est explete. At illi, tuum, inquit, patris est primò adversus eum dictare sententiam, & nos sine dilatione quicquid judicaveris exequemur. Et ille propter multa inquit mala, quae in locum hanc, & in Sanctam Dei Genitricem operatus est, egressa est a Deo sententia, ut interficiatur. Ad hanc vocem corripientes Episcopum decollaverunt, & truncum in ligno crucis, quod in eadem Ecclesia in sublime elatum stabat, suspendunt. Cumque manè factò, Clericus nimio horrore concussus Episcopo somnium retulisset, visus est ei quasi deliramenta loqui, & propter sospitatem corporis sui optimeque constantem omnibus membris vigorem suum, nullum tam è vicino imminenti exitii sensum admisit. Et ecce septimo dehinc die, cum ad vespertinalem synaxim cum fratribus in Choro staret, sensit repente parvulam sibi instar puncti pustulam in collo excrecere, qua paulatim in immentum intumescente, ante mediani noctem defunctus est.**

Post abductum de Saxonia Regis exercitum, iterum Saxones & Thuringi crebra conventicula faciebant, in quibus plebs contra Principes, & Principes contra plebem gravissima similitate tumultuabantur. Succensebat plebs Principibus, quod eam ad sumenda contra Regem arma importu-

tunis Inuasionibus impulissent, & nunc cum ad certamen ventum esset, ipsi fuga elapsi, plebem prosternendam, conculcandam, & ritu inertium pecudum jugulandum hostibus exposuissent. Irascebantur Principes plebi, quod ipsis in aciem progressis, & pro numero suo satis impigre rem gerentibus plebs intra castra inertis otio defedisset, & periclitantibus plurimum irritæ spei nihil opis præsidii que diu expectata contulisset. Tum verò omnes in commune Saxones omnes Thuringos infestissime aversabantur, & cum his justius, quam cum Rege bellum sibi fore dicebant, quod in fugam verso Saxónico exercitu, Thuringi per omnes vias & compita oppositi fugientes invaderent, raperent, lacerarent, & ignominiosa nuditate fœdatos de suis finibus effugarent. Jam in eo erat, ut ad vim magnumque aliquod malum jurgia spectare viderentur. Sed Episcopus Halberstatensis, & Otto Dux quondam Bajoariæ, quorum potissimum consilio bellum Saxonicum administrabatur, efferatæ multitudinis animos salubri moderatione mitigabant, orantes eos per Deum, ne arma quæ pro vindicanda libertate sua concorditer sumpserunt, nunc diabólico furore raptati, in propria viscera retorquerent, ne hostibus suis qui luctuosam à se victoriam reportassent, per intestinam hanc seditionem animos audaciamque repararent. Præterea cernentes, quod infractam prima adversitate plebem vehementer jam belli pœniteret pariter & tæderet, veriti etiam ut semper varium & instabile est plebis ingenium, ne ipsos Principes captos Regi traderent, & suam salutem eorum sanguine redimerent, retulerunt ad eos de pace instauranda, suaseruntque ut quomodo semel accepta clades belli ejus tædium horroremque incussisset, omnem nunc operam verterent ad placandam Regis adversum se indignationem. Gratanter nimis hoc auditum, acceptumque est ab omni plebe. Statimque Episcopum Bremensem, & Udonem Marchionem collato consilio, ad Regem miserunt, orare per Deum, ut saltem nunc sanguine eorum exaturatus, iracundia sua modum poneret, nec exiguum gentis Saxonice, quod atrocissima cædi superfuerat, usque ad internecionem deleret, diem potius locumque constitueret, quo tuto venire, tuto causam dicere liceret. Se juxta jurisdictionem omnium Regni Principum, de omni injuria, qua se laesum diceret, paratos ei ad votum satisfacere. Omnem postremo satisfactionem proponere, omnia salva modo vita & libertate libenter passuros fore, si tantum expeditionem quam adversum se omnibus Regni Principibus indictam comperissent, ad tempus inhiberet. Ad hæc Rex ait: Se nec eis, nec cuiquam justam satisfactionem de culpa proponenti veniam negaturum. De tanto autem tamque atroci negotio precipitanter sententiam ferre, nec velle, nec debere, donec Principes Regni in unum convenirent, in quorum communem ignominiam læsa Regia Majestatis injuria redundaret, & quorum tam Virtute bellum transigendum, quam consilio pax reparanda esset, præsertim cum jam sæpenumero bona & pacifica promittentes fefellissent. se Principibus suis in expeditionem coadunandi exercitus diem XI. Kal. Novemb. constituisse in Gerstingen. Si eos patris facinoris revera pœniteret, eo venirent, accepturi illic quamvis Regni Principes equam indicassent, pro ad-

missa remeritate, sententiam. Hoc ubi Saxonibus nunciatum est, ingens eos metus invalit, omnesque certatim animi conatus intendunt ad placandam, quoquo modo possint, Regis iracundiam, ea præ omnibus cura habita, ut expeditionem, qua tam atrociter indicta fuerat, præverterent, recolentes quantum calamitatis superiore expeditione accepissent, & haud dubiè scientes, quod infestior nunc hostem, instaurata post fugam bella, sibi redditura essent. Itaque supra memoratos nuncios, & cum his Hildensheimensem Episcopum mittunt, nec Regi solum, sed cunctis etiam Principibus pro recuperatione pacis obnixius supplicare jubent, omnem admissi facinoris satisfactionem etiam supra leges & natales suos promittunt. Et ne verbis minus fidei sit, obsides ipsi Legatis, quantos accipere velint, tradunt, quibus se obligent, nulla unquam levitate, nulla necessitate, nulla ingruentium casuum mutabilitate promissionibus suis defuturos fore. Sed Rex comperto per occultos indices, quod id molirentur, omnibus modis satagebat, ne qua deinceps ante instructam expeditionem Legatis Saxonum copia fieret colloquendi secum, præcavens scilicet, ne forte Principes Regni supplicationibus eorum & satisfactionis humilitate evicti, clementiorem in eos animum acciperent. Quin imò, tam honori quam iracundiæ suæ hoc consultius fore judicabat, ut si fieri posset, novis occasionibus veteres inimicitia instaurarentur, & vulnus quod præproperè in cicatricem obduci meruebat, recentibus plagis exulceraretur. Ad hoc efficiendum novo & exquisito utitur artificio. Simulat se à Salomone viro sororis suæ Rege Ungarorum in Ungariam evocatum, ut lites quæ inter ipsum erant & Jojadam, qui eum Regno expulerat, habito cum utrisque familiari colloquio componeret. Hujus itineris prætextu, elusis omnibus Regni Principibus, in Boëmiam proficiscitur, nullum secum habens ex Principibus, præter Herimannum Comitum de Glizberg, equites autem expeditos, & tanto negotio allectissimos penè quingentos, qui rejectis falcibus & cæteris bellorum impedimentis, itineri tantum & certamini se expedierant. Assumpto in Boëmia Duce & exercitu Boëmico, per occultos ac difficilimos tramites in Saxoniam contendit, sperans se eos, ut dici solet, inter oscitantes, cum inopinatus irrueret, facile oppressurum, aut si rebellare tentarent, justam deinceps adversum eos belli & satisfactionis non suscipiendæ causam habiturum. Igitur usque Misenen pervenit urbem, sitam in confinio Boëmiæ & Saxonie. Ibi à civibus pacifice in civitatem susceptus, Episcopum civitatis ipsius comprehendit, omnia quæ ejus erant, diripuit, hoc solo reum Majestatis eum adjudicans, quod toto tempore belli Saxonice nullos ad eum servata erga Rempublicam fidei indices nuncios vel literas destinasset. Cæterum homo Ecclesiasticæ paupertatis, & nihil aut parum habens pompæ militaris, vota forsitan contra Rempubl. facere, arma ferre non poterat, nec magnum vel his vel illis partibus momentum amicus sive inimicus extitisset. Paulo ulterius progressus villas nonnullas incendit, homines plerosque ingenuos in deditorem accepit. Cum repente præmissi exploratores retulerunt, jam dudum consilii hujus fa-

nam ad Saxones prævenisse, eos contractis plusquam XV. millibus armatorum haud procul castra posuisse; paratos cum eo proxima die, nisi satisfactionem eorum pacisq; conditiones utro susciperet; collatis signis confligere, postremo de eorumque omnium salute actum esse, si vel ultra progredi, vel in eisdem castris postera die operiri vellent, præsertim cum nullum undique conclusis effugium pateret, nec periculum manu propulsare multitudine impares possent. Ingens omnes qui cum Rege erant metus perculit, vehementerq; ejus ineptiam inculabant, quod cum successus suos nimium ipse urgeret, & morarum impatiens multorum annorum bella uno impetu conficere, immoderata præsumptione, festinaret, se suosq; hostibus puerili levitate prodidisset. Eorum monitis obtemperans, citato quantum poterat reditu in Boëmiam, unde eruperat, se recepit. Quem abeuntem quidam ex Saxonibus expediti equites inscius Principibus insculti, priusquam Saxonia excederet, oppressissent, nisi Boto Comes, qui ad Saxones à Rege orator ierat, provocare eos ad deditonem, vel, quod verius est, vana pollicitatione veniæ implicare eos, ne persequerentur abeuntem, hac arte eos fesellisset. Digrediens à castris Saxonum, cum eos paulatim vestigia sua insequi, cerneret, iter unius diei, quo ad Regem redire poterat, longos anfractus, & longa viarum dispendia legendo, vix triduo confecit, ut per hanc scilicet moram Rex elusis hostibus in tutum evadere potuisset. Ita periculo liberatus Rex militem suum labore ac vigiliis tum potissimum fame ac siti penè usque ad defectionem spiritus confectum post paucos dies Ratisponam reduxit, è vicino jam imminente die, quo in expeditionem exercitus adunandus erat. Invenitque ibi Legatos Saxonum, multo jam tempore reditum ejus præstolantes. Quos responsum differendo diu suspensos tenuit, ut redire ad suos, nisi sub ipso imminente jam expeditionis articulo, & penè incumbente jam cervicibus eorum hostili gladio, non possent. Cumque sub idem ferè tempus Dedi Marchio longa ægritudine absumptus decessisset, *Marchiam ejus Bohemico Duci in prævium exacta militia dedit*, tametsi uxor Marchionis Adila filium suum, cui hæreditaria successione Marchia dedebatur, ei paulò ante pro se obsidem misisset, & ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstingen intemeratam semper erga Regem, Remque publicam fidem servasset. Interea Saxones & Thuringi inter spem & metum, inter pacem & bellum, inter comminationes & supplicationes, vario curarum æstu fluctuabant, nec quid agerent, quò se verterent, quibus modis impeditam rem explicarent, crebra conventicula facientes, deliberare poterant. Censebant alii quomodo Rex internecionem totius Saxonice gentis animum obstinasset, ut quicquid Saxonie vel Thuringie hostilis exercitus reliquum fecisset, id ipsi injecto igne absumerent, & sic cum omnibus suis ultra fluvium Albim commearent. Alii ut Luiticios infestissimam nomini Christiano gentem finibus suis excirent, & barbaro milite adversus barbarum atque implacabilem hostem uterentur. Alii ut castella, quæ Rex per Thuringiam & Saxoniam dirui jusserat, instaurarent, & locorum difficultate, quoniam armis non possent, salutem suam, quoad indignatio Domini de-

flagraret, tutarentur. Sed plebs omnem spem suam ab armis ad preces verterat, quæ si non proficerent, incunctanter animo fixerat, omnia sæda etiam atque crudelia potius tolerare, quam se certamini committere, & ancipitem fortunæ aleam, quam semel infausta congressione experita fuisset denuò tentare. E contra Principes, quibus primum auctoribus ea rabies inarserat, sedulo instabant, obsecrantes, ut pristinae Virtutis memores crimen nõ inferret gloriæ suæ, nec optimè cæpta sædissimè nunc desererent, quòd prima congressione res secus cessisset, id causæ extitisse, quòd nec Regem, nec Principem habuissent, ejus ductu & auspicio bellum gerere, ad cujus Imperium castra locare, in aciem procedere, manum cum hostibus conferre, & cætera militaris disciplinæ munia observare sacramento militaris religionis cogentur, si is scrupulus ademptus esset, nullum Regem, nullum deinceps exercitum Virtuti Saxonice insuperabilem fore. Proinde malæ rei, pessimæ spei, unicum hoc remedium, & adversus insolentiam hostium vehemens telum esse, si Regem sibi crearent, & in ejus verba jurarent, se pro patria, pro conjugibus, pro liberis, pro legibus pro libertate sua usque ad mortem militaturos esse. In his & hujusmodi deliberationibus cum sæpè septem, sæpè XIV. dies continua consultatione trivissent, incertiores semper quam venerant domum revertebantur. Ita cum omnia deliberando pertentassent, omnia discussissent, propter acceptæ cladis recentem memoriam, nihil rationibus suis satis tutum, satis firmum putabant. Rex XI. Kal. Nov. juxta conditum venit in Gerstingen. Venerunt omnes Teutonici Regni Episcopi & Comites. Aderat Diodericus Dux Mosellæ Regionis, aderat Gozzelo Dux Lotharingie, tantas habens copias, ita militaribus armis instructas, ita de tota, cui præerat, Regione severissimo delectu habito, exquisitas, ut solæ exterum Regis exercitum & numero, & bellici apparatus gloria præcellere ac supergredi viderentur. Alii Duces, Rudolphus scilicet Dux Suevorum, Welf Dux Bajoariorum, Bertholdus Dux Carentinorum Regi auxilium suum petenti denegaverant, pœnitentes, ut aiebant, superiori expeditione in irritum fusi tanti sanguinis, offensi etiam Regis immitti atque implacabili ingenio, cujus iracundie incendium, nec lachrymæ Saxonum, nec inundantes campis Thuringie rivi sanguinis restinguere potuissent. Cæteri tamen Principes, qui frequentissimi convenerant, magnum satis ac validum exercitum fecerant, ei tamen longè ac longè imparem, quem prior illa expeditio contraxerat. *Saxones & Thuringi* ultima jam necessitate exciti, amplissimo numero convenere, & positis castris haud procul à curte Regia Northusen, Archiepiscopum Bremensem, Episcopum Hildensheimensem, Udonem Marchionem, Regi obviam in Gerstingen miserunt, obnixè postulantes, ut à latere suo Principes, quos vellet, ad eos transmitteres, paratos, se collato cum eis consilio, omnibus quæ jussa sunt, promptissimè assensum præbere. Abnuvit Rex, nec Principes suos de tam remotis Regni partibus ad sententias dicendas confluxisse, sed ut manu militari ab hostibus communes Reipublice injurias exostularent. Sed cum ei hoc vix & ægrè supplicatio Legatorum extor-

Extorsisset, nullus erat ex Principibus, qui eo munere fungi consentiret, singulis videlicet timoribus, ne vel apud Regem perfidiae notarentur, si quid in Saxones clementius agerent, vel apud Saxones mendacii crimine infamarentur, si veniam eis admissi pollicerentur, quam incunctanter scirent, nullam eos à Rege consecuturos. Triduo in hac cunctatione cessatum est. Legatis assiduo euntibus ac redeuntibus, atque in eadem verba Regis & omnium Principum aures obtundentibus. Nec propterea Rex protectionem distulit, sed instructo exercitu, prælatis militaribus signis, lento quotidie gradu, in ulteriora populabundus contendebat. Tandem placuit mitti ad eos Moguntinum Archiepiscopum, Salzburgensem Archiepiscopum, Augustensem Episcopum, Würzburgensem Episcopum, & cum his Ducem Gozzilonem, cujus potissimum in eâ expeditione auctoritas valebat, & in eo omnium, quæ agenda erant, summa & cardo vertebatur, pro eo quod licet statura pusillus, & gibbo deformis esset, tamen opum gloria, & militum lectissimorum copia, tum sapientiæ & eloquii maturitate, cæteris Principibus, quam plurimum eminebat. Hos quinque nominatim ad colloquium suum Saxones expetierant, quod hos constantissimæ fidei & veritatis esse competerant, & quicquid hi spondissent, ratum fore, haud dubio credebant. Cumque in castra Saxonum venissent, *provoluti pedibus eorum Principes Saxonia, obtestabantur per Deum, ut calamitatis eorum miserentur, quos Regis in clementia, & primo ad audendam hoc immane facinus coegisset, & nunc victos, & penè usq; ad internecionem deletos, ad exitiales cruciatus insatiabili odio deposceret.* Quod si legibus, si iudiciis, si more Majorum innocentiam suam asserere permittatur, facile crimen refellant, & se acceptas in Gerstingen pacis condiciones nullo deinceps ausu temerario violasse probent, vel si probare nequeant, pœnas, quas leges & scita Majorum in similibus criminum reos sanxerint, persolvere non abnuant. Nunc verò novo crudelitatis genere innocentibus refellendi criminis copiam non dari, placationem non recipi, satisfactionem non admitti, sed semel conceptæ indignationis virus, ita penitus imis insedisse visceribus, ut non alio medicamine, quam totius Saxonicæ gentis exterminio sedari valeat. Proinde videant ipsi memores humanarum rerum, ne fortè pestilentis hujus exempli contagium sumpto ab Saxonibus exordio, cæteros etiam quandoque Regni Principes inficiat, & ita nunc infelicibus eventis Saxonum moderentur, ita calicem huic fellis & absinthii misceant & propinent Saxonibus, ut sibi quoque paulò post eundem meminerint esse bibendum. Se jam incisa spe, omiſsa deinceps salutis propriæ cura, hoc firmiter animo statuisse, ut quicquid illi agendum censeant, suadeant, jubeant, incunctanter agant, nec suarum partium studio patiantur ulterius totius Reipublicæ statum periclitari. Ad hæc illi responderunt, se causam, quâ primùm adversus Regem arma sumpserint, non admodum improbare, nec placere sibi obstinatum ad perniciem eorum Regis animum & pertinax odium, consensisse: tamen in hoc omnes Regni Principes, de usurpato in Re-

publica novo hoc, & multis retrò seculis inaudito facinore, *non aliter Regi vel Reipublica posse satisfieri, quam ut se absq; ulla exceptione dedant,* sibi autem, quorum hoc consilio agant, curæ futurum, ut nihil ex hac deditioe, quod salutis eorum, quod honori, quod rei familiari officiat, experiantur. Adversus hanc vocem vehementer infremuit vulgus Saxonicum, durumque omnibus visum est & intolerabile, ei sanguinis sui jus potestatemque facere, cujus crudelitatis tam clarè cepissent experimenta, qui post depopulationes Thuringiæ & Saxonix, post multa hominum millia cæsa, adhuc spirans minarum & cædis, omnia adversum eos mundi Regna concitasset, cujus iracundiæ in secundis rebus non pietas, non miseratio, non Dei, non hominum respectus unquam modum fecissent, satius sibi fore, ut æquo certamine congressi, more virorum fortium moriantur in bello, quam ut in exiliis & carceribus ritu pecudum jugulati, ridiculum hostibus suis spectaculum præbeant. Econtra illi sedulo instabant, deprecantes, ut salutaribus monitis adquiescerent, neque exiguum Saxonici nominis, quod cædi ac depopulationi superfuisset, vana desperatione perditum irent, se si minus salutis eorum, at propriæ existimationis curam permaximam habere, qui profecto maculam sibi & crimen nulla deinceps ætate, nulla Virtute abolendum contraherent, si fidei suæ creditos adversitatis cujusquam vel levis aura perstringeret. Proinde iruros se ad Regem, & si tuto fidem dicere, tuto veniam polliceri possent, comperturos, & quæ comperita fuissent, die postera renunciaturos. Rex gratissime amplexus pacis conventionem, *promisit,* & sicut vulgata in plurimos fama loquebatur, etiam jusjurandum dedit, *nihil se in eos, si dediti fuissent, præter voluntatem & sententiam acturum eorum, quorum opera & beneficio incrementa sibi hac victoria obligisset.* Sæpè itum ac reditum est, sæpè Saxones refutato deditioe consilio arma expediti, atq; in aciem signa afferri conclamaverant, dum omnia fide Regis tutiora sibi arbitrarentur. Sed Gozzilo Dux, & qui cum eo erant Episcopi satis impigros se exhibuerunt negotio, & ferocientis multitudinis tunultum nunc minis, nunc blandimentis comprimebant, pollicentes, & quia verbis parum fidei erat, etiam sub jurejurando confirmantes, non salutis, non libertatis, non prædiorum, non beneficiorum, non cæteræ smpellestilis suæ, ullam eos jacturam sensuros, sed postquam faciem Regis & Regni Majestatem momentanea satisfactione magnificassent, statim deditioe absolvendos, & patriæ liberatique in nullis imminuto sibi conditionis suæ statu restituendos esse. Non verba, non juramenta, non promissiones ullæ Principibus Saxonix metum ademerant, sed quia nec utiliter hostibus congregi numero ac Virtute impares valebant, nec bellam diutius trahi, plebe jam olim tædio affecta, & pacis recuperandæ cupidissima poterant, post longas deliberationes, post multas tergiversationes lachrymantes, atque alta suspiria ab imis trahentes visceribus, *tandem deditioe consenserunt, & fidem Principum Regisq; clementiam propria salutis periculo experiri statuerunt.*

Quòd ubi protinus per exercitum Regis celebris rumor vulgaverat, ingens gaudium, vehemens erat gratulatio, omniq; triumpho illustriorem, omnibus spoliis opimiorum æstinabant victoriam, quòd adempta sibi fuisset necessitas, cum his manum denuò conferendi, qui prima congressione extinctis penè omnibus Sueviæ ac Bajoariæ luminibus luctuosam victoribus victi cladem intulissent. Postera die Rex ad suscipiendos eos in medio latè patens campi planitie, in loco qui dicitur Spiraba assedit, toto exercitu ad hoc spectaculum solenniter evocato, latissimo inter constipatam multitudinem vacante spatio, ubi dum procederent totius exercitus oculis conspicui forent. Igitur introducuntur per ordinem Saxoniarum ac Thuringiarum primò Principes, Wezel Archiepiscopus Magdaburgensis, Bucco Episcopus Halberstatensis, Otto Dux quondam Bajoariæ, Magnus Dux Saxoniarum, Herimannus Comes patruus ejus, Fridericus Palatinus Comes, Diedericus Comes de Cadalenburg, Adelbertus Comes de Thuringia, Rudeger, Sizzo, Berenger, Bern, Comites. Deinde ingenui omnes, qui generis vel opum claritate aliquantulum eminebant in populo, & sicut convenerat absque ulla exceptione, Regi se dederunt. Rex eos Principibus suis singulis singulos, donec de eis communis consilio deliberaretur, servandos commisit; & paulò post rupio federe, contemptis omnibus, quibus se obligaverat jurisjurandi vinculis, eos per Galliam, Sueviam, & Bajoariam, per Italiam & Burgundiam deportari fecit. Beneficia quoque eorum milibus suis, quorum præcipuè opera in bello Saxonico usus fuerat, distribuit. Commoratus etiam paucis diebus in Thuringia castellum in Ascenberg instauravit, præsidiumque imposuit, præcavens nequid post digressum suum instabilis vulgi levitate novaretur. Præterea ingenuis omnibus, qui vel casu absuerant, vel metu se subtraxerant, diem statuit, ante quem si in deditionem non venissent, tanquam hostes publici ab omnibus, quibus Respublica curæ esset, ferro & igne infestarentur, atque ita dimisso exercitu, victor rediens, natalem Sancti Martini wormatiz celebravit. Interea Romanus Pontifex crebris Legationibus, & Babenbergenses Clerici assiduis supplicationibus vehementer Regi imminabant, ut jam diu vacanti Ecclesie Babenbergensi Rectorem provideret. Siquidem prior Episcopus, licet extrinsecis Ecclesie possessionibus, militum suorum, ut supra dictum est, præsidio fultus, contra vetitum incubaret, nullam tamen Pontificalis officii administrationem usurpabat, Apostolici anathematis religione absteritus. Cumq; Regi in pace & in bello tranquilla seu turbata Republica semper commodissime affuisset, & scandalizatis in eo cæteris Regni Principibus, solus ille nunquam scandalizatus fuisset, sed in cunctis, quæ ei accidissent, calamitatibus, pondus dici & ætus cum eo inconcussa fide portasset, nunquam tamen Rex, vel levi verbo, calumniatoribus ejus obstitit, quin imò hand gravatò adversus eum accusationem recipere videbatur, eo videlicet, ut plerique interpretabantur, intendens, ut per hujus dejectionem via sibi patefieret ad Wormatiensem Episcopum, & alios nonnullos, quibus inultionem pristinz defectionis jam pridem summa ope calumniam struere sen-

tiebatur. Igitur profectus Babenberg, Ruperium Goslariensem Præpositum in natale Sancti Andree Apostoli, pro eo ordinari fecit Episcopum, verum pessima existimationis in populo, eo quòd Regi familiarissimus & omnibus ejus secretis semper intimus fuisset, & omnium quæ Rex perpetravit & præter Regiam magnificentiam in Republica gessisset, potissimus inceptor extitisse putaretur. Et milites quidem acerrimè factum improbant, quòd scilicet vivente priore Episcopo, nec Canonice ad Synodum evocato, nec Canonice adjudicato alius ad adulterandam Ecclesie Babenbergensis castitatem superordinatus fuisset Episcopus. Clerici autem etiam eos quàm maxime offenderet persona ordinati, haud sanè bonum testimonium habens ab his qui foris erant, malebant tamen qualemcunque habere, quam eum adversus quem Sedem Apostolicam appellaverant, & cujus vitæ institutionisque lugubrem tragœdiam, toto mundi hujus theatro decantandam vulgaverant, recipere.

Postera die cum ad eligendum Fuldensem Abbatem Rex cum Principibus assedisset, grandis erat inter Abbates & Monachos, qui ex diversis locis confluerant, concertatio. Tanquam solenniter indicto agone singuli pro virili portione currentes, alius aureos montes, alius ingenia beneficis ex agro Fuldensi, alius solito impensora in Respublicam servitia promittebant. Nec profus in promittendo modum aut modestiam ullam servabant. Et o mores, o tempora, o abominacionem desolationis stantem in loco, ubi non debet, & mammonam nostris temporibus publicæ sedentem in templo Dei, & extollentem se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Abbates & Monachi ita ambitionis spiritu præcipientes rapiuntur, ut eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani, non habitus arctioris propositi, non ipsum denique detererent recens exemplum Babenbergensis Episcopi, quem pridie viderant non aliam ob causam & Episcopatu privatum, & comunione, quàm quòd ad sacrum Ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset. Horum impudentiam Rex vehementissimè (ut dignum erat) detestatus, cum hinc inde importunè obtundentium precibus urgeretur, repente Divino, ut creditur, spiritu actus, Monachum quendam Herveldensem Ruzelinum nomine, qui pro causâ Monasterii, jussu Abbatis sui, ad curtem venerat, in medium evocat, & nihil minus suspicanti, etiam inopinata rei miraculo penè exanimi, baculum pastoralem offerens, primò ipse Abbatem eligit, dein cæteros tam Monachos quàm milites, ut in electionem ejus consentiant, obnoxie efflagitat. Ita cunctis qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus, Abbatia suscipere jubetur. Et cum diu nunc impetitam suam, nunc malam valetudinem, nunc Abbatis sui absentiam causatus restitisset, vix tandem aliquando præsentium Episcoporum obtestatione adjuratus, suscipere consensit. Similiter defuncto nuper Udalrico Abbate de Loresa, cum Monachi & milites in electionem Præpositi cõcorditer adunati ad curtem venissent, neque Rex aliter sensurus putaretur, propter multa servitia, quibus ille dum Præ-

positus Monasterii esset, gratiam dilectionemque ejus officiosa admodum sedulitate redemerat, Rex alium quendam ejusdem Cœnobii monachum Adelbertum nomine, qui cum cæteris fratribus nihil tale opinatus advenerat, repente injecta manu in medium protrahit, & rei novitate attonito, baculum pastorem cunctis stupentibus tradit.

Herimannus Babenbergensis Episcopus, comperto quod alius in locum ejus subrogatus esset Episcopus, cum omnis jam ei spes adempta esset, recuperandæ deinceps dignitatis suæ, nec ad eludendam Romani Pontificis sententiam ullam ultrâ pareret diverticulum, in Monasterium cui nomen est Suaza secessit, ibique sub Eggèberto Abbate sanctæ conversationis habitum suscepit. Statimque assumpto secum eodem Abbate suo, Romam profectus est, cum de inobedienciâ sua humiliter apud Sedem Apostolicam pœnitentiâ egisset, & anathemate liberatus, & Sacerdotalis ministerii, præter Pontificalem dignitatem denovo licentiam est consecutus. Annum hunc multis cladibus insignem, potissimum lugubrem fecit obitus Annonis Colonienfis Archiepiscopi, qui post longam ægrotationem, quâ Dominus vas electionis suæ in camino tribulationis transitorie purius auro, purgatus mundo obrizo decoxerat. 11. Nonas Decembris, beato sine perfunctus, ad Angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus transmigravit. Testantur hoc signa & prodigia, quæ quotidie circa sepulchrum ejus Dominus ostendere dignatur, ad confutandam impudentiam eorum, qui paulo ante vitam ejus sanctissimam, atque ab omni hujus mundi labe quantum ad hominem, integerrimam, livido dente carpebant, & pretiosam margaritam jam olim cœlestis Regis diademati destinatam falsis rumoribus obfuscare conabantur. Is in Babenbergensi Ecclesia, in ludo tam Divinarum quam secularium literarum enutritus, postquam adolevit, nulla commendatione Majorum, erat quippe loco mediocri natus, sed sola sapientiæ ac Virtutis suæ prærogativa Imperatori Henrico innoverit. A quo in Palatium assumptus, brevi apud eum præ omnibus Clericis, qui in foribus Palatii excubabant, primum gratiæ & familiaritatis gradum obtinuit, hoc præcipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod justus ac rectus admodum tenax erat, atque in omnibus causis pro suo statu, non adulando ut cæteri, sed cum magna libertate obloquendo, justitiæ patrocinebatur.

Erat autem præter Virtutes animi & morum gloriam, corporis quoque bonis ornatissimus, statura procerus, vultu decorus, lingua promptus, vigiliarum & inedia patientissimus, postremo ad omne boni operis exercitium, naturæ muneribus affatim instructus. Exactis in Palatio haud multis annis, magna Imperatoris, magna omnium, qui eum noverant, expectatione adeptus est Coloniensem Episcopatum, atque ita deinceps in omnibus tam Ecclesiasticis quam Reipublicæ negotiis, haud imparem se acceptæ dignitati gerebat, & sicut editoris loci insignibus, ita cunctis Virtutum generibus, inter cæteros Regni Principes conspicuus incedebat. Reddebat sollicitus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, quia Colonienfis nominis Majestatem & secularem

pompam ambitiosius penè quam aliquis ex præcessoribus ejus ostentabat ad populum. Nec propterea tamen invictum inter tantas occupationum procellas, spiritum unquam relaxabat à studio Divinarum rerum. Crebris jejuniis corpus suum macerabat, & in servitutem redigebat. Pernoctabat plerumque in orationibus, & per Ecclesias, uno tantum puero contentus comite, nudis pedibus discurrebat. Et diem quidem in disponendis privatis seu publicis negotiis, noctem verò totam in opere Dei expendebat. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in Clericos, in Monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam intra diœcesim suam congregationem prætermisit, quam non prædiis, ædificiis, stipendiis, sua specialiter donatione auctam, vita decedens relinqueret. Er planè apud omnes indubia fide constitit, ex quo Colonia fundata est, unius nunquam Episcopi studio tantum opus & gloriam crevisse Colonienfis Ecclesiæ. In judicandis causis subditorum, nec odio nec gratia cujusquam à vero abducebatur, sed semper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens æquitatis lineam, ad evertendum judicium, nec accipiebat personam pauperis, nec honorabat vultum potentis. Tum verò verbum Dei ita luculente, ita magnifice diserebat, ut Saxeis etiam cordibus sermo ejus lachrymas excutere posse videretur, & semper ad exhortationem ejus planctu & ululatu compunctæ multitudinis Ecclesia tota resonaret. *Duas Colonia congregationes Clericorum ex integro propriis impensis instituit, unam in loco, qui dicitur, ad gradus titulo sanctæ Mariæ, alteram foras murum titulo sancti Georgii martyris. Tres etiam congregationes Monachorum diversis in locis ex suo construxit, unam in monte qui à præterfluente fluvio cognominatur Sigeberg, aliam in Regione Sclavorum, in loco qui dicitur Salefelt, tertiam in Regione Westfaal, in loco qui dicitur Gräscas, quas omnes & augustissimis ædificiis excoluit, & exquisitissimis Ecclesiæ ornamentis illustravit, & amplissimis atque in multorum fratrum usus sufficientibus, prædiis locupletavit. Cumque in omnibus Theutonici Regni Monasteriis cerne-ret, antiquum illum regularis disciplinæ fervorem admodum refrixisse, & Monachos à vita communi ad rem familiarem curam omnem studiumque convertisse, gravi tædio angebatur animus ejus, quod ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, ut pro causa Reipublicæ Romam pergeret. Cumque aliquas Italia Regiones peragraret, Principes ejus Regni, ne à Rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, ad Monasterium quoddam cui Fructuaria nomen est, causa orationis divertit. Ibi admiratus Monachorum ætissimam, & secundum regulam institutâ conversationem, nonnullos eorum in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, & eos ad iradendam Gallias ejusdem disciplina formulam in Sigeberg constituit, prioribus Monachis, quos ex sancto Maximino asciverat, quoniam in horum instituta concedere noluerant, honorifice in locum suum remissis. Quod ejus factum imitati cæteri Galliarum Episcopi, alii ex Gorzia, alii ex Cloniaca, alii ex Sigeberg, alii ex aliis Monasteriis Monachos evocantes, novam Divini servitii scholam in suis singuli Monasteriis instituerunt. Adeoque brevi*

convalluit felicitis hujus facti æmulatio, ut pauca intra Galliam Monasteria videamus, quæ non jam novæ hujus institutionis jugum subacta receperunt. Ipse verò Monachos suos juxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctissimis vivere disciplinis, & conversationis eorum opinione longe lateque vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, & eorum magisterio se in via Dei erudiendos tradere, magnas Deo gratias refererebat, quod non confudisset eum ab expectatione sua. Omnem quoque diligentiam adhibebat, ne quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac venerabatur eos ut Dominos suos, nec solum Abbati, sed Decanis etiam Monasterii ita subditus dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet gravibus publicæ seu privatæ rei negotiis implicitus teneretur; illico ex occupatis manibus surgeret, & omne quod jussissent, instar vilis mancipii exqueretur. *Cibus summa industria confectos quotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferrebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse reficientibus ad omne absquequum, quolibet famulo promptior, paratiorque assistebat.* Silentium quoque ac cæteras Monasterii consuetudines, dum inter eos diversaretur, ita attentus sollicitusque servabat, ac si pro excessibus suis, ipse quoque quotidie in capitulo eorum causam dicturus, & sententiam accepturus foret. Hoc ejus in Sigeberg, hoc in Salefeld, hoc in Grafcak studium, hæc institutio erat. Porro a Rege gravissimis sapenumero inimicitiis diffidebat, & cum acerrimis increpationibus objurgabat, propter multa, quæ præter æquum & bonum ejus jussu vel permissu, quotidie admittebantur in Republica. Unde Rex plerumque effertatus, omnia quæ illius erant ferrò & igne demoliturum se comminabatur, plerumque autem supplex ei factus, amplissimis promissionibus iratum demulcebat, & tam sui quam totius Regni jus potestatemque ei se facturum pollicebatur, si modo fidum eum sibi, nec ad eò cunctis voluntatibus suis adversum, experiretur. Ad hæc ille in cunctis agebat, quæ rectè *juxta Regiam Magnificentiam conaretur, nusquam ei defuturam esse operam suam; Si quid verè perperam & contra leges ac scia Majorum nequam nunc hominum suggestionibus depravatus agere vellet, ut his consensum auctoritatemque suam accommodaret, nullo se vel pretio redimi, vel terrore compelli posse.* Et quidem in summam familiaritatem, & penè in Regni consortium à Rege assumebatur, nunc verò quando ea, quæ in Regno perperam gerebantur, vehementer detestaretur, & acerrimè impugnaret, cum contumelia de palatio ejiciebatur, & ad extinguendum omnino nomen ejus totum Regni robur concitabatur. His vicissitudinibus per plures annos ejus concertatio cum Rege trahebatur. Neque enim lasciviæ Regis vel ratio modum faciebat, vel ætatis accessus, vel amici cujusquam objurgatio, sed quotidie se ipso deterior efficiebatur, & ruptis omnibus humani, ne dicam Christiani pudoris, frenis, in omne quod animus suggestisset flagitium, præcipitantior ruebat, & oppressis jam terrore Principibus, nullus erat, qui peccantem & Divina atque humana omnia, absque discrimine permiscen-

tem, vel levi verbo auderet redarguere. Adultèrum considerans Archiepiscopus completam esse malitiam ejus, & obstinatum in malis ingenium, nec tempore jam corrigi posse, nec ratione, anno penè ante exortum bellum Saxonicum, petiit vacationem, deinceps sibi dati ab exterioribus Reipublicæ negotiis. Et sic impetratò comiteatu, in Sigebergense Monasterium secedens, illic in vigiliis & jejuniis, in orationibus & eleemosynis, quod supererat ætatis, exigebat. Nec inde usquam, nisi summa forte & inevitabili necessitate extractus, abscedebat. Cætera quæ circa Reipublicæ administrationem vel egit, vel passus est, si quis plenius scire voluerit, superiora libelli hujus revolvat, & singula eo, quo gesta sunt, ordine, & tempore copiosè descripta inveniet. Sed pius Dominus, qui quos amat, arguit & castigat, hanc quoque dilectam sibi animam ante diem vocationis suæ multis tentari permisit incommodis, ut scilicet ab eo omnem scoriã terrenæ conversationis excoqueret caminus transitoriz tribulationis. Primum moto bello Saxonico fratrem ejus. Wezel Magadaburgensem Archiepiscopum, & consobrinum ejus Bucconem Halberstadensem Episcopum tempestas involvit gravissimæ persecutionis. Contra hos, cum non satis impigre Regi totius Saxonicæ gentis exterminium anhelanti, opem ferret, naturæ profectò legibus, & carnali affectione inhibitus, invisus ei suspectusque efficitur, perjurii ac perfidiz insimulatur, cives Colonenses, quibus paulo ante unice charus acceptusque fuerat, ad interficiendum eum donis ac promissionibus sollicitantur. Sopito utcunque hoc malo, duo ministri ejus, qui in laribus ejus familiarissimè observabantur, insidias ei tendunt, & nisi Dei misericordia malum hoc prævertisset, nihil tale suspicantem, trucidassent. Alii cuidam quem beneficiis suis maximè fidum sibi obnoxiumque fecerat, familiares literas à se ipso in tabulis propter majorem secreti * * * * *

Sum tantis undique adversitatum procellis jactatum, & penè naufragantem consolaretur & instrueret. At ille ex ipsa tam operosa secreti commotione conjiciens, aliquid Regi Reique publicæ adversum his literis contineri, Regi eas detulit. Quas ille deinceps in argumentum læsæ fidei Archiepiscopo impropersans, necem ei, & omnibus quæ ejus essent, ultimum (si copia fieret) exterminium machinabatur. Item alius quidam ex ministris ejus, quem Colonensi Ecclesiæ propria industria ipse adquisierat, quemque ob hoc indulgentissimo semper affectu coluerat, & bonis omnibus etiam supra natales suos locupletaverat, repente insolentia servili elatus, jugum Ecclesiasticæ servitutis cœpit detrectare, seque in libertatem, violento quodam jure fori, cum magna Archiepiscopi contumelia, asseruit. Tum verò crebris mortibus charorum suorum ita amaricatus est, & vulnere concisus super vulnus, ut saxum quoque petat, & supra petram fundatum ædificium concutere posset, tam vehemens ille turbo tentationis. Ad ultimum data Satanz in carnem quoque ejus potestate, ulcere pessimo percussus est in utroque pede, ita ut putrescentes paulatim carnes desuerent, & hinc inde abducta cute, consumptis carni-

bus, sædo adspicebus primò pedes, d'ossa nudarentur. Qui mortuomodo depastus est, d'crua & femora miserabilitionem penetrans ad vitpost diuturnam macerationem igne examinatum pi, animam super argenteptuplum, de hac domo, tam, & purgatam semum non manu factam æt, ea transiit ad domre dimidio ferè anno, priu, in cœlis. De qua certum eum fecerat manifesta, in vita excederet, enim sibi domum quandam omni, latio. *Visus est foris resplendentem intrare. Et ore intus, & judicialibus, tanquam ad concilium, in subselliis catis residebant, Heribertus Coloniensis, Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Eberhardus Treuirensis Archiepiscopi, Wormatiensis Episcopus, & alii quam plures, Wolfus Sal-liarum Episcopi, quorum alios ipse in carne nov, alios fama tantum vel lectione compererat, am, omnes stolis Pontificalibus, & habentes vestem instar nivis candidam. Ipse quoque candidis admodum ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quadam, ac fœda caligo obduxerat, ac ceterum cultus ejus splendorem sua fœditate plurimum obfuscabat, quam tamen ipse nimio rubore perfusus, objecta manu tegere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit præterea inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam. Quam cum occupare gaudio & exultatione astuans properaret, surgens Arnolfus Wormatiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens reverendos patres qui assiderent, nolle eum in suum admittere confessum, propterea quod vestem ejus turpis hac macula fœdaret. Cumq; jussus loco cedere stens confestog, nimium animo egrederetur, infecutus eum idem Episcopus, a quo animo, ait, esto pater, maculam tantum hanc, qua vestem tuam infecit maturius ablui præcipe, quia non post multos dies beata hujus mansionis consortium, & Sanctorum quos patrum aspexisti confessum voti tempus percipies. Mane facto, cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conjiciens, macula, inquit, hæc vesti tuæ illita nihil aliud est pater, ut æstimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te Divinæ pietatis respectu jam olim oportuerat admisi hujus veniam dedisse: Hæc, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius quam æquum sit insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, ceteram sanctissimæ conversationis tuæ claritatem molesta quadam caligine obducit & obscurat. Archiepiscopus conscientia suæ testimonio convictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nunciis cives omnes Coloniae, quos in ultionem injuriæ suæ excommunicatos urbe fugaverat, ad se evocavit, eisque proxima festivitate paschali, nam in quadragesima visionem viderat, non solum communionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerant, benignissimè restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniae, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt, Archiepiscopus amaritudine, populus metu & sollicitudine, civitas liberata est solitudine. Ar-*

chiepiscopus jam à principio sepulturam sibi providerat Coloniae, in Ecclesia Beatæ Mariæ, quæ dicitur ad gradus. Postmodum offensus remeritate Coloniensium, qua in eum inaudita rabie debacchati fuerant, non modò animum, sed corpus quoque suum de Colonia in Sigeberg transferendum censuit, ibique sepeliri se omni modo desinivit. Cumque appropinquante die vocationis suæ, Coloniae agrotaret, jamque in extremo spiritu constitutus, animadverteret, populum Coloniensem graviter nimis ferre, quod tam desiderabili thesauro defraudandus esset, paululum resumpro spiritu in lecto confedit, acceptaque stola Pontificali, ut videlicet verbis plus inesset auctoritatis, familiares suos sub testificatione nominis Divini adjuravit, ne alibi eum quam in Sigeberg poni sinerent. Factum est ergo, quod jussurat. Defunctus enim post modicum gloria ingenti, magno Cleri & plebis studio, summo matronarum Coloniensium luctu in Sigeberg delatus, atque in medio Ecclesiæ sepultus est, ubi quotidie per ejus interventum fideliter, postulantiibus multa præstantur Divinæ opitulationis beneficia.

M. LXXVI. Rex natalem Domini Goslarie celebravit. Cumq; eo omnes Regni Principes evocasset, ut de Principibus Saxonia, qui in deditioem venerant, communi consilio deliberaretur, præter Ducem Boëmicum pauci admodum venerunt. Ab ipsis amen qui venerant iurandum exegit & accepit, ut non alium post eum, quam filium ejus tenerum adhuc infantulum Regem sibi eligerent. Ibi Otto Dux quondam Bajoariæ datus pro se duobus filiis suis obfidibus, deditioem absolutus est, nec solum in gratiam, sed in tantam quoque familiaritatem receptus est à Rege, ut omnia deinceps consilia, tam de privata, quam de re publica cæteris auriculariis familiarius cum eo communicaret. Cæterorum qui se dederant, nec mentio habita est. Coloniensis etiam Clerus & populus ad eligendum sibi Antistitem frequens confluserat. Quibus Rex Hildolfum quendam Goslariensem Canonicum offerebat, atque ut eligerent, dedita opera insistebat. Illi contra summa opemitebantur, objicientes, quod homo statura pusillus, vultu despicabilis, genere obscurus, nec animi, nec corporis Virtutibus quicquam tanto Sacerdotio dignum prætenderet. Unde indignitate rei tanta in eum concitata sunt omnium qui in curte Regia erant odia, ut sicubi in publico, apparuisset, omnes eum tanquam aliquod antiquitatis monstrum inconditis clamoribus & canticis perurgerent, lapidesque in eum & pulverem, vel quodcunque aliud furentibus casus obtulisset, jactarent. Sed Rex recolens, Annonis Archiepiscopi constantiam, & invictum adversum omnes nefarios suos conatus spiritum, consulto talem ei successorem ordinari satagebat, cujus facilitate ad omnia, qua vellet, pro libito suo abuti posset. Cumque diu multumque conatus nulla ratione ur eligeretur, obtinere potuisset, Colonienses infecto negotio in sua remisit, iterumque media quadragesima, rectius, si fieri posset, consultos, præsto esse præcipit, contestatus quam sanctè, se vivo aut nulum eos, aut hunc habituros esse Pontificem. Aderrant præterea Hildebrandi Papæ Legati, denuncian-

res Regi, ut secundæ hebdomadæ in quadragesima ad synodum Roma occurreret, de criminibus, quæ obijcerentur causam dicitur, alioquin scires se, absque omni procrastinatione eodem die de corpore sanctæ Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse. Quæ Legatio Regem vehementer permovet, statimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes qui in Regno suo essent, Episcopos & Abbates Wormatiæ dominica septuagesimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret, in hoc cardine totam verti ratus salutem suam, & Regni stabilitatem, si is non esset Episcopus. Ipso tempore contigit Papam per immersionem Satanz gravissima pulsari adversitate. Quidam urbis Præfectus Romana Quintii nomine, & generis claritate & opum gloria eminens valde in tota Italia, multa in possessionibus Romana Ecclesiæ præter leges faciebat. Per lara ad Papam querimonia, cum cum sæpius modesto corripere, nec quicquam proficeret secreta carereptio, tandem excommunicavit eum, arbitratu hoc saltem modo improbitatem ejus coercendam fore. Hinc ille majori dementia efferat, ipsa nocte natalis Domini, cum armatis inopinato irruit in Ecclesiam, in qua Papa vestimentis Pontificalibus indutus, sacro altari astitit, missarum solennia celebrans, injectaque quod dictu quoque nefas est, in capillos ejus manu multis contumeliis affectum de Ecclesiâ proraxit, & priusquam vulgato per civitatem rumore populus frequens auxilio concurreret, in domum quandam minutissimam abruit. Fama tam atrocis facti totam illicò replevit urbem. Undique ad arma conclamatur. Privites & pauperes, nobiles & ignobiles uno omnes animo accurrere, atque in ipso statim orientis diei crepusculo domum Quintii oppugnare summa vi aggrediuntur, & nisi ille mali, quod imminerebat, haud improvidus Papam dimittere maturasset, domum ipsam peremptis omnibus, qui in ea erant, à fundamento evertissent. Papa interveniente, concitata multitudinis furor vix & ægrè compressus est. Romani quod factum fuerat graviter nimis & indignè ferentes, omnia quæ Quintii erant, tam intramuros, quàm extra, ferro & igne demoliti sunt. Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contra faciebat, succendens & evertens omnia, quæ poterat de possessionibus Romanæ Ecclesiæ. Ita per multos dies non sine magno & harum & illarum partium dispendio similtas hæc trahebatur. Rex statim die venit Wormatiam, venerunt etiam Episcopi & Abbates amplissimo numero. Commodè quoque conficiendis tantis rebus, intervenit quidam ex Cardinalibus Romanis, Hugo, cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam ejus & mores inconditos Papa de statione sua amoverat, deferens secum de vita & institutione Papa scenicis sumentis consimilem tragædiam, unde scilicet oriundus, qualiter ab incunte ætate conversatus, quàm perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit. Hujus auctoritatem unquam divinitus sibi assignatam gratissimè ample-

xati, & promptissimè sententiam promulgavit, nec ullam, juxta privilegium Romanæ Sedis statem habeat, vel aliando habuerit, qui tantam vitiam probri ac criminationi ejus nihil hæsitantque ceteri omnes idelbero Würceburgensis Episcopus, & Heianus Messensis Episcopus alii, dicentes, incongruum valquandis resistens, Canonum scita esse, ut Episcopus aliquis, ens absque generali concilio, sine legitimis, doneis accusatoribus & testibus, nec demnatis criminibus, quæ obijcerentur, condemnetur, nedum Romanus Pontifex, advertens quæ iec Episcopi, nec Archiepiscopi cujusquam ienda sit accusatio. Sed Wilhelmus Trajectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius agebatur, vehementer imminerebat, ut aut cum ceteris in damnationem Papa subscriberent, aut Regi, cui sub iurejurando fidem spondidissent, protinus renunciarent. Is eo tempore Regi admodum charus acceptusque erat, eique Rex omnium, quæ privatim vel publicè agenda erant post se ordinationem delegaverat, Vir secularibus literis adprimè eruditus, sed fastu nimio inflatus vix se ipse ferebat. Igitur nomine omnium, qui conveniant Episcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam destinantur, quibus denuncietur Romano Pontificatu, quem contra Ecclesiasticas Leges usurpasset, sese abdicet, sciatque post eam diem, quicquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi. Legati ut jussum fuerat summo conatu iter accelerantes, pridie quàm synodus indicta celebraretur, Roman ingressi literas tradunt. Tunc ceteram Legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso, quàm scripto exequentur. Papa nihil per motus atrocitate nuncios, postera die, cum Clerus & populus ad synodum frequens confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit, & se cunctis, qui conveniant Episcopis, id fieri decernentibus, Regem excommunicatum, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigifridum, Episcopum Trajectensem Wilhelmum, Episcopum Babenbergensem Rubertum. Cæteris qui conspirationis hujus participes extiterant diem statuit, quæ nisi Romæ præsentati causam dicerent, novæ hujus & inusitata contra Sedem Apostolicam rebellionis, similem cæteris excommunicationis sententiam sortirentur. Porro Ottonem Ratisponensem Episcopum, & Ottonem Constantiensem Episcopum, & Burchardum Losannensem Episcopum, Eberhardum Comitem, Udalricum & alios nonnullos, quibus Rex potissimum consiliariis utebatur, jam pridem excommunicaverat.

Gozilo Dux Lotharingorum, cum esset in confinio Lotharingæ & Flandriæ, in civitate, quæ dicitur Antwerpha, occisus est per insidias, ut putabatur, Ruberti Flandrensis Comitis. Cum enim quadam nocte, quiescentibus omnibus, ad necessitatem natura secessisset, appositus extra domum speculator confodit eum per secreta nasium, reliquoque in vulnere ferro concitus aufugit. Vix

Vix deinceps 7. diebus accepto vulnere superstes 4. Kal. Martii vita decessit, atque Verdunis juxta patrem sepultus est. Magnum Regni Teutonici robur ac momentum, quando ut sæpe jam dictum est, licet staturæ pusillitate, atque gibbo despiciabilis videretur, opum tamen gloria, & fortissimorum militum copia, prudentiæ quoque maturitate, postremò totius vitæ temperantia longe cæteris Principibus supereminebat.

Rex finito in Wornatia colloquio, concitus Goslariam rediit, ibique iram suam, qua multo jam tempore in Saxones anxie æstuaverat, omni crudelitate explebat. *Principes Saxonia, qui in deditiōnem venerant, in ultimas Regni partes relegabat, bona eorum suis fautoribus pro libito suo diripienda permittebat, eos, qui nec dum dediti fuerant, acerrimis indies edictis ad deditiōnem urgebat, & nisi quantocyus dederentur, ferro & igne infestari, & longius natali solo effugari comminabatur.* Tum omnia castella, quæ superiori anno dirui jusserat, summo nisu, summo Provincialium labore & ærumna instaurabat. Nova quoque in omnibus per Saxoniam montibus & collibus, qui modò ad arcendam vim paululum quid commoditatis habere videbantur, extrucebat. Illis etiam, quæ deditis Saxonibus in jus ejus venerant, præsidium imponebat, & multiplicata sunt mala, calamitas & vastitas, per universam Saxoniam & Thuringiam supra omnem retrò Majorum memoriam. Discessurus Goslaria pridie Nonas Martii Episcopatum Coloniensem, sicut à primis obstinatò intenderat, Hildolfo dedit. Cleri Colonienfis tres tantum, militum etiam paucissimi aderant. Cæteros, ne ad suffragia ferenda occurrerent, indignitas detinuerat. Ipsos qui occurrerant vix contemptim, & summis, ut dici solet, labiis super electione ejus consuluit, risui prorsus ac ludibrio habendos, si non protinus acclamassent. Et nequis fortè adversus eum tumultus seditione vulgi per dilationem consecrationis concitaretur, statim Coloniam profectus, consecrati eum fecit ab Wilhelmo Trajectensi Episcopo, cujus consobriño Episcopatum Paderbrunnensem, ne qua per eum mora ordinationi ejus fieret, promittebat.

Pascha Trajecti celebravit ibique *Ducatum Lotharingia filio suo Cunrado, Marchiam verò qua dicitur Antverpha, Gotsfrido consobriño, Gozelonis Ducis, filio Eustachii Comitis impigro, & ad rem militarem acerrimò adolescenti tradit. Ipso tempore Rudolphus Dux Suevorum, Welf Dux Bavariorum, Bertoldus Dux Carinthiorum, Adelbertus Episcopus Wurzburgensis, Herimannus Episcopus Mettensis, & alii pleriq, Principes convenientes in unum, consilia conferebant in tantis calamitatibus, quibus Respublica vexabatur, quid factò opus esset. Regem post bellum Saxanicum eundem permanere, qui fuerat, nihil cum de levitate, de crudelitate, de pessimorum hominum convictu ac familiaritate mutasse. Ad hoc tantum jam insignem suam adversum Saxones victoriam profecisse, ut ille sui omnium sanguinis jus potestatemq, acciperet, & ad perniciem bonorum omnium, & ad ornam, quod animo concepisset, flagitium, impunita libertate grassaretur, nihil sibi deinceps spei, nihil præsidii reliquum*

*fore, si forte, ut sunt humana, eum offendissent, cum in deditiōtis contra jusjurandum, contra fidem Principum, tam fœda, tam crudelia, exercuisset. Hæc causa non solum ipsos, sed & cunctos Regni Principes vehementer permoverat, & eos potissimum, quorum consilio Principes Saxonie se in periculum dederant. Facta est igitur conspiratio non modica, & magis ac magis indes roborabatur, ea re maxime omnibus ausum & fiduciam præbente, quod excommunicatum esse Regem à Romano Pontifice, frequentes ab Italia nuntii quotidie deferebant. His animatus Mettensis Episcopus & alii plerique nonnullos ex Principibus Saxonie, quos à Rege in custodia habendos susceperant, incio Rege in sua liberos redire permiserrunt. Wilhelmus Trajectensis Episcopus causam Regis, ut supra dictum est, contra bonum & equum obstinate tuebatur, & studio partium Regis, multa in injuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus solennibus, inter missarum solennia, rabido ore declamabat, perjurum eum, adulterum, & pseudo-apostolum appellans, & tam a se quam à cæteris Episcopis sæpenumero excommunicatum pronuncians. Is brevi postea quam Rex exactis paschalibus feriis Trajecto discesserat, repente gravissima ægitudine correptus est. Cumque per acerrimos cruciatus animæ ac corporis urgeretur, miserabili ejulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur: *Iusto Dei judicio se & præsentem vitam amisisse & æternam, quod Regi ad omnia quæ peccatam intendisset operam suam, summo annisu præbuisset, atq, in spem gratiæ ejus Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum Virtutum Viro graves contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset.* In hanc vocem, ut asserunt, sine communionem, sine ulla satisfactione expiravit. Successit ei in Episcopatum Cunradus Moguntini Archiepiscopi Camerarius, Paderbrunnensem verò Episcopatum Poppo Babenbergensis Præpositus obtinuit, cujus potissimum factione & studio Herimannus Babenbergensis Episcopus, Episcopatu dejectus fuerat.*

Rupertus Abbas quondam Augiensis, *Monasterium* quoddam in Alsatia partibus, cui *Gengenbach* nomen est, à Babenbergensi Episcopo susceperat gubernandum. *Ubi dum pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatus insudaret, paupertatem loci industria sua evincere satagens, occisus est cum alio haud desperatæ indolis Monacho* adolescente, qui eum de Babenbergensi Monasterio secutus fuerat, à servitoribus supra dicti Monasterii, contra quos possessiones Monasterii, & jus suum progressus, ipse ad vim arcendam defendere volebat. *Saxones deportatis in exilium Principibus suis tædio & mœrore tabescebant, nec calamitatis ullum usquam patebat effugium. Amici Regis per montes & colles dispersi cervicibus imminebant, nec eos ut antea, conventus facere, consilia conferre, aut ullam recuperandæ salutis viam tentare sinebant. Insuper quotidie ex agris & villis prædas agebant, tributa Regioni difficillima imponebant, castella sua summo Provincialium labore & impensis communiabant, & graves prorsus atque inexplicabiles*

biles pristinae rebellionis poenas exigebant. Erant duo cujusdam Geronis Comitis filii satis quidem edito loco nati, sed propter inopiam rei familiaris inter Principes Saxoniae nullius nominis vel momenti. Hi tempore deditiois ultra Albim fluvium refugerant, ibique rei eventum praestolabantur, facile à Rege propter obscuritatem nominis vel ignorati vel contempti. Cumque viderent mala, quae fiebant, non aliud scilicet actum deditiois Principum, quam *proditam planè esse libertatem patriae, totamque gentem Saxonum quo Rex semper intenderat, in servitutem atque, sub jugum redactam, quamvis patriis finibus extorres, quamvis munitionibus amissis, perditio patrimonio, rerum omnium inopes remansissent, gaudebant ramen admodum, quod cum ceteris Saxoniae Principibus in tempestuosum illud deditiois naufragium non incidissent. Et cum urgeret penuria, contractis ex sui similibus numero aliquantis copiis, rapto sibi victum quaerere coeperunt. Plerumque etiam ubi opportunitas accidisset, Regis exactoribus resistere, & injurias manu propullare tentabant. Cumque eis semel & secundo res prosperè cessissent, *milites Principum*, qui relegati fuerant, *ingenui quoque omnes*, qui *nec dum dediti* fuerant, quique extrema omnia quam fidem Regis ultra experiri malebant, *cateruatim ad eos confluebant*. Et facta est intra dies paucos permaxima multitudo, ita ut jam non ad insidias modo & clandestinas latrocinantium more excursions, sed ad apertam vim & publicas congressiones pares se hostibus arbitratentur. Praeterea *Provinciales*, quibus inter ultimas desperationis tenebras lux aliqua salutis & consolationis caelitus emicuerat, *omnes promptissimo animo socias manus communemque operam publicis negotiis pollicentur, satius judicantes pro patria, pro liberis, pro conjugibus honesta morte perfungi, quam inter tantas tribulationes omni morte tristiore vitam agere*. Inter haec rediens Herimannus patruus Magni Ducis, & alii plerique ex Principibus deditiois, quos, ut praedictum est, inconsulto Rege, indulgentis eorum, à quibus tenebantur, deditioe absolverat, inopinatum cunctis gaudium praestiterunt, atque omnem, si quis adhuc mentibus refoederat, scrupulum ademerunt. Tanta siquidem tamque inopinata rerum prosperitas evidens cunctis erat documentum respicientis eos misericordiae Dei, igitur *armata juventute Saxoniam peragrantes, castella*, quibus Rex praesidium imposuerat, *alia deditioe, alia militari manu, brevi omnia receperunt*, eos qui intererant, direptis spoliis, incolumes dimiserunt, accepto ab eis Sacramento, quod ulterius in Saxoniam hostiliter non venirent. Amicos Regis omnes praeterea quicumque communibus negotiis operam suam spondere nolissent, dissipatis omnibus quae habebant, procul Saxoniam effugerunt, & directa est salus in manibus eorum ad recuperationem libertatis pristinae. Solus ad huc Otto Dux quondam Bajoariz, in castello Hartesburg residebat. Huic Rex per totam Saxoniam vices suas & publicarum rerum procuracionem delegaverat, dato insuper negotio, ut castellum in Hartesburg, & aliud in monte, qui dicitur Lapideus, qui proximus Goslariz imminet, summa ope extrueret, Ad*

hunc Legatos dirigunt mandantes, *ut omisso opere, quod ad everisionem gentis suae immemor patriae, immemor libertatis, extruere aggressus sit, consilium potius perquirat ad ereptionem Principum, quibus ipse, ne se dederent, vehementissimus auctor fuerit. Jam dudum opinionem indubiam multorum mentibus infudisse, quod idcirco deditioem ceteris tanto per se suaserit, ut eorum sanguine Regis sibi animam deplacaret, & communi exitio suam ipse salutem mercaretur. Hoc nunc evidens indicium elucere, cum illi in ultimas partes terrarum deportatio, ipse proditiois suae mercedem à Rege totius Saxoniae Principatum acceperit, & Regia crudelitate carnifex, atque omnium quae ferociter Rex medietur, ferocior ad minister existat. Bene igitur fama & bonori suo consulat, si tanta infamia maculam claro aliquo erga patriam suam beneficio purgare conetur, & genti suae patriam libertatemque, armis recuperare cupienti auxilio concurrat. Postremo si monitus ultro non assentiat, se procul dubio vim adhibiturus, & patria proditorem, communium castrorum desertorem, ut dignus sit, everfis omnibus, quae ejus sunt, procul Saxoniam expulsiuros. Ad haec ille obnixè eos per Deum obtestabatur, ut *mitius pacatiusque agerent, quae pro communi commodo moliantur, ratione quam temeritate melius procedere, se protinus missurum & Regi modè omnibus suaturum, ut Princeps deditiois absolvat, castella, quae metu rebellionis pristina extruxerit, diruat, genti Saxonum libertatem, legis ac iura Majorum, quae per vim erepta toties armis repetiverint, restituat. Si consilio adquiescat, gravis atque ancipitis belli necessitate, sine sanguine liberatam esse Saxoniam: Sin aliter, se nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec jurisjurandi Religionis inhiberi posse, ne communem patriam, parentumque suorum causam usque ad extremum spiritum, quantum possit Viriute defendat, juvet, tuentur. In haec verba Legatos Saxonum dimisit, statimque suos ad Regem, sicut pollicitus fuerat, destinavit, praesidio quoque ab utroque monte, quem occupaverat, abducto, communem deinceps cum Saxonibus socialem vitam agebat. Rex de his quae acciderant in Saxoniam, gravi nuncio accepto, comperto etiam quod ceteri Principes collatis per crebra conventicula, consiliis defectionem meditentur, hinc ira, hinc solitudine in diversa raptatus, cui primum morbo mederetur anxius ambigebat. Sed quo iram impellebat inclinatio, ad oppugnandam Mettensem urbem exercitum admoveere cogitabat, & ab Episcopo loci, quod creditos custodiam suae Principes, se inconsulto dimississet, vindictam expetere. Sed contra reputans, turbata Republica, dubia fide Principum, exhausto superioribus bellis milite, extremae demenciae esse, arduum aliquid precipitanter attentare, imperum animi ab temeritate ad pacatiora consilia revocavit. Misit igitur circumquaque nuncios, omnes Regni Principes in Pentecosten Wormatia sibi occurrere iussit, quid facto opus esset, communi consilio, ut pretendebat, deliberaturus. *Sexta die, ceteris amplo satis numero occurrentibus, nullus aderat supra dictorum Ducum, à quibus Reipublicae periculum timebatur, & quorum potissimum auctori-***

tate, si res tranquillæ essent, summam publicorum negotiorum disponi oportuerat. *Ita conventus ille Principum, cassata voluntate Regis, nullum habuit effectum.* Iterum in natale Sancti Petri Apostoli *Moguntia eos adesse*; addita jam edicto obnixâ supplicatione, *præcipit.* Sed ne tunc quidem quisquam eorum vel supplicentem *attendit*, vel præcipientem, omnibus planè ad rebellionis studium immobiliter abstinentis. Ipsi qui convenerant, scæda similitate à se invicem diffidebant. Jam enim solutus carcere suo, satanas non solum corporali, sed & spiritali armatura oppugnabat pacem Ecclesiasticam, & quorum corpora jugulabat, animas quoque ne in æternum viverent, extinguere satagebat. *Udo Episcopus Trevirensis* Roma nuper reversus *communicare volebat Episcopo Moguntino, Episcopo Coloniensi, & aliis* quàm pluribus, qui apud Regem præ cæteris assidui erant, & quorum Rex omnia faciebat consilio, *obtinens, & eos, & ipsum Regem excommunicatos esse à Romano Pontifice.* Sibi tamen, quod ipsum vix summis precibus extorserit, indulgam esse colloquendi tantum Regis licentiam, nulla præter hæc in cibo, in potu, in oratione, vel in cæteris omnibus communionem ejus permittit. Hujus auctoritate animati complures alii, quorum & in Deum fides purior, & ad dignitatem Reipublicæ sententia potior paulatim palatio subtrahebant, ne videlicet supra dictorum communionem macularentur, & ad Regem licet crebris jussionibus evocati, redire volebant, latius judicantes Regem, quàm Deum offendere, corporis, quàm animæ dispendium incidere. *Illis econtra irasci, fremere insanire*; minas & convitia in omnes passim jaculari. Injustam & idcirco *nihil estimandam esse Romani Pontificis sententiam*, qui se nec canonicè ad Synodum evocatos, discussos, nec objecti criminis juxta scita Canonum convictos, vel confessos, præcipiti furore potius, quàm ratione, excommunicasset. *Episcopum Trevirensis & cæteros*, qui cum eo ad evertendum statum Reipublicæ jam pridem conspirassent, *aliorum intendere, quàm loquerentur, nec tam Apostolica Sedi auctoritatem deferre, quàm ut dignitatem Regiam subruant*; occasionem quaerere, eos inveterata adversus Regem odia novo religionis vocabulo palliare. *Eum rectè honori suo prospicere, si in hostes suos gladium, què juxta Apostoli vocem ad vindictâ malorum acceperit, maturius distringat, & contemptis inanum occasionum latibulis, manifestos Regni insidiatores, pœna quam mereantur, afficiat.* Nec difficile fuit ingenium Regis per se atrox & implacabile in iram excitare. *Sed cum videret sub obtentu Religionis Principes à se paulatim deficere, & destituito jam auxiliis Imperio vanam esse comminationem, quæ vim facere non posset*, quibus comminaretur, ratus id quod tempus exigebat, utilitati magis, quàm iracundiæ consulendum, iterum atque iterum *aversos Principum animos blandis legationibus mitigare tentabat.* Nec tamen quod dictu mirum sit, tanta hac rerum asperitate, tanta ingruentium periculorum mole evinci poterat, ut unde potissimum hæc flamma invidiæ & odii adversum eum exarserat, Principes Saxoniz deditione absolveret. Quin imò conterritus recenti exemplo eorum, qui plerosque ex ipsis se inconsulto demiserant, residuis, qui adhuc in custodia tenebantur, omnem adhiberi diligentiam jubebat, ne elaberentur. Ideoque sæpius his, quibus eos servandos crediderat, mandabat, ut memores beneficiorum suorum, memores jurisjurandi, quo sibi fidem suam firmassent,

traditos custodiæ suæ intemerata fide, donec reposcerentur, servarent, nec aliorum Principum scedissimo corrumperentur exemplo, qui dimissis suo injussu deditiis, dum privatas suas injurias in Regem ulcisci vellet, cladem maximam & maculam multis seculis non abolendam Reipublicæ intulissent. Et omnibus quidem infensus, *omnium* ut videbatur, *sanguinis avidus erat, præcipuè tamen Episcopi Halberstadensis*, quem tanquam totius Saxoniz rebellionis Principem, & omnium quæ secus acciderant, fomitem atque incentivum inexorabili odio insectabatur. Et nisi Pontificalis nominis reverentia, & fides Principum, quæ in deditione intercesserat, obstarèt, vitam ejus per omnes cruciatus extorsisset. *Hunc Ruperto Babenbergensi Episcopo servandum crediderat*, velut præter cæteros familiares suos immittis ac ferocis ingenii viro, & erga se in adversis rebus spectatæ sæpè fidei. Sed postquam *inclinatis ad defectionem Principibus*, iterum novis Reipublicam tempestatibus quati aspexit, quamvis custodis diligentia non diffideret, veritus tamen ne fortè subrepente per hanc moram negligentia, aliquid in eo vis vel fraus hostilis operaretur, *ad Palatium enim evocavit, & ibi nunc inter Camerarios suos, nunc inter coquos & coquinarum spurcias indignissimo loco habitum, sub omni diligentia custodiri fecit*, donec tam feralibus odiis competens exilium excogitaret. *Erat ipso tempore apud Regem soror ejus, uxor Salomonis Regis Ungarorum, quam maritus Regno expulsum, dum in armis & procinctu esset, nulquam tutius, quàm apud fratrem manere judicaverat, donec recuperato, si fieri posset, Regno in jucunditate perfrui conjugio liceret.* Cumque post multum jam tempus ad maritum, in finibus Ungariæ commorantem, redire pararet, Rex opportunam eam arbitratus, quæ crudelitatis hujus munere fungeretur, *rogavit eam, ut Episcopum Halberstadensem secum abduceret, atque in locum, ex quo nulla ei deinceps in Regnum Teutonicum redeundi copia fieret, deportari faceret.* Annuit illa petenti, & navi impositum cum hominibus suis præmisit, ipsa paucis post diebus, cum protectioni suæ necessaria ordinasset, insecurata præcedentem. *Habebat idem Episcopus militem quendam Udalricum nomine multis in Bajoaria possessionibus prædixit, Regi quoque adprimè charum & acceptum.* Is ubi advertit mala, quæ Episcopo parabantur, motus miseratione atque ipsa humanarum rerum consideratione, quod tantus ac talis Vir ingens columna & firmamentum Reipublicæ, nisi Regis temeritas Divina atque humana omnia confudisset, tam pessimo nunc exemplo periturus foret, accessit ad eum paulò ante quàm navigare inciperet, & *qua in eum Rex decrevisset, per ordinem exposuit, actum esse de salute ejus, nisi propitia divinitas, quæ sola jam posset, periclitanti succurreret.* *Edocet præterea possessiones suas, & castellum munitissimum haud procul ab litoribus Danubii fluminis abesse, monetq; ut dum ad ea loca navigans pervenisset, rogaret sæpius eos, cum quibus navigaret, quatenus applicarent & sibi paululum in terram progrediendi facultatem facerent*, obtenta vel refrigerandi, vel aliis cujusvis necessitatis occasione, quæ modo tali artificio idonea patrocinaretur, se memorem fidei, quæ ei obnoxius sit, omnia quæ possit, pro virili portione facturum, & si quam ereptionis ejus viam Deus ostendat tentaturum. Fecit ille ut edoctus fuerat, atque ubi ad prædicta loca propinquare cœpit, simulata mala valetudine, quæ sibi ex assidua

navigazione corpus affecisset insolitum, & nisi mature consuleretur, extremam perniciem allatura foret languenti. Facile obtinuit apud nautas, qui Pontificali nominis intuitu magnam humanitatem ei præstabant, ut quoties vellent, applicarent, & ei egrediendi atque in terra, pro ut libitum erat, recreandi corporis copiam facerent. *Longinqua regio, custodum multitudine, debilitas languentis omnem metum, omnem fugam vel insidiarum suspicionem ademerant.* Egrediebatur læpius & regrediebatur, circumspiciens undique & omnia diligenti obtutu perlustrans. Nullum usquam promissæ salutis indicium, nulla spes elucebat. Fortè Beati Johannis Baptistæ nativitas occurrerat. Et mane dum præterlaberentur, *conspicimus contiguam littori Ecclesiam, rogavit, ut appulsa navi, ad celebranda tanta sacratissimo die, missurarum solennia ad Ecclesiam procederent.* Assentientibus illis ingressus Ecclesiam, salutarem Deo hostiam offerre Sacerdotibus, ut solenne est, infulis indutus, cœpit. Cui rei intentus omnibus, supradictus *Udalricus* rectè per exploratorum diligentiam *captata loci opportunitate, repente armata multitudine Ecclesiam circumdedit,* ingressusque modestè interim dissimulato, propter quod venerat, negotio, consummationem sacri ministerii tacitus tranquillisque præstolabatur. Quo expleto, *suos quatuordecim adnavim convolare, & omnia, quæ Episcopi sunt, efferre jubet.* Ipse fortissimorum juvenum agmine stipatus, *procedentem ab Ecclesia Episcopum salutem, osculum porrigit, equum quem eversioni ejus optimum aptaverat, ocium conscendere jubet.* Stupentibus, qui Episcopum adduxerant, quid hoc rei esset, & post irritas ratiocinationes ad arma concurrentibus, jubet, ut si vitæ ac salutis suæ consultum velint, quieti maneat, arma ponant, naves pacatis animis repetant, gratum habentes, quod commissi in tantum Pontificem piaculi poenas non exigantur. Si verbis inanibus, si motibus incompositis lacessere pergant, facile gladios procacitati in modum facturos, Episcopum Episcopalis ministerii munia Ecclesiæ Halberstadtensis, cui ordinatus sit Episcopus, rectius præstare, quam ipsis. Illi cum numero & virtute impares essent, temerarium arbitrati rem certamini committere, tristi confectoque animo ad naves redierunt, *Episcopus in castellum, quod haud longè aberat, concessit, ibique paucis diebus commoratus, donec absumpta novitate studia conquiescerent omnium, si qui fortè redituro insidiabantur.* Tandem assumpto laico habitu, quo falleret occurrentes in Saxoniam contendit, & desperantibus jam reditum ejus Saxonibus, repente, tanquam ab inferis vivus emergens, restitutus est.

Rex ubi gestæ rei nuncium accepit, graviter & iniquo nimis animo ferebat, tantos conatus suos in irritum cessisse, præceptum sibi tantarum contumeliarum vindictam, redditum cum impunitate hostibus Virum, in quo totius Saxonici belli summa & cardo verteretur. Nec dubitare poterat paululum jam sopitos ignes Saxonici furoris, hoc incensore illico sulcandos, & propediem in immensum conflagratos. Atque eò infestius id acturum, quo se meminisset, post deditionem nullam in Rege clementiam, nullam expertum fuisse humanitatem. Verebatur præterea, ne simili modo cæteri quoque elaborentur deditioni, & sibi tam insignis victoriæ, tam operosæ deditionis fructus deperiret, affectis eis, se invito, libertatem. Omnia consideranti placuit tandem alia deinceps grassari via, & Saxonos quos extraneos toties perlatos non vi-

cerant, suis jam armis, suis parat expugnare viribus. Sapienter certè usus consilio, quoniam constet omnè Regnum nulla vi, nulla clade citius, quam domestica atque intestina simultate labefactum corrumpere. Episcopum Magdeburgensem, Episcopum Mersburgensem, Episcopum Misnensem, Magnum Ducem, Fredericum Palatinum Comitem, præterea omnes Saxonie & Thuringie Principes, qui adhuc in deditione tenebantur, ab exilio evocari jubet, & clementer accersitis ait, se cum juxta Palatinas leges extremo in eos supplicio animadvertere possit, & hoc jure faciat, gravibus sæpè ab eis contumeliis lacessitus, tamen memorem generis eorum, memorem Virtutis, quæ Reipublicæ & honori esse possit & monumento, tam atroci facti veniam dare, & quod amplius sit, non aliud ab eis querere redemptionis suæ pretium, quam ut sibi deinceps in dubiis rebus fideles ac devoti maneat, auxiliumque præstent ad componendum Regni statum, & compefcendos homines factiosos, eos potissimum, qui gentem Saxoniam simplicem & malarum artium nesciam, intestinè quotidie dissensionibus inquietant: Si id faciant, nec ulla, ut prius, levitate fidem permittent, se prius in amicis habiturum, & cum se opportunitas præbuerit, beneficiis prout Regiam munificentiam, honoratorum deceat. Illi etsi eum hæc ficto loqui sciret, & necessitate magis quam pietate genuinum animi rigorem laxasse, tamen impunitatis amore libèter amplexantur oblata, promittunt quicquid jubet, promissa repetito sæpius sacramento roborant, & accepto comineatu, in sua singuli cum gaudio revertuntur. Rex, ut supra dictum est, commonitus ab Otone Duci quondam Bajorum, ut turbatis rebus in Saxonia mature consulere, mandaverat ei, ut sibi certa die in Salsfeld occurreret, quatenus communitè habita discussione, quid facto opus esset, deliberarent. Postmodum verò fretus his, quos deditione absolverat, quod eorum auxilio in Saxones qui se læterant, iram suam idoneè ulcisci posset, consilium mutavit, & statuta die nuncios pro se in Salsfeld Duci Ottoni misit, qui ei dicerent, ut contractis, quantascunque posset, copiis, sibi in Marcha Misnensi concurreret, se per Bohemiam ducto exercitu adventurum, & filiis Geronis Comitis, qui imperitam multitudinem malè auspiciatè ad arma concitassent, si Deus vota prosperaret, redditurum, quod mererentur. Principibus quoque Saxonie & Thuringie, quos patris nuper miserat, eadem mandat, obsecrans, ut præstitæ sibi indulgentiæ gratiam referentes, cunctos quos valeant ab hominum perditorum societate dehortentur, & ipsi ad ferenda publicis negotiis auxilia, designato die & loco, armati instructique præsto assint. Ipse ut insinuerat, paucissimos secum allumens Teutonici exercitus milites, cæteris omnino quid moliretur ignorantibus, in Bohemiam contendit. Ibi que juncto sibi Duce ac milite Bohemico, repente plusquam tanto operi expedirent, fidens nescio an negligens, in Marchiam Misnensem se infudit, videlicet vana spe elusus, quod Ducem Ottonem industria & ceterorum, quos beneficio suo devinctos sibi gloriabatur, omnem rebus morans, omnem conficiendo negotio difficultatem ademptura foret. Sed Dux Otto sciens genti Saxonum justas esse causas rebellionis, id multo jam tempore apud Regem crebris Legationibus egerat, ut belli feminarium irarumque causas amoveret, leges ac jura sua Saxonibus rata manere sineret, & quiete potius quam armis tumultuantes compesceret, & tantos labores, tantum qui prælio fundendus esset sanguinem

lucta-

lucratus, sine difficultate in perpetuum opulentissimæ gentis servitio frueretur, hanc Regis ac tyranni esse desiderantiam, quod hic vi atque crudelitate obedientiam extorqueat ab invitis, ille legibus ac more majorum moderetur subiectis, præcipiariq. faciendâ. Verum ille homo in Imperio natus, & nutritus, ut tantos natales, tantos profapiæ falces ac titulos decebat, in omnibus Regium semper adversis animum gerebat, mori quàm vinci malebat. *Inexpugnabilis ignominia maculam putabat, impune injuriam accepisse.* Et e contra summum decus & vitæ præsentis comparandum æstimabat, nihil quod secus accidisset, inultum præterisse. Ad hoc homines sibi alciverat, talium rerum artifices, mediocri quidem loco natos, sed consilio ac manu promptissimos, qui secundum quod Propheta dicit: loquebantur ei placentia, & divinabant ei errores, & ægrotum animum, & per se affinem iracundiæ ac temeritati, adulationibus suis, tanquam supposita face, in omne quod libuerat, inflammabant. Ideoque ut opera sua magis illi foret necessaria, perpetuis Rempublicam tempestatibus vexari, quàm maxime satagebant. His pessimis usus consultoribus, Principes Regni recta suadentes plurimum aversabatur, nec eos ad consilium suum, nisi fortè inexplicabilis necessitas incidisset, admittebat. Quin imò auctoritatem eorum si copia fieret opprimi, ac penitus obliterari cupiebat, ut in omne quod animus suggestisset, effrenata libertate grassanti nullus obsteret, nemo obloqueretur. Igitur *Dux Otto vehementer efferatus, quod contra consilium suum Rex Saxoniam bello rursus impeteret, ait ad Epponem Citicensis Episcopum, qui ei, ut dictum est, in Salefeld functus Legatione Regis occurrerat, se Regi quod honori ejus, quod commodo Rempublicæ competeret suggestisse, sed quoniam plus apud eum fidei sineptis assentatoribus, quàm sibi, plus spei ac fiduciæ ponatur in milite Bohemico, quàm in Teutonici exercitus robore, ad eum pertinere, quem cæpta exitum sortiantur, se nec rebus bene gestis gloriam, nec si aliter cesserint, ignominiam habiturum. Præterea nulla jam sacramenti, quo ei fidem dederit religione teneri, cum recta & utilia suadens non audiatur. Insuper contra Leges Dei, contra decus Imperii, contra salutem animæ suæ ad effundendum sanguinem innocentem, gentili ritu arma sumere jubeatur. Proinde omni perjurio absolutum, liberè deinceps causam gentis suæ, quæ justa sit, quantum valeat, armis & opibus asserturum. Eadem protestabantur ceteri quoque Principes, tam Saxoniam quàm Thuringiam.* Qui etiam si cupidissimè vellent, nulli perenti præstare possent auxilium, unanimiter scilicet detrectantibus militibus eorum infaustam contra patriam parentisque suos militiam. Jam enim non dubia fide, vacillantibus animis, ut prius, cum inter spem & metum fluctuarent, sed unanimi sententia, obstinata contentione, ad rebellandum conspiraverant. Neque callidis Principum exhortationibus, ut antea concitatum vulgus ad arma profluerant, sed omnes simul Provinciales non ductu auspicioque Principum, sed privatis studiis, privatis impensis bellum gerere proposuerant, sibi dimicare, sibi si Deus annueret, vincere parati, nec aliud à quoquam militiæ suæ stipendium præstolantes, quàm conjugum liberorumque suorum salutem, atque ut à cervicibus suis durissimæ servitutis jugum excuterent. Ipsos denique Principes, si obniti, si contra hiscere tentarent, dissipatis vel incensis omnibus, quæ eorum essent, procul patriis sinibus expellere, minabantur. Ad ulti-

um eam mente rem gerendam susceperant, ut vel vincerent obstinate, vel morentur. Ultima desperatio studia inflammaverat, quoniam certa superioribus annis documenta ceperant, nullam apud Regem victis esse spem veniæ, cum ferocitatem pectoris ejus, & inexorable Saxonici nominis odium, nec voluntaria deditio Principum, nec tantus in Thuringia fusus sanguis restinxisset. Igitur ubi per Saxoniam rumor percrebuit, quod Rex conterminam Regni Saxonici Marchiam Misnensem ferro & igne depopularetur, ad arma conclamant, multa millia hominum brevi concurrunt, conserendi certaminis intolerabili fervent desiderio, obviam ire hostibus unanimi alacritate contendunt. Sed quoniam accelerando itinere turba frequentior armis atque aliis impedimentis implicita, parum pro voto satagere valebat, filii Geronis Comitum assumptis secum VII. millibus expeditorum equitum, summo nisu, ardentissima citius conficiendi negotii aviditate, in occursum properant. Quod si Regem consequi, & sic efferato milite, sic ferventibus studiis signa conferre contigisset, ut multorum ferebat opinio, tractum tot annis bellum Saxonicum facili compendio confectum fuisset, & Regem cunctumque ejus comitatum, vel mors certissima, vel ignominia difficilè abolenda occupasset. Nam præter exercitum Bohemicum, qui nec ipse vel armis, vel numero, vel Virtute tanto negotio se parem præstiterat, paucissimos secum habebat, quoniam supervacaneum arbitratus fuerat, Teutonicis militibus tam longinque expeditionis laborem indicere, cum speraret, ut dictum est, industriâ Ottonis Ducis & aliorum, quos deditio gratis absoluerat, omnes Saxonum vires facile enervandas, & copias sibi majoribus etiam bellis sufficientes statuto die ac loco affuturas. Fortè tum temporis Deo misericorditer salutem Regis prospiciente, fluvius Milda, qui utrumque exercitum medius dirimebat, effulsis nuper imbris vehementer intumuerat, atque omnem transmeandi facultatem ademerat. Cujus Rex inundatione commodissimè pro se usus, non expectata decrecentium aquarum vicissitudine, in Bohemiam se recepit, maturatoque per Bajoariam reditu, mœstus ac pœnitens, quod tantos labores in vacuum expendisset, Wormatiam repedavit. Et quoniam digrediens Duci Bohemico Marchiam Misnensem, tam spectatæ in arduis rebus fidei præmium dederat. *Ecbertus Marchio, cujus eadem Marchia erat, filius patruelis Regis, puer longè adhuc infra militares annos, ubi primum decrecentibus aquis fluvius factus est transmeabilis, adjunctis sibi Saxonibus Misnensem perrexit, omniaq. castella, quibus Dux Bohemicus præsidium imposuerat, adnotata militari manu recepit, suosque milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent, imposuit, mirantibus cunctis quod Regem nec ætatis, nec propinquitatis respectus ab hac injuria revocasset.*

Interea Rudolphus, Dux Suevorum, Welf Dux Bajoariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adelbertus Episcopus Würceburgensis, Adelbertus Episcopus Wormatiensis, & alii, quos Rempublica calamitas movebat, in loco, qui dicitur, Ulma, conventu habitato, statuerunt, ut omnes, quicunque Rempublica consilium vellent xvi. Kal. Novembris Triburiam convenirent, & variis cladibus, quibus per multos jam annos pax Ecclesiastica turbabatur, tandem aliquando malorum pertasi, finem facerent. Hoc Sueviæ, hoc Bajoariæ, hoc Saxoniam, hoc Lotharingiam, hoc Franciam

Teutonicæ Principibus denunciârunt, universiſque in commune per Deum obteſtabantur, ut omni excuſatione relegata, cuncta privatæ rei ſollicitudine poſt-habita, hanc ſinguli communibus commodis vel extremam operam dependerent. Qua expectatione ſuſpenſis atque attonitis omnibus, Episcopus Moguntinus & alii quàm plures, qui catenus partes Regis vehementius tuebantur, ab eo deſecerunt, & adjuñcti ſupradictis Principibus ad meliorandum Regni ſtatum ardentiffimo zelo exarſerunt. Miro etiam atque inopinato rerum ſucceſſu, ut quod moliebantur, nullis jam retardaretur impedimentis, obſides, quibus nonnulli ex Principibus ſuperiore anno fidem ſuam apud Regem obligaverant, repente his, qui eos dederant, ſunt reſtituti. Duos Ducis Ottonis filios, alterum Rex ipſe, alterum is, qui à Rege ſervandum ſuſceperat, inſcio Rege, Patri nec opinanti remiſit. *Filius Udonis Marchionis, & filius Adela dereliſta Dedi Marchionis*, ambo teneræ ætatis & longè adhuc infra pubertatis annos pueruli, cum in munitione cujuſdam Eberhardi miniſtri Regis cuſtodirentur, magnum quoddam & *poſteriorum memoria dignum nobiliſſima indolis documentum ediderunt*. Juſſerat Rex eidem Eberhardo, vel propter tanti generis claritatem, vel propter ætatis infirmæ compaſſionem, ut eos indulgentiſſimè nutrirèt, & ne aut inerti otio aut jugis cuſtodiz tædio tabeſcerent, ſineret eos interdum cum æqualibus ſuis ludicris puerilibus exerceri. Hoc ipſum parentes, crebra cuſtodibus munuſcula deltinantes, flagitabant. Fecit ille ut petebatur, & modò intra munitionem, modò extra adhibitis cuſtodibus, prout libitum erat, ludere patiebatur, nihil ſiniſtrum in ætate ſimplici & fraudis neſcia ſuſpicatus. Interdum etiam in nemus, quod munitioni contiguum erat, venatum pergens, impoſitos equis, cujus rei vix dum ætas patiens erat, ſecum ire permittebat, ut oppreſſas mœrore ac tædio mentes hoc avocamento recrearent. Cum hoc ſæpius faceret, conſuetudo fiduciam, fiducia cuſtodibus ſecuritatem pariebat, ut eis indulgentius indices diligentis cuſtodiz frena laxarent, & abſumpta jam omni ſuſpicionem, quicquid voluiſſent, etiam abſque arbitris, eos agere paterentur. Cœperunt igitur ubicunque tempus & locum ſecretiorem naſci fuerant, ſermones conſerere, patriz parentumque recordari, peregrinationis moleſtias deplorare, & ut pro ſalute ſua aliquid, Deo auſpice, conarentur, mutuis ſe ſuaſionibus incitare. Quadam ergo die cum juxta ſolitum prædictus Eberhardus ſecum aſſumptis eis venatum exiſſet, & ad inſectandam, quæ caſu occurrerat, feram, omnes, ut fieri aſſolet, inconditis clamoribus ferventiſſimis ſtudiis diſcurriffent, pueruli ubi ſe ſolos adverterunt, cuſtodem nullum, eos qui ſimul venatum proceſſerant, aliarum rerum immemores, ſoli quæ agebatur venationi intentiſſimos, quantis poſſunt viribus, equis ſubdunt. *calcaria, per condensa ſylvæ arva, per abrupta montium, per concava vallium, periculis ſuis, vel negligentes, vel conſempiores diſto civis evolvant*. Nec incertum aliquem locum Regionis ignari curſum dirigunt, ſed laxatis temerè habenis, quocunque impetus equos ferebat, præcipites ruunt. Celeri curſu tranſmiſſo nemore ad Moimem fluvium perveniunt, piſcatorem illic offendunt in ſcapho piſcatoria capturis piſcium incumbentem, evehit ſe Moguntiam petunt, chlamides ſuas quibus veſtiebantur, quoniam aliud in promptu non erat, evec-tionis pretium offerunt. Ille vel pretio allec-tus, vel miſeratione periclitantium

permorus, hoc enim ex trepidatione & cætero corporis geſtu facile conjiciebat, benignè in naviculam ſuſcepit, & utenſilibus, quæ in navicula erant adopertos, ne ſcilicet ab inſequentibus agnoſcerentur, Moguntiam, ut rogaverant, evehit. Equi eorum tranſito amne in ulteriore ripa juxta naviculam miſum in modum moderato gradu decurrebant, ita ut cum eunte navicula pariter irent, cum ſubſiſtente pariter ſubſiſterent. Brutis pecoribus humanas inſeſſe animas crederes. Ubi Moguntiam ventum eſt, receptis equis ſuis in domum quandam ripæ contiguam clanculo ſe immergunt, dominumque domus per Deum obteſtantur, ne eos cuiquam prodar, ſe Archiepiſcopo Moguntino genere conjunctiſſimos eſſe, cui ſi in eolumes intemerata fide reſtituat, tam ab ipſo quàm à cæteris Parentibus ſuis, qui inter Regni Principes & opum & dignitatis ſpeciali prærogativa emineant, digna meritis præmia relaturus ſit. Nec multo poſt aderat Eberhardus fremens & ſtridens dentibus præ doloris impatientia, compertoque per veridicos indices, quò pueri divertiffent, ſumma vi, ſummo conamine domum expugnare, foresque infringere parabat, & niſi obſides Regis mature redderentur, ignem reſctis injeſcturum ſe minabatur. Concurrat civitas ad ſpectaculum, & facta eſt pro ſtudiis partium confuſa ac diſſona, aliud atque aliud clamantium turbarum vociferatio. Perſato ad Episcopum Moguntinum tumultuantis civitatis nuncio, miſit conſeſtim cum armatis Cunradum Comitem de caſtello, quod dicitur Luizenburg, qui tum forte apud Episcopum præſens erat. Qui veniens Eberhardum improbè ſævientem atq; in omnes, qui obſiſterent, nunc vi, nunc cominatione graſſantem, ab oppugnatione ædium cum contumelia repulit, ſuſceptosque pueros Episcopo præſentavit. Ille admodum gratulatus, quò cauſam Principum, qui pro communi commodo arma ſumere meditabantur, hac etiam parte impedimentorum liberâſſet, ſuis ſingulos Parentibus cum omni diligentia, ne quis ſcilicet inſidiaretur abeuntibus, remiſit.

Statuta die juxta conditum Principes Suevia & Saxonia Triburiam convenerunt, ampliffimo numero obſtinatis mentibus ad ſummo vendendum à negotiis Regni Regem Henricum, & alium in quem communis electio conſenſiſſet creandum. Aderant unâ Legati Apoſtolicæ Sedis, Sigehardus Patriarcha Aquilejenſis, & Altmannus Patavienſis Episcopus, Vir Apoſtolicæ converſationis, & magnarum in Chriſto Virtutum, cui Papa vices ſuas in diſpoſitione Eccleſiaſticarum cauſarum delegaverat. Et Laici nonnulli, qui magnis opibus relictis ultrò ſe ad privatam tenuemque vitam propter Deum contulerant, *miſſi à Romano Pontifice, ut palam omnibus per Gallias conſeſtarentur, juſſis de cauſis excommunicationis eſſe Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem Apoſtolicæ conſenſus & auctoritatis ſuffragium pollecerentur*. Hi nec Principi nec privato cuiquam, qui Regi Henrico, dicto vel factò aliquatenus poſt excommunicationem communicâſſet, communicare volebant, donec publicè profeſſus pœnitentiam per Altmannum Vicarium Romani Pontificis anathemate abſolveretur. Pari cautela eorum quoque communionem vitabant, qui Presbyteris conjugatis, vel eis, qui Eccleſiaſticas ordinationes pretio comparaverant, in oratione communicâſſent. Per ſeptem itaque continuos dies conſilia conſerentes, quid factò opus eſſet, qua ratione periclitanti, & jam jam naufragium minitanti Reipublicæ conſulenti.

fulendum foret, perquirebant. Replicabant ab tenero, ut ajunt, ungue omnem vitæ Regis institutionem, quibus probus, quibus flagitiis existimationem suam decuq, Imperii vix iam adulta ætate maculasset, quas injurias singulis, quas in commune omnibus, ubi primum pubertatis annos attingit, errogasset, quod remotis a familiaritate sua Principibus, infimos homines & nullis majoribus ortos, summis honoribus extulisset, & cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus insumens, ultimum, si possit, Nobilitati exterminium machinaretur. Quod barbaris gentibus vacatione data, in subditos sibi populos dedita opera ferrum distrinxisset, & in eorum nece hostili crudelitate grassaretur, Regnum quod a parentibus suis pacatissimum, & bonis omnibus florentissimum accepit, quam fœdum, quam despicabile, quam inestinis cladibus infestum cruentumq, reddidisset. Ecclesias & Monasteria destructa, vidualia servorum Dei versa esse in stipendia militum, studium Religionis & rerum Ecclesiasticarum transisse ad arma militaria, & ad munitiones extruendas, non quibus vis & impetus barbarorum arceatur, sed quibus patria tranquillitas eripiatur, & libera gentis cervicibus durissima servitutis jugum imponatur. Nullum usquam esse viduis & orphanis solatium, nullum oppressis & calumniam sustinentibus refugium, non legibus reverentiam, non moribus disciplinam, non Ecclesie auctoritatem suam, non Reipublica manere dignitatem suam, ita unius hominis temeritate sacra & prophana, divina & humana, facta, nefasq, confusa esse & implicita. Proinde tantarum calamitatum unicum ac singulare superesse remedium, ut quantocyus amoto eo alius Rex crearetur, qui tam diu terminos suos evaganti licentia frenâ injiceret, & mundi vacillantem ruinam subjectis humeris sustentaret. Rex Henricus contractis in unum suæ partis assertoribus in villa quæ dicitur Oppenheim se continebat, Rheni fluvio utraque caltra dirimente, frequentesque ad eos indies Legatos mittebat, pollicens omnium, quæ eos offenderant, in reliquum emendationem, se veterum injuriarum memoriam sequentibus beneficiis, si vita comes foret, aboliturum, nihilq, deinceps circa rerum publicarum administrationem absque communi consulto acturum. Postremo ultro se jure suo cedere, cuiq, gubernandi disponendiq, pro suo arbitratu totius Regni jus potestatemq, facere, dummodo a quo paterentur, sola Regii nominis, Regiûq, cultus rata sibi manere insignia, quæ semel legitime accepta, sine summa omnium eorum ignominia, amittere non posset, nec sinerent Regni Teutonici splendorem omnibus retrò seculis intactum incontaminatumq, sua ætate tam turpia exempli macula sordescere. Quod si verba sua difficiliter admitterent magnificis promissionibus toties elusi, paratum se quibus sacramentis, quibus vellent obsidibus fidem facere, quod nulla unquam dies, nulla rerum vel casuum mutabilitas hanc suam in eos benevolentiam corruptura foret. At hæc illi: Nulla, iniquiunt, jam supersunt argumenta, quibus toties recognita atque spectata fides ejus probari ultra vel obligari valeat, cum toties morum suorum emendationem coram oculis omnia cernentis Dei jam sancte pollicitus, omnia quibus se obstruxerat vincula, ubi primum calamitas, quæ ad præsens urgebat, præterit, tanquam aranearum telas ruperit, & semper seipso deterior, cursum mali operis, sicut equus impetu vadens in prælium, effrenata libertate repetiverit. Neque nos præcipiti temeritate ad hæc extrema expensenda prorupimus, omnes vias, omnia prius consilia peritentavimus, si qua ratione rigidum obstinatumq, in malis desperatis

hominis ingenium emolliiri possit. Sed in veteratis moribus atque impenitus jam insidens visceribus, nihil spem, nihil admittit remediis, omnem artem, omnem evincens industriam medicamentum. Quin imo dum levitati ejus impensius morem gerere studemus, & cunctis qua perperam molitur, religionis obtentu muliebrem præbemus patientiam, status Reipublicæ everfus est, tranquillitas Ecclesiarum turbata, Majestas Imperii ablata, auctoritas Principum evacuata, mores inversi, leges abolite, & secundum Prophetam elogium, maledictum & menacium, & homicidium, & furium, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, postremo omnis Justitia & Pietatis, Religionis & Honestatis disciplina sua atque incultu obsolevit. Hæc quidem dum sola vitæ temporalis detrimenta, dum solam famam & existimationis labem ministrarentur, tamesi viris ferenda non essent, tulimus tamen, ne contra jusjurandum quo tenebamur, præcipitanter impudenterque venire videremur, & dum gloria nostræ consulere conareremur, anima naufragium pateremur. Nunc vero, cum ab Ecclesia corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit, cum ei communicare sine communionis Ecclesiastica damno & fidei lætara non possimus, cum fidem nostram multis apud eum sacramentis implicitam Romanus Pontifex Apostolica auctoritate explicuerit, extrema profecto dementia esset, divinitus oblatam salutis occasionem, non obviam, ut dici solet, manibus excipere, & quod jam diu præmeditatum sit, ut agatur, tam opportuno tempore non agere, cum Leges humane & Ecclesiastica sinant, cum locus & tempus arrideant, cum denique omnia, quæ paci vel bello usui esse solent, consocienda tantæ rei favorem suum polliceantur. Quapropter, contemptis inanum argumentorum cunctis, quibus denuo in cervicibus jugulosque nostros vitam gladio suo affectat, immobiliter animo fixum tenemus, ut absque ulla dilatione virum nobis provideamus, quibus præcedat nos & prælietur bellum Domini ad expugnandam & destruendam omnem cujuscunque hominis altitudinem, elevantem & extollentem se adversus justitiam & veritatem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem. In hæc verba Legatos Regis dimiserunt. Iterum alios atque alios misit, nullum supplicationis genus, quod impediendæ tantæ rei proficuum putaretur, prætermittens. Sed illi in eadem sententia fixi obstinatique manebant. Jamque utraque ex parte ad magnum discrimen res spectare videbatur. Denique & hi Regem alium sibi protinus constituere, & transmissio Rheni fluvio, (navigium enim omne Episcopus Moguntinus in eam ripam coegerat,) proxima lucè Regi Henrico arma inferre parabant, & ille incisa spè dilationis impetrandæ, suos qui per proximas villas disperferant, in unum coire, atque arma expedire jubebat, ut in ulteriorem ripam progressos, confestim prælio adoriretur. In hac tantarum expectatione rerum intentis sollicitisque omnibus, ecce primo diluculo sequentis diei, quæ ultimam cladem Reipublicæ allatura timebatur, Suevi & Saxones Legatos ad Regem miserunt, qui ei dicerent, tamesi nec in bello nec in pace ulla unquam ei justitia vel Legum cura fuerit, se tamen Legibus cum eo agere velle, & cum criminâ, quæ ei obijciantur, omnibus constenti luce clariora, se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reservare, acturos se cum eo, ut in Purificatione Sanctæ Mariæ Augustam occurrat, ibique celeberrimo conventu habito Principum totius Regni, discussis utrarumque partiûm illegalionibus ipse suo judicio vel addicat, vel absolvat

accusatum, quod si ante diem anniversarium excommunicationis suae, suo praesertim vitio, excommunicatione non absolueretur, absque retractione in perpetuum causa ceciderit, nec Legibus deinceps Regnum repetere possit, quod legibus ultra administrare, annum passus excommunicationem, non possit, si eblitam conditionem gratanter amplectetur, & Romano Pontifici per omnia subditum se dictoq; obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capuros, omnes, quos ille excommunicavit, exemplo a convivium contubernioque suo amoveat, ipse in urbem Spirensium, dimisso exercitum, secedat, ibique solo Verdunensi Episcopo, paucisque ministris, quos tamen sententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptosque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat, Ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia, suo jure disponens, nullum Regii apparatus pompam, nulla Regia dignitatis insignia sibi juxta solium adhibens, usque ad Synodicam causae suae examinationem. Praeterea civitatem Wormatiensem, quum expulso Episcopo, dissipato ecclesiae militiae sanctuario, arcem belli speluncamque latronum fecerat, abducto praesidio Episcopo Wormatiensi restituat, data in super sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis vel insidiarum ab civibus sinitere debeat. Porro si quid horum praevaricetur, sum se omni culpa, omni jurijurandi Religione, omni perfidia infamia liberatos, non expectato ulterius Romani Pontificis judicio, quid Respublica expediat, communi consilio visuros. Rex cuius omnes spes, omnesque copiae in arctum coactae fuerant, gratulatus admodum, quod aliqua quantumvis foeda conditione urgentem ad praesens calamitatem declinasset, promptissime per omnia obedientiam pollicetur. Statimque Coloniensem Episcopum, Babenbergensem Episcopum, Strasburgensem Episcopum, Basiliensem Episcopum, Spirensium Episcopum, Lofannensem Episcopum, Citicensem Episcopum, Ofenbruggensem Episcopum, Udalricum de Cosheim, Eberhardum, Hartmannum, ceterosque excommunicatos, quorum ante hac opera consiliisque gratissime utebatur, omnes castris egredi jubet. Missis quoque Wormatiam nunciis, milites, quos illic praesidii causa constituerat, abscedere, urbemque Episcopo patere praecipit. Dehinc ceteris, qui ad auxilia sibi ferenda frequentes convenerant, singulis in sua dimissis, ipse juxta conditum cum paucis Spiram contendit, ibique intra terminos & leges, quas Principes praescripserant aliquando tempore mediocriter vitam moresque cohibebat. Suevoi & Saxones postquam, deditis Wormatiensibus, statum civitatis Episcopo pacatissimum reddiderunt, laeti ovantelque patriam repetebant, confestimque Legatos Romani destinaverunt, qui Papam rei gestae ordinem edocerent, enixique flagitarent, ut sedandis per Gallias tantis bellorum civilium tempestatibus; ipsa statuta die suam non dedignaretur praestare praesentiam, Rex etiam certo sciens omnem suam in eo verti salutem, stante anniversaria diem excommunicatione absolveretur, nec satis tutum suis rationibus existimans, ut expectato intra Gallias Romani Pontificis adventu, si infesto iudicio, sic obstinatis acculatoribus causam suam addiceret ventilandam, optimum factum sibi iudicavit pro eo tum statu rerum suarum, ut in Gallias proficiscendi Romano Pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis absolutionem, quoquo posset modo, impetrare conaretur, hac impetrata ceteram rebus difficultatem facile adimendam, cum colloqui

Principibus & conferre consilia, & fidem amicitiam in adversis implorare, nulla deinceps vetaret Religio. Paucis igitur ante natalem Domini diebus Spirensi urbe discedens cum uxore & filio parvulo iter adgressus est, nec quilibet ex omnibus Teutonicis vir ingenuus comitatus est Regno excedentem, praeter unum & ipsum nec genere, nec opibus conspicuum. Cuius impensis tam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus incolomi Republica, saepenumero, profuerat, pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel praesenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem ejus aliquatenus relevarent. Eo miseriarum & calamitatis ex summa gloria summisque opibus repente pervenerat. Similiter quoque ceteri excommunicati obtinendae citius absolutionis studio ardentissime iter accelerabant in Italiam, nec tamen in societatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu absteriti patiebantur. Vis atque inclementia hyemae hoc anno adeo jugis solitoque asperior inhorruerat, ut a Festivitate Sancti Martini Rhemus fluvius glaciali frigore constrictus penes usque ad Kal. Aprilis pedestri itinere transmeabilis maneret, & plerisque in locis vineta exiccatis frigore radicitus omnino arefcerent.

1077. Dux Polonorum, qui per multos jam annos Regibus Teutonicis tributarium fuerat, cujusque Regnum jam olim Teutonicorum Virtute subactum, atque in Provinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cernebat domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, Regiam dignitatem, Regiumque nomen sibi usurpavit, Diadema imposuit, atque ipso die natalis Domini a XV. Episcopis in Regem est consecratus. Quae brevi post comperta, Principes Teutonicos, quibus Republicae dignitas curae fuit, graviter affecte, sibi invicem succensebant, quod dum intellinis in se atque sua viscera odiis saevirent, & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluissent, ut jam tertio Dux Boemicus Regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragrasset, & nunc Dux Polonorum in ignominiam Regni Teutonicum contra Leges ac jura Majorum, Regium nomen Regiumque Diadema impudens affectasset.

Rex Henricus in Italiam proficiscens, intra Burgundiam, in loco qui dicitur Bisenzum natalem Domini celebravit, satis magnifice pro sua tum calamitate susceptus & habitus ab avunculo matris suae Wilhelmo Comite, cujus in illis locis amplissimae & florentissimae opes erant. Ea porro causa erat, ut relicto recto itinere in Burgundiam diverteret, quod certo compererat Duces Rudolphum, Welf, & Bertholdum omnes vias, omnesque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodiibus anticipasse, ut nulla illic ei copia transundi fieret. Exacta solennitate natalis Domini profectus inde, cum in locum qui Civis dicitur venisset, obviam habuit socrum suam, filiumque ejus Amedeum nomine, quorum in illis Regionibus & auctoritas clarissima, & possessiones amplissimae, & nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorifice susceperunt, transivum tamen per terminos suos alias ei concedere volebant, nisi quinque Italiae Episcopatus possessionibus suis contignos, eis redimendi itinera precium traderet. Durum hoc nimis atque intolerabile omnibus

bis Regis consiliariis visum est, sed cum ei inevitabilis incumberet necessitas, quoquo posset pacto redimendi itineris, & illi nec jure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione quicquam moverentur, multo labore & tempore in hac deliberatione insumpto, *vix & agre tandem impetratum est, ut Provinciam quandam Burgundia bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedem dignarentur accipere.* Ita indignatio Domini non solum sacramentis & frequentibus beneficiis sibi obnoxius, sed etiam amicos & genere propinquos ab eo averterat. Difficiliter affecto transeundi licentiam, protinus alia successit difficultas. *Hyems erat asperissima, & montes, per quos transitus erat, in immensum porrecti, & penè nubibus cacumen ingerentes, ita mole nivium & glaciali frigore obriguerat, ut per lubricum præcipitemque descentum, nec equis nec pedibus gressum sine periculo admitterent.* Sed dies anniversarius, quo Rex in excommunicationem devenerat, è vicino imminens nullas accelerandi itineris moras patiebatur. Quia nisi ante eam diem anathemate ablueretur, decretum noverat communi Principum sententia, ut & causa in perpetuum cecidisset, & Regnum sine ullo deinceps restitutionis remedio amisisset. Igitur quosdam ex indigenis locorum peritos & præruptis alpium jugis affluetos *mercede conduxit*, qui comitatum ejus per abruptum montem & moles nivium præcederent, & subsequens, *quæquæ possent arte, vineris asperitatem levigarent.* His ductoribus cum in verticem montis magna cum difficultate evassent, nulla ulterius progrediendi copia erat, eò quòd præceps montis latus, & ut dictum est, glaciali frigore lubricum, omnem penitus descentum negare videretur. *Ibi viri periculum omne viribus evincere conantes, nunc manibus & pedibus reptando, nunc ductorum suorum humeris innitendo, interdum quoque titubante per lubricum gressu cadendo, & longius volutando, vix tandem aliquando cum gravi salutis suæ periculo ad campestria pervenerunt.* Reginam & alias, quæ in obsequio ejus erant mulieres, *bovum coriis impositas* Duces itineris conductu præcuntes *deorsum trahabant.* Equorum alios per machinas *quasdam summitebant, alios colligatis pedibus trahabant, ex quibus multi dum traherentur mortui, plures debilitati, pauci admodum integri incolumesque periculum evadere potuerunt.* Postquam per Italiam fama percrebuit *venisse Regem, & superatis asperissimis rupibus jam intra Italix fines consiltere, certatim ad eum omnes Italix Episcopi & Comes confluebant, cumque ut Regia Magnificencia dignum erat, summo cum honore suscipiebant, atque intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eum congregatus est exercitus.* Erant enim jam ab exordio Regni ejus semper desiderantes adventum ejus in Italiam, eò quòd Regnum illud bellis, seditionibus & latrocinis ac variis privatorum infestationibus assidue infestaretur, & omnia quæ præter Leges & jura Majorum ab improbis hominibus præsumebant, Regiæ auctoritatis censure corrigi sperarent. Præterea quia fama vulgaverat, ad deponendum Papam ferocibus eum animis properare, admodum gratulabantur, oblatam sibi occasionem esse, qua eum, qui se jam pridem ab Ecclesiastica communione suspenderat, injuriam suam idoneè vindicarent. Interea *Papa rogatus per literas, à Principibus Teutonici, qui in Oppenheim convenerant, ut in Purificatione Sanctæ Mariæ, ad discutiendam causam Regis, Augusta occurreret,*

invitis Romanis Principibus, & propter incertum reventum, iter illud disuadentibus, *Roma egressus est, & quantum poterat, profectionem accelerans, statuto die præsto esse satagebat, ducatum ei præbente Mathilda, derelicta Ducis Lotharingorum Gzelonis, filia Bonifacii Marchionis, & Beatricis Comitissæ.* Hæc vivente adhuc viro suo *quandam viduatis speciem longissimam ab eo spatis exclusa præsendebat,* cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inviseret. *Post cujus mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adharebat,* cumque miro colebat affectu. Cumque magna pars Italix ejus pareret Imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, supra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicunque opera ejus Papa indignisset ocyus aderat & tanquam Patri vel Domino sedulum exhibebat officium. *Unde nec evadere possit incesti amoris suspicionem passim jactantibus Regis fautoribus & præcipuè Clericis, quibus illicita & contra scita Canonum contracta conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus, & illa furivis Papa amoribus præoccupata, post amissum conjugem ultra secundas contrahere nuptias detrectaret.* Sed apud omnes sanum aliquid sapientes luce clarius constabat, falsa esse quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie tamque Apostolicæ vitam instituebat, ut nec minimam sinistra rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret, & illa in urbe celeberrima atque in tanta obsequentium frequentia obscenum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventissimus pro Deo & pro Ecclesiasticis Legibus satis eum contra venenatas detrectatorum linguas communiebant. Igitur Papa dum in Gallias properaret, ex insperato audiens, Regem jam esse intra Italiam, hortante Mathilda, in castellum quoddam munitissimum quod Canusium dicitur, divertit, expectare volens, donec consiliū aduentus ejus diligentius exploraret, utrum scilicet veniam admitti postulare, an injuriam excommunicationis suæ militari manu persequi, plenus animorū adveniret. Diedericus *Episcopus Verdunensis, Vir constantissimæ erga Regem fidei, dum Regem in Italiam proficiscentem paulo post insequi vellet, captus est ab Adelberto Comite de Castello, quod dicitur Caleuuo, & spoliatus omnibus, quæ studiosissime convexerat, tam longi itineris impensis.* A quo diu habitus in custodia, tandem dato, quodcunque exigebatur, redemptionis suæ pretio, addito etiam jurejurando, quòd injuriæ hujus nec spirituale nec corporalem vindictam aliquando expeteret, liber abire dimissus est. *Rubertus quoque Babenbergensis Episcopus, dum in Italiam pergens per Bajoariam iter ageret, captus est ab Welf Duce Bajoariorum.* Qui sublatis omnibus, quæ illius fuerant, peculiaribus, vestes Pontificales & cæterum Ecclesiasticum ornatum, quem in thesauris ejus reperit, Ecclesiæ Babenbergensi cum omni integritate reconsignavit. Ipsum vero in castello munitissimo, à natali Domini usque ad Festivitatem Sancti Bartholomæi Apostoli, sub diligenti custodia tenuit, nec ullis amicorum ejus precibus aut muneribus, ut dimitteret, evinci potuit. Cæteri *Episcopi & Laici, quos Papa excommunicaverat, quosque Rex hujus rei gratia à latere suo extrema*

necessitate compulsi, amoverat, elusis custodibus, qui Clusas obsidebant, in Italiam illasi pervenerunt, reperioq; P. ipa in Canusio, veniam praesumpta rebellionis atque in excommunicatione absolventur, nudis pedibus, & lincis ad carnem induti suppliciter postulabant. Ille his qui veraciter peccatum suum agnoscerent, & deslerent, non esse ajebat misericordiam denegandam; sed longam inobedientiam & diu ineretam peccati rubiginem diuturnioris poenitentiae igne exuri & excoqui oportere. Quapropter, si eos revera facti poeniteret, a quo animo paterentur, quodeunque sanandis vulneribus eorum adhiberet Ecclesiasticae corruptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiae culpa, quae adversus Sedem Apostolicam atrox & vehemens praesumpta fuisset, vel parva vel nulla videretur. Illis paratos se poenitentibus ad omnia, quae imposuisset, sufferendi, *Episcopus omnes a se invictos separatos, praecipit singulis cellis solitarios includi, nec ullum cum aliquo habere colloquium, ad vesperam autem cibi & potus mediocri mensura refici. Laici quoque pro uxore vel virium consideratione congruentem singulis poenitentiam indixit.* Ita per aliquot dies examinatos tandem ad se vocavit, & leniter pro admissis objurgatos, & ne deinceps simile quid admitterent, communitos, *excommunicatione absolvit*, abeuntibusque id ante omnia repetens iterumque praecipit, ne Rege Henrico donec Sedi Apostolicae, post factam injuriam, satisfecisset, aliquatenus communicarent, aut ei ad evertendum statum Reipublicae turbandamque pacem Ecclesiasticam in aliquo operam suam accommodarent. Ad hoc tamen omnibus indifferenter ejus permissio colloqui, ut ad poenitentiam provocaretur, & a cursu mali operis, quod praecipit rapi videbatur, retraheretur. Iterum Rex Henricus Matildam Comitissam ad colloquium evocavit, eamque precibus ac promissionibus oneratam ad Papam transmisit, & cum ea soctum suam, filiumque ejus Azzonem, etiam Marchionem & Abbatem Cloniacensem, & alios nonnullos ex primis Italiae Principibus, quorum auctoritatem magnum apud eum in mentem esse, non ambigebat, obsecrans, ut *excommunicatione absolveretur*, nec Principibus Teutonicis, qui ad accusandum eum stimulo invidiae magis, quam zelo justitiae exarsissent, remeae fides haberetur. Quorum Papa legatione audita, ait, *incongruum valde esse*, & ab Ecclesiasticis Legibus omnino alienum, ut *absentibus accusatoribus causa accusati ventilaretur.* Quin imò si innocentiae suae consideret, omni timoris scrupulo liberatus, statuto die in Augustam, quod caeteri Principes convenire statuissent, fiducialiter occurreret, se illic discussis utrarumque partium allegationibus, nec odio, nec gratia ab jure ad injuriam devolvendum, sed juxta Leges Ecclesiasticas quam rectissimam possit de singulis sententiam laturum esse. Adhuc illi responderunt, Regem illius nusquam terrarum subterfugere judicium, quem sciat aequitatis & innocentiae incorruptissimum vindicem & advocatum fore. Sed è vicino jam urgere diem anniversarium, quo excommunicatus fuisset, & Principes Regni hac expectatione suspensus attentosque anxie rei eventum praetolari, ut si ante hanc diem excommunicatione non absolvarur, deinceps juxta Palatinas Leges indignus Regio honore habeatur, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnixius petere, & hoc omni, quo Papa jubeat, satisfactionis genere, paratum emereri, ut solo interim anathemate absolvarur, &

communione Ecclesiasticae gratiam recipiat, respondensur ex integro quacunque die, quocunque loco Papa praecipiat, tanquam nihil hac conventionē actum sit, omnibus, quae acculatores ejus objecerant, criminibus, & juxta sententiam ejus Regnum vel retenturus, si objecta purgasset, vel a quo animo, si caula cecidisset, amissurus. *Diu Papa restitit, veritus in Rege juvenilis animi inconstantiam, & proclive quocunque assentatores impuissent ingenium. Sed superatus tandem importunitate perurgentium, & gravitate sententiarum, si veraciter, inquit, eum sacelli poenitet, coronam & caetera Regni insignia in argumentum vere & ex animo ad illa poenitentiam nostra potestati dedat, & se post eam contumax admissum Regio nomine & honore deinceps indignum proficiatur.* Durum nimis hoc visum est Legatis. Cumque vehementer insisterent, ut sententiam temperaret, nec calamum conquassatum iudicii austeritate penitus contereret, vix & argè tandem exoratum, annuit, ut *comitum veniret, & si veram pro admissis poenitentiam gereret, culpam quae Sedi Apostolicae contumeliam irrogando contraxerat Sedis Apostolicae decretis nunc obediendo expiaret.* Venit ille, ut iustum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo deposito caetera Regia, nihil praefereus Regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, jejuniu a mane usque ad vesperam perstabat, *Romani Pontificis sententiam praestolando.* Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in confectum ejus admissum, post multas hinc inde dictas sententias, huiusmodi conditionibus excommunicatione absolutus est, ut die & loco quemcunque Papa designasset evocatus ad generale Concilium Teutoniarum Principibus praesto esset, & accusationibus, quae intenderentur, responderet, ipso Papa, si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente, & ad ejus sententiam vel resisteret Regium, si objecta purgasset, vel a quo animo amitteret, si probatis criminibus Regio deinceps honore indignus juxta Ecclesiasticas leges decerneretur, nullam foveretulo siue amisso Regio huiusmodi injuria vindictam, a quopiam hominum: ut perpetuum exaltum. Usque ad eam autem diem, qua causa ejus legitime discussa terminaretur, nulla Regii cultus ornamenta, nulla Regia dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suo jure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret, postremo praeter Regalium servitorum exactionem, quibus necessario ipse & sui sustentandi essent, nihil Regium, nihil publicum usurparet, omnes etiam qui ei sub juramento fidem dixissent, ab huiusmodi sacramenti vinculo, & conservanda erga eum fidei debito & apud Deum & apud homines interitu liberi expediendi manerent, *Ratbertum Babenbergensem Episcopum, & Udalricum de Corbeim, & caeteros quorum consilium se Rege publicam prodidisset, a sua in perpetuum familiaritate amoveret.* Quod si purgatus quae objicerentur, potens confortatusque in Regno perstisset, subditus Romano Pontifici semper disloque obtemperans foret, & ad corrigenda quaecunque in Regno ejus, contra Ecclesiasticas Leges, prava consuetudine inolevissent, consensiens ei & pro virili portione cooperatur existeret. Ad ultimum si quid bonum praevaricaretur, irritam fore hanc qua nunciantopere expensis sit, anathematis absolutioem, quin imò jam pro convulso confessioq; habendum esse, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum Prin-

Principisque Regni omni deinceps questione cuncta iurjurandi Religione liberatos, Regem alium in quem communis electio consensisset creaturos esse. Gratanter Rex accepit conditiones, & servaturum se omnia, quam sanctissimis poterat assertionibus, promittebat. Nec tamen promittenti temerè fides habita est. Sed Abbas Cloniaccensis, quoniam jurare monastica religionis obtentu detrectabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interpoluit. Episcopus quoque Citicensis, & Episcopus Vercellensis, & Azzo Marchio, & alii conventionis ejus Principes alatis Sanctorum reliquiis sub jurejurando confirmaverunt, facturum eum esse, quæ pollicebatur, nec aliqua rerum asperitate vel casuum variè succedentium mutabilitate ab sententia deducendum. Ita absoluto eo excommunicatione, Papa missarum solennia celebravit, confecta que sacra oblatione Regem cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine ad altare convocavit, præferensque manu corpus Dominicum, ego, inquit, jampridem à te tuisque factoribus literas accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per Symoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam tam ante Episcopatum quam post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certè sessum ad stipulationem crimen refellere queam, eorum scilicet, qui omnem vitam ab ineunte ætate institutionem integerrimè noverunt, & eorum, qui meæ ad Episcopatum promotionis auctores fuerunt, ego tamen ne humano potius, quam Divino nisi videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum, quod sumptuosus ero in experimentum mihi hodie fiat innocentia mea, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspitione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus. Hæc & alia ut solenne est præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem, & innocentie assertorem adesse precabatur, partem Dominicæ corporis accepit & commedit. Qua libertimè absumpta, cum populus in laudes Dei innocentie ejus congratulatus aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio, conversus ad Regem; Fac ergo, inquit, fili, si placeat quod me facere vidisti. Principes Teutonici Regni suis indices accusationibus aures nostras obviunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab Ecclesiastica etiam communione & ab omnimoda vita seculari conversatione usque ad extremum spiritum te suspendi oportere existimant. Petunt etiam magnopere diem & locum status audientiamque præstari canonicè discutiendis, quas adversum te afferant, accusationibus. Et nosti optime humana plerumque vacillare judicia, & in publicis disceptationibus nonnunquam falsa pro veris persuaderi, dum pro disertorum hominum ingenio & dicendi copia & suavitate, falsitas verborum phaleris adornata libenter auditur, & veritas nullis eloquentie nixæ adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultum cupiam, pro eo quod in calamitatibus tuis supplicem Apostolica Sedis patrocinium expetisti, fac quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab amulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiosè & Ecclesiam

Dei scandalo, & teipsum longa concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominicæ corporis, ut comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua garrigentium, & me deinceps cause tuæ Advocato, & innocentia tua vehementissimo assertore, Principes tibi reconcilientur, Regnum restituatur, omnes, quibus jam diu Republica vexatur, bellorum civilium tempestates in perpetuum sopiantur. Ad hæc ille inopinata re attonitus æquare, tergiversari, consilia cum suis familiaribus segregatus à multitudine conferre, & quid factu opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem evaderet, trepidus consulere. Resumpto demum spiritu caulari apud Papam cœpit de absentia Principum, qui sibi in adversis fidem adhuc integram servassent, quibus inconsultis & potissimum absentibus accusatoribus irritam fore, nec quicquam virium apud incredulos habituram esse, quamcunque pro experienda innocentia sua satisfactionem paucis, qui aderant, proposuisset. Proinde sedulo Papam orare, ut rem integram generali Concilio communiq; audientie differret, ut ibi congregatis accusatoribus & secundum Leges Ecclesiasticas discussis accusationibus, quam accusatorum personis, conditionibus, quascunque Principes Regni æquas judicassent, objecta refelleret. Haud gravatè Papa petenti adqueivit, expletoque sacro ministerio Regem ad prandium vocavit, benignissimeque refectum, & de omnibus, quæ eum observare oporteret, diligenter instructum, cum pace ad suos, qui longius extra castellum remanserant, dimisit. Epponem quoque Citicensem Episcopum præmisit ante eum, ut eos, qui ei excommunicato, priusquam anathemate absolveretur, indifferenter communicaverant, vice sua excommunicatione absolveret, benignè præcavens, ne quam de nudo receptæ communionis maculam contraheret. Qui dum venisset, & causam pro qua missus fuerat Italiam exposuisset, vehemens in eum ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sævire verbis ac manibus cœperunt. Apostolicæ Legationi irrisoriis exclamationibus oblitescere, convitia & maledicta, utcunque turpissima, furor suggestisset, irrogare, se excommunicationem illius nihilis asserere, quem ipsum omnes Italia Episcopi justis ex causis jam pridem excommunicassent, qui Sedem Apostolicam per Symoniacam hæresim occupasset, homicidiis cruentasset, adulteriis aliisque capitalibus criminibus pollisset, Regem secus ac deceat, egisse, crimenque gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, quod hominibus hæretico, & probris omnibus infamato Majestatem Regiam summaserit, & quem justitiæ patronum, Legatione Ecclesiasticam vindicem sibi parassent, is sædissima subjectione sua fidem plane Catholicam, auctoritatem Ecclesie, dignitatem Republicam prodiderit, se in ultionem ejus omnes, quas potuerint, Papæ injurias irrogasse, & nunc quod dictu quoque turpe sit, se in mediis perturbationum fluctibus relicto, ipsum sibi consuluisse, & cum hoste publico privata necessitudine in gratiam redisse. Hæc potissimum Principes Italiæ jactando & passim per populū serendo, ingens Regi odium brevi conflaverant. Adulta postremo seditione, una omnium voluntas, una sententia erat, ne abdicato patre, qui ultrò Regni fascibus indignum se effecisset, filium ejus, licet impubem adhuc, & Regni negotiis immaturum, Regem sibi facerent.

rent, & cum eo Romam profecti Papam alium eligerent, per quem & ipse protinus Imperator consecraretur, & omnia Papæ hujus Apostatici gesta cassarentur. *Perlato ad Regem tam molestæ conspirationis nuncio, misit prope quicquid apud se Principum erat, ne quaqua ratione, quaqua possent industria efferas multitudinis animos mitigarent, ne molestè acciperent, aut in contumeliam suam factum reputarent, quòd extrema necessitate compulsus communis commodi ratione fecisset, nec Teutonicis Principibus, qui sibi per calumniam Regnum eripere dedita opera machinarentur, nec Romano Pontifici, qui ad evitendum statum Sanctæ Ecclesiæ spirituali gladio circumquaque fulguraret, aliter latifieri potuisse, quam ut ante statutam diem excommunicatione abolveretur, nunc se omnibus angustiis, quibus vias ejus conclusissent inimici, liberatum, omnem deinceps curam indulgentiamque ad vindicandas suas, & illorum injurias translaturum. Vix tandem compresso potius, quam extincto concitati tumultus incendio, plerique ex Principibus castris se per iram subtrahentes, injussi in sua redière. Cæteri dissimulata interim iracundia, redeuntem Regem pacificè exceperunt, sed neque consuetam ei reverentiam deferebant, neque tam sumptuosa ut prius, utque Regiam magnificentiam decuerat, servitia ei exhibebant, sed aversis oculis, infestis mentibus passim per omnes angulos de levitate & ineptia ejus mussitabant, locordiamque accusabant, quòd tam diu expectatus tam anxie desideratus, periclitantis Italicæ calamitatibus nihil postremo spei, nihil præsidii attulisset. Cumque Italiam peragraret, ut his qui oppressi fuerant, calumniamve patiebantur Regio more justa faceret, nec in civitates eum recipiebant, nec eum saculis & faustis acclamationibus, ut prioribus Regibus conlueverant, obviam ei procedebant, sed foris in suburbanis locis castris positis, commorari jubebantur, & illuc ei alimenta, quibus exercitus sustentarentur, & ipsa modica & vix necessitatem potius quam Regalium epularum solum splendorem copiamve expleant, ne manifestæ defectionis immaturè argui possent, ministrabant, apposito singulis in locis præsidio, ut prædas fortè de agris vel villis agere volentes, armata manu coercerentur. Territus Rex insolita rerum facie, seioque poenitens quòd incognitæ gentis, inexperitæ prius fidei, temerè se credidisset, & Teutonicis finibus excedendo hostem mutasset non evasisset, gravi solitudine & metu perurgebatur, nec ullum usquam effugium inveniebat, nisi in reconciliandis fortè, si qua ratione posset, quos offenderat, Italorum animis. Ratus itaque hujus rei unicum hoc esse præsidium, ut in unum cum Romano Pontifice fœdus abrumperet, & inde reparandæ concordie initium faceret, unde fuerat orta discordia. Udalricum de Gosheim, & cæteros quos ille severissimo anathemate à contubernio ejus amoverat, in pristinum gratiæ & familiaritatis suæ gradum revocavit, & cum eis denuò de privatis, de publicis negotiis eadem, quâ conlueverat, singularitate ac privilegio consilia conferebat. Tum assidue in conventu Principum criminabatur, & detrahebat Romano Pontifici, quòd ipse omnem hanc, qui Rempublicam concussisset, ventum turbinis, & commotionis levissimæ procellam suis machinationibus concitasset, ipse omnium quæ in Ecclesiâ omni recenti memoria fecus accidissent, auctor inventorque extitisset. Hortabaturq; omnes in commune, ut suo ductu suisq; auspiciis*

tantarum ab eo injuriarum vindictam expecerent. Dein conditiones omnes & universa Ecclesiasticarum Legum vincula, quibus ille eum Apostolica auctoritate in salutem obstrinxerat, contemptum tantquam aranearum telas dirupit, abjectisque omnibus timoris Dei habenis, in omne quòd animus suggessisset effrenata libertate ferebatur. His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare studia denno in eum incallescere ceperunt, ita ut frequentior indies ad eum multitudo conflueret, sumptus exercitui copiosiores ministrarent, & ad omne, quòd jussisset, promptissimè jam manus operamque suam pollicerentur. Erant tunc temporis apud eum ex Teutonicis, principio Liemarum Bremensis Archiepiscopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus, Burchardus Losannensis Episcopus, Burchardus Basiliensis Episcopus. Laici, Udalricus, Eberhardus, Bertholdus, & alii penè omnes, quos in Oppenheim Legati Apostolicæ Sedis à contubernio ejus propter excommunicationem segregaverant, qui nunc post receptam communionem, cum quoque Ecclesiæ reconciliatum comperissent, unanimiter ad eum confluerunt, & ei deinceps peregrinationis ejus individui comites adhaerebant. Interea Moguntinus, Würzburgensis & Mettensis Episcopi, Rudoltus, Welf, Berdolfus Duces & alii plerique ex Principibus Teutonicis convenientes tractare de utilitatibus Reipublicæ, statuerunt, ut Principes Saxonia, & omnes quibuscumque Reipublica cura foret III. Idus Martii in Forcheim occurrerent, & communi consilio, quid factu opus esset, decernerent, præsertim cum per absentiam Regis tranquillibus ac consultationibus nacti fuissent. Romano quoque Pontifici scripserunt, ut quoniam in Purificatione Sanctæ Mariæ Augustam juxta conditum, dolo Regis præventus, occurrere non potuerat, sedens in Forcheim statuta die præsto esse satageret, & sedandis bellorum civilium tempestatibus, quibus jam dudum periclitaretur Reipublica, Apostolici moderatissimi gubernaculum adhiberet. Adhuc ille in Canusio & aliis circa firmissimis munitionibus se continebat, dispositum habens non prius Romam regredi, quam confecto itinere quòd instituerat, si Deo propitio conatum sequeretur effectus, pacem Ecclesiæ Dei reddidisset. Igitur acceptis literis tametsi jam pridem frequens ad eum fama detulisset, Regem mutata mente hostiles ad verum se spiritus gerere, & contemptis conditionibus, quibus excommunicatione absolutus fuerat, animo fixum tenere, ut Leges Ecclesiasticas manu militari debellaret. Misit tamen unum ex Cardinalibus Episcopis Romana Ecclesiæ Gregorium nomine, & alias, quos ei negotio idoneos arbitratur, qui ei dicerent, tempus esse, ut promissa compleret, conventurus in Forcheim III. Idus Mart. Principes Teutonici Regni ad componendû, si Deus votis annuat, statum Reip. Veniret ergo, ut pollicitus sit, & crimina quibus innocens, ut ipse asserat, à calumniatoribus suis impositus sit, se cognoscere & iudice præsentie, responderet. Multum rebus suis salutiq; & apud Deum & apud homines collaturus, si Ecclesiæ scandalis, Rempublicæ bellis civilibus, seipsum sceleratissimæ exillimationis macula liberaret. Præsertim cû ea die discussis synodicè, quæ adversû eum afferantur causis, vel recepturus esset Regnum, vel fore omnem deinceps retractionem amissurus. Legatis mandata perferentibus, ille dissimulatis mediocriter his, quæ animo agitabat, respondit se post acceptum Regnum, hæc

Primum vice Italiam intrasse, & ideo multis nunc & magna Republica negotiis implicitum, non posse tam cito, infelicitate rebus, Provincia excedere. Quia si id faciat, Italos, quos longo tempore anxia adventus sui expectatione suspendisset, gravissime offendat. Præterea diem conventui habendo statutum è vicino imminere, seq; tam brevibus induciis, tanta terrarum spatia nulla equorum celeritate posse transcurrere, etiamsi nullis extrinsecus retardetur impedimentis. In hæc verba Legatos dimisit, *Papa* certior jam factus de immutatione animi ejus, & cæteris rebus quas ad eum jam pridem fama detulerat, *misit protinus* Bernhardum Abbatem de Massilia, Virum eximia conversationis, & multarum in Christo Virtutum, item alium Bernhardum Cardinalem Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; ut *Principibus Testonici Regni*, qui (ut supra dictum est) III. Idus Martii Forcheim conventuri erant, *occurrerent, eosq; per ordinem ea qua gesta erant, edocerent*, se juxta placitum dedita opera enisum fuisse, ut die & loco statuto, communibus Sanctæ Eccle-

siæ utilitatibus tractandis præsto esset. Sed Domini Henrici diligentia ita circumventum, ita omnes per quas transitus esse potuisset, iterum angustias præoccupatas, ut nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeat. Proinde *monere eos, ut suis interim rebus, & Regno Francorum, quod diu jam unius hominis puerili levitate vexetur, quaqua possint ratione, moderentur*, donec si Deus velit, adempta itineris difficultate ipse venire, & collatis in medium consiliis, quid utilitati, quid honestati omnium, quid paci Ecclesiasticæ expediat, secundum Ecclesiasticas Leges decernere possit.

Nos more inertis Poëtæ extremo jam in opere languescens, ingentisq; materiæ mole superati, in longum satis, ut videtur, protracto volumini hic tandem finem imponimus, ut si cui forte post nos ad describendam reliquam partem hujus Historiæ manum mittere libuerit, ab electione Rudolphi Regis congruum scribendi exordium faciat.

F I N I S.

DE NOMINIBUS PROPRIIS

Germanorum, eorumque ad pristinam Etymologiam
reducendorum ratione.

OPUSCULUM

Per quendam Antiquitatis studiosum, compositum.

Nomina propria habentia ulff seu ulff sunt verè Germanica. Or,

Rudolfus, à Latinis corruptum est. Sed Germanicè dicitur, *Nahthülff* id est, *consilium & auxilium*, salus enim seu auxilium, dicitur *Hülff* *Nacht* consilium.

Ludolfus, corruptè, Germanicè dicitur *Luidhülff* seu *Leuthülff* Luide, u Hollandico, vel *Leut* Suevica diphthongo, significat *homines* in plurali. Est igitur *Leuthülff* *Græcè Alexander*. Hinc factum est nomen Paridi. Vide Ovidium, in Epistola Paridis ad Helenam, ubi inquit:

— & causam nominis inde tuli.

Landolfus, pro *Landhülff* id est, *terrarum salus* seu Regionis auxiliator.

Gangolfus, pro *Ganghülff* / *prosperum auxilium*, quod procedat feliciter: Et verso vocabulo idem dicitur *Hülffgang* / quod *perperam* dicitur *Wolffgang* / quasi lupum procedere dixeris. *Veni hoc vitium ex lingua Belgica*, quæ adhuc hodie vocales ita torquet, *Huolfgangus*, cum *Hülffgang* vult dicere, quod aures imperitæ accipiunt quasi *Wolffgang* / *Wolff* enim lupus est.

Arnolfus, pro *Chrnhülff* / *honoris auxilium*: Qui juvet & promoveat honesta & Virtutem, perpetuo enim Latini, a scribunt & pronunciant, ubi Germani, e seu diphthongum æ habent, & aspirationes omittunt.

Gandolfus, videtur esse idem quod *Gangolfus*, viatiato g per d.

Ulfarus, id est, *Hülffer* seu *Helffer* / *Salvator, Auxiliator* *Alexius, Josua, Jesus, Esdras, &c.*

Minulfus, absque dubio: *Meum auxilium* seu salus mea, *Mynn* enim Saxonice, *Meum* significat. Inde *Mynhülff*.

Astulphus, est *Hasthülff* / *festinum auxilium*, *Hast* Saxonice *festinum*, acrem, ardentem significat.

Apulphus, qui est vel *Eilthülff*, id est, *citum, velox auxilium*: Idem ferè quod *Hasthülff* / *Eil* enim significat *festinationem*, *celeritatem*. Vel quod hodie extat in usu, *Eitelhülff* / *vitiose*, *Eitelvolff* / quasi dicat, *plenum & merum auxilium*.

Wolfart / *corruptissimum*, pro *Hülffahrt* est enim conversum nomen, *Nahthülff* / quem *Rudolfum* vocant, ut supra.

Adolphus, valde depravatam, *Hatthülff* dici debet: Sic Latini Regem Longobardorum *Albulffum* vocant, est autem *Hatto* seu *Hatto* / idem quod *pater*. Unde adhuc hodie in Hattia, pueri appellant patres suos *Hatto*, a Italico seu e crasso & diphthongato: Ita *Hatthülff* est *pater auxilianus* seu *salvans*: Et credo, *Cattos*, quos nunc *Hessos* vocamus, *prisco vocabulo*, *Hattos*, id est, *patres*, & *Hattiam*, *patriam* appellatam esse. Sic Episcopus ille *Babenbergenis Hatto*: Et alius *Otto*, quod idem est: Nam *Otto* sine dubio, per Latinos *omissa aspiratione* (sicut alias ferè semper faciunt) pro *Hatto* seu *Hatto*, depravatam est: Ergo Imperatores illi tres *Ottones* debent, *Hatti* appellati, *Hatto* post *Hatto* regnavit tertius *Hatto*:

Nec mirum est linguam ab imperitis depravari: Nam nos vicissim, regnante barbarie Latinam linguam egregie corrupimus. Eadem ignorantia credo corruptum esse, ipsum capitale nomen nationis nostræ, scilicet
Germania

Raphellare sive Dageffare. Nam alii Raphellant per
th alii per d ita est magnus symbolismus inter istas li-
teras tenues, aspiratas & medias.

Inde nomen diminutivum *Dödle* / quem *Itali Tottila*
vocat: Sed Germanis usitatissimum *Deffel* / *Digel* /
Dögel / quia rz. mutant Itali in tt ut *Hassia*, *Hattia*, *Hat-
ti*, *Hessi*, seu *Catti*. Non est dubium, quin Rex *Deffel*
vulgata lingua dictus sit, ille *Tottila*. Nam Itali non
scribunt *Deffel*, sed *Dottel* seu *Tottila*. Et sicut ille dixit,
facetè quidem, sed verè, *Itali & Galli, aliter scribunt,
quàm loquuntur, & aliter loquuntur quàm sentiunt*, ita
hic ore pronunciant *Dögel* / & tamen scribunt *Totti-
la*, pronunciant *Effel* & scribunt *Attila*, pronunciant
Aizio & scribunt *Actio*, pronunciant *lesere*, *asere*, *dise-
re*, & scribunt *legere*, *agere*, *dicere*. Sed & Franci no-
stri adhuc hodie vocant *Dod* / *patrum seu patrem
spiritualem*, qui puerum è Baptismo susceperit.

Hinc est ille *Dndrich* seu *Dndrich dives in Deo*,
divus, divinus. Et *Thejos* Græcè seu *Eusebius*, pius.

Nomina in Wic & Ich sunt Germanica. Vi,

Vitigis Rex Longobard. Sed rectè *Wittich* / hunc
Cæsar, *Divitiacum* vocat, *Witte* autem Saxonice est
prudencia seu peritia. Inde *Wittich* prudens, peritus,
cordatus.

Heddevvigi Regina, rectius, *Hettovvig patri re-
fugium*, *Wic* enim Saxonibus *refugium* significat.
Inde *Brynswig* seu *Brunswig* / ut supra: Ita *Dswig* /
Coswig / *Herdwig*. *Ludovicus*, sed malè, *Eydwig*
Saxonice seu *Zentewig* Suevicè, id est, *populi seu ho-
minum refugium & solatium*. Hunc *Cæsar*, *Lytavi-
cum* appellat volens Saxonice imitari, & a *Italicum*
pro e crasso, & y pro u *Hollandico*, usurpavit. Hunc
Galli crassissimè nominant, *Clodoveum* inflata per gut-
tur litera l, & *wic* in *veus* mutato.

Omnia nomina in Walt sunt Germanica. Vi,

Dswalt / rectius *Hustwalt* / *Gubernator domus*, *Præ-
fectus*, *Oeconomus*, qui nunc in *Aula* vocatur *Hofe-
meister* / *Walt* enim significat *potestatem magistratum*
vel gubernandi facultatem. Inde vox auspantium ali-
quid, *Das walt Gott* / *Deus* gubernet hoc.

Ehwalt / *synopatum Ewald*. Sed dicendum *Hege-
wald* / qui *potestatem*, vel *officium custodiendi & ser-
vandi* habet, *Hegen* enim significat, *custodire*. Inde no-
men *Heger* / quem nunc *Hoyer* vitiosè dicunt, id est,
Servator, (*custos*, *Servatius*) Latine, in *Aula*, *Kämmerer* /
Kentmeister. Sic agrum, pratum, lignetum, sepibus
circumscriptum, vocatur, *gehegt* / scilicet quòd ab usu
publico separatum, custoditum est. Et *Consistorium*,
Tribunal seu sacer circulus (ut *Homerus* loquitur)
vocatur *gehegte Vauet* / *gehegt Gericht* / &c.

Sebald / *Sebaldus* : Hoc est *Seewalt* / accentu cir-
cumflexo in prima est relativè contrarium, *Hegwalt*.
Ut *Seewalt* sit ille *Oeconomus*, qui *foras exportat, semi-
nat, plantat, arat, colit, terram, rus, hortum & alia*.
Hegwalt / qui *collecta, demessa, decerpta recipiat*, do-
mum vehat, condat ac custodiat, *illum agricolam*
(Græcè *Georgium*) hunc promum dixeris.

Wilibald / *Wilibald* / rectius *Wiltwalt* / id est, *multis
Præfectus*, multa gubernans, quasi supremus vel ma-
jor *Gubernator* super cæteros. *Neel* enim accentu
circumflexo Saxonice multum significat. Aut à boni-
tate, *Woltwalt* / bene gubernans velut ominis boni
gratia (ut plurimum solent Germani) sic vocatus.

Eipold / *Theobaldus*, sed *Ditwalt* (per y Græcum)
Dit (ut supra) *Dominum*, possessionem significat

Dietwalt *Præfectus domini*, vel *Dendwalt* / *Dud-
walt* *Dei potestas*, ut supra in *Dietrich*.

Grymoaldus, Rex Longobard. *Grimwalt* *iræ
potestas*. Videtur fuisse antiquis nomen *judiciariæ* po-
testatis, quæ exerceat iram in facinorosos, sicut nunc
est *Judex*, qui tradit tortori puniendum. Nam quòd
hodie *Richten* / *Richter* dicitur, novum esse apparet,
cum *Richren* propriè in bonum, non in pœnam sonet,
velut impedita & perplexa expedire & explicare.
Estque operatio propria intellectus, inde *recht* / *rich-
tig* / sicut lineam rectam, viam rectam, contra curvam,
perplexam dicimus. *Richten* igitur *rectificare* est. In-
de *Berichten* dicimus, hominem docere, informare,
instruere, ex errore ducere. *Lieber berichte mich
das* / &c. Est igitur *Grimwalt* *iræ potestas*. Et *Itali
w* in o mutant sono verborum capti.

Adoaldus Rex Longobard. *Ab Otto* seu *Hatto*,
Hettwalt / *patri potestas*, vice patris, tutor, patronus.
Et hodie *causidicis*, in usu reliquum est, *Anwalt* *pa-
tronus*, quòd an corruptè n pro ut scriptum & lectum
sit, ut *Anwalt* pro *Hattwalt* nunc dicant, non satis
scio.

Rodoaldus Rex Longobard. Hoc vel à *Rast* (sicut
suprà *Rudolphus* *Rastwalt* *consilii potestas*, consu-
lendi potestas, consul, vel à *Retten* / id est, *salvare*, *li-
berare*. *Rottwalt* / *redemptor*, *liberator*, *erector* : Sicut
alius Rex Longobard. *Rotharis* dicitur, qui absque
dubio est *Retter* / id est, *liberator*, *salvator* est.

Garibaldus *Berwalt* / *Barwalt* / hodie *Bolsmacht*.

Omnia nomina in Win sunt Germanica.

Volctwin / *Volgetwin* / *Victor populorum* *Nico-
laus*, *Nicodemus*.

Waldwin / *Baldurvinus*, cito vincens *Esaiz* 8. Ci-
tò prædare.

Albwinus, *Alguinus*, *Alcurvinus*, *Alboinus*, *Alle-
win* / *Allgetwin* / omnia vincens, Rex Longobard.

Anboinus, si *Italico* more n pro l scriptum est, *idem
quod* *Alboinus* est, illi enim scribunt *Bononia*, cum
dicunt *Bologna* alioqui erit *Handwin* / id est, *vi-
ctrix manus & invicta bello dextera*.

Gostwin videtur esse *Hustwin* / *victor domorum*,
vitiata litera h per g ut frequentissimè fit. Sed melius,
Josquin, quòd nomen insignis *Musici* in *Bel-
gico* celebre fecit. Est autem *Josquin* diminutivum à
Jost seu *Iusto*. Sic enim illi loquuntur blandiendo pue-
ris, *Iustfin* / id est, *justulus*, *Justinulus*. Nam quòd
Jobst quidam dicunt, est crassities superioris *Germa-
niæ*, qui etiam *Sancti Jos* vocant *idolum & figmen-
tum* illud *Anglicanum*.

Omnia nomina in Old sunt Germanica.

Arnoldus, Germanicè *Ehrhold* / *honestus*, *amans
honestatis & Virtutis*. Sic hodie *Cæsaris caduceator* vo-
catur *Herold* / id est, *Ehrhold* / qui *Virtutem & ho-
nestatem* quærat & server.

Euypold / hoc propriè debet dici, *Liebhold* / nomine
composito sicut *Rathhuff* / &c. Quasi dicas, *Lieb* und
hold / *amabilis & dilectus*, *Erasmus*, *amandus*. *Lieb*
enim est *amatus*, vel *amabilis*. *Huld* est *gratia*
qua diligo, inde dicitur *Hosderbute* / id est, *chara
sponsa*, vel *amica*, *Er* ist mir nicht *hold* / id est, non
diligit me.

Diepost / hunc alii faciunt *Theobaldum* alii *Hypoly-
tum* : Sed *Theobaldus*, nihil valet, in ulla lingua. Est-
que certò figmentum, si *Hypolytus* est, potest h in d
mutatum esse, & tum non est *Germanicum*, sed *Græ-
cum*,

cum, qualia valde multa sunt in Germania. Ego puto idem esse quod Siebhold / & Labdakismo aliquo vitium nomen, quia omnes qui laborant Labdakismo, pronunciant in syll. bz initio d & penè n quoq; cum tamen l in fine syllabz rectè pronunciant, sicut accidit & in litera r, ut syllabam ab r incipere non possint & tamen bene possunt, finale r dicere.

Omnia nomina in Mann sunt Germanica.

Heermann / de quo supra, quem Itali *Ariminum* corruptè dicunt, scilicet *Dux exercitus*, vel bellator.

Hartmann / *vir fortis, Andreas*, Hart enim durum, fortem, invictum significat passivè, qui non cedit, sed perdurat.

Est autè Mann componibile nomen tam frequens in Germanica lingua, quàm est ullum in Græca & Latina. Sic dicunt, Hauffmann / Chemann / Dorffmann / Schwerdmann. Et serè quoties verbale nomen deest, componitur mann cum verbo. Ut,

Siegmann (quem *Sigismundum* dicunt longè corruptissimè) quasi dicas *Victor*, seu vir vincens, *Victorinus*, Sieg enim victoria est, Siegen vincere significat.

Bohemundum, Bogemann / id est, *audax, audentius*, qui rem fortiter audet aggredi. Nam vitium Scriptorum in Bohæ certum est, cum Vogt audierint.

Raymundus iisdem vitiiis dicitur pro Rngemann / seu Rngemann / id est, *quietus, tranquillus, vir quietus*, Ebraicè Noah, sicut Numa Pomp. Salomo, sine bel-
lis, &c.

Omnia nomina in Werd sunt Germanica.

Albrecht certum est, Adeltwerd / compositione appositiva, quasi Edel und Werd / preciosum & charum, sicut geminas vocamus Edelstein / id est, preciosos lapides, Werd / est *charum & preciosum*. Et videtur ista geminata ejusdem significationis compositio, emphasim habere, Albrecht / Alprecht / vitia sunt.

Hilbertus, Heltwerd / id est, *heros charus & preciosus* seu rarus, vel hold und werd / *Holdverdu*, hold-
fellig hodie.

Digobertus, Tugewerd / Tugem est *in pretio esse, valere aliquid, utilem esse, inde Tugend / Virtus, valor, laudum honestum*: Sic dicitur, Er thät mir alle Tugend und Ehre / id est, exhibuit mihi omnem Virtutem & officium.

Fulbertus, hic est Wolwerd / Volverdu, eadem emphatica compositione, *dignè dignus, charè charus*.

Aripertus, Rex Longobard, id est, Ehretwerd : *honoratus & charus, honore dignus, Honorius*.

Liebenwerd / id est, Lieb und werd / sicut, Liebhold / Rathulff / Hatthulff compositione Germanica.

Werd / id est, *charum* : Inde civitatum nomina Donatwerd / & Werd.

Et in feminino Wolwerd / Walpredt / Walpurg / vitiosissimè, Eucharis, gratiosa, Venus, *venusta*.

Gunibertus nomen depravatum, sed optimi ominis : Est enim Rünnerd / id est, *audax seu fortis & simul charus, qui fortis sit fortis, domi charus*. Et qui bello & pace floreat. Et componitur ex tñ circumflexo & u, Belgico und werd / fortis & charus.

Humbertus, id est, Unwerd / non charus : Extat familia nobilis hoc nomine, & videtur humilitatis Virtute hoc nomen esse quæsitum, quasi diceret : Noli curare sublimia, præstat humili loco contemptum esse, quàm tragica gloria charum heri velle. Et fortè idem est Kunibertus mutatis invicem k.g.h. Belgico more.

Sigibertus, hoc est, Siegwert / id est, *Victor esto & charus simul* : Nam victoria insolentes facit, sed clementia victoris facit *Sigverdu*.

Symprecht / Symphorianus, ah quàm prolixus & liberis depravationibus, cum idem sit quod Siegebert m, pro gposito.

Lampertus, id est, Lange und Werd / quod est, *discharus*, quia beneficia citò oblivioni traduntur. Et rarus, vel nullus potius invenitur Langeverdu seu diu gratus.

Robertus, Rnprecht utrumq; vitiosè, sed Rachtwerd / dici debet, ut qui Racht und werd sit, *qui consilio valeat & charus sit*. Sicut Tugewerd *fallo vales & charus est* : Quia raro chari manent boni consiliarii, id est, verè Ratverdi.

Omnia nomina in Racht sunt Germanica.

Rat / per r est æquivocum, primò singularis tantum numerus significat *consilium*, non enim pluraliter dicitur, die Rächte consilia. Inde Rathus / Rathertu / Curia, Senatores, Senaculum. Secundo significat *ipses consiliarios*, inde pluraliter, die Rächte / a Italico seu ediph: hongato. Tertio, *successum, fortunam*, addita syllaba g. Hinc gerathen / ungerathen / wolgerathen / sed claret hoc esse derivativum à Rat. Est & nomen Rad per d plurale Räder / id est, rota, rotz, sed hoc nihil ad propositum, sic igitur dicitur.

Gehard, *reliis* Gebrat e puro, *qui potens est dare consilium, dator consilii*.

Volrat / Wolrat / *bene consulens, bona consilia habens, Eubulus*. Qui autem volet, potest dicere, Wolrat / id est, Wolgerat / *fortunatus, felix, prosper*, sed non placet.

Conrat / Künrat / accentu acuto in priore syllaba & u Belgico, *Valens consilio, sciens consilium, prudens, Prudentius*. Hic per syncopen dicitur, Kurr / Kurr Küngrin / Kungel : In quibus indicat littera u esse dicentium Künrat / per u non per o. Können est sciri seu sciencia valere.

Burckardus, Burgrabt / *consul arcis, civitatis, civitates enim Burg dicitur sunt*. Et *Cives Burgenses, & adhuc hodie Burger*.

Eberhard / *reliis* Ober Racht *supremus consul, proconsul*.

Ricardus, Ricardis, Reichrat / Rierat / vel à divitiis quasi dives consul, vel verius, *Rekrat, consul inter Gygantes, nobiles, heros*. Rectè enim significat *proceras, magnos, heroicos, fortes Viros, pygantes, hunc hodie videntur, appellare Kriegeracht*.

Oldradus, hoc per se patet, esse Altracht / seu Saxonice, Altracht / *Senior, Senator vel Senatus* : Et dicitur fortè, contra juveniles Senatores, qui imperitia & stultitia sua evertunt Respublicas. Alioqui hodie dicitur Altracht / Neutracht / qui per annuas vices succedunt in Magistratu.

Eckhardus, Eckart / sed mea imaginatione Negetat ab Nege / ut supra : *Servans, custodiens prudentem consilio, & ille Odoacer ab Italis dictus, Hettberger est*. Quia ort seu od, ut diximus est, Hatto Hetto, sic Hettberger est pater custodiens, servans, tuens, hinc Eck / Wolffs Eck / rectius Nege / Nege, Hülfshège / custodia salutis, salus custodiz. Vel si à fortuna Racht dici voles, erit Nege Racht / *servans parat, quia Racht & Bracht Germanicè dicitur, quando res bene & malè curantur, quasi per hoc bene vel malè rei familiari consulatur, sed prior Etymologia melior est*.

Marquardus, crasse nimis, pro Margrahe seu Marckraht / *consul provincia, Marck significat limites, ergo, certz Regioni limitibus suis deputatz, hic Margraus præst*.

Nomina in Hart sunt Germanica.

Ut Hart significat robur, festus, stans.

1. *Volthart* robur, columen, sustentator populi, Demosthenes.

2. *Leonhart* robur Leoninum, viriliter agens & impavidus: sic dictus est Leo Dux Henricus Brunsvicensis.

3. *Bernhart* / robur Ursi. (lis, &c.)

4. *Ehrhart* / robur honoris seu honestum robur, qui viriliter honesta tuetur.

5. *Degenhart* / robur Virtutis, scilicet qui constans & firmus est in Virtute, nec flectitur nec corrumpitur.

Degen enim est à Digen / valere, validum esse, ut Saxonice dicitur: Er thät my alle Ehre und Dügent / id est, omni genere Virtutis & officiorum me affecit. Inde u Dügenty Græco (Tugend alias) Virtutes: Et est illud αἰσῆρ, quod Cicero officium vocat Latine.

Reinhart forte *Rugenhart* / pacis robur vel *Regenhart*.

Gotthart / robur Dei, Gabriel: Nisi hoc velis ab Art ducere, quod est, ingenium seu natura. Ut *Gotthart* sit *Gutart* / bono ingenio, guter Natur, fromb / *Agathais*, *Agatha*. Sicut & *Reinart* possit dici, puro & pudico ingenio, *Catharus*, *Catharin*.

Hort substantivè dicitur ab hart adjectivo, firmitas. Sic Deum appellamus, unser Hort / ubi Ebraeus Petram eum vocat. Inde *hortig* / bona valetudinis & firma, sanus, vegetus.

Reliqua quadam.

Tottila supra dictum est esse *Dögel* sive *Dejel* à voce *Dod* / per diphthongum, &c. Sic enim Franci dicunt, *Mein doed*; *Dod* autem vel *Deud* est nomen Dei, ut supra. Ergo *Tottila* est *Dodie Dögel* / quasi parvus Deus, vel *Deunculus Gottlin* / mutata tt. in duplex st. vel z. seu Ebraicum, *Thau*, debent enim esse *Gottlin* / seu *minores Dii* sub Deo vero. Historici hunc vocant *Taxillo* vel *Tassillo*, satis crasso gutture.

Idem factum est nomini *Attila*, quod *Hettila* seu *Hottle* potius dici debet, & per *Thau* fit *Hosel* / *Hosel*. Est enim diminutivum ab *Hasto* vel *Hetto*, & *Hota*, qui amissa aspiratione *Otto*. Et hinc *Ottle* dicuntur, satis in usu adhuc hodie: Unde & urbs Regia in Hungaria, *Buda* seu *Dfen*. Germanice dicitur *Hegelsburg*, à *Attila* seu *Hettila*, quia *Hettila* Rex Hunnorum ibi regnavit, est autem *Hattela*, paterculus, parvus pater, Germanice, *Bätterlin*.

Carolus seu *Karolus*, haud dubiè est illud Saxonice *Kerte* / per e diphthongum: quum illi semper faciunt a Italicum. Est autem *Kerse* / Vir procerus statura & grandis corporis, qualem fuisse Carolum primum scribunt.

Alphonsus, *Alfonsus*, valde propè est, si non ipsum est, *Helfuns* / adiutorium nostrum. Quia Itali (ut dixi) aspirationes omittunt & a ex e faciunt.

Arionistus (sic *Cæsar*) alii pejus *Ariovistus*, per u, est *Ehrvest* / & per syncopen, *Ernst*. *Ehrvest* autem hodie est titulus Nobilitatis, præsertim Equitum auriatorum, quod sine honestatis tenaces, & esse debeant, id enim sonat ea vox.

Marobodus, sic Latini, sed Germani *Mehrer Bod* / per syncopen, *Mehrvod* / circumflexo accentu, licet crassilingues Germaniæ superioris depravant, in *Vogt*. Est autem *Mehrer* major, unde, adhuc S. *Jacobum majorem* appellant S. *Jacob den mehrern*. Et Moraviam nos *Mehreru* dicimus hodie, sortitam scilicet hoc nomen ab ipso *Marobodo*, id est, *Mehrevod*. *Bod* verò venit à *Boden* quod est fovere, alere, enutrire sicut parentes alunt liberos, & animalia suos foetus. Igitur *Marobodus* est, der *Mehrevod* / id est, *Alumnus*

major, superior, eminentior, qui reliquis *Vodis* inferioribus præest. Sic enim Principes debent *Vodi*, *Hetti*, *Dodi* / *Hettlin* / *Doglin* / *alumni*, patres, pastores, *Dii* populorum esse. Hinc & alia Regio, dicitur *Vodland* / nunc corruptè *Voitland* seu *Vogtland*. Quia ea fuerit fortè provincia, per unum *Vodum* administranda.

Extat & nomen proprium, *Bodo*: quod est ipsum *Vod*, *fotor*, *pastor*, *alumnus*. Bote non rectè dicitur, quia hoc significat nuncium.

Marschalcs, nullum nomen fœdius est corruptum per Italos vel scriptorculos. Est enim etiam id quod *Mehrer* seu major, & *Stalherr* / qui est magister equitum ab equitibus gubernandis. Et dicendum ac scribendum fuit, *Mehrstaherr* / id est, major, superior, summus magister equitum, qui est hodie titulus Ducis Electoris Saxonie, ac si non fuisset vox ea corrupta, non esset opus nunc addere *Archi*, *Erzmarschalck* / sed *Mehrstaherr* / dedisset id, quod *Erz* vel *archi*, cum significet summum Magistrum equitum.

Lotharius, *Cæsar* hunc *Lutherium* seu *Lutherum* vocat, est *Ludher* / frequens adhuc hodie nomen in Germania, præsertim Saxonie, significat autem herum seu Dominatorem hominum. Eide enim (ut dixi) Saxonice homines significat, *Herr* / herum seu Dominum. Sed *Cæsar*, ut supra dixi, d in t solet mutare, fortè propter sequentes aspirationes vel alias causas. Quare & hic est u *Hollandicum* seu y *Pythagoricum*. Deinde th est d tenue & molle, deniq; Saxonès usq; in hanc diem vocant *Lotharium*, optimum illum Imperatorem *Kenser Ludher* seu *Ludher*. Quod si Suevus audiret pronunciari, faceret *Lidher* ex ipso. Nam ipsi ex y Græco libenter faciunt i Latinum. *Cæsar* autem volens per aspiratam reddere propriè *Ludherum*, occasio fuit, ut postea *Lotharium* facerent crassilingues. Et hodie faciunt, *Eutter* / *lotter* / & similia. Hinc *Lotharingia* *Ludheringen* / id est, *Ludheri mansio*, à nepote *Caroli Magni*, ab Historicis *Lothario* dicto. Nunc dicunt *Lottringen* crassissime.

Amalafwitta, *Himelwitte*: *Sapientia cœlestis*, à *Witte* seu *Wige* & cœlo, quasi divinitus erudita, *Urania*, *Diana*, *Theodidacta*: Vel si ab albedine cœli ducas, erit *Serena*, nam *Witte* est etiam *Albedo*, candor.

Rosmunda, *Rosmundos rosem*, hoc non habet dubium. *Theudelina*, *Dudelina*, à *Dendi* / *Dud* / *Dod* / scilicet parvula Dea, sicut *Tottila* seu *Dodie* / parvus Deus, ut supra in *Dietrich* dictum est. Igitur diminutivum *Theudelina*, *Dudeln* / seu *Dydelina* *Deuelina* / *Digelina* est *Eusebiola*, *piulcula*, *divula*, *divinula*.

Fastrada uxor *Caroli Magni*, est *Destrat* / optimum consilium, *Aristobula* Græcè.

Francus, *Franciscus*, *Liber*, *Liberius*, *Eleutheros*, per syncopen seu synalephen, à *fry* & *Antz* / quasi *Fryant* / *fry* Saxonice *frei* diphthongo Suevica, est *Liber* adjectivè, *Antz* est *adolescens*, juvenis, nomen hodie gentile multis familiis. Et *Enckel* / *Enckle* diminutivè dicitur adhuc juvenis arator, seu aratrum gubernans, ut appareat *Francos* fuisse, pubem seu juventutem, quæ se fortè servili bello per leditionem in libertatem asseruerit, die *freien Knaben* / *freien Gesellen* / die *freien Bauren*.

Franciscus Græca imitatione diminutivum est, *frenckel* / *frencklin* / *frenckle* / *frenckle* / Germanicè, das *freibüblin* / *freibüblin*. Et Galli adhuc *Francum* arbitrium, *freien willen* / *Liberum* arbitrium dicunt.